


AZIONALE
8
12 — L
37
VITT. EMANUELE

DISPVTATIONES DE INCARNATIONE DOMINICA

AD MENTEM DOCTORIS SVBTILIS,

AVCTORE ADMODVM R. P. MAGISTRO
BONAVENTVRA BELLVTO
CATANENSI
ORDINIS MINORVM CONVENTVALIVM,
Prouinciæ Siciliæ eiusdem Ord. Diffinitore perpetuo,
Olim Perusij, & Patauij Regente.



CATANAE,
IN AEDIBVS ILLVSTRISSIMI SENATVS,

Apud Ioannem Rossi, M. DC. XXXXV. Superiorum permissu.

REVERENDISSIMO PATRI
MAGISTRO
IOANNI BAPTISTAE
BERARDICELLO
TOTIVS ORDINIS MIN. CONVEN.
MINISTRO GENERALI VIGILANTISSIMO.





Ostquam in finum patrij Maris ea me appulit Obedientia (Præclarissimè, ac Reuerendissime Pater) quæ tot, tantisq; tuis in me, Collegamq; meum P. Bartholomæum Mastrium beneficijs summa cum liberalitate, ac humanitate profectis impulit, vt pro communi gratiarum merito cõmunem Tibi in libros de Cœlo dicationem præberemus, illorumq; ponderi Te Atlantem posceremus; Eadem me modò particularibus his edendis paginis admonet, vt præcipuas, quas à Te recensui gratias, quò ad fieri posset, præcipua dedicatione persoluerem. Nec immeritò, Scripta siquidem filiorum, non Alij, quàm benigno Patri, nec Alteri, nisi tuo dicanda Nomini debebantur. Hanc namque Libri huius de Incarnato Verbo tractationem Coronatum illud obtutu aereo Stemma tuum maximè præfigurat, maximèq; velut in schemate quodam eam misticè animaduertit: vtpotè cum inter litterarum Notas B primæ proximum sit, & illud Diademate redimitum in tuis Gentilitijs inspectetur, hypostaticè diuino Verbo vnitam Humanitatem apud Patrem, eamq; super cælos coronatam ostentat; Deus enim cum in omnium vniuersa entium serie primum habeat locum, qui & priorem suæ infinitæ Maiestati sedem, *Ego sum Alpha*, dicens, propalauit, proximam sibi Filij Humanitatem super Aethera euectam Diuinitate coronauit.

Iſta ergo, quæ me vrgebant, conſilia (Pater amantiſſime) fuerunt, tuis nimirum priuatis in me beneficijs intendere, tuiſq; haud abſimilem Inſignibus de Filio hominis Tractatum conſecrare. Solùm illud Te rogo, vt memoriam, curamq; mei, quam perpetuam dignaris, eò ſuſtentes, vt deinceps, non vt in præſens tenui hoc munere, propenſiſſimum erga Te animum, ac ſtudium, vſq; dum occaſio, & tempus maiora dederint, præmaturiùs oſtendam. Interim hæc vbi ad Manus tuas peruenerint Scripta, ſummopere pro innata tua benignitate paterno vultu ſuſcipe, meq; filiorum tuorum numero, vti ſpeciali ſemper conſueuiſti humanitate, intuere. Catanæ, Anno ab Incarnato Deo 1645.

Reuerendiſſimæ Paternitatis Tuæ

Humilis in Christo filius

Frater Bonauentura Bellutus Catanenſis Min. Con.



BENEVOLO LECTORI.

OCcasionem theologādi ni petas (Amice Lector) suspicione potiùs, quàm inspectione, nostra hæc lucubrationis ectypa nonnisi longè ex incepto scribendi instituto Adm. cum R. P. Magistro Bartholomæo Mastrio (Collega meo, futura, nec vti vouimus, Amicitiæ Comite, neq; modò geminis exarata nominibus, si spectabis, afficient, meq; tanquam Amici desertorem, & ab illo tàm vulgari, Omnia Amicorum esse communia, ea nunc solum typis incudendo, immemorem desciuisse prædicabis. At si illam, quæ nos Gymnasiorum regimine, & Collegiorum collegauit Obedientiam, eamq; paribus, vt nosti, laboribus Philosophiam, quæ Philomachiam peperit, inspexeris, & huiusce editionis causam, & prætactæ dilectionis nexus, seiunctos licèt, arctiores adhùc comperies. Teq; enim sapere oportet, tunc omnino editionis inscriptionem communitate geminam imprimi placuisse, cùm nec consuetudinis vnanimitate, nec regiminis communitate dirimi decuisse visi sumus. At post operatos Gymnosophiæ labores, iussu deinde nobis reditu ad Patriam, paria, quæ amicitiæ nostræ desponderamus monumenta intermittentibus, Metaphysicen incomplexam ex opere nostro Coronidem, quam tibi prælo admittendam parabamus, vti vnico Collega meus nomine omnibus absolutam numeris in lucem prodidit, ita vno Operis huiusce theologicum Tractatum Titulo discretum intueris. Disce ergo ex his Lector, vna voluntate, eodemq; ratiocinantes intellectu particularibus, vt in præsenti, sicut olim communibus insudando, potuisse Alterum sine Altero Bibliothecarum sarcina humeros aliquando supponere, solumq; ad ostendendum singulare nostræ necessitudinis vinculum philosophicum cursum communi nomine prælo datum fuisse.

Sed quoniam à Deo simpliciter exordium capere Theologantium mos semper fuit, mihi ideo de eius Incarnatione edisserenti, nè statim quasi principijs aberrantem calidam veru partem accepisse dicas, ac proinde inconsultò rem mediam adijsse putes; quæso Te illum, quo communia gessimus, morem, vel potiùs amorem animaduertas, vt calamos, quos & Collegæ mei partus excussione discretos paginis vides, vtraque Operum connexione adhùc iunctos admirando, necessariam mihi huiusce editionis causam fuisse concedas. Theologica siquidem facultas in duas principes secerni solet partes, in alteram, quæ de Deo in se, & in alteram, quæ de Deo homine sermonem instituit; prima pars maxima retinet cum Metaphysica connexionem, hæc namq; facultas etiam Deū ipsum secundùm propria ex cōmunibus desūpta contēplatur; quæ omnia satis superq; abundè à Collega meo exposita in Metaphysica fuere. Iure igitur priorem partem Collegæ meo reliqui, alterā de Dominicæ Incarnationis misterio peragentē suscepi, ad reliqua, quæ de Sacramentis tùm in genere, tùm in specie pertinent, si Domino placuerit, progressurus.

Hactenus Operis huius haud parua necessitate comperta, quæ nimirum iustis Amicorum causis irrepsit, nonnisi nimiam, ac prope ineffabilem Tractatus huiusce vtilitatem exhauries. Quanta siquidem vtilis Incarnati Verbi memoria fidelibus expediat, quamuis vndique liqueat, liceat tamen in præsenti parua hæc, nè multis complectar, nonnullorum Patrum verba subscribere. Ac primò illud Venerabilis Bedæ dicentis, Nihil est, quod magis homines à peccando cohibeat, quàm cum recolunt, Dominum pro eis passum fuisse. *Cui etiam illud melliflui Bernardi consentaneum videtur,* Si tentationum sentis aculeos, exaltatum in ligno serpentem æneum intuere, & fuge, non tàm vulnera, quàm vbera Crucifixi. *Ac proinde ne plurimis progrediar, Seraphicum Bonauenturam, nostræ Religionis, Ecclesiæq; lumen, & ornamentum recole, asserentem.* Passionis Christi meditatio continua mentem eleuabit; quid agendum, quid meditandum, quidq; sciendum, & sentiendum sit, significabit; te demum ad ardua inflammabit, te viuificabit, & contemni, & affligi faciet affectus tuos, tàm in cogitatione, quàm in locutione, ac etiam in operatione regulabit.

Cæterùm quo Physiologiæ Partum indagati sumus stilo, Operisq; distributione, eadem in hoc Theologiæ contextu forma vsum me videbis. Lector interim hæc lubenti animo suscipe, neq; mei officiosum meditare.



APPROBATIONES OPERIS.

REVERENDISSIME PATER

NON minus in hoc Opere Theologico de Dominicæ Incarnationis Misterio, quàm in vniuersa Logica, & toto cursu Philosophico, gloriosa relinquit Monimenta, & veri Sapientis sibi vendicat præstantiam Adm. R. P. Magister Bonauentura Bellutus à Catana olim Regens Perusinus, inde Patauinus, nunc Pater Prouinciæ, & Diffinitor perpetuus inter Franciscanos in hoc Siciliæ Regno. A tàm digno viro, tanquam singulari, benemerito, & primario Authore, vt cõuenit didicisse philosophari, ita in Theologicis Sapientiam animarum prægustare. Nihil enim, nisi consona Fidei, Cõcilijs, Patribus, & nostri Subtilissimi Doctoris veritates præclarè ostendit. Ad Præceptoris gloriam, Religionis incrementum, & decorem. Ex Aedibus Sanctissimæ Annunciationis Panormi Die 14. Ianuarij 1644.

Frater Gaspar Sghemma, Theologus Ordinis Min. Con. Deputatus.

TOmum, qui de Incarnatione Verbi diuini prætitulatur, ab A. R. P. Magistro Bonauentura Belluto Catanensi Ord. Min. Con. elucubratum, sic mandante Reuerendiss. Patre Magistro Ioanne Baptista Larinensi prædicti totius Ordinis S. Francisci Ministro Generali, sedulò perpendi. Cumq; in eo quidpiam, quod Sanctæ Fidei, aut bonis moribus aduersetur, minimè repererim, imò tanto Doctore dignũ, & eximijs eiusdem Philosophiæ Operibus apprimè cõsonum dijudicarim; censeo luci dandũ, ac prælo mandari posse ad maiorem Dei gloriam, S. Ecclesiæ ornamentũ, & Theologiam Profitentium vtilitatẽ. Dat. Alcariæ die 25. Aprilis 1644.

Frater Philippus Salernus Alcariensis Min. Con. S. Theologiæ Doctor, & eiusdem olim in Archigymnasio Viennensi primarius Professor Cæsarius.

OPVS, cuius titulus est *De Incarnatione Dominica*, elaboratum à P. Magistro Bonauentura Belluto Catanensi, examini, & recognitioni cõmisimus Patrum Magistrorum Gasparis Sghemma à Panormo, & Philippi ab Alcaria à nobis deputatorum; cumq; ab illorum diligenti indagine peruentilatum nihil repertum sit continere, quòd illi ad prælum viam præcludat; vt prælo detur, his nostris seruatis seruandis concedimus. In fidem Dat. Cesenæ Die 9. Iunij 1644.

Frater Ioan. Baptista Minister Generalis Min. Con.

Frater Franciscus de Radicophoro Secretarius Ordinis, & Prouincialis Hiberniæ.

DOCTORIS SVBTILIS
ELOGIVM.

HIC penè antè subtilis fuit, quàm homo esset,
Occultauit patriam suam, dum nascitur, vt subtiliter nasci posset;
Tria regna de eo sic disputant, vt nullibi ferè natus sit, dum vbique nascitur;
Cessate lites, ibi Scoto Patria est, vnde illi subtilitas venit.
Subtilitatem infans ab ea petijt, quæ subtilis esse debuit, vt DEI-para esset;
Accepit ea lege, vt subtilitatem Conceptæ Matris defenderet,
Inde illi subtilitas tanta, vt ipsum etiam nomen subtile sit,
Nec alius esse debuit Alumnus Virginis, & futurus Patronus.
Philosophiam sic excoluit, vt eius inuentor esse posset, nisi natam inuenisset;
Ita Aristotelis discipulus, vt doceri ab eo Aristoteles vellet, si viueret.
In Theologia æquauit S. Thomam, dum superare non potuit;
Et ne vnicus Theologiæ Princeps esset, eam in duo regna diuisit.
Mysteria fidei Christianæ ita sciuit, vt penè non crederet,
Extinxisset scientia fidem, nisi cæca simul, & oculata esse posset.
Naturam DEI ita descripsit, quasi aspexisset,
Arcana sapientiæ diuinæ, quasi penetrasset,
Delicias alterius vitæ, quasi expertus esset;
Atque hæc omnia tam subtiliter, vt crederes visum radijs Solis, nisi Scotus esset.
Sed nihil melius probauit acumen Scoti, quàm subtilitas Concepta Virginis,
Agitabatur à filijs origo matris, quam Scotus impuram nolebat, ne DEVM inficeret,
Ducenta aduersariorum argumenta ita repetijt, vt dubitatum sit, an DEVS suggereret,
Ita dissoluit, vt nemo dubitarit, quin DEVS eum homine responderet.
Adduxit rationes tam sacras, vt in eius verba Sorbona iurauerit,
Decretum est, ne quis admitteretur ad lauream, nisi hac in parte Scotista esset,
Adiectum est votū celebrādæ Conceptionis, vt quotannis cū Virgine Scotus triūpharet.
Non arrogauit sibi eam victoriam, quam miraculum pepererat,
Dum ad pugnam pergit, orauit Virginem in Imagine, & Imago respondit,
Inclinauit caput Imago saxea, vt opem annueret,
Adhuc perseuerat inclinatio, ne quis de āntiqua victoria dubitet, quæ quotidie noua est.
Attollere hæc omnia Scotum poterant, nisi Minorita esset,
Coloniam destinatus, vt ibi sapientiæ Coloniam institueret,
Perrexit insalutatis Parisijs, vt obedientia cæca esset,
Ibat pedes vir triumpho dignus, satis oneratus Scoto, nisi subtilis esset,
Progressa obuiam Colonia, eò maiorem venerata est, quò aspexit Minorem;
Redintegrata Conceptionis pugna renouauit Victoriam,

Vicit

Vicit discipulos Coloniæ, qui Parisijs magistros vicerat,
Non incruenta tamen Victoria, dum post pugnam interijt;
Martyr Cōcepta Virginis appellādus, seu merita uita, seu mortis calūnias spectes.
Tu ne fabulis credas, miracula consule,
Et mirare ingenium Scoti, dum mortem occultauit, qui Natales celauerat,
Tam acutè interijt, vt adhuc de mortis genere dubitetur.
Scilicet subtiliter mori voluit, quia subtiliter natus erat.
Ipse etiam mortis annus Incertus est, vt sit ætas tota subtilis.
Illud certum, paucis annis tam multa scripsisse, vt ijs legendis vix alter sufficiat;
Pugnat voluminibus cum Thoma, scripturus plura, si scripsisset minus subtiliter.
Vterque Doctor, ille Angelicus, hic Subtilis,
Sed hic subtilis esse non posset, nisi Angelicus esset.

P. LABBE' S. I. Theol.



INDEX
DISPVTATIONVM, QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM HVIVS OPERIS.

Disputatio Prima.

Disputatio Secunda.

Disputatio Tertia.

Disputatio Quarta.

Quæst. 3.

Quæstio

Quæstio

Disputatio Decima Tertia.

Disputatio Decima Quarta.

Disputatio Decima Quinta.

Disputatio Decima Sexta.



TRAC-

TRACTATVS DE INEFFABILI DIVINI VERBI INCARNATIONE.

Disputatio Prima.

De Possibilitate, & existentia Incarnationis.



RCANVM, & ineffabile Incarnationis misterium, quod explicandum proponimus, ob suæ celsitudinis immensitatem, & imperscrutabilitatis profunditatē varijs nominibus, tùm à sacra Scriptura, tùm à Patribus, & Doctoribus nuncupatur. Dicitur namq; Apprehensio, ad Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit;* dicitur Descensus, Isa. 64. *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes;* Aduentus, Malach. 3. *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis;* Verbum abbreuiatum, Isa. 10. *Verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram;* à Damasceno 3 de fide c. 1. Nouum omnium nouorũ, ab alijs Anacephaleosis, seù Congregatio omnium misteriorum fidei nostræ, siuè quæ in cælis, siuè quæ in terris sunt; qua ratione vterus Beatissimæ Virginis, in quo tàm magnum pietatis opus est peractum, miraculorum Officina à multis Patribus fuit appellatus. Verùm apud Scolasticos triplici nomine præcipuè consueuit nuncupari; dicitur Assumptio humanitatis, quoniam Verbum humanitatem assumpsit ad subsistendum increata subsistentia; secundò Vnio hypostatica, cōquia duæ naturæ, diuina, & humana, fuerunt in vno supposito, seù hypostasi vnitæ; & tandem Incarnatio, quatenus diuini Verbi persona incarnata est, iuxtà illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, quo vocabulo frequētiùs, & vt in plurimùm vtuntur Patres, & Scolastici. Hoc igitur sacrosanctæ Incarnationis misterium, quamuis cuiuscumque intellectus creati, tùm humani, tùm angelici, capacitatem transcendat, diuino tamen fidei lumine ducti pro viribus iuxtà subtilissimi nostri Præceptoris Scoti Teologorum omnium Principis sententiam explicabimus. At quoniam teste Philosopho 2. post. c. 2. primum, quod de re qualibet inuestigari debet, est ipsius possibilitas, & existentia, hinc primam disputationem instituimus de Possibilitate, existentia, & conuenientia huius sacrosancti misterij eumdemque ordinem seruabimus, quem in Philosophicis Commentarijs professi sumus.

Quæstio Prima.

Quædam de Subsistentia præaccipiuntur.

1 TOta cognitio huius sacratissimi misterij de Incarnatione præsupponit necessariò intelligentiam exactam, in quo formaliter consistat subsistentia, quidue dicat suppositum; etenim, vt videbimus, Incarnatio vnionem dicit naturæ humanæ cum Verbo diuino in vnitate suppositi, itaut duplex natura, humana .f., & diuina, seruatis vtriusque naturæ proprietatibus, subsistant vna, eadēq; subsistentia diuina, vnde natura humana in Verbo vnita reperitur absque propria subsistentia. Ex quo deducitur clare, necessariò, quid sit subsistentia, quomodò à natura distinguatur, & quænam sint ipsius munera, præcognosci debere. Fatemur rem metaphysicam esse, idcirco breuiter in hac quæstione tangemus, quæ fusè in disputationibus metaphysicis docentur, explicando solùm nostram sententiam, aliqua dubia pertractando.

2 Subsistere nihil aliud significat, quàm per se existere, hoc autem potest multipliciter sumi, vt colligitur ex Scoto quol. 4. M. & quol. 5. V. sed præcipuè quol. 9. A. vno modo communissimè, pro omni eo, quod solitariè existit, & hoc modo potest accidenti competere, quando est à subiecto separatum; secundò minùs communiter, pro omni eo, quod alteri non inhæret, nec habet aptitudinem ad inhærendum, & in hoc sensu omnes substantiæ, etiam materia, & forma subsistere dici poterunt, nam licèt forma sit in subiecto, non tamen inhæret, vt diximus in Physicis disp. 2. q. 2. art. 2. Tertiò propriè, pro illo ente, quod est in vltima actualitate, nec est ampliùs ordinabile ad aliquem actum simpliciter, vltra illum, quem habet, qui quidem actus vlterior possit esse actus eius per se, & hoc vel primò, vel participatiuè; & tale ens dicitur suppositum, quia est ens substantiale, singulare, completum; non enim forma substantialis dicitur hoc modo subsistere, quià .f. non sit alterius formæ receptiua, est tamen ordinabilis ad actum simpliciter, saltim participatiuè, quia, inquit Doctor, esse totius per se primò est actus compositi, participatiuè verò est actus formæ. In præsenti accipimus subsistentiam in hac tertia acceptione, quæ facit, vt aliquid incommunicabiliter existat.

3 Primò dubitatur, an ista subsistentia distinguatur à natura singulari substantiali, vt sit aliquid superadditum, an eadem sit cum ipsa. Aristoteles præ-

A cipuè,

cipuè 7.met.41. nullam agnouit distinctionem inter naturam singularem, & subsistentiam; ab hac opinione parùm distat illa alia opinio, solùm distinctionem rationis ponens inter naturam singularem, & suppositum, itaut differant vt abstractum, & concretum, quatenùs abstractum significat naturam per se, concretum significat rem per modum habentis essentiam; pro qua citantur Dur. p. d.34. q.1. Henr. quol. 4. q. 4. Aureo. 3. d. 1. q. 1. Acerbus lib.2. qq. peripat. q. 1.

4 Dicimus, subsistentiam à natura singulari substantiali distingui ex natura rei præter opus intellectus; ita Scotus 3. d. 1. q. 1.art.3. & quol. 19. art.3. estque communis; & quidem, quòd distinguantur, est de fide .l.n. lumine naturæ nequeat probari, supposita tamen fide, ostenditur primò de subsistentia increata, & supposito diuino, nam suppositum diuinum dicitur generare, vel generari, spirare, vel spirari, est incommunicabile, essentia diuina nec generat, nec generatur, nec spirat, nec spiratur, estq; cõmunicabilis tribus, ergo non sunt omninò idem. Secundò de supposito creato, quia de fide est, Verbum assumpsisse naturam humanam in singulari, non suppositum, vel personam, qua ratione naturam humanam in Verbo, dicitur à Patribus, & Concilijs carere propria subsistentia; ergo aliqua distinctio est inter illa; & quidem maior distinctione rationis; vel enim naturæ humanæ in Verbo aliquid deest, vt dicatur suppositum, vel nihil, si secundum, ergo esset suppositum, quod est hæreticum; si primum, ergo ex natura rei distinguuntur, non tantùm ratione, nam subsistentia istud aliud dicet, quod deest. Dices, nihil deesse, non tamen esse personam, quia aliquid ei est additum, scilicet vnio ad Verbum. Contrà, ergo saltim exigitur negatio vnionis, in qua formaliter consistet ratio subsistentiæ, negatio autem non distinguitur à natura sola ratione, sed ex natura rei, cum sit negatio realis. Accedit paritas de supposito diuino, cuius quidem subsistentia plusquam ratione ab essentia differt, vt dicitur in materia de Trinitate, & ostendit ratio adducta. Suppositum igitur præter hanc naturam ex hoc corpore, & ex hac anima rationali in homine constantem dicet aliquid aliud, per quod incommunicabiliter per se existit.

5 Secundò quæri solet, an istud distinctum, quod formaliter dicit subsistentia, sit quid positiuum, an verò negatiuum. Thomistæ, & Recentiores ferè omnes docent, subsistentiam formaliter dicere, quid positiuũ, .l. discrepent in explicatione huius entitatis; quam opinionem ex nostris sustinent Lich. 3.d.1. q.1. & p. d. 28. Herrera 2. disp.9. q.1. Centinus de Incarnat. disp. 1. c. 5.

6 Nostra opinio est, subsistentiam formaliter quid negatiuum dicere, præcipuè in creatis; ita ex Scotistis Bassol. 3. d. 1. q. 1. Rada 3. contr. 1. art. 1. Faber 3. disp. 2. Vulpes p.p. disp. 63. art.2. & alij, quamquam opinio de positiuo non sit prorsùs aliena à Scoti sententia, illam .n. probabilem quoq; putauit in 3. d.1. q.1. vt videbimus in eius explicatione.

7 Nota ex Scoto p. d. 2. q.2. CC. & d. 23. & quol. 19. art. 3.& 3. d.1. q.1. quòd cõmunicabile est duplex, aliud est cõmunicabile vt Quod, aliud est cõmunicabile vt Quò; primũ est, quod cõmunicatur alteri per identitatem, vt illud, cui cõmunicatur, sit ipsum, quod cõmunicatur, & hoc modo vniuersale cõmunicatur inferioribus; Secundũ est, quod cõmunicatur ad modum formæ, itaut id, cui cõmunicatur, sit ipso tãquam formali principio ratio essendi tale, non sit tñ ipsum; & hoc dupliciter contingit, vel vt forma partialis, sicut anima cõmunicatur corpori, & cõsequenter composito, vel vt forma totius, sicut humanitas cõmunicatur Petro. Hęc autem cõmunicatio vt Quo est triplex, actualis, aptidudinalis, & potentialis; prima dicit actum, & est, cum natura aliqua est verè cõmunicata supposito alterius naturæ, vt anima corpori vnita, & natura humana in Christo; Secunda dicit aptitudinem, vt quando natura habet inclinationem ad cõmunicari alieno supposito, vt anima separata .l. non sit actu cõmunicata, habet tamen aptitudinem; Tertia præscindit ab aptitudine, & solùm dicit non repugnantiam, quatenùs non implicat communicari alieno supposito, quo pacto omnis natura est in perfecta potentia obedientiali ad cõmunicandum supposito diuino.

8 Ex opposito, datur duplex incõmunicabilitas, seù negatio cõmunicabilitatis, vna est incõmunicabilitas vt Quod, & est, qua aliquid nequit pluribus cõmunicari, vt quodlibet sit ipsum, talis est natura creata singularis; alia est incõmunicabilitas vt Quo, & conuenit illi, quod non est ratio alicui essendi tale; Hæc quoq. triplex est, actualis, aptitudinalis, & potentialis; negatio cõmunicationis actualis est, cum natura actu non cõmunicatur alieno supposito; secunda est, quando natura nullam habet inclinationem ad oppositum actum .s. cõmunicationem; tertia est, quando non solùm non habet inclinationem, sed potiùs habet repugnantiam. Inter istas negationes hæc est differentia, vt notat Scotus in 3. & quol. cit. quòd illa negatio, quæ ab intrinseco prouenit, præsupponit aliquod positiuum, quod sit illius causa; cum verò negatio ab extrinseco prouenit, & alicui accidentaliter conuenit, non debet dari aliquod positiuũ, quod sit illius causa; exemplum, negatio irrationalitatis conuenit homini ab intrinseco, & hoc ratione rationalitatis; at negatio lucis in aere non conuenit aeri per aliquod positiuum intrinsecum aeri. In proposito, negatio cõmunicabilitatis potentialis dicit repugnantiam ad cõmunicationem, quare ab intrinseco conuenit illi, cui competit, & consequenter per aliquod positiuum; negatio cõmunicationis aptitudinalis ad alienum suppositum conuenit naturæ creatæ substantiali ab intrinseco, quia quantùm est ex se, petit in se, & per se existere, hinc debet naturæ conuenire per aliquod positiuũ, & tale erit entitas ipsius naturæ, quia ista negatio se habet vt passio fluens ab ipsa natura; at negatio cõmunicationis actualis alieno supposito est ipsi naturæ accidentalis, quia separari potest, vt patet in natura humana in Verbo, ideò non necessariò debet conuenire naturæ per aliquod positiuum; negatio tandem cõmunicationis vt Quod, seù diuisionis in plura indiuidua conuenit naturæ singulari ab intrinseco, & consequenter per aliquod positiuum, qualis est differentia indiuidualis; & in hoc sensu debet explicari propositio illa, qua sæpè vtitur Doctor præcipuè in 2. d. 3. q.2. contra Henr. quòd .s. nulla negatio potest alicui competere per se primò, sed propter aliquam affirmationem.

9 Hoc præaccepto, nostra sententia est, quòd subsistentia creata supra naturam singularem addit duplicem incõmunicabilitatem actualem, & aptitudinalem alieno supposito; nam prima sola non sufficit, vt aliquid dicatur suppositum, aliter anima separata esset

ta esset

ra esset suppositum, quod est falsum, quia .l. non sit actu cõmunicata, est tamen ab intrinseco cõmunicabilis alieno supposito; neq. sufficit secunda, aliter natura humana in Verbo esset suppositum, quia habet istam negationem, quam tanquam passionem secum defert; requiritur ergo tàm prima, quàm secunda, non est tamen tertia necessaria, aliter nulla natura esset suppositum, quia quælibet est in potẽtia obedientiali Dei ad cõmunicandum alieno supposito, saltim diuino. At natura diuina, quia habet repugnantiam, vt cõmunicetur alieno supposito, idcircò subsistentia in diuinis dicit triplicem illam negationem; Ex quo sequitur alia differentia, quòd in diuinis debet dari positiuum aliquod, quod sit causa, cur natura diuina suppositata dicatur, & ipsi conueniat tertia negatio, eòquia hæc prouenit ab intrinseco, & tales erunt relationes constitutiuæ personarum; at in creatis non necessariò debet dari positiuum à natura singulari distinctum, quod sit causa, cur negatio ipsi conueniat, quoniam .l. secũda ab intrinseco prouenit, & propter entitatem eiusdem naturæ, prima tamen per accidens conuenit naturæ; Hinc deducit Doctor, quòd suppositum in cõmuni non est vniuocum creato, & increato, nisi quò ad illam duplicem negationem, non tamen quò ad tertiam.

10 Vlteriùs pro maiori dilucidatione sententiæ Scoti est aduertendum, quòd hæc cõmunicatio, vel cõmunicabilitas naturæ solet etiam appellari substentatio naturæ à supposito, dependentia à supposito, & innitentia naturæ; qui modi loquendi cautè accipi debent, vt etiam aduertit Lich. in 3. cit. imò non obscurè insinuatur à Scoto quol. cit. O. & CC. vbi docet, naturam proprio supposito cõmunicari, non per dependentiam, sed per identitatem; per dependentiam igitur, innitentiam, & substentationem, nihil aliud intelligit Doctor, nisi illam cõmunicabilitatem alieno supposito; hinc non est vera dependentia à priori, nec vera substentatio, quæ nam .n. necessitas est in natura singulari, vt non possit naturaliter ex se esse, sed in alio petat existere? cum sit iam actus completus in genere substantiæ; vtitur tamen istis vocabulis, quia aliquo modo probabilem iudicat sententiam de positiuo; vnde in primo sent. vbi docuit sententiam de negatiuo, solo nomine cõmunicabilitatis vsus est, & incõmunicabilitatis; Quando ergo dicitur, natura substentatur, dependet, & innititur proprio supposito, est sensus, quòd cõmunicatur proprio supposito, quatenùs in se perfectè existit, nec est ratio alieno supposito essendi tale, sed est principium, cur suppositum proprium sit formaliter tale; vnde non est ista cõmunicatio vera, & rigorosa, quasi quòd cõmunicetur alicui omninò distincto, est .n. de quidditate proprij suppositi; similiter cum dicitur, natura habet inclinationem ad proprium suppositum, non est sensus, quòd habeat inclinationem ad illas negationes, sed ista locutione circumscribitur conuenientia quædam ipsius naturæ in modo essendi, quia magis proprium est naturæ singulari substantiali per se esse, quàm alteri vniri, sicut magis proprium est ramo in se esse, quàm inseri trunco alterius naturæ.

11 Verùm quando natura cõmunicatur supposito alieno, tunc est vera cõmunicatio, quia est ad aliquod distinctum, respectu cuius illa natura non prædicatur quidditatiuè, sed denominatiuè, nam præsupponit in illo supposito aliud esse simpliciter proueniens à natura illius suppositi; cõmunicatur autem, quia illi vnitur per veram, & realem vnionem, estq; ratio supposito, quòd sit tale; vocari etiam potest ista vnio dependentia, quatenùs est relatio quædam ordinis, seù posterioris ad prius, vt infra nu. 31. & 32. suppositum autem dicitur terminare illam dependentiam, & substentare naturam, quatenùs est terminus vltimò terminans illam vnionem, & cõmunicabilitatem; vnde Doctor ait, hanc dependentiã non esse causati ad causam, sed substentati ad substentificans; idest cõmunicabilis ad incõmunicabile: ex quibus patet, quo sensu suppositum dicitur esse incõmunicabile vt Quo, & vt Quod; nam si loquimur de increato, intelligitur de omni incõmunicabilitate, si verò de creato, solum explicari debet de illa duplici incomunicabilitate vt Quo s. actuali, & aptitudinali.

12 Hæc igitur sententia (quæ est magis Scotica, vt patet ex Scoto locis citatis, in quibus vt in plurimùm hanc sustinet, & declarat, vnde quamuis in 3. cit. videatur problematicus, soluit tamen rationes contrà opinionem de negatiuo, non tamen, quæ faciunt contrà opinionem de positiuo, quod etiam deducitur ex 3. d. 5. q. 2. C. & d. 6. q. 1. B.) ostendi potest præcipuè ex impugnatione oppositæ sententiæ. Nam daretur in homine entitas aliqua positiua, quam Verbum non assumpsisset, & consequenter non curasset, quia secundùm Dam. lib. 3. c. 25 quod est inassumptibile, est incurabile. Nec valet cõmunis responsio, authoritatem istam intelligi de ipsa natura, non de personalitate. Non valet, quia cum per ipsos actiones principaliter suppositis tribuantur, principaliter quoq; suppositum curari debebat. Tùm quia differentia indiuidualis non pertinet ad esse formale naturæ, & tamen fuit etiam assumpta, ergo authoritas non solùm intelligitur de ipsa natura, sed de omni eo, quod Deus plantauit in homine, vt ait Damascenus.

13 Sed fortiùs ostenditur impugnando dicendi modos, quibus aduersarij explicant istud positiuum; Nam primò falsum est, talem entitatem dicere collectionem accidentium in natura, vt aliqui dicunt; Etenim suppositum dicit substantiam vltimatè completam in genere substantiæ, in tali conceptu non clauditur aliquod accidens. Tùm quia prius non constituitur per aliquid posterius, suppositum est prius, accidens posterius. Tandem Verbum assumpsit humanitatem cum omnibus accidentibus homini conuenientibus, non tamen assumpsit suppositum, ergo &c. Secundò falsum est, hanc entitatem esse existentiam, qui dicendi modus Capreolo tribuitur; Quoniam existentia est realiter identificata, & inseparabilis à natura, vnde humanitas in Christo habet propriam existentiam, vt dicemus, non tamen subsistentiam; ergo &c.

14 Tertiò falsa quoq; est Recentiorum opinio, asserentium talem entitatem esse modum substantialem, per quem natura redditur incõmunicabilis. Hic enim modus dicendi maioribus scatet difficultatibus, quas adducere non est præsentis negotij, sed in metaphysica examinari debent; pro nunc impugno illum in suppositis materialibus; vel enim hæc subsistentia v. g. in aqua, ponitur integraliter indiuisibilis, vel diuisibilis; non primum, quia vel esset in puncto aquæ, & hoc non, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio; Tùm quia in vno puncto existens non posset totam aquam reddere subsistentem; Vel esset tota in toto, & tota in qualibet parte, & hoc est falsum, quia esset quid spirituale, & suppositum quodcumq; spiri-

totale dici posset: Tùm quia si ab aqua tolleretur parua quantitas, totum suppositum aquæ mutaretur, & destrueretur tota subsistentia, tàm maris Meridionalis, quàm Septentrionalis. Tùm quia diuisio integralis esset corruptio vnius suppositi substantialis, & generatio duorum suppositorum, duarumq; subsistentiarum.

15 Si dicatur secundum, scilicet esse diuisibilem; contra est, quia tunc pars subsistentiæ cõmunicaretur alteri parti subsistentiæ, vna enim pars alteri vnitur, & cõmunicari nil aliud est, quàm vniri; hoc autem est contra incommunicabilitatem suppositi, suppositum enim est omninò alteri supposito incommunicabile, quam incõmunicabilitatem habet à sua ratione formali, quæ est subsistentia.

Respondet Suarez in metaph. disp. 34. sect. 5. n. 53. & seq. vbi docet, subsistentiam non excludere omnẽ incõmunicabilitatem, sed solam illam, quæ fit per modum inhærentiæ; quarè partes aquæ dicuntur in aqua subsistere, non tamen sunt supposita, quia illud, inquit, dicitur suppositum, quod est ens omninò cõpletum, totale, & determinatum in genere substantiæ, hoc autem est omninò incõmunicabile alteri substantiæ; quarè cum ex duabus aquis fit vna, tunc ex duobus suppositis fit vnum, quia illæ aquæ amittunt complementum, & rationem suppositi, quæ consistit in illo vltimo termino, quo quælibet terminabatur, & habebat rationem totiùs; idem docet Auersa q. 19. sect. 3.

16 Hæc responsio coincidit cum nostra opinione; in præsenti enim nõ loquimur de subsistentia, prout opponitur esse in alio per inhærentiam, quia adhùc natura humana in Christo habet talem subsistentiam; sed loquimur de subsistentia illa, qua aliquid ità incõmunicabiliter existit, vt suppositum dici queat, & est ratio formalis constitutiua suppositi, ergo si suppositum dicit illud vltimum complementum, istud erit subsistẽtia, quod formaliter nihil aliud erit, quàm illa duplex negatio, nam pars aquæ actu cõmunicata alteri non est suppositum, quia caret prima negatione, quando est separata, dicitur suppositum, quia vtramque possidet, habet enim primam, vt patet, habet quoq; secundam, quia non habet inclinationem naturalem ad integralem compositionem, aliter esset in statu violento, sed solùm non repugnantiam, & neutralitatem.

17 Dices: data hac sententia, non saluantur, quæ de Incarnatione proferuntur à Patribus, & Concilijs; Primò enim dicitur, quòd Verbum diuinum aliquid suppleuit in natura, ergo si persona negationem dicit, non suppleuit aliquid, sed non aliquid, seù nihil. Secundò dicitur, quòd aliquid sit in Christo diuinum, quod alioquin deberet esse creatum, & tale est suppositum, ergo non dicit solam negationem, quæ nequit esse creata. Tertiò dicitur, hac vnione naturam humanam maximoperè fuisse exaltatam, quod esset falsum, nam si natura à nullo nata esset dependere, neç etiam à Deo, si dependeret à Deo, potiùs deprimeretur, quàm exaltaretur, ergo si natura ex se nata est à nullo supposito dependere, etsi posteà dependeret à supposito diuino, deprimeretur. Quartò dicitur, Verbum assumpsisse naturam, non suppositum, quæ Conciliorum determinatio haberet hunc sensum, Verbum sibi vniuit humanitatem, non relinquens ipsam inunitam, hic autem sensus ridiculus est; quis enim negaret naturam humanam Verbo vnitam nõ esse nõ vnitam? imò superflua esset tot Patrum Congregatio, vt hanc propositionem definiret; alter ergo fuit sensus Concilij; nec ista fuit mens Hæreticorum, sed quòd in Christo erant duæ personalitates, diuina, & humana, contrà quam opinionem, quæ erat Nestorij, fuit congregatum Concilium Ephesinum.

18 Resp. neg. assumptum; ad primam probationem dicimus, Verbum in hoc sensu supplere vices suppositi creati, quia sicut suppositum creatum est, quod vltimò denominatur agere, ità Verbum vltimò denominabatur agere, & pati quò ad actiones humanas; ad hoc autem nõ exigitur positiua entitas in supposito creato, quia, vt infrà dicemus, suppositum non concurrit physicè influendo per subsistentiam ad actiones; & hoc est ly aliquid, quod dicitur supplere Verbum, sicut etiam cum dicimus, Verbum consumpsisse personam creatam; verba enim ista accipi debent secundùm subiectam materiam, non in rigore sermonis, quia non habemus alium modum loquendi, nisi positiuum, quo modo etiam vtimur in entibus rationis, & negationibus, vnde etiam dicere solemus, aduenisse noctem, tenebras fugasse lucem, diem consumpsisse tenebras, & tamen tenebræ non dicunt aliquod positiuum. Ad secundã dicimus, suppositum non dicere solùm duplicem negationem, hæc enim est suppositalitas, sed dicit naturam cum duplici negatione, i. vnum pro materiali, alterum pro formali; hinc patet, quomodò in Christo sit aliquid increatum, & diuinum, quia adest personalitas Verbi, quæ si non adesset, quod remaneret, esset aliquod creatum, scilicet natura cum duplici negatione. Ad tertiam concedo, naturã per istam vnionem fuisse exaltatam, neq; hæc cõmunicatio est vera dependentia in esse, & à priori, de qua currit argumentum, quia communicari supposito vt sic non arguit imperfectionem, aliter non conueniret diuinæ naturæ; Verùm est, quòd in natura creata habet imperfectionem annexam, & consequenter dependentiam quandam à posteriori, quatenùs omne constitutiuum creatum habet rationem partis. Hanc tamen imperfectionem præponderat perfectio, quam acquirit ex vnione ad diuinum suppositum, sicut quælibet forma perficitur in constitutione totius, ex dictis in Phys. disp. 5. q. 10. in 6. ratione pro conclus. ex Scoto ibi cit. & tamen num. 10. & 11. Ad quartã determinatio Concilij fuit necessaria propter Nestorium ponentem duas personas in Christo, & solam vnionem assistentiæ, & dignitatis inter naturam humanam, & Verbum, non autem vnionem realem, & veram; ad quem errorem damnandum Concilia determinarunt, Verbum solam naturam humanam assumpsisse, non suppositum, idest inter naturam humanam, & Verbum esse veram, ac realem vnionem. Concedo quoq;, Hæreticos aliud sensisse, videlicet subsistentiam quid positiuum dicere, ideoq; necessaria erat contra ipsos determinatio Cõcilij; ex hoc autem, quòd sensus istius determinationis, supposita nostra sententia de negatiuo, ab omnibus admittatur, non debet inferri vanitas determinationis, sed potiùs veritas nostræ fidei, & consequenter multùm innotescit Hæreticorum insania; in rebus enim fidei conari debemus, ostendere, quantùm possumus, ipsarum possibilitatem.

19 Dices cum Centino cit. Si persona quid negatiuum diceret, sequeretur primò, personam non esse quid vniuocum creatæ, & increatæ, hæc enim dicit quid

quid positiuum, at positiuo, & negatiuo nihil est cõmune vniuocum. Secundò, personam diuinam esse quid negatiuum, quia magis videtur in creatis, personalitatem dicere quid positiuum, quàm in diuinis, vbi propter summam simplicitatem additio positiui minùs videtur conuenire, ergo si in creatis est quid negatiuum, multò magis in diuinis. Tertiò, humanitatem Christi esse æquè perfectam, & completam, sicut est persona Petri, quia nihil minùs habet, nisi solam negationem, at substantia non completur sola negatione. Quartò, primam substantiam, & suppositum esse ens per accidens ex positiuo, & negatiuo conflatum. Tandem, negationem esse rationem incommunicabilitatis, quod est falsum, nam quicquid habet negatio, habet ex affirmatiuo opposito, hinc negatio finitatis est incommunicabilis creaturæ, quia entitas positiua, quam dicit infinitas, est creaturæ incommunicabilis; ratio est, quia vnitas, pluralitas, communicabilitas, incommunicabilitas sunt passiones entis, ergo nequeunt negationi competere, nisi ratione entis.

20 Respondetur ad primam ex dictis, personam diuinam cum creata vniuocari in illa duplici negatione, non in tertia; quæ necessariò præsupponit quid positiuum. Ad secundam per idem negatur sequela; nec additio positiui repugnat diuinæ simplicitati, vt fusiùs in tract. de Trinitate ostenditur. Ad tertiam, humanitas Christi est æquè completa quò ad positiuum, nam Christus est perfectus homo, sicut cæteri. Ad quartam neg. seq. quia non æquè primò vtrumq; importat, sed vnum proformali, alterum pro materiali. Ad quintã patet ex dictis num. 8. Est tamen hic aduertendum, quòd cùm ait, negationem non posse esse rationem incommunicabilitatis, si est sensus, quòd nequeat denominare subiectum incommunicatum, si ipsa est communicabilis, est falsus, nam negatio, vt denominet, debet reperiri in subiecto, & fit transitus à Quo ad Quod; si est sensus, quòd, vt subiecto conueniat, & communicetur, debet præsupponere aliquod positiuum; hoc est verum de negatione ab intrinseco prouenienre, non de accidentali. Alias obiectiones ad metaphysicum remittimus.

21 Tertiò quæri solet, quid significent hæc nomina, indiuiduum, singulare, prima substantia, suppositum, hypostasis, & persona. Ad quod breuiter dico, differre inter se vt magis commune, & minùs commune, omnis enim persona, est hypostasis, suppositum, prima substantia, singulare, & indiuiduum, non tamen è contrà. Indiuiduum enim significat naturam, non ampliùs communicabilem vt Quod, seù quod idem est, non ampliùs contrahibilem per differentias ad inferiora, siuè sit substantialis, siuè accidentalis; idem quoq; singulare significat.

22 Prima substãtia addit supra indiuiduum, quòd talis natura sit de genere substantiæ, & quandoq; extenditur tàm ad substantiam singularem completam, quàm incompletam, quandoq; verò accipitur pro sola completa, quæ est directè in genere; præscindendo ab hoc, quòd sit communicabilis, vel incommunicabilis vt Quo; quam præcisionem non agnouit Arist. vnde primam substantiam completam putauit esse incommunicabilem, & cum supposito conuerti.

23 Suppositum importat naturam singularem incommunicabilem vt Quo, & vt Quod, & consequenter naturam substantialem completam cum illa duplici negatione iam explicata. Idem quoq; significat hypostasis, est enim nomen græcum, & substare, seù subsistere significat; & quamuis antiquitùs sumebatur, vel pro re verè existente, vt fecit Arist. lib. de mundo ad Alex., vel pro substantia, & essentia, vt Athan. in epist. ad Episcopos Africæ, & Hier. epist. 57. ad Damasum, vnde admittebant in Deo non tres hypostases, sed vnam. Modò tamen ex frequentiori vsu loquendi, tàm apud Patres, quàm apud Scolasticos, sumitur pro supposito, hinc vnio Incarnationis appellata est hypostatica, idest secundùm hypostasim.

24 Persona tandem addit supra suppositum, quòd sit in natura intellectuali, vnde definitur à Ricardo, quòd sit intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, iuxtà quam definitionem explicari debet alia à Boet. tradita, cum dixit, quòd sit rationalis naturæ indiuidua substantia, vt notat Doctor p. d. 23. q. vn. An autem suppositum, & persona de principali significato dicant existentiam naturæ, connotent verò negationes communicabilitatis, an potiùs è contrà, vt videtur deduci ex Scoto in 1. cit. ad Metaphysicam attinet. Vnum est hic not. non rectè à Petro Vuadingo disp. 4. nu. 37. doceri, vltimum constitutiuum personæ esse quoddã morale in natura rationali perfecta, eò quia Concil. Francoford. in Epist. ad vniuersos Christi fideles asserat, *Itaq; in Deo, & homine gemina substantia, sed non gemina persona est, quia persona personam cunsumere potest, substantia verò substantiam non potest, siquidem persona res iuris est, substantia res naturæ*; si ergo est aliquid iuris, iam est aliquid morale, & conseq. potest per aliud morale destrui, & consumi, vt ratio religiosi in Petro potest consumere rationem laici. Non inquam, hoc rectè asseritur, nam positiuum, quod dicit, vel connotat persona, est quid physicum, vt pater, negatiuum verò negat physicam entitatem, non moralem; scilicet vnionem, ergo non est negatiuum morale, sed physicum. Tùm quia fundamentum totius generis moris est libertas moralis, quæ in paruulis, & amentibus non reperitur, & consequenter paruulus, vel amens non esset persona, quòd est falsum. Nec authoritas adducta aliquid facessit, nam præterquamquod illa non est authoritas Concilij, sed Pasch. sij, & sæpesæpiùs Concilia approbant assertum aliquod, non verò rationem, licèt illam adducant; adhùc tamen dicimus, ly *persona res iuris est, substantia res naturæ*, solùm significare, substantiam esse ex natura rei cum humanitate identificatam, non autem rationem personæ, sed solùm esse iuris, idest iure naturali debitã humanitati, ideòq; separabilem, & consumptibilem.

25 Quartò dubitatur, quomodò subsistentia concurrat ad actiones, & munera, propriæ naturæ. Huic dubitationi respondeo, quòd subsistentia non se habet vt partialis causa, neq; est conditio sine qua non, nec merè per accidens se habet, & concomitanter, sed vt quid naturaliter præuium, & antecedens, præterquam ad actiones per naturalem resultãtiam, quæ scilicet ad proprias passiones terminantur, nam respectù istarum se habet vt consequens, non vt antecedens; probo singula.

Quòd primò subsistentia non concurrat, vt principium partiale, patet, quia est quid negatiuum. Tùm quia etsi esset quid positiuum, adhùc nequit esse aliqualiter ratio agendi, nam existentia est intimior naturæ, quàm subsistentia, & tamen non est ratio agendi, ergo multò minùs subsistentia. Tùm quia indi-

in diuinis subsistentia personalis non est ratio agendi, quia opera ad extra sunt indiuisa, ergo neq; in creatis. Tandem Verbum in natura humana suppleuit vices subsistentiæ creatæ, ergo si subsistētia physicè influeret in actiones naturę, debebit hoc idem pręstare subsistentia Verbi, quod est falsum, quia sic vna persona aliquid ageret, quod non alia.

26 Deinde quòd non sit conditio, sine qua nō ageret natura, probo; quia si natura esset sine omni subsistentia, vt multi docent esse possibile, aut si non esset hoc possibile, supponatur pro modo, adhuc tamen natura illa posset agere, & pati, ergo non erit conditio simpliciter necessaria ad agendum; assumptum probo exemplo accidentis separati, quod nec in se, nec in alio subsistit, & tamen potest agere, & pati, ergo multò magis id poterit præstare natura substantialis, quæ perfectioris est entitatis, & actiuitatis.

Rursùs non se habet merè per accidens; aliter eiusdem rationis esset denominatio, qua Franciscus dicitur ędificans, & qua musicus denominatur ędificans, qui a musica per accidens, & concomitanter se habet ad ędificationem; hoc autem est falsum, quia hæc propositio, Musicus ędificat, est de subiecto per accidens, at ista, Franciscus ędificat, non est de subiecto per accidens, sicut in diuinis, Pater generat, non est de subiecto per accidens.

27 Quapropter se habebit vt aliquid naturaliter præuium; sic habet Doctor in 3. d. 2. q. 2. art. 2. & quol. 19. P. & probatur, quia illud negatiuum per subsistentiam importatum statim sequitur naturam singularem, etsi nullam pro tunc exerceret operationem, estq; absq; omnibus accidentibus sibi naturaliter conuenientibus, ergo prius est illis; patet conseq. quia prius natura est id, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, & regulariter tenet, natura operatur, ergo est suppositata, non tamen valet, est suppositata, ergo operatur. Tùm quia priùs conuenit naturæ omne, quod pertinet ad rationem essendi substantialem, quàm aliquod extrinsecum, sed subsistentia pertinet ad modum essendi naturæ, cum sit quidam modus existendi per se, operatio autem est quid extrinsecum, ergo &c. Hoc autem est intelligendum etiam de subsistentia aliena, quando scilicet natura est alteri supposito communicata; quia vt ait Doctor in 3. cit. natura in eodem instanti naturæ, in quo personaretur in se, si sibi dimitteretur, in eodem personatur à persona assumente, ergo si subsistentia propria est prior natura quacumq; operatione, etiam subsistentia aliena.

28 Limitatur tamen hoc dictum, quòd nō debeat intelligi de actionibus per naturalem resultantiam, itaut priùs cōueniant naturę propriæ passiones, quàm subsistentia, quod colligo contra Recentiores ex Scoto p. d. 4. q. 2. ad 2. princ. vbi habet, essentiæ diuinæ conuenire ante omnem proprietatem personalē omnes perfectiones, & proprietates essentiales; ex qua doctrina, quæ etiam communis est apud Aduersarios, sic ostendo assertum; Tota distinctio subsistentiæ à natura fuit nota ex misterio Trinitatis, & Incarnationis, ergo proportionali modo philosophari debet in creatis, sicut in diuinis, data paritate: sed ante omnem proprietatem personalem, quæ reddit naturam diuinam suppositatam, intelligimus ipsi naturæ conuenire omnes essentiales perfectiones, quæ se habent ad modū passionum, ergò &c. Tùm quia priùs intelligimus, naturā habere proprias passiones, quàm ipsam singularizatam, ergò priùs natura resultare intelligimus ab ipsa passiones, quàm suppositari; probo consequentiam, quia suppositari præsupponit singularitatem in natura; probo antec. passiones primò, & per se naturæ cōmuni conueniunt, mediatè verò, & secundariò indiuiduis ex 1. post. c. 5. vnde de natura primò demonstrantur, vt de subiecto adæquato, & vt à singularitate præscindit, cum scientia sit vniuersalium, non singularium, ergo priùs natura intelligimus resultare passiones, quàm singularitatem, vnde differentia singularis contrahit non solùm naturam, sed etiam passiones; imò si à natura præscinderetur differentia indiuidualis, adhuc intelligimus ipsi naturæ conuenire passiones, ergo passiones sunt priores singularitate; & licèt hæc probatio non habeat locum in diuinis, hoc est, quia natura diuina, cum sit de se hæc, & singularissima, non contrahitur per differentiam indiuidualem, sicut creata natura; Tùm quia prædicantur de natura in secundo modo dicendi per se, non sic singularitas, & subsistentia, ergo sunt intimiores, & priores.

29 Tandem quæritur, quo sensu intelligenda sit illa propositio ab Arist. tradita in proœm. metaph. actiones sunt suppositorum. Respondeo cū Scoto p. d. 12. q. vn. ad 2. princ. & 4. d. 12. q. 3. ad 2. princ. quòd non rectè deducitur ista propositio ex loco cit. quia Arist. solùm ait, actiones esse circa singularia; Verùm quia est cōmune axioma in scholis receptum, illoq; est vsus Ioannes Theologus in Cōcil. Flor. sess. 18. & Dam. 3. de fide c. 13. dixit, agens, quod operatur, esse personam; idcircò inquit Doctor, quòd intelligi debet, non quidem in sensu causali, quasi quòd subsistentia sit ratio formalis, vel fundamentum agendi, sed secundùm vltimam denominationem, nec de solis suppositis, sed etiam de illis, quæ habent modum suppositi; ratio est, quia vt cum Scoto notaui in Log. disp. 10. q. 3. multiplex abstractio potest fieri à terminis concretis, & plures fiunt in accidentibus, quàm in substantijs, & plures in accidentibus respectiuis, quàm in absolutis; nam in substantiis fit abstractio à suppositis, vt ab homine humanitas, in accidentibus absolutis fit abstractio à suppositis, vt ab albo albedo, & ab indiuiduis, vt ab albedine albedineitas, in respectiuis prima fit à suppositis, vt à potente potentia, à fundamento proximo, vt à potentia potentialitas, & ab indiuiduis, vt à potentialitate ratio potentialitatis in communi; ex quibus apparet, primam abstractionem semper fieri a supposito, & per consequens vltima denominatio est ad suppositum, quia sicut abstractio est processus à denominatiuo ad denominans, vt ab albo ad albedinem, denominatio è contrà est processus à denominante ad denominatiuum, vt ab albedine album; quapropter suppositum est illud, quod vltimò denominatur; & quoniam ab actione, quæ est terminus denominans, regulariter non sumitur aliud denominatiuum, nisi illud, quod denominat vltimum denominabile, ad quod terminatur tota dependentia illius formæ actionis, quod denominat suum est agens, hac ratione actiones dicuntur esse suppositorum tanquam vltimò denominatorum; licèt ratio agendi sit omninò extrinseca ipsis. Dixi adhùc esse suppositorum, vel habētium modum suppositi, quia quando forma aliqua, quæ alicui communicata est illi ratio agendi, quodque vltimò denominatur per illam agere, est separata, & non actu communicata, vt est anima separata, vel accidens separatum,

tunc

nunc habet modum suppositi, & per se stantis, & consequenter denominatur agere, tanquam in eo casu vltimum denominabile. Hæc omnia breuiter prænotaui, vt valdè huic tractatui necessaria; vide P. Mastrium Collegam meum in sua Metaphysica.

Quæstio Secunda.

An sit possibilis Incarnatio.

30 POssibilitas alicuius duplex est, alia dicitur logica, alia physica, prima, vt docet Scotus p.d.7. q. vn. K. est non repugnantia terminorum eum ordine ad aliquem intellectum componentem illa extrema, v.g. quòd homo sit rationalis, dicitur logicè possibile, eo quia hi termini homo, & rationalitas inter se non repugnant, & vt non repugnantea fuerunt ab intellectu diuino apprehensi; secunda est, quæ primam præsupponit, & dicit ordinem ad aliquod principium actiuum potens producere rem illam à parte rei; vt ergo igitur videamus, an fuerit possibilis incarnatio, oportet videre, quid intelligatur hoc nomine incarnationis, & deinde inspicere, an inuoluat aliquam repugnantiam; ex hoc enim statim deducitur, quòd si nullum adest repugnans, erit logicè possibilis incarnatio, & consequenter etiam physicè, habito respectu ad omnipotentiam diuinam, cuius obiectum est omne ens possibile.

31 Incarnatio est quædam vnio naturæ humanæ in Verbo diuino in vnitate suppositi, & consequenter, vt notat Doctor 3. d. 1. q. 1. art. 1. & quol. 19. a.1. incarnatio dicit quandam relationem, quia non intelligitur ad se (an verò sit pura relatio, vel sit modus imbibens istam relationem trãscendentalem, dicam inferius) omnis autem vnio, vel est per informationem, vel per aggregationem, vel ordinis, loquendo de vnione duorum realiter distinctorũ; hæc vnio non est per informationem, quia natura humana, & Verbum non se habent vt actus, & potentia, hæc enim dicunt imperfectionem; nec est vnio aggregationis, quia hæc non est sufficiens ad vnitatem personæ; tùm quia hanc vnionem habet quælibet diuina persona cũ quolibet realiter distincto. Est ergo vnio ordinis, seù posterioris ad prius, nam vbi datur ordo, est prius, & posterius; sed nequit esse vnio ordinis accidentalis, quia hæc parùm differt ab vnione aggregationis, nec sufficit ad vnitatem personæ, qua ratione exercitus licèt habeat vnionem ordinis, non tamen constituit vnam personam, quarè erit vnio ordinis essentialis, estq; relatio disquiparantiæ, seù realis ex parte vnius extremi, scilicet naturæ, non Verbi. Ordo autem per se est multiplex, alius est causati posterioris ad causam priorem, & talis non est hic ordo, quia nec natura, nec vnio est præcisè causata à Verbo, sed à tota Trinitate, vt infra; alius est ordo causati posterioris ad causatum prius, quod de necessitate supponit, vt volitio dicitur essentialiter posterior intellectione, quam præsupponit, non vt causam sui, sed causatam ab intellectu; neq; talia est ordo naturæ ad Verbum, quia Verbum non est causatum. Alius est ordo mensurati ad mensuram, sicut imperfectius ad perfectum; talis etiam ordo non est in proposito, quia iste ordo ostenditur penès perfectionem mensuræ, at Verbum in hac vnione non dicitur mensura naturæ humanæ, quia terminat vnionem naturæ, non per essentiam, tanquam per rationem formalem, sed per personalitatem, quæ nullam dicit perfectionem.

32 Quapropter cum ordo iste sit ad Verbum ratione personalitatis, quæ incommunicabilis est, & natura ex alio capite sit communicabilis, non videtur inter naturam, & Verbum reperiri posse alius ordo, quàm posterioris, vt communicabilis ad essentialiter prius, vt incommunicabile, & quia posterius essentialiter dicit dependentiam ad prius essentialiter, quatenùs illud præsupponit; hinc talis vnio vocatur à Scoto vnio dependentiæ, seù ordinis communicabilis ad incommunicabile, seù substentificati ad substentificans, quod enim alicui communicatur, videtur ab illo substentari; quæ dependentia potest reduci ad genus causæ formalis, non quidem per informationem, & intrinsecæ, sed extrinsecæ, & per terminationem, quæ Deo non repugnat. In conceptu igitur incarnationis hæc interueniunt, natura humana, Verbum, & vnio ista dependẽtiæ, seù communicationis; & consequenter, vt ostendatur possibilitas Incarnationis, videndum est, an adsit aliqua repugnantia ex omnibus, vel ex vno istorum; hinc in tres articulos diuiditur quæstio.

Articulus Primus.

Ostenditur possibilitas ex parte naturæ.

33 INtentum nostrum in præsenti nõ est ostendere, possibilitatem istam posse naturali ratione demonstrari, de hoc enim agendum in sequenti quæst. sed solùm, quòd supposita fide, nulla sit repugnantia ex parte naturæ, in articulis enim nostræ fidei, qui sunt merè crediti, qualis est iste, & si non possimus contra Gentiles existentiam demonstrare, debemus tamen ostendere non repugnantiam illorum.

34 Dico ergo, nullam esse implicantiam ex parte naturæ assumptæ; ità Scotus sæpè cit. & prob. non implicat, naturam humanam separari à propria subsistentia incommunicabili, ergo non implicat, naturam humanam vniri hypostaticè diuino supposito; antec. prob. subsistentia creata ex dictis quæst. præced. consistit in duplici negatione communicationis actualis, & aptitudinalis, quarum prima separabilis est à natura, licèt secunda sit inseparabilis, & ratio est, quia non conuenit ipsi naturæ per aliquod positiuum intrinsecum, sicut conuenit secunda, vt dixi num. 8. ergo distinguuntur subsistentia, & natura realiter inter se, & consequenter quia natura est prior, poterit esse sine subsistentia; prima consequentia prob. negatio nequit auferri à subiecto, nisi per formam oppositam, quam negat, vt negatio albedinis à pariete non tollitur, nisi per ipsam albedinem, ergo negatio actualis cõmunicationis alieno supposito nequit auferri à natura, nisi per ipsam actualem communicationem, ergo si non repugnat naturæ separatio negationis, neq; repugnabit ipsa communicatio alieno supposito; tale suppositum nequit esse, nisi diuinum, quia vt ostendam disp. 3. q. 2. suppositum creatum nequit assumere alienam naturam, ergo &c. Tùm quia Verbum potest terminare alienam naturam ex dicendis art. seq. ergo non erit impossibile, naturam aliquam creatam communicari Verbo; patet conseq. quia non datur possibilitas terminãdi cõmunicationem aliquam, nisi

nisi detur in natura possibilitas communicandi alieno supposito. Tandem hoc assertum sic potest declarari, vt facit Scotus quol. 19. DD. accidens potest habere modum substantiæ, licèt non perfectè, scilicet quòd repugnet sibi dependere ad subiectum, tamen aliqualiter similem, scilicèt in non dependendo actualiter, vt euenit in accidente separato, ergo poterit substantia habere modum accidentis, non perfectè, scilicet inhærendo subiecto, sed imperfectè in dependendo actualiter ad suppositum alienum; Hæc ratio non est eadem cum illa, quam adducit Scotus 3. d. 1. q. 1. § *Tertius articulus* ex Varrone, nam vt est videre in textu, Varro concedebat modum per se essendi, qui conuenit substantiæ tanquam proprium, conuenire accidenti separato, quod est falsum, vt arguit ibi Doctor; quapropter ipse postea quol. cit. limitauit hanc paritatem.

35 Contra istam conclus. arguitur primò; Negatio nequit separari à suo fundamento adæquato, sed natura singularis est adæquatum fundamētum istius negationis communicationis actualis ad alienum suppositum, ergo &c. minor patet, quia in nostra sententia non datur aliud positiuum à natura singulari, per quod ipsi naturæ conueniat ista negatio; maior prob. negatio albedinis habet pro fundamento inadæquato parietem, pro adæquato parietem cum nigredine, à quo nequit separari, quia semper negatio albedinis erit in pariete, quandocumque in ipso adest nigredo. Tùm 2. suppositum alienum deberet efficere in natura, quod efficeret connaturale suppositum, ergo sicut natura, si in se esset supposita, nō esset actu communicata, nec actualiter penderet, quia non enti, vt est illa duplex negatio, nihil reale communicatur, nec à non ente potest aliquod reale pendere, ita nequit dici actu communicata, & ab alieno supposito pendere. Tùm 3. natura substantialis singularis ex se habet vltimatè terminare accidens, ergo sibi repugnat alieno supposito communicari, conseq. patet, quia tunc natura non vltimatè terminaret, sed suppositum; antec. prob. terminus vltimatus dependentiæ accidentis debet esse realis, sed in natura substantiali creata sola entitas ipsius naturæ singularis est realis, subsistentia vero est quid negatiuum, ergo &c. Tùm 4. ergo Angelus posset informare materiam, contra Scotum quol. 9. prob. seq. quia ratio, cur nequit Angelus informare, est, quia est suppositum, ergo si ratio suppositi à natura esset separabilis, poterit ab Angelo separari, ergo & informare poterit materiam.

36 Resp. ad 1. vel pro fundamento adæquato intelligitur id solùm, quod se habet per modum subiecti ad negationem, vel pro omni eo, quod aliquo modo pertinet ad positionem negationis, & necessariò requiritur, v.g. ad hòc vt negatio lucis sit in aere, præter entitatem aeris, nihil requiritur, quod se habeat per modum subiecti, attamen necessariò præexigit carentiam productionis lucis, idem etiam patet de pariete non albo, quæ negatio pro subiecto respicit solum parietem, at connotat carentiam productionis albedinis in agente; si primo modo sumitur fundamentum, nego, non posse reperiri sine negatione, concedo, si in secundo sensu, & tunc in proposito fundamētum adæquatum illius negationis in primo sensu est natura humana, in secundo sensu est ipsa, vt connotat etiam in Deo carentiam productionis alicuius vnionis alteri supposito; quod connotatum non est in natura assumpta. Ad 2. nego, maiorem esse in omnibus veram, aliter sicut de proprio supposito natura quidditatiuè prædicatur, sic etiam prædicabitur de alieno, quod est falsum, quia de alieno dicitur denominatiuè; hinc patet, cur dicitur ab alieno dependere, non à proprio, ratio est, quia vt notat Doctor quol. 19. O. & CC. proprio supposito natura communicatur per identitatem, at alieno communicatur denominatiuè, & consequenter cum dependentia. Ad 3. nego maiorem, ad probat. respondeo ex Scoto quol. cit. P. & Q. quòd vltimatè terminare dicit duo, primum est terminare, secundum est sic terminare, quòd nihil vlteriùs terminet, quantùm ad primum terminus dependentiæ realis accidentis est aliqua entitas positiua, scilicet ipsa singularis natura substantialis; quantùm ad secūdum benè potest esse aliquod negatiuum, hinc nego conseq. procedit enim de eo, quod terminat, nō de eo, quod vltimatè terminat. Ad 4. nego seq. ad probat. dico, Angelum non posse informare materiā, quia est ens perfectum, & completum, non autem partiale, aliter humanitas, quia non est suppositum, posset materiam informare; vide Scotum quol. 9.

37 Secundò, si hoc esset, iam quidditas naturæ substantialis destrueretur, quia haberet *esse in*, & non haberet cum propria subsistentia esse per se, ergo &c. Tùm 2. subsistentia humana conuerteretur in personam Verbi eo modo, quo panis in Eucharistia conuertitur in corpus Christi, quod est falsum. Tùm 3. humanitas in nullo genere causæ potest pendere à solo Verbo, non enim in genere causæ efficientis, quia hoc est commune toti Trinitati, nec formalis, aut materialis, quia hæc repugnāt Verbo, ergo &c. Tùm 4. natura humana est esse simpliciter, cum sit substantia, ergo cui communicatur, dat ei esse simpliciter, sicut quia forma accidentalis est esse secundùm quid, cui communicatur, dat esse secundùm quid, sed si natura humana communicaretur alieno supposito, non posset illi dare esse simpliciter, ergo &c. prob. min. quod dat alicui esse simpliciter, non præsupponit in eo aliquod esse simpliciter, ideo accidens, quia præsupponit in eo, cui communicatur, esse simpliciter, dat esse secundùm quid, sed natura humana in supposito alterius naturæ necessariò præsupponit esse simpliciter illius naturæ, ergo &c. min. prob. quia per se prius est eo, quod non est per se, istud autem suppositum est per se suppositum propriæ naturæ, non autem naturæ communicatæ, ergo &c.

38 Resp. ad 1. haberet *esse in* tanquam in subiecto, nego, tanquam in supposito, quatenùs est ratio talis essendi ipsius, concedo, & nego conseq. Ad 2. nego assumptum, primò, quia subsistentia non est quid positiuum, vt substātia panis; secundò, quia ad cōuersionem exigitur, vt id, quod in aliud conuertitur, desinat esse ex vi conuersionis, subsistentia humana nunquam fuit in natura assumpta. Ad 3. patet ex dictis in principio quæst. cum Scoto. Ad 4. respondeo ex eodem quol. 19. EE. neg. min. ad probat. distinguo maiorem, si illud dat esse proprio supposito, concedo, quia ipsi quidditatiuè communicatur, si dat alieno, nego, eò quia illi denominatiuè communicatur; nec paritas accidentis valet, quia & si accidens primò adueniret materiæ primæ, adhùc daret esse secundùm, quid, non simpliciter, eòquia est talis naturæ.

39 Secundò, natura humana non potest, nisi violenter, in Verbo subsistere, quod non est concedendum, ergo &c. seq. prob. quia Scotus quol. 19. X. inquit, quòd natura creata non habet aptitudinem ad

suppo-

suppositum diuinum, & alienum, sed solam non repugnantiam cum inclinatione ad proprium suppositum, & dat exemplum de lapide in ordine ad sursitatem cum inclinatione ad non sursitatem, at quando lapis est sursum, violenter se habet, ergo &c. Nec valet responsio de potentia obedientiali; etenim Scotus in 3. d. 27. F. concedit, quòd si aqua per potentiam obedientialem sursùm ascenderet, adhùc talis ascensus esset sibi violentus. Tùm 2. si natura haberet aliquam capacitatem ad vnionem hypostaticam, talis capacitas esset etiam naturalis, sed hoc est falsum, ergo &c. sequela prob. quia vnumquodque naturaliter inclinatur in propriam perfectionem, vnde secundùm Scotum q. 1. prol. homo naturalem habet inclinationem ad Beatitudinem, ergo quia vnio hypostatica est maxima perfectio, & maximum bonum, vt infra, si natura esset talis vnionis capax, esset etiam talis vnio iuxta naturalem inclinationem; falsitas prob. quia tunc natura non haberet negationem aptitudinalis communicabilitatis, imò quælibet esset propensa naturaliter ad talem communicationem, sicut anima ad communicationem, & consequenter nulla esset suppositum. Tùm 3. quæ sunt idem essentialiter, nequeunt separari, natura, & proprium suppositum sunt idem essentialiter, quia secundùm Scotum quol. 19. O. & CC. inter naturam, & suppositum est quædam communicatio per identitatem per se, ergo &c.

40 Respon. ad 1. neg. seq. ad probat. dico, Scotum non loqui ibi de vera, & rigorosa inclinatione, quæ est ad formam exigitam à subiecto ex sui natura, à qua perficiatur, & de qua procedit argumentum, sed de inclinatione, & aptitudine latè sumpta, quatenùs dat intelligere modum quendam proprium, & accommodatum naturæ substantiali; subsistentia enim, cum sit quid negatiuum, non perficit naturam, ideoque quando natura est sub opposito modo, non est in statu violento, sicut accidens ex sui natura petit inhærere subiecto, quatenùs status iste est connaturalis ipsius essentiæ, at si separatum existit, nó ibi violenter existit, sed præter naturam; exemplum autem de lapide adducitur à Scoto quò ad non implicantiam, & meram capacitatem, quam habet lapis ad sursitatem, non tamen quò ad violentiam. Ad 2. neg. seq. ad probat. dico, non quamlibet formam perfectiuam respici à subiecto naturali inclinatione, sed illam, quæ est debita secundùm exigentiam propriæ naturæ subiecti; qualis non est vnio hypostatica, benè tamen beatifica, quia Deus est finis naturalis hominis, & consequenter beatitudo est debita naturæ humanæ, vnde habet in se quandam potentiam actiuam inchoatam ad eliciendam visionem beatificam, vt nunc suppono ex tractatu de Visione beatifica, & docui in phys. disp. 7. q. 6. art. 5. loquens de potentia obedientiali, non sic autem se habet vnio hypostatica, quæ licèt sit maximum bonum, non tamen est secundùm naturalem exigentiam naturæ humanæ; & de his formis intelligendus est Doctor, quando quol. cit. ait, in natura creata non esse aptitudinem ad formas supernaturales, sed solá potentiam; vide disp. 6. phys. q. 3. Ad 3. dico ex Lich. ibidem, quòd per istam identitatem non debet intelligi identitas formalitatis vtriusq; sed tantùm quò ad illud positiuum, quod ambo dicunt, nam positiuum, quod dicit singulare, nó est distinctum à positiuo suppositi, cum hac tamen differentia, quòd à singulari formaliter importatur, à supposito connotatur; & quandò natura quidditatiuè prædicatur de supposito, non est natura singularis, sed communis, quæ prædicatur de supposito, non quatenùs suppositum dicit naturam singularem cum illa duplici negatione, nec quatenùs dicit solùm duplicem negationem, sed prout accipitur pro ipsa singulari natura, de qua verè natura in communi quidditatiuè prædicatur.

Articulus Secundus.

Ostenditur possibilitas ex parte Verbi Diuini.

41 DIco, nullam esse implicantiam, Verbum diuinum incarnari: est de fide, & illam docet Scotus in 3. & quol. sæpè cit. quam probat: si implicaret, vel esset, quia Verbum est persona, vel quia est diuina persona, vel quia est hæc, putà secunda persona, nullum istorum, ergo &c. min. prob. Non repugnat vt persona, quia independenti simpliciter non repugnat terminare dependentiam aliquam oppositam propriæ independentiæ, seù vt magis consequenter loquar, incommunicabili simpliciter non repugnat terminare cómunicationem alicuius communicabilis, sed Verbum vt persona est simpliciter incommunicabile, natura est communicabilis, ergo &c. min. patet, maior etiam, quia sic limitatè prolata cessant instantiæ, quas facit, & soluit Doctor quol. cit. & præcipuè, quia in Verbo reperitur, quidquid requiritur ad terminationem communicabilitatis naturæ, maximè cum subsistentia in Verbo sit quid positiuum. Neq; implicat, quia est persona diuina, nam ex hac vnione non resultat in Verbo, nec compositio, nec mutatio, nec limitatio, aut alia imperfectio, vt patebit ex solùtione obiectionum, nè eadem bis repetantur. Nec tandem implicat, quia hæc persona diuina, scilicet quia hæc persona incarnatur, & non alia, quia ràtio terminandi hanc vnionem in Verbo non est aliquid commune tribus, qua ratione omnes debeant positiuè terminare, sed est ipsa suppositalitas Verbi, vt disp. 3. q. 1. dicetur, ergo non est necesse, quòd omnes tres personæ terminent, sed sufficit persona Verbi.

42 Contra arguitur primò, incarnare est agere, ergo incarnari est pati, Verbũ diuinum nõ patitur, ergo neq; incarnatur; prima cósseq. quia omni actioni correspondet aliqua passio, præcipuè si de actione transeunte loquamur. Tùm 2. essentia diuina nequit talem dependentiam terminare, ergo neq; personalitas Verbi, quæ est eadem cum ipsa. Tùm 3. omnis dependentia est ad independens, & ad absolutum, persona Verbi vt sic non est absoluta. Tùm 4. Verbum perficeretur humanitate, quia humanitas daret verum esse humanum Verbo, sed hoc est falsum, ergo &c.

Resp. ad 1. ex Scot. hîc, & 4. d. 11. q. 2. ad 1. neg. primam conseq. ad probat. concedo assumptum, & sic ad incarnare correspondet, passio, quæ non explicatur per incarnari, nisi grammaticaliter, & vocaliter, sed per vniri, & assumi, talis autem passio est in natura, non in Verbo; & licèt dicatur, naturam diuinam vniri, & Verbum diuinum vniri, hoc autem est

intelligendum, quatenùs humana vnitur, hæc enim est, quæ recipit in se realem vnionem. Ad 2. dico, vrgere Thomistas, omnem actualem distinctionem negantes inter essentiam, & personalitates, cum tamen secundùm Scotum sit distinctio formalis, quæ sufficit. Ad 3. neg. assumptum, quia ista dependentia naturæ solùm requirit pro termino entitatem aliquam, quæ rationem suppositi possit habere. Ad 4. Incarnatione humanitas est, quæ perficitur, quia terminatur, & personatur, & recipit vnionem, Verbum verò potiùs perficit terminando: propriè tamen, & in rigore physico nec natura, nec Verbum perficiûtur ad inuicem, quia non se habent vt actus, & potentia, quod requiritur ad propriam rationem perficiendi; nec Verbum intrinsecè, & quidditatiuè dicitur homo, sed extrinsecè, & denominatiuè, vt ad vltimum dicam.

43 Secundò, Deus non potest supplere causam formalem, sed subsistentia est causa formalis, qua creatura subsistit, nõ secùs ac albedo est causa formalis, qua paries est albus, ergo sicut non potest facere albũ sine albedine, supplẽdo à se vicem albedinis, ità nec vt substantia subsistat, supplẽdo subsistentiã. Tùm 2. Deus non potest facere naturam accidentis, vt à se subsistat subsistentia substantiæ, ergo nec naturam substantiæ, vt subsistat subsistentia diuina, patet cõseq. quia magis distat substantia creatà à subsistentia diuina, quàm accidens à substantia. Tùm 3. Deus non potest cõmunicare alicui creaturæ sua attributa, sapientiam, bonitatem, omnipotentiam, &c. itaut creatura sit sapiens formaliter sapientia diuina, ergo neq; potest cõmunicare subsistentiam, vt creatura formaliter subsistat subsistentia diuina. Tùm 4. Verbi non potest venire in compositionem cũ natura, quia haberet rationem partis, sed vnio Verbi ad carnem, vt habetur in 5. Synodo act. 8. can. 4. est facta secundùm compositionem, ergo &c. Tum 5. Relatiuum non dependet, nisi ad correlatiuum, illudq; solum respicit, persona Verbi est relatiua, natura humana est absoluta, ergo natura non pendet à persona, nec Verbum respicere potest naturam, sed solum Patrem.

44 Resp. ad 1. subsistentiam creatam, cũ sit quid negatiuum, non esse propriè causam formalem; tùm quia effectus formalis subsistentiæ creatæ non est facere naturam subsistentem vt sic, hoc enim spectat ad subsistentiam communem creatæ, & increatæ, sed reddere naturam in se subsistentem, quod non tribuitur à Verbo, quod reddit naturam subsistentem, non in se, sed in alieno supposito. Ad 2. neg. paritas, quia accidens ab intrinseco habet, quòd sit aptum cõmunicari alieno supposito, at quod subsistit subsistentia substantiæ, ab intrinseco habet negationem talis aptitudinis; modò repugnat, accidens subsistere tali subsistentia, quia ab intrinseco esset aptum, & non aptum ad communicandum: at quando natura humana subsistit subsistentia Verbi, non per hoc aufertur negatio aptitudinalis communicabilitatis, licèt sit actu communicata; non repugnat autem, aptitudinem esse sine actu; nec maior distantia in entitate inter naturam humanam, & Verbum impedit, quia vnibilia potiùs debent esse inter se distantia, & diuersa, quàm eadem, vnde substantia, & accidens possunt vniri, non tamen duæ naturæ substantiales completæ. Ad 3. neg. paritas, quia sapientia, bonitas, &c. non possunt esse in creaturis, nisi secundùm quandam rationem formæ, ideò implicat, creaturam esse sapientem sapientia diuina, nisi secundùm idiomatum communicationem, de quo infrà; at subsistentia diuina sine vlla ratione formæ potest terminare cõmunicationem creaturæ. Ad 4. nego min. de vera compositione, vt dicit vnum compositum ex partibus, concedo de compositione impropria, prout dicit vnum ex pluribus, vt infra disp. 2. q. 2. Ad 5. respondet Doctor quol. cit. S. naturam pendere à Verbo, vt à subsistente, & incommunicabili, non vt à relatiuo.

45 Dices, Verbum est incommunicabile, ergo inunibile, prob. conseq. vnio, & communicatio idem sunt; tùm quia si Verbum vniretur naturæ humanæ, esset ratio, qua homo diceretur Verbum, persona diuina, &c. ergo esset communicabile vt Quo, quod est falsum, quia contra rationem suppositi; conseq. prob. quia esse cõmunicabile vt Quo ex dictis nu. 7. est esse ratio alicui essendi tale. Resp. distinguendo antec. est incommunicabile ad modum formæ dantis esse, nego, ad modum formæ terminantis esse, concedo, eodem modo distinguo consequens. Ad confir. etiam subiectum est ratio, qua accidens denominatur tale, v. g. superficies, qua albedo dicatur lata, lignum, quo circulus dicatur ligneus; item materia, qua forma dicatur materialis, & tamen subiectum non dicitur rigorose communicari formæ, vel accidenti, sed è contrà, vnde nõn qualibet denominatio arguit in re denominante communicabilitatem vt Quo, sed solùm illa, quæ sumitur à re, non vt terminante, sed vt terminata, & communicata; Verbum in Christo se habet vt terminans, non vt communicatum, & terminatum.

46 Tertiò, si Verbum esset vnibile cum natura humana, ergo etiam mutabile, quod est falsum, conseq. prob. quia aliter se haberet nunc, quàm prius, nam de non homine fieret homo. Huic rationi antiquiores Theologi facilè respondent, neg. conseq. ad probat. aiunt, Verbum aliter se habere denominatione extrinseca, quæ non arguit mutationem, non autem denominatione intrinseca, quæ vtique mutationem infert de nouo; sicut Deus de nouo dicitur creator, cognitus, non tamen mutatur, quia istæ sunt denominationes extrinsecæ.

47 Hæc tamen doctrina non placet Recentioribus, & præcipuè Hurtado de Incarnat. disput. prima, sect. 1. & disput. 22. sect. 4 vbi docet, Verbum intrinsecè dici hominem, intrinsecèq; vniri humanitati, non extrinsecè, quod probat; quia humanitas est intrinsecè vnita Verbo, ergo Verbum est intrinsecè vnitum humanitati, prob. con equen. esse intrinsecè vnitum est non esse intrinsecè separatum, & diuisum, sed quando vnum extremum est intrinsecè ab alio indiuisum, aliud non est ab eo realiter intrinsecè diuisum, ergo &c. Tùm 2. Verbum cum humanitate facit vnum per se, vt infra, ergo est illi intrinsecè vnitum, prob. conseq. nam esse extrinsecè vnitum absolutè est esse diuisum ab alio extrinseco, & non esse vnum tecum cum illo, sed plura, & consequenter non facit vnum per se, sed per accidens, quod patet exemplo, quo vtuntur authores oppositæ sententiæ, scilicet visionis, quæ est extrinsecè vnita obiecto, cum quo facit vnum per accidens. Tùm 3. hanc vnionem extrinsecam ponebat Nestorius inter Verbum, & naturam humanam, & tamen à Concilijs fuit damnatus, vt infra, ergo &c. Tùm 4. vnio constituit extrema intra id, quod cõponunt, vt vnio corporis, & animæ constituit has partes intrà humanitatem, sed vnio extrinseca nõ constituit

extre-

extremum extrinsecum intra id, quod componit, sed extra, quia tale non est vnum per se, ergo &c. Tùm 5. Verbum nō est intrinsecè diuisum ab humanitate, ergo intrinsecè indiuisum, ergo intrinsecè vnitum, quia indiuisum, & vnitum sunt idem. Tùm 6. si Verbum est extrinsecum humanitati, ergo effectus formalis Verbi erit etiam extrinsecus, & sic humanitas erit subsistens per extrinsecam denominationem, quod est falsum. Tùm 7. Verbum ante Incarnationem non erat vnitum, post Incarnationem fuit vnitum, ergo intrinsecè, prob. hæc conseq. quia priuatio à re non depellitur, nisi per aduentum formæ oppositæ. Tandem arguit Augustinus B. mal hic disp. 11. sect. 3. ens alteri intrinsecum est, quod ipsi in eodem loco physicè coniungitur, vnio tàm humanitati, quàm Verbo in eodē loco physicè affigitur, ergo &c.

48 Quibus rationibus moti docent, Verbū intrinsecè dici hominem; maximè tamen laborant, vt saluent Verbi immutabilitatem; Valent. hic disp. 1. q. 1. puncto 1. ait, Verbum non mutatum, quia perfectissimè eminenter continebat in se humanitatem, nam potest producere, & ipsam humanitatem, & quicquid potest ab ipsa humanitate absq; imperfectione produci; ad mutationem autem, ait, requiritur, vt forma non habeatur hoc perfectissimo modo. Auersa hic q. 3. sect. 8. docet, Verbum non mutari, quia ad mutationem exigitur, vt res aliter se habeat cum imperfectione, quòd scilicet vel subiectet, vel subiectetur, neutrum autem conuenit Verbo respectu humanitatis. Hurt. cit. vult, ad mutationem requiri, vt res aliter se habeat per modum subiecti recipiendo in se formam, Verbum non recipit humanitatem.

49 Hanc difficultatem tetigimus in Phys. disp. 5. q. 10. tota enim est circà modum loquendi, & quia maioris authoritatis sunt antiquiores Theologi vt D. Bon. D. Tho. Scotus, & alii Classici, quibus etiam præter sequaces ex Neutralibus Recentioribus cōsentiunt Lorca disp. 15. num. 4. & Lessius disp. 12. de perfectionibus diuinis c. 6. & in quæstionibus de nomine loquendum cum multis, & maioris probitatis, idcircò prima responsio adducta num. 46. optima est; solùm aduertendum, quod cum dicimus, vnionem esse extrinsecam Verbo, non est sensus, Verbum esse dissitum, & disiunctum loco ab humanitate, quia est intimè illi coniunctum, sed solùm, quòd non fundet, & recipiat in se vnionem, quasi quòd hæc denominatio vniti in Verbo desumatur ab aliqua vnionis forma in Verbo reperta, quod secundùm nos requiritur, vt aliquid denominetur vnitum denominatione intrinseca. Hinc patet ad 1. rationem. Ad 2. per idem neg. conseq. cum probat. nam vt dixi in Phys. cit. non semper denominatio extrinseca excludit intimam connexionem inter formam denominantem, & rem denominatam, præcipuè quando desumitur à relationibus extrinsecùs aduenientibus, exigentibus intimam extremorum indistantiam, qualis est vnio hypostatica; nec illa exempla de Deo Creatore, obiecto viso, & similibus, adducuntur, vt explicent genus vnionis hypostaticæ, vt eodem modo natura sit vnita Verbo, sicut potentia obiecto; sed solùm immutationem esse compossibilem cum noua denominatione extrinseca. Ad 3. ex dicendis disp. 2. q. 1. Nestorius per vnionem extrinsecam intelligebat vnionem accidentalem, per affectum, & assistentiam, at nos dum dicimus, vnionē denominare extrinsecè Verbum, solùm intendimus astruere, nō recipi in Verbo, sed cū hoc Verbum esse substātialiter humanitati vnitū. Ad 4. negamus, vnionē hypostaticā nō cōstituere Verbū intra Christum, qui est vnum ens resultans, nō tā sequitur, vnionē recipi in Verbo subiectiuè. Ad 5. patet ex dictis. Ad 6. Verbū est extrinsecū humanitati. i. in ipsa nō receptū, at humanitas dicitur subsistere subsistentia Verbi denominatione intrinseca, quia est Verbo vnita p vnionē intrinsecā, seù intrinsecè in ipsa receptā, hinc neg. cōseq. Ad 7. neg. cōseq. nā sicut nō esse vnitū erat Verbo priuatio solius denominationis extrinsecæ, ita per aduentū ipsius denominationis depellitur. Ad vlt. patet ex dictis; præterquamquòd maior est falsa in sensu formali, quia duo corpora cōpenetrata sunt physicè coniuncta in eodē loco, & tamen vnum non est alteri intrinsecū; & Deus est intimè præsens cuicūq; creaturæ, nō tamen est intrinsecè vnitus cū omni creatura.

50 Quod autē ait Valentia, falsum est, & ab omnibus reijcitur; etenim hac ratione vniuersaliter negatur, Deo posse aliquid reale de nouo aduenire, quia mutaretur, quamuis perfectissimo modo contineat omnes creaturas; ratio est, quia aliter se haberet realiter nunc, quàm priùs, sicut realiter, & absolutè daretur nouum esse productum. Accedit, quòd Verbum immediatè vnitur ratione personalitatis, nō diuinæ essentiæ, personalitas autē nō continet eminenter creaturas, vt notat Doctor contra Varron. in 3. d. 1. q. 1. §. *De secundo dico*, & fusiùs ostēditur in Tract. de Trin. hæc enim continentia cōmunis est omnibus personis. Insuper, quod ait Auersa, terminum, cùm quia subiectatur, moueri, falsum est in vera philosophia, quia moueri solùm subiecto conuenit, non termino, nam motus est actus entis in potentia, vt in potentia; sed hoc nō est præsentis negotij. Hinc rectè ait Hurt. ad mutationē requiri receptionē formæ, sed malè infert, Verbū intrinsecè vniri, quamuis in se nō habeat vnionē.

51 Dices, Verbū hac vnione perficitur, ergo mutatur, patet cōseq. quia perfici est de nouo aliquid recipere; antec. prob. maiorem perfectionē dicit Verbum incarnatū, quàm Verbum solum, quia Verbum incarnatum vltrà perfectionē Verbi dicit perfectionē humanitatis, vnde incarnatio est causa maioris dilectionis debitæ à nobis. Resp. neg. antec. ad probat. respondeo, Verbum incarnatum dicere maiorē perfectionem extensiuam, non intensiuam, sicut Deus, & creatura dicunt maiorem perfectionem extensiuam, quàm Deus solus, nō intensiuam; sic quoq; incarnatio addit maiorem rationem amoris extensiuam, non intensiuam; præterquamquòd tota ratio dilectionis referenda est in voluntatem diuinam, qua sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.

Articulus Tertius.

Ostenditur possibilitas ex parte vnionis.

52 DIcendum est, nullā implicantiā reperiri in hoc misterio ex parte vnionis; ita Doctor sæpè cit. & quamuis hæc cōclusio probata maneat ex dictis in præcedētibus articulis, nam si extrema ex seipsis sunt vnibilia, ergo vnio inter ipsa est possibilis; adhùc tamen declarari potest, quia vnio ista est vnio ordinis posterioris ad suum prius, seù communicabilis, & substentati ad incommunicabile, & substentificans; sed hæc nullam dicunt repugnātiam, nam inquit Doctor, datur alia consimilis vnio in rerum natura, scilicet accidentis ad subiectum, accidens enim est alterius naturæ à substantia, & tamē communicatur sub-

ſtātiæ, ab ipſa ſubſtentatur, & terminatur, ergo ſublata imperfectione informationis, ſic erit in propoſito.

53 Occaſione huius exempli traditi à Scoto orta eſt contentio inter Doctores, præcipuè inter Thomiſtas, & Scotiſtas, quod nam ſit aptius exemplum, quo expreſſiùs explicetur Incarnationis miſterium. Varia enim adducuntur exēpla; Primum eſt arboris, cui inſeritur ramus alterius ſpeciei. Secundū eſt ferri à carbone igniti. Tertiū veſtis, qua induitur homo. Quartum inſtrumēti ad agens principale cōparati. Quintū coniunctionis viri cum vxore. Sextum animæ rationalis cū corpore. Septimū accidentis ad ſubſtantiam.

54 Verùm hæc altercatio eſt parùm vtilis, nam de ratione exempli eſt, vt partim ſit ſimile exemplato, & partim differat, nam ſi eſſet omninò ſimile, non eſſet exemplum, ſed identitas; ita ſe habent allata exempla. Primum eſt ſimile, quòd ſicut in eodē trunco, in quo erat ramus per naturam, alius per inſitionem aduenit alterius naturæ, qua ratione truncus producit fructus ſecundùm naturas ambarum, ita in eadem Verbi perſona, in qua erat diuina natura, per hanc vnionem tanquam per inſitionem aduenit natura humana, iuxtà quas naturas perſona Verbi elicit varias operationes; vnde Chriſtus in ſacra ſcriptura ſæpè dicitur *Virga, germen radix, &c.* & Iac. 1. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum Verbum*, quod de miſterio Incarnationis explicat Gloſa ibi. Differt tamen, quia ramus non eſt perfecta arbor, ſed pars, priùs per ſe exiſtebat, nec efficit vnum per ſe cum trunco, at natura humana eſt perfecta, & integra, nec ante vnionē præexiſtebat, & vnum per ſe efficit cum Verbo. Idem de alijs exēplis eſt dicendū, vt eſt videre apud Doctores.

55 Sed præcipuè exemplum de anima, & corpore, quo vtuntur, tanquam aptiori, Thomiſtæ, eſt ſimile, quia ſicut ex anima, & corpore, licèt valde diuerſis in natura, fit vnum per ſe vnione ſubſtantiali, vnaq; perſona reſultat per ſe ſubſiſtens, ita ex Verbo, & humanitate vna perſona Chriſti reſultat per ſe, & ſubſtantialiter vna. At eſt etiam diſſimile, quia anima, & corpus ſunt naturæ incompletæ; vniuntur per modum actus, & potentiæ; non reſultat ſolùm vna perſona, ſed etiam vna natura; vnum non ſubſtentatur ab alio, non fit communicatio idiomatum, & aliæ adſunt diſſimilitudines.

56 Septimum exemplum de accidente magis accedit ad rem; nam ſubſtantia eſt prior dignitate, natura, & independentia accidente, ſubſtentat ipſum, reſultat quædam ad inuicem idiomatum communicatio, natura ſubſtantialis, & accidentalis vniuntur in eodem ſuppoſito, quæ omnia in hac ineffabili Incarnatione interueniunt. Deficit tamen, quia accidens vnitur ſubiecto per informationem, efficit cum ipſo vnum per accidens, non vnitur ſubſtantialiter, ſed accidentaliter; accidens nō eſt natum ſubſiſtere, ſicut natura humana, & aliæ diſconuenientiæ poſſunt aſſignari; non tamen ſequitur eſſe exēplum prorſus ineptum, vt inquiunt Thomiſtæ, imò maiorem habet ſimilitudinem, quàm exemplum de anima, & corpore, vt patet ex dictis. Verum eſt tamen, quòd Patres ſæpiùs vtuntur hoc exemplo de vnione animæ, & corporis, vt oſtenderent præcipuè cōtra Neſtorium vnionem hypoſtaticam nō eſſe accidentalē factam per ſolam dilectionem, affectum, & aſſiſtentiam, ſed ſubſtātialem, & per ſe, & ex hoc capite vnio animæ, & corporis eſt aptior, quàm vnio accidētis, & ſubiecti, at ad alia explicanda aptior eſt vnio accidentis, vt dictū eſt.

57 In oppoſitum argumentatur primò quia vnio, cum ſit ratio formalis, qua extrema dicuntur vnita, neceſſariò debet in vtroque extremo reperiri, ſed repugnat, Verbum de nouo recipere relationem realē, ergo implicat inter Verbum, & naturam dari vnionem realem. Tùm 2. infinitum non eſt componibile cum alio, nec ei poteſt fieri additio, ergo nec poteſt vnionem recipere. Tùm 3. infinitè diſtantium nulla eſt proportio, ſed vnio eſt quædam proportio, ergo &c. Tùm 4. Deus, & creatura magis diſtant inter ſe, quàm duo contraria, ſed duo contraria non ſunt vnibilia, ergo &c.

58 Reſp. ad 1. ex dictis præced. art. Verbum non dicitur vnitum denominatione intrinſeca, ſed extrinſeca, ideoq; ſufficit, quòd de nouo terminet vnionem humanitatis. Ad 2. infinitum verè non eſt componibile, ſed eſt vnibile, nec poteſt fieri additio, intenſiuè concedo, quia eminenter continet, quidquid perfectionis eſt in creaturis, extenſiuè nego. Ad 3. nulla eſt proportio ſecundùm entitatem concedo, ſecundùm habitudinem, & ordinem, quatenùs vnum poteſt ab alio dependere, ſeù illi communicari, nego. Ad 4. contraria nō vniuntur inter ſe, non quia diſtant, ſed quia repugnant, quæ enim mágis diſtant, mágis vniuntur, vt ſupra dixi, & patet de materia, & forma, quæ vniuntur inter ſe, ſubſtantia, & accidente, non tamen duæ formæ ſubſtantiales.

59 Secundò, quæ differunt genere, nequeunt eſſe vnum numero, & ſuppoſito, quia ſecundùm Ariſt. 5. met. 2. quæ ſunt vnum numero, & ſuppoſito, ſunt idem genere, & ſpecie, ergo nequeunt natura humana, & Verbum, quæ pluſquam genere differunt, vniri in vnitate ſuppoſiti. Tùm 2. quod nō eſt actu vnitum, ſed poteſt vniri, eſt in potentia ad vnionem, ergo ſi iſta vnio eſt poſſibilis, Verbum ante vnionem fuiſſet in potentia ad ipſam, quod eſt falſum. Tùm 3. ſi iſta vnio eſſet poſſibilis, deberet Verbum ſupplere vices hypoſtaſis creatæ, naturæq; tribuere denominationem, quam dat ſuppoſitum creatum, & effectum formalem ipſius, ſed hoc repugnat, ergo &c. min. prob. ſubſiſtentia creata dicit quid negatiuum, imò contradictoriè opponitur iſti vnioni, quia vnio dicit communicationem, & ſubſiſtentia negationem huius communicationis, ſic etiam Verbum, quod eſt ens reale, contradictoriè opponitur ſubſiſtentiæ creatæ, nullum autem contradictorium poteſt tribuere denominationem ſui oppoſiti, & ſupplere vices illius, vt patet de luce, & tenebra, ergo &c. Accedit, quod ſupplet vices alterius, debet cum illo conuenire in aliquo cōmuni conceptu, at Verbum, & negatio in nullo cōueniunt, ergo &c.

60 Reſp. ad 1. neg. antec. etiam in naturalibus, vt patet de anima, & corpore; Ariſtoteles autem ſolùm aſſerit, quod eſt vnum numero, ſcilicet indiuiduum, eſſe vnum genere, & ſpecie, quia indiuiduum nequit contineri, niſi ſub vna ſpecie, & vno genere generaliſſimo, poteſt tamē concurrere cum alio in vnitate ſuppoſiti, de qua vnitate non loquitur Philoſophus. Ad 2. ſi vnione reali in ſe exiſtente, concedo antec. ſi verò per ſolam terminationem, nego, tale eſt Verbum, vt dixi. Ad 3. quod conficit Hurt. contra opinionem de negatiuo, reſpondeo, aſſumptum nō debet vniuerſaliter intelligi, aliter ſicut natura humana ratione ſuppoſitalitatis propriæ dicitur in ſe ſubſiſtens, hanc denominationem deberet Verbum tribuere, & ſupplere, quod eſt falſum; ſolùm ergo intelligi

telligi debet quò ad denominationes operationum, quatenùs sicut suppositum creatum dicitur agere secundùm vltimam denominationē per naturam, tanquam per rationem formalem, sic suppositum diuinum dicitur operari humanas actiones secundùm vltimam denominationem; & sicut subsistentia creata reddit naturam vltimò terminatam, & communicatam, ita subsistentia Verbi, sed cum hac differentia, quòd natura ratione propriæ subsistentiæ dicitur in se terminata, & subsistens, ratione subsistentiæ diuinæ dicitur in alio terminata, quæ sunt denominationes contradictoriè oppositæ, & hoc quia, vt rectè dicitur in argumento, subsistentia creata, & ista vnio contradictoriè opponuntur. Quapropter ad argumentum dico, quòd subsistentia creata contradictoriè opponitur vnioni hypostaticæ, ex quibus desumuntur denominationes cōtradictoriè quoque oppositæ; at non opponitur contradictoriè cum subsistentia increata, imò hæc habet in se illam duplicem negationem, seù, vt rectiùs loquar, est illa duplex negatio, licèt propter negationem communicationis potentialis dicat etiam quid positiuum; & hæc subsistentia est, quæ dicitur supplere vices suppositi creati, non quidem vnio; imò non dicitur supplere vices media vnione, tanquam ratione formali, hæc enim ratio est propria entitas positiua personalitatis diuinæ, sed solùm præsuppositiuè, & vt conditione requisita. Ad confirmationem dico, quod supplet, non solùm debere cōuenire cum eo, cuius vices gerit, sed etiam debet habere aliquid aliud, quod sit nobilius, ratione cuius dicitur supplere, nam quod suppletur, aliquo modo continetur in supplente; sic se habet subsistentia diuina respectu creatæ, quæ dicit illam duplicem negationem, & adhùc entitatem positiuam.

61 Hæc igitur Incarnatio sic explicata, apparet, quòd in sua ratione formali non includit aliquod repugnās, quarè possibilis fuit, potuitq; exerceri tàm ab omnibus diuinis personis in ordine ad diuersas naturas, quàm à qualibet distributiuè; poterat enim tàm Pater, quàm Filius, quàm etiam Spiritus Sanctus incarnari, quia quælibet persona habet sufficientem rationem terminandi communicabilitatem naturæ, scilicet incommunicabilitatem, & subsistentiam. Verum est, quòd si Pater incarnatus fuisset, non potuisset dici missus, nam persona producta non mittit producentem, vt dicitur in tractatu de Trinitate; fuisset tamen nuncupatus Filius, non æternali filiatione, sed temporali.

62 Congruentius tamen fuit, Filium incarnari; nam sic nomen filij hominis tribuitur Filio Dei; eadem persona dicitur à Patre missa, quia ab ipso producta, & mittens Spiritum Sanctum, quem simul cum Patre producit; & sicut mediat in Trinitate, sic etiam est inter nos, & Deum mediator; tùm quia peccatum Adæ fuit offensa Filij Dei appropriatè, ergo à Filio debebat indulgētiam, & redemptionem accipere; multæ aliæ congruentiæ solent à Patribus, & Doctoribus adduci; vide D. Bon. 3. d. 1. art. 2. q. 3. Quapropter in plenitudine temporis Verbum diuinum in vtero Beatissimæ Virginis naturam humanā assumpsit hypostaticè, & in vnitate personæ, iuxtà illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, vt fides nostra contra Iudæorum duritiam, & perfidiam docet; & hoc sufficit, nō enim dogmaticè procedam in hac materia, sed scolasticè vt in plurimùm; vide de hac re Centinum disp. 1. c. 3. Hurt. disp. 7. & alios.

Quæstio Tertia.

An Incarnatio sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu creato.

63 DE Incarnatione possumus loqui dupliciter, vel vt erat possibilis, vel vt iam fuit posita in esse, hinc difficultas hæc exagitari potest, & de incarnatione vt possibili, & de incarnatione vt existente, & iam facta, nec est sermo de cognitione habita per reuelationem, sed naturæ viribus acquisita; quæ duplex est, distincta, & confusa.

64 Dico primò; nullum intellectum creatum, vel creabilem posse distinctè viribus naturæ cognoscere misterium Incarnationis, at imperfectè posse inuentione aliqua probabili suspicari, imperfectione se tenente tàm ex parte cognitionis, quàm ex parte incarnationis imaginatæ. Prima pars colligitur ex Scoto quol. 14. art. 3. vbi ex professo docet, nullam relationem terminatam ad ens illimitatum posse naturaliter, & distinctè cognosci; & prob. quia misterium hoc tàm in sacra scriptura, quàm à Patribus appellatur secretum Dei, inuestigabile, à sæculis absconditum, magnum Sacramentum, admirabile, inintelligibile, excedens omnem intellectus creati capacitatem; quas authoritates referunt Doctores, præsertim Suarez 3. p. tom. 1. disp. 3. sect. 1. & 2. Tùm quia à priori non potest cognosci, quia causa huius misterij est diuina voluntas, quæ est obiectum voluntarium, non naturaliter cognoscibile; neq; à posteriori, quia nullus effectus reperitur, ex cuius cognitione possimus deuenire in cognitionem distinctionis realis inter naturam singularem substantialem, & subsistentiam ipsius, vnde Philosophi hanc distinctionem non admiserunt. Tùm quia oporteret cognoscere distinctè diuinam omnipotentiam, possibilitatem terminationis ex parte Dei, quæ naturaliter nequeunt haberi.

65 Secunda pars suadetur, quia Philosophi multa impossibilia excogitarunt, Intelligētias esse cælorum animas, Deum mundum informare, ergo poterant etiam hanc vnionem naturarum in vnitate suppositi auspicari, quæ vera est, & aliquibus exemplis explicabilis; Verùm nunquam posset intellectus perfectè imaginari misterium hoc quò ad omnes circumstantias, sed modo quodam confuso, & indistincto; & hoc intendunt Patres, dum misterium hoc omninò absconditum asserunt esse intellectui creato; neq; aliud possunt inferre rationes, quibus ostenditur eius imperscrutabilitas; hanc opinionem innuit quoq; Eminentissimus Ioan. Lugus de Incar. disp. 1. sect. 1.

66 Dico 2. supposita Incarnationis existentia, nullum intellectum creatum ex se posse distinctè illam cognoscere; cōfusè tamen, si teneretur, subsistentiam modum esse positiuum naturæ, sine quo, aut alio consimili nequeat natura existere, etiam de potentia Dei absoluta, posse naturali quadam illatione cognoscere existentiam Incarnationis, saltim sub disiunctione; at si teneretur, subsistentiam realiter à natura differre, vt possit ab illa separari, vel quid negatiuum esse, non posse naturali illatione illam deducere. Probo singula, & primò, quòd distinctè nequeat cognosci, probatur vt supra, quia est relatio terminata ad Verbum diuinum, talis autem non continetur sub obiecto naturalis attingentiæ nostri intellectus ex dictis in lib. de anima disp. 6. q. 6. art. 1.

Secundò

67 Secundò, quòd sustinendo subsistentiam quid positiuum dicere, modaliter à natura distinctũ, itaut non possit esse sine aliqua subsistentia, tunc posset intellectus creatus naturali quadã illatione inferre misterium istud, prob. quia poterat intellectus creatus perfectissimus ex se cognoscere humanitatem Christi non habere aliquam subsistentiam creatam; ergo ex hoc poterat inferre, vel quòd humanitas subsisteret subsistentia increata, vel quòd subsistentia creata sibi occultaretur à Deo; antec. prob. quælibet subsistentia creata est cognoscibilis ab intellectu creato viribus naturæ, ergo etiam carentia ipsius, nam ex 2. de an. 103. & 138. virtus potẽs cognoscere obiectum, dum est præsens, intuitiuè, potest cognoscere eius absentiam, dum est absens.

68 Mol. Vasq. Arrubal, Granadus, quos citat, & sequitur Bernal hic disp. 1. sect. 4 negant conseq. sed non eodem fundamento, nam illi docent, priuationem subsistentiæ in natura humana cognosci non posse ab Angelo, eoquia, licèt in se sit naturalis, tamen sequitur ex modo intrinseco supernaturali, & consequenter vt sic transcendit limites obiecti intellectus angelici. Bernal verò asserit, priuationem hãc esse secundùm substantiam supernaturalem, nam implicat, inquit, effectum esse naturalem, & non posse induci, nisi per causam intrinsece supernaturalem, sicut pugnant hæc duo, effectũ esse intrinsecè supernaturalem, & tamen induci non posse, nisi per solam causam intrinsecè naturalem. Cum igitur priuatio ista sit supernaturalis, nequit ab intellectu creato cognosci. Addit quòq; speciem repræsentantem naturam humanam Christi ex se, & naturalissimè repræsentare subsistentiam humanam, tanquam ibi existẽtem, licèt non adsit, & consequenter potiùs Angelus naturæ viribus vidisset humanitatem Christi cũ propria subsistentia creata, quàm cum priuatione talis subsistentiæ.

69 Sed primò falsum est, effectum naturalem, sed supernaturaliter productum, non posse naturaliter cognosci, quando est iam positus in esse; nam eclypsis solis, & lunæ in morte Christi fuit priuatio formę naturalis supernaturaliter causata, & tamen non solùm intellectu, sed etiam sensu ab hominibus fuit cognita; similiter cętera opera miraculosa à Deo, Christo, & Sanctis perpetrata naturaliter cognoscuntur, ergo idem de hac priuatione dicendum. Tùm quia ad cognitionem priuationis non est necesse percipere causam quasi effectiuam illius, sed sufficit cognoscere formam oppositam, ergo quamuis causa inducens hanc priuationem sit supernaturalis, poterit priuatio naturaliter cognosci. Quod asserit Bernal, priuationem hanc esse supernaturalem; solùm ostendit supernaturalitatem in ordine ad agens, non tamen secundùm substantiam, quæ tamen non impedit, quin naturaliter cognoscatur. Accedit, quòd etiam supernaturalitas secundùm substantiã entis creati nõ transcendit limites obiecti intellectus creati ex natura potentiæ; vt mox ostendam num. seq. Tandem quod addit de specie, falsum esse, patet ex dictis in lib. de an. disp. 6. q. 4. art. 2. & q. 11. vbi fusè ostendi, repugnare obiectum non existens intuitiuè posse cognosci, vel per speciem, ergo falsum quòq; erit speciem humanitatis Christi repræsentare humanitatem, vt subsistentem propria subsistentia, qua repræsentatione intuitiuè cognoscatur vt subsistens, cum careat propria subsistentia, quapropter Angelus cognoscendo intuitiuè Christi humanitatẽ necessariò ipsam cognoscet absq; propria subsistentia.

70 Dices etiam, Angelum inferre posse humanitatem illam subsistere subsistentia supernaturali, ergo non necessariò deducetur, subsistere subsistentia increata. Contrà ex Scoto 4. d. 10. q. 8. quodlibet ens creatum, etiam supernaturale, quando est positum in esse, est naturaliter cognoscibile, ergo &c. antec. prob. quodlibet ens creatum, etiam supernaturale, potest naturaliter abstractiuè cognosci, quando est præsens in specie, ergo si est præsens in existentia propria, poterit intuitiuè cognosci naturaliter, nam intuitiua, & abstractiua solùm propter aliam, & aliã obiecti præsentiam differunt. Tùm quia naturalitas, & supernaturalitas addunt respectus ad diuersa agentia, qui respectus nõ variant rei entitatem; suppono nunc cum aliquibus Scotistis, nõ dari actus supernaturales secundùm substantiam. Tùm quia quælibet entitas modalis est imperfectior à toto genere qualibet completa substantia, quia licet esset supernaturalis, adhuc tamen genus ipsius, quod esset entitas modalis, est imperfectius substantia completa, & per consequens differentia adueniens, etiamsi supernaturalis, non potest excedere substantiam completã, vt in simili ostẽdi disp. 2. de cælo n. 121. ergo si substantia est proportionatum obiectum intellectui creato secundùm vires naturæ, etiam quælibet subsistentia, siue naturalis, siue supernaturalis esset naturaliter cognoscibilis; prima conseq; principalis argumenti prob. quia inter subsistentiam creatam, & increatam nullum esset medium, stante ista opinione, ergo ex negatione creatæ saltem sub disiunctione rectè infertur increata.

71 Tertiò, quòd si teneatur, naturam posse per Dei potentiam esse sine subsistentia, non inferretur naturali illatione Incarnatio, patet, quia ex carentia subsistentiæ creatæ, non sequitur necessariò, naturam subsistere subsistẽtia increata, sed potiùs nullo modo subsistere. Idem etiam dicendum, si teneatur sententia de negatiuo, quam explicui q. 1. etenim carentia negationis non cognoscitur, nisi per positiuum oppositum, vt carentia tenebræ non cognoscitur, nisi per lucem, sed vnio ista hypostatica, quæ opponitur subsistentiæ, nequit naturaliter cognosci, vt dictum est, ergo &c.

72 Contrà primam partem, tàm primæ, quàm secundæ conclus. arguitur; ista vnio continetur sub obiecto naturalis attingentiæ intellectus creati ex natura potentiæ, ergo est naturaliter cognoscibilis, saltim post executionem; antec. prob. est ens finitum, non terminatum ad Deum sub aliqua ratione nõ naturaliter cognoscibili, ergo continetur; prob. conseq; quia non quælibet relatio ad Deum terminata est naturaliter incognoscibilis, aliter dependentia creaturę ad Deum non cognosceretur naturaliter, quod est falsum, quia ex hac dependentia præcipuè demonstratur existentia Dei, illa ergo relatio nequit naturaliter cognosci, quæ terminatur ad Deum sub aliqua ratione, solùm ex reuelatione cognoscibili; antec. prob. ratio formalis terminandi illam vnionem est incommunicabilitas vt *Qui*, & vt *Quod*, sed hæc incommunicabilitas est naturaliter in Deo cognoscibilis, quia omnes Philosophi posuerunt Deum esse alteri vt supposito prorsus incommunicabilem, ergo &c. Confirm. intellectus angelicus potest comprehendere naturam humanam, ergo potest etiam cognoscere capacitatem potentialem, quam habet natura ad communicationem

cationem alteri supposito, saltim in communi, patet. conseq. quia capacitas ista vt sic non videtur excedere vires intellectus creati. Tùm 2. quia per Scotum 3. d. 1. q. 4. natura est suppositabilis ab alieno supposito creato, ergo intellectus angelicus potest hanc capacitatem cognoscere, ergo saltim potest ex hoc inferre possibilitatem Incarnationis.

73 Resp. ad 1. in rebus nō dari capacitatem ad aliquod impossibile, quapropter non datur capacitas in natura ad communicandum huic Deo tanquam supposito incommunicabili, quia hic Deus non est suppositum, cum communicetur tribus personis diuinis, capacitas ergo naturæ est ad personas diuinas distributiuè, ideoq; vt cognoscatur, oportet cognoscere istas personalitates, quæ tamen excedunt vires intellectus creati: ad argum. igitur nego antec. ad probat. nego iterùm antec. & ad probationem dico, Phylosophos agnouisse in Deo subsistentiam incommunicabilem absolutam, quæ non datur in Deo, non relatiuam, ad quam capacitas terminatur, & licèt ratio terminādi hanc vnionē in Verbo explicetur per illam incommunicabilitatem, ut uera tamen non est illa negatio, sed positiuum personalitatis Verbi per illam explicatum, quod quidem non cognoscitur naturaliter. Per idem ad 1. cōfirm. Ad 2. respondeo, falsum esse assumptum, vt ostendam disp. 3. q. 2. Deinde admisso antec. nego conseq. & disparitas prouenit, quia subsistentia creata est naturaliter cognoscibilis, non autem increata; solùm potest ex hoc deduci secunda pars primæ conclus.

74 Secundò, capacitas beatitudinis in natura humana est relatio respiciens Deum sub ratione Deitatis, sed ista ab intellectu separato est naturaliter cognoscibilis, ergo ista vnio, licèt sit ad Verbum terminata, poterit naturaliter cognosci; min. est Scoti 4. d. 49. q. 8. B. vbi ex professo probat contra Philosophos posse naturaliter cognosci ab intellectu separato capacitatem beatitudinis.

75 Difficilis sanè locus, cui P. Vulpes p. p. summæ disp. 23. art. 3. respondet, posse quidem cognosci talem capacitatem, non tamen sequi, posse intellectum separatum naturaliter cognoscere distinctè Deum, quia, inquit, ad cognitionem distinctam relationis sufficit cognitio confusa termini.

Sed hæc responsio in primis concederet, posse Incarnationem, saltim post executionem, distinctè cognosci, quia potest haberi confusa cognitio termini. Tùm quia cognitio relationis pendet, & causatur à cognitione termini, ergo si hæc est confusa, nequit illa esse distincta, aliter effectus excederet suam causam in perfectione. Tùm quia Scotus q. 1. prol. & quol. 14. absolutè negat, posse Angelum, & animam separatam naturaliter cognoscere talem capacitatem, & relationem imaginis, quia si quæretur, naturaliter posse Deum distinctè cognoscere, quæ ratio non valeret, si ad cognitionem distinctam negationis sufficeret cognitio confusa termini.

76 Respondeo ergo, quòd Doctor in 4 cit. non ait absolutè, posse intellectum separatum cognoscere illam capacitatem, quia sic iam sibi ipsi contradiceret, cum in q. 1. prol. & quol. 14. cit. oppositum afferat, imò apertè soluit omnes rationes, quibus in 4. probat cognoscibilitatem illius capacitatis; sed ait, *Videtur tamen mihi, quòd per rationem naturalem potest probari, sublata imperfectione status illius quò ad cognitionem, quòd potest cognosci, quòd natura humana sit capax beatitudinis veræ; primò sic, &c.* hæc Scotus, vbi notanter addidit particulam illam *quò ad cognitionem*, nam pro statu isto non solùm est imperfectus intellectus, quia est alligatus sensibus, sed etiam quia non habet in sua potestate obiectum sibi præsens, loquēdo de cognitione Dei, non quidem in se, quia tunc esset beatus, cum ipsum cognosceret cognitione intuitiua, sed saltim in specie impressa, quæ possibilis est, ex Scoto 2. d. 3. q. 9.; hinc quol. 14. N. cognitionem abstractiuam, qua res attingitur in specie, ait, esse perfectam, at cognitio, quam naturaliter habemus de Deo, est imperfecta, quia attingitur Deus sub ratione communi, ac confusa, vel sub ratione propria desumpta ex communibus; inquit ergo Scotus, quòd sublata imperfectione huius status quò ad cognitionem, 1. si esset aliquis intellectus informatus specie intelligibili, Deum sub ratione propria repræsentante, posset cognoscere, naturam humanam habere illam capacitatem, quia sic distinctè Deum, & sub ratione propria vt obiectum beatificum cognosceret, & consequenter cognosceret Deum posse se communicare intellectuali naturæ in ratione obiecti beatifici, & sic poterit cognoscere capacitatem naturæ, qua natura Deum respicit sub tali ratione; & in hoc sensu rectè concludunt rationes illæ; & quando Scotus illas soluit, intelligitur de intellectu tali specie carente; quo sensu etiā concederem, si species illa repræsentaret Deum, vt trinum, posse a tali intellectu cognosci vnionem hypostaticam, saltim post executionem. Rationes verò, quas format Scotus in 4. cit. facile soluuntur, quia supponunt, ens in sua communitate esse obiectum naturalis attingētiæ intellectus ex natura potentiæ, quod quidem, licet sit verum de intellectu informato tali specie, non tamen de intellectu nudo.

77 Dices, potest naturaliter cognosci anima, angelus, & actus beatificus, ergo naturaliter poterit cognosci relatio imaginis, vel capacitatis beatitudinis; cōseq. prob. illæ relationes necessariò consequuntur, & virtualiter continentur quò ad entitatē in suis fundamentis, ergo quò ad cognoscibilitatem; Tùm 2. quia cognitio intuitiua est rei existentis vt sic, ergo per ipsam cognosci potest omne, quod tali existentia existit, sed relationes realiter fundamento identificatæ, quales sunt istæ, imò & capacitas vnionis hypostaticæ, non existunt diuersa existentia à fundamentis, ergo quando fundamenta intuitiue cognoscuntur, etiam relationes illæ cognoscuntur. Tùm 3. per illud, quod est naturalis imago obiecti, potest ipsum obiectum cognosci; licèt relatio imaginis, & similitudinis non cognoscatur, vt per speciem albi cognoscitur album; licèt non cognoscatur relatio illius speciei ad album, ratio est, quia relatio illa non est ratio cognoscendi obiectum, sed ratio est ipsum fundamētum, ergo cum anima sit imago Dei, vt trini, poterit Deus, cognita anima, cognosci naturaliter, licèt non cognoscatur illa relatio imaginis, & consequenter poterit cognosci capacitas vnionis, & beatitudinis.

78 Respondeo ex Scoto quol. 14. art. 3. quòd anima solùm cognoscitur quò ad absolutum, quod dicit, non quò ad relationem, qua Deum respicit, & ideo neg. conseq. ad probat. distingo antec. adæquatè, & totaliter, nego, partialiter, & inadæquatè, concedo, & in eodem sensu concedo conseq. nam relatio non solùm à fundamento, sed etiam à termino dependet in esse, & consequenter in cognosci. Ad 2. distingo consequens, si est absolutum, concedo, si relatiuum, nego,

nego, absolutum enim non dicit dependentiam ad aliud, at relatiuum dependet à termino. Ad 3. distingo antec. si illud respectu obiecti se habet vt ratio cognoscendi, qualis est species, concedo, si se habet vt medium cognitum, nego; anima ducit in cognitionem Dei aliquo pacto vt medium cognitũ, non quòd virtualiter contineat Deum, sed quatenùs est aliquod imitans diminutè Deum; similiter actus beatificus potest naturaliter cognusci, quando est positus in esse, non tamen Deus, qui est obiectum, quia respectu intellectus, cui inest, est ratio proxima attingendi obiectum, at quatenùs est ab alio intellectu cognitus, vel ab eodem intellectu, sed actu reflexo cognitus, est tantùm similitudo obiecti cognita, non ratio cognoscendi obiectum, & consequenter actus reflexus non est ratio proxima attingendi Deum, sed actum rectum, nam ad attingentiam requiritur immediata præsentia obiecti.

79 Tertiò, Scotus in 4.d. 10. q. 8. ad 3. princ. concedit, malos Angelos potuisse cognoscere misterium Incarnationis, licèt eis non fuerit à Deo permissum, nè impediretur nostra redemptio, & in hoc sensu exponit authoritatem D. Ambr. super *missus est*, vbi habet, hoc misterium esse imperscrutabile; imò post executionem incarnationis dæmones cognouerunt, Christum esse Filium Dei, præcipuè post tentationem in deserto; colligitur enim euidèter ex Matt.8. Marci primò, & Lucæ 4. *Exibant autem dæmonia à multis clamantis, & dicentia, quia tu es Filius Dei; & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum;* Nec solùm Dæmones cognouerunt Christum, sed etiam ipsi Iudæi, qui ex inuidia necem Domini perpetrarunt, ita sustinent Euthymius in 1. Matth. Burgensis in 2. Lyranus ibidem, & alij, moti illis verbis Matt. 21. *Hic est hæres, venite occidamus eum;* vbi videtur Christus insinuasse, Iudæos cognouisse, se esse Messiam; & Ioan. 7. *Alij dicebant, hic est Christus;* ergo saltim post executionem incarnatio erat naturaliter cognoscibilis.

80 Resp. Scotum ibi nō loqui de vnione hypostatica, sed de integritate B. Virginis, tàm in mente, quàm in corpore, quam vtiq; poterant Dæmones cognoscere, sed non fuit ipsis permissum, nè impediretur nostra redemptio, nam si agnouissent, partum esse ex Virgine, sciuissent quoq;, Christum esse Messiam, vt ergo partus eius cælaretur diabolo, fuit denegata ista cognitio. Quod additur de Dæmonibus, & Iudæis, non vrget, quia illa cognitio non fuit naturalis, sed reuelata ab ipsomet Christo prædicante, & tot miraculorum signis suam doctrinam comprobāte; licèt namq; nullum Christi miraculum, nec simul omnia præcisè sumpta fuerint sufficientia ad probandum ipsum esse verum Deum, quia adiuuante Deo potest purus homo illa ædere miracula, & maiora quoq;, vt habetur Ioan. 14. attamen facta in confirmationem illius veritatis, qua se naturalē Filium Dei asserebat, euidens indicium fuerunt suæ diuinitatis, quia nequit Deus in testimonium falsitatis facere miracula.

81 An autem Dæmones, & Iudæi habuerint talem cognitionem de Christo; breuiter dico, quòd Dęmones cognouerunt, Christum esse Filium Dei, misterium tamen mortis Christi nescierunt, quòd scilicet Christus Dominus propria morte erat hominem liberaturus ab eorum tirannide, quia vt inquit D. Paulus 1. Corinth. 2. *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent;* & quamuis etiam ex Scripturis potuissent Dæmones multa de Christo cognoscere, diuinitùs tamen factum est, nè illa cognoscerent, & hoc propter nostram salutem. Iudæi autem tenebantur cognoscere, & venerari Christum, vt Messiam, & Filium Dei, vt ipse Christus docuit Ioan. 15. *si non venissem, & locutus eis non fuissem, excusationem haberent de peccato suo, nunc autem excusationem non habent*, vbi est sermo de peccato incredulitatis; si ergo redarguuntur de peccato incredulitatis, non habuerunt exactam cognitionem de persona Christi, hinc Christus pro eis orauit Patrem in cruce veniam postulando propter ignorantiam, Lucæ 23. *Dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt;* quapropter dico, Iudæos habuisse quandam dubitationem, & hæsitationem de hoc misterio, quod patet ex contentione inter ipsos exorta Ioan. 7. & hoc ostendunt loca adducta in contrarium.

82 Contra 2. partem primæ, & secundæ conclus. arguitur, quia incarnatio liberè ex voluntate Dei dependet, est simpliciter entitas supernaturalis, ergo supernaturaliter cognoscibilis, nullo modo naturaliter. Respōdeo faciliter cum Scoto in 4. d.10. q.8. cit. in fine de existentia corporis Christi in Eucharistia, ex hoc, quòd sit opus contingens à voluntate Dei pendens, solùm sequi, non posse cognosci distinctè, dum est in voluntate Dei, tanquam in causa, at dum est posita in esse, nō cadit sub obiecto adæquato intellectus, non quia est entitas supernaturalis, sed quia pro termino habet diuinum Verbum, nō ob id tamen sequitur, non posse confusè cognosci, & naturali quadam illatione, saltim sub disiunctione.

83 Secundò arguit Bernal, non potuisse Angelum naturaliter cognoscere priuationem subsistentiæ in humanitate Christi; Tùm quia Patres assignando rationes, cur Dæmones de Christi diuinitate dubitarint, nunquam dixerunt, quòd talem priuationem cōspexerint, imò docuerunt, cognouisse Christum alijs hominibus similem, ita præsertim Leo Papa serm. 2. de Nat. c.3. vbi loquens de cognitione, quam Dęmon habebat de Christo, ait, *vt quem non alium videret, quàm alios, non aliter crederet natum esse, quàm cæteros*, ergo videbant Dæmones humanitatem Christi subsistentem propria subsistentia, sicut cæteri homines, aliter solam humanitatem vidissent in Christo, non hominem, & consequenter non vidissent Christum, vt quemlibet alium hominem. Tùm 2. species humanitatis Angelis impressa naturalissimè repræsentat propriam subsistentiam, quamuis re ipsa non adsit, ergo quia Dæmō cognouit humanitatem Christi per illam speciem, videbat naturaliter humanitatē Christi non carentem, sed habentem propriam subsistentiam; antec. prob. subsistentia humanitatis ab Angelo non nisi per speciem impressam ipsius cognosci potest, ergo eadem manente specie in intellectu angelico, eandem omnino subsistentiam suis viribus repræsentabit, siuè natura illam adhuc obtineat, siuè amittat.

84 Resp. neg. assumptum, & ad 1. probat. ex Patribus dico, probare nostram opinionem, quòd subsistentia quid negatiuum præseferat; Deinde sustinendo sententiam de positiuo, respondeo, locum ab authoritate negatiue non vrgere; & cum Patres aiunt, Dæmones cognouisse Christum similem alijs hominibus, intelligi debent quò ad essentialia, & accidentia cum alijs communia; præterquamquòd iusto Dei

iudicio

iudicio factum est, vt Dæmones non agnouerint de Christo, & B. Virgine omnia, quæ naturaliter etiam poterant dispicere, vnde secundùm D. Ignatium virginitatem B. Mariæ minimè agnouerunt, nè scilicet nostra impediretur salus. Ad 2. falsum esse assumptum, subsistentiam scilicet intuitiuè cognosci per speciem impressam, sed seipsa, vt fusiùs in lib. de anima.

Ex his patet, quàm falsò citetur Scotus ab Hurtado, & Bernal pro opposita sententia.

Disputatio Secunda.

De termino actionis vnitiuæ totali, & formali.

QVicquid de nouo accipit esse, media actione reali accipit esse, hinc in Incarnatione, quia in tempore, & de nouo fuit facta, adfuit actio, qua executioni fuit mandata, & quoniam in Incarnatione præcipuè natura humana fuit Verbo vnita, fit, vt talis actio denominetur vnitiua (suppono enim in præsenti contra aliquos Hæreticos aliquam esse vnionem inter naturam humanam, & Verbum, vt patebit ex dicendis) Duplex autem terminus reperitur in qualibet actione, vnus est vltimatus, & adæquatus, & est, qui resultat vltimò, & adæquatè terminat omnem actionem, dicitur etiam totalis, & resultans; alter appellatur formalis, estq; qui terminat talem actionem in ratione termini ad quem; de vtroq; termino hic agemus; de termino autem vnionis, qui est Verbum, dicemus disp. seq.

Quæstio Prima.

An terminus adæquatus actionis vnitiuæ sit aliqua substantialis natura, an vero aliqua persona.

1 ALiqui Hæretici quò ad primam partem affirmatiuè responderunt, sed sunt inter se diuisi; nam quidam dixerūt, in ista vnione naturas diuinam, & humanam fuisse permixtas, & confusas, imò transmutatas in vnam tertiam naturam, sicut contingit in generatione mixti ex elementis, ita Polemius, Iacobitæ, & Acephali. Alij, quòd vna natura resultauerit ex conuersione humanitatis in diuinitatem, vt fit in Sacramento Altaris, vnde & diuinitatem passam, & mortuam esse, imò & Trinitatem totam asseruerunt; ita Dioscorus, Theopaschitæ, Patripassiani. Alij è conuersò dixerunt, vnam esse naturam per conuersionem diuinitatis in humanitatem, ita Apollinaris, & nuper Zuinglius. Alij tandem docuerunt, ex compositione duarum naturarum in suo esse omninò permanentium vnam tertiam resultasse, sicut ex corpore, & anima resultat homo; qui omnes modi tribuuntur à diuersis Patribus Euticheti, & sequacibus; de quorum opinione agit præcipuè Ioan. de Lugo disput. 9. sect. 1.

2 Ex aduerso Cherintus, quem postea secuti sunt Nestorius, Bonosus, & alij, duas naturas in Christo ponebat, & duas personas, & separabat Iesum à Christo, Christum dicebat purum hominem ex Maria natum, Iesum verò Filium Dei, qui tempore baptismi in columbæ specie descendit in Christum; quare docebat, B. Virginem purum hominem peperisse, natiuitatem, passionem, & mortem puro homini tribuebat, cui erat vnitum Verbum, non substantialiter, & hypostaticè, sed accidentaliter, per inhabitationem ex gratia, per voluntatis vnionem, & dilectionem, per operationem, quia humanitate vtebatur tanquam instrumento ad operandum, & demùm per participationem, quia homini impartiuit dignitatem, vt Deus, & Filius Dei diceretur, licèt propriè Deus non Deus dici deberet; hinc consequenter negauit, terminum adæquatum fuisse aliquam personam. Quem errorem alij sub diuersis verbis docuerunt, concedentes quidem vnam personam, sed duplicem hypostasim, & suppositum admittentes.

3 Dicendum primò, terminum istius actionis vnitiuæ adæquatum non fuisse aliquam naturam resultantem ex diuina, & humana, vel in qua altera illarum fuerit conuersa, sed ambas mansisse in Christo distinctas sine confusione, permixtione, & compositione. ita Doctor 3. d. 6. q. 3. est de fide in multis Concilijs definita, Ephes. 1. Chalcedon. act. 5. Lateranens. sub Innocen. 3. Florent. in litteris vnionis, & alijs. Prob. nam in sacra Scriptura, Christum esse verum Deum, habetur, Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret; ego sum*; & c. 2. *Ego, & Pater vnum sumus*; Ad Rom. 9. *ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est Deus super omnia benedictus*, ergo diuinitas permansit in Christo. Deinde habetur quòq; esse verum hominē, Ioan. 8. *Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit*; Marc. 15. *Verè hic homo Filius Dei erat*; Ad Rom. 5. *Multò magis gratia Dei in gratia vnius hominis Iesu Christi*, &c. Ad Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei esset*, &c. *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo*, ergo humanitas permansit, ergo non fuit in alteram conuersa, vel ambæ in tertiam; vnde in Christo fuerunt duæ operationes diuina, & humana, duæ voluntates, duo intellectus, ex infra dicendis. Tùm quia diuina natura non potuit in humanam conuerti, nam est simpliciter necessaria, indefectibilis, & immortalis. Neq; humana potuit in diuinam conuerti; quia sic diuina natura fuisset passa, & mortua, & consequenter tota Trinitas, quod est contra catholicam fidem, sola enim secunda persona fuit incarnata; Accedit, quòd, vt docet Scotus 4. d. 11. q. 2. vt aliquid in aliud dicatur conuerti, vterque terminus conuersionis debet esse in potentia conuertentis quò ad esse, & non esse, natura diuina non est huiusmodi. Neq; ambæ in tertiam transierunt naturam, propter eandem rationem; nec tandem ex eis tertia resultauit cū permanentia illarum, quia resultantia prouenit ex cōpositione partium, istæ naturæ non vniuntur compositionis vnione, quia nequit diuina esse actus, vel potentia respectu naturæ humanæ, aliter esset imperfecta, ergo &c.

4 Contra primò Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, sed vnum fieri aliud, est in illud conuerti, sicut aqua in Cana Galilææ fuit facta vinum, quia in vinum conuersa. Tùm 2. ad Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit*, ergo deitatem amisit. Tùm 3. Deuter. 14. loquens Moises de Christo iuxtà

interpretationem Petri, & Stephan. Actor. 4. & 7. ait, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus*, sed Moises fuit purus homo, ergo etiam Christus; Neq; dicas, ibi Moisen fateri in Christo veram humanitatem, non tamen negare diuinitatem; quoniam subdit deinde, *Ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando dixisti, vltrà non audiam vocem Domini Dei mei*, ergo Christus non est Deus, aliter populus audiisset vocem Dei, contra promissum diuinum.

5 Resp. ad prim. Verbum fuisse factum carnem, non sicut aqua fit vinum, sed sicut homo fit Pontifex, Rex, Sacerdos, non amittendo scilicet, quod erat, sed accipiendo, quod non erat, nam in Incarnatione Verbum id, quod fuit, permansit, quod non erat, assumpsit, non commixtionem passum, neq; mutationem; vnde subdit Euangelista, *& habitauit in nobis*, quatenùs per hypostaticam vnionem habitare cæpit in carne assumpta. Ad 2. per idem, semetipsum exinaniuit, non amittens naturam diuinam, sed assumens naturam humanam. Ad 3. non esse in omnibus similitudinē, sed quatenùs, sicut Moises fuit verus homo, mediator inter Deum, & populum, propheta, legislator, &c. ita Christus, aliter sequeretur, Christum non fuisse natum ex Virgine, nec Redemptorem humani generis; quod additur in oppositum, Deum promisisse non locuturum amplius populo, sensus est, de modo, scilicet tot signis, & prodigijs, sicut anteà, sed humana voce, & eodem modo, sicut homines.

6 Secundò, ex Patribus; nam multi, vt Iustinus Martir Apol. 2. pro Christianis, explicant hanc vnionem exemplo cōuersionis Eucharisticæ; alij, vt Athan. in symb. exemplo vnionis animæ, & corporis; alij, vt Ciprian. & Nissenus, exemplo mixtionis elementorum; imò D. Cyrillus epist. ad Successum ait, *Non oportet intelligere duas naturas, sed vnam naturam Verbi Dei incarnatam*; & Dam. in dialect. c. 65. docet, hypostaticam vnionem efficere compositam naturam rerum coniunctarum. Tùm 2. Pater, & Filius in diuinis sunt vnus Deus ob essentiæ vnitatem, ergo si in Incarnatione sunt duæ naturæ, ergo duo Christi, quod est falsum. Tùm 3. sicut duæ naturæ possunt vniri in vno supposito, amittente natura humana propriam personalitatem, cur duæ personalitates nequeunt vniri in vnitate naturæ, itaut personalitas humana amittat propriam naturam, & diuinæ naturę vniatur? Tùm 4. operatio diuersa arguit diuersam naturam, quia natura est principium motus, & operationis, sed in Christo sunt quædam operationes, quæ nequeunt prouenire à natura humana, vt sunt operationes supernaturales, neque à diuina, vt sunt actus vitales, ergo à tertia natura distincta.

7 Resp. exempla non esse identitates, sed in multis deficere; quandò igitur hæc vnio explicatur à Patribus exemplo conuersionis, comparatio solùm stat in hoc, quòd sicut in Incarnatione Verbum habuit veram carnem, & sanguinem, ità in Eucharistia post consecrationem est vera caro, & sanguis Iesu Christi; similiter exemplum de anima, & corpore, & de mixtione adducitur à Patribus contrà Nestoriū, vt ostenderent, naturam humanam, & Verbum, non accidentaliter, sed substantialiter vniri ad modum, quo anima vnitur corpori, & elementa in mixto, non tamen valet quò ad omnia. D. Cyrillus primam partem illius auctoritatis non asseruit in suis operibus, sed ab hæreticis fuisse appositam, vt ipsemet aduertit epist. 28. ad Ioan. Anthiochenum, & notat Suarez 3. p. disp. 7. sect. 2. sed ad hùc dico, per duas naturas vel intelligere subsistentias (quomodo intelligitur Damascenus) vel duas naturas personaliter distinctas. Similiter ad aliam partem, vel per naturam intelligit subsistentiā Verbi; vel si loquitur de natura diuina Verbi, sensus erit, Verbum vnam tantùm habet naturam, quæ post incarnationem propter identitatem realem cum Verbo est incarnata, idest humanitati vnita. Ad 2. neg. seq. quia, vt dīp. seq. q. 2. etiam dicam, ad multiplicationem cōcretorum nō sufficit multiplicatio formarum, sed requiritur etiam multiplicatio suppositorum, quę non adest in præsenti. Ad 3. neg. paritas, quia personalitas creata est pura negatio; tùm quia, licèt esset quid positiuum, non esset communicabilis, & incommunicabile, qualis esset personalitas, communicaretur communicabili, scilicet diuinæ naturæ, quod est absurdum. Ad 4. operationes supernaturales nequeūt esse à natura humana in Christo, vt in se spectata, concedo, vt eleuata per habitus supernaturales, nego, nam cū his habitibus integrat vnum principium adæquatum. Dices, habitus isti sunt naturaliter debiti naturę Christi propter vnionem hypostaticam, ergo hęc natura est à nostra diuersa. Resp. neg. antec. ex dicendis suo loco, nam vnio hypostatica non stat necessariò cum beatifica. Deinde nego conseq. quia non sunt debiti ratione naturæ, sed ratione vnionis.

8 Dico 2. vnionem hanc fuisse factam in persona, itaut eadem omninò sit persona Filij Dei, & hominis Christi; ita Doctor cit. estq; de fide, definita præcipuè in Concil. Ephes. ad hoc congregato; prob. ex Scripturis, in quibus de Christo agitur, vt de vna persona, Ioan 1. *Verbum caro factum est*, & c. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo*; & c. 8. *Antequàm Abraham fieret, ego sum* Matt. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui*, & multæ aliæ authoritates consimiles adsunt, in quibus ly ego, tu, hic, ille, qui, &c. ostendunt identitatem suppositi, & personæ, quæ sub vtraq; subsistit natura humana, & diuina. Nec possunt exponi, vt dicebat Nestorius, de identitate per inhabitationem, aut dilectionem, vel consimili modo; quoniam omnibus illis modis Deum esse in Sanctis habemus in scriptura, at Verbū speciali modo fuit in Christo; Tùm quia non solùm Verbum, sed Pater quoq; & Spiritus Sanctus inhabitant iustis per gratiam, & sic omnes fuissent proprié incarnati, & appropriatè Spiritus Sanctus, cui specialiter tribuitur communicatio per gratiam, & dilectionem.

9 Prob. etiam ratione; duæ formæ in abstracto non prædicantur ad inuicem, imò nec in concreto, nisi in eodem vniantur supposito, vt patet de albo, & dulci, in lacte, in quo vniuntur, at quando non adest vnio in supposito, quamuis adsit vnio alterius rationis, non sufficit, vnde homo non dicitur in rectò vestis, sed habens vestem, at Christus est Deus, & homo, & hæc duo in concreto ad inuicem prædicantur. Terminus igitur adæquatus resultans ex hac vnitiua actione est vna persona in duabus naturis subsistens, qui dicitur Christus; nec est distinguendum inter personam, suppositum, & hypostasim, quasi sit vna persona, sed duo supposita, vel hypostases; nam vt dixi disputatione præcedenti quæstione prima pro eodem sumuntur hæc nomina, & solùm differunt per connotata.

Contra

10 Contra obijcit Nestorius, quia in scripturis habemus, Christum esse templum Dei, Ioan. 2. esse similem hominibus, ad Philipp. 2. ergo Christus est Deus per inhabitationem, sicut Deus est in templo per inhabitationem,& Filius Dei dicitur homo per similitudinem,non per proprietatem; dicitur indui humanitate, & vestiri; quæ vnio est accidentalis; vocatur etiam Emanuel, Isa.7. idest nobiscum Deus,ergo per inhabitationem; Rursùs Christus eguit ab Angelo consolari in passione, habuit matrem, & genealogiam, fuit in cruce derelictus à Deo, postulauit propriam clarificationem à Patre; quæ omnia nequeunt Filio Dei conuenire, ergo &c.

11 Respondeo, comparatio de templo non adducitur, eoquòd accidentaliter Deus fuerit naturæ humanæ Christi vnitus, sed vt ostendatur distinctio talis naturæ à supposito diuino; nam etiam 2. Petri c.1.homo dicitur esse in tabernaculo corporis sui; & Iob. 4. dicimur inhabitare domos luteas, vt innuatur distinctio animæ à corpore, quæ tamē substātialiter vniuntur. Dicitur similis hominibus, quia non purus homo ex semine virili conceptus, vt apparebat in extrinseco;Exemplum de vesta in hoc solùm consistit,quòd sicut homo indumento cognoscitur, ita humanitate Christus est cognitus Filius Dei. Dicitur Emanuel, quia in humanitate assumpta Deus nobiscum inhabitare dignatus est; reliqua conueniunt Christo secundùm humanitatem, non secundùm Deitatem.

12 Secundo, Christus à D. Basil. in Psal. 29. dicitur homo deifer, quasi gestans, & habens Deum, ergo non per vnionem hypostaticam. Tùm 2. vnitas suppositi est maxima omnium, ergo infert alias minorea, ergo si natura diuina, & humana sunt in Christo vnum supposito, erunt etiam vnum numero, specie, & genere, quod est falsum. Tùm 3. nequit eadem species sub duobus generibus contineri, ergo nec idem suppositum sub duabus speciebus, seù naturis. Tum 4. generatio terminatur ad suppositum, ergo noua generatio ad nouum suppositum, nam terminus actionis non præexistit actioni, sed temporalis generatio Christi fuit noua, ergo non fuit terminata ad suppositum Verbi, quod præexistebat. Tandem, homo est nomen concretum ad suppositum, sed Verbum assumpsit hominem ex D. Aug. in lib. de Agone Christi c. 11. & alijs Patribus, imò & Concilijs, vt est videre apud Ioan. de Lugo disp. 13. sect. 2. ergo assumpsit cum supposito, ergo non per vnionem hypostaticam.

13 Resp. ad 1. D. Basilium solùm asserere, quòd caro Christi est Dei gestatrix, caro autem non est nomen suppositi, sed naturæ, hinc solùm infertur, in Christo esse duas naturas in vnitate suppositi. Ad 2. tunc vnitas suppositi est omnium maxima, quando suppositum est proprium, & intrinsecum rebus vnitis in ipso, non verò, quando vni est intrinsecum, & proprium, alteri verò alienum, vt est in proposito. Ad 3. per idem nego paritatem. Ad 4. generatio, præcipuè supernaturalis, sufficit, vt sit ad suppositum in noua natura subsistens, quo pacto suppositum illud vt sic non dicitur actioni præexistere; hinc terminus adæquatus non est Verbum, vt subsistit in Deitate, sed vt terminans humanitatem, & consequenter vt cum ipsa constituens hunc hominem, qui est Christus Dominus. Ad vlt. ly homo intelligi debet pro humanitate, non pro supposito, & secundùm formale significatum, non secundùm connotatum; sic etiam intelligitur illud Psalm. 64. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti*, idest cuius naturam assumpsisti; ratio huius est, quia antiquitùs hoc nomen homo indifferens erat ad significandam naturam humanam, & suppositum humanum, sicut modò hoc nomen ignis vtrumq; significat, ideoque Patres, & Concilia sæpè dixerunt, Verbum assumpsisse hominem, at progressu temporis apud Doctores homo est nomen concretum ad suppositum, ideoq; non recipitur illa locutio; scio P. Vulpes disp. 6. artic. 8. defendere acriter proprietatem huius locutionis; sed quia est quæstio de nomine, non est multùm immorandum.

Quæstio Secunda.

An persona Christi sit simplex, vel composita.

14 NON est quæstio, an Christus sit compositus ratione humanæ naturæ, quia cum natura humana verè sit composita ex materia, & forma, vtrùm possit Christus ratione ipsius dici compositus, pertinet ad disp. de cōmunicatione idiomatum; sed dubium est; an ex humanitate, & Verbo diuino resultet quid compositum, ita vt simpliciter, & absolutè, & sine vllo addito persona Christi possit dici composita.

In hac quæstione quò ad rem omnes Catholici conueniunt, scilicet personam Christi significare subsistentiam Verbi in duabus naturis, diuina, & humana vnitis substantialiter, seù hypostaticè, solùm est dissidium in modo loquendi; an ex hac vnione possit Christus dici verè compositus, & absolutè. Nam Scotus in 3. disp. 6. q. 3. & omnes ferè antiqui Theologi negant, personam Christi dici posse verè compositam; fundamentum est, quia omnis compositio ex communi vsu Philosophorum, & Theologorum est vnio ex actu, & potentia, ex perfectibili, & perfectiuo, nec aliud genus compositionis est agnitum, & in acceptione vocabulorum debemus sequi communem sensum Doctorum, aliter ex nostro beneplacito possemus vti vocabulis in quacumque materia, & illam acceptionem vocare propriam; propria igitur compositio est, quæ ex actu, & potentia fit, ex perfectibili, & perfectiuo, ex quibus vnum tertium resultat ab illis partibus distinctum excedens in perfectione partes vnitas; at natura humana, & Verbum diuinum, vel natura diuina nequeunt hoc modo vniri, quia esset imperfectionis in Verbo, aut natura diuina, quod sit actus, vel potentia respectu naturæ humanæ, nec potest aliquòd tertium perfectius resultare, ergo Christus nequit esse compositus rigorosa compositione. Verùm, quia adsunt multæ authoritates Patrum, & Conciliorum asserentium, personam Christi esse cōpositam, idcircò addit Doctor, posse dici compositam, non vera compositione, & absolutè, sed ampla, & cum addito, scilicet compositione quadam admirabili, ineffabili, prout significat vnam personam in duabus naturis subsistentem.

15 Ex opposito Recētiores, vt Suarez 3. p. tom. 1. disp. 7. sect. 4. & disp. 8. sect. 1. Vasq. disp. 16. Valen. 3. p. disp. 1. q. 2. p. 4. Albertinus corrol. 3. ex prædi-

cum, subst. Iosn. de Lugo hic disp. 10. sect. vn. Hurt. disp. 29. Auersa q. 2. sect. 4. Bernal disp. 13. sect. 3. & seq. & alij, docent, compositionem de sua ratione formali solùm dicere vnionem per se plurium rerum, ex quibus vnum resultet, præscindendo ab hoc, quod est, vt hæc vnita se habeant per modum actus, & potentiæ, vt perfectiuum, & perfectibile, quòd sint imperfectiora composito, & quòd habeant rationem partis, in hac auté acceptione nulla inuoluitur imperfectio, vt patet, vnde poterit Verbo, & humanitati conuenire, & Christus poterit dici verè, & absolutè compositus; Quamuis autem hoc genus compositionis non fuerit cognitus ab Aristotele, cæterisq. Philosophis, eò quia in rebus creatis compositio semper est cum illis omnibus imperfectionibus; Hoc tamen non obstat, quia neq; vnionem hanc hypostaticam agnouerunt, non ob id tamen hæc vnio excluditur à ratione veræ, & propriæ vnionis. At in Theologia non debet hoc genus cōpositionis negari, seclusis omnibus imperfectionibus; vndè à Patribus, & Concilijs fuit hoc nomen sæpiùs vsurpatum; nam in 5. Synodo act. 8. can. 4. habetur, *Si quis non confitetur, vnionem secundùm compositionem, &c.* & infra, *Vnam subsistentiam compositam, &c.* idem repetitur can. 7. & in 6. Syn. act. 4. epist. t. Agatho; & nè dicatur, hoc assertum nō debere intelligi propriè, sed impropriè, adest Concil. Later. sub. Mart. 1. consult. 5. can. 17. *Si quis secundùm Sanctos Patres non confitetur, propriè, & secundùm veritatem, omnia, quæ tradita sunt, & prædicata à Sancta Catholica, & Apostolica Dei Ecclesia, pariterq; à Sanctis Patribus, & venerandis vniuersalibus quinq; Concilijs vsq; ad vnum apicem verbo, & mente, condemnandus sit;* quibus verbis determinatur, omnes assertiones à Concilijs definitas intelligi debere propriè, & secundùm veritatem, ergo cum fuerit in illis Concilijs definitum, Christum esse compositum, intelligi debebit propriè, & secundùm veritatem, non impropriè, & largè.

16 Eodem modo etiā loquuntur Patres, vt Dion. de diui. nomin. c. 1. Dam. lib. 3. c. 3. 4. & 5. Greg. hom. 38. in Euang. Athan. Orat. *Quod vnus sit Christus*, Petrus Diac. de Incarnat. & gratia ca. 3. & alij; huc etiam spectat exemplum illud de anima rationali, & corpore, quo vtuntur sæpissimè Patres ad explicandum hoc misterium. Hæc igitur compositionis acceptio in vera Theologia debet admitti, tanquam vera, & propria, conuenitq; rebus illis, quæ ex propria natura non sunt ordinata ad componendum. Ex his omnibus patet, totum discrimen istarum opinionum ad hoc reduci, quòd tàm prima, quàm secunda opinio admittit, Christum dici posse compositū, quia dicit vnum suppositum in duabus naturis subsistens; sed prima negat, hanc significationem compositionis esse rigorosam, secunda concedit.

17 In hac nominali controuersia non satis clara est decisio; nam Sancti Patres, & Concilia, inquit Doctor 2. d. 33. ad 1. in confutandis hæreticis excessiuè sunt locuti, & hoc quia ex 2. eth. c. vlt. via deueniendi ad medium est declinare ad aliud extremū, hinc multùm est ponderandum, contrà quos hæreticos disputant, sic D. Aug. contrà Arrium videtur declinare ad Sabellium, & è contrà. Cum igitur Nestorius negarit in Christo veram, & substantialem vnionem naturæ humanæ, & Verbi diuini, ad determinandam veritatem catholicam contrà ipsum, voluerunt ad alterum extremum declinare, appellantes, & explicantes substantialitatem huius vnionis nomine compositionis, non quòd intelligant, de rigore sermonis dici posse veram compositionem; contrà aduersùs Eutichetem admittentē ex natura diuina, & humana in Christo vnam tertiam resultasse, totis viribus euertunt cōpositionem à Christo, imò cum magna cautela, & circumspectione vtuntur illo exemplo de corpore, & anima rationali, ita D. Dam. aduersùs Acephalos, & S. Maximus aduersùs Eutichetem, & Dioscorū apud Euthimium in Panoplia part. 2. tit. 15. Cum igitur communior compositionis acceptio sit pro vnione ex actu, & potentia apud Doctores, hæc erit vera huius nominis significatio, alia verò erit impropria, & non rigorosa. Accedit, quòd nullus Theologus aliquam admisit compositionem in Deo, cuiuscūq; sit acceptionis, & tamen in Deo multa inter se reperiuntur vnita, & actu distincta, qualis est natura diuina in ordine ad attributa, & personalitates, vt nunc suppono ex tract. de Trin. Et quamuis aduersarij negent hanc distinctionem actualem in diuinis, tamen non deberent tàm acriter contrà Scotum insurgere, quasi quòd admiserit veram compositionem in Deo propter formalem distinctionem, quam compositionem vt maximam imperfectionem habent. Etenim possemus ex eorum doctrina hic tradita respondere, in Theologia dari debere genus quoddam compositionis excludens omnem imperfectionem, & talem compositionem admittere in diuinis non esse inconueniens; Sicut igitur excluditur ibi omnis compositio, quia ex se imperfectionem importat, idem hic erit asserendum.

18 Neque obstat authoritas Concilij Lateranensis adducta; nam vt notat P. Faber in 3. disp. 16. verba illa Concilij non debent referri ad modum compositionis, quasi quòd Concilij intentum fuerit determinare, Christum esse verè, & propriè compositum, sed referri ad modum vnionis, vt sensus sit, quicūq; hanc vnionem naturarum, & personalitatis diuinæ in Christo non verè, & propriè, sed impropriè docuerit esse intelligendam, anathema sit; nam hęc erat mens Cōcilij determinare contrà Nestorium, hanc vnionem non fuisse per affectum, & accidentalem.

19 Dices, terminus huius actionis, qui resultat, non est omninò simplex, sicut persona Verbi secundùm se sumpta, ergo est compositus; conseq. patet, quia inter simplex, & compositum nō datur medium; antec. prob. quia terminus iste incipit esse in tempore, resultat ex plurium distinctorum vnione, quæ omnia simplicitati opponūtur; tùm quia persona Verbi simplex supponitur ante actionem vnitiuam, ergo vt sic nequit esse terminus vnionis.

20 Respondet P. Vulpes hic disp. 16. art. 1. negando, Christum esse quid resultans ex Verbo, & humanitate, quia, inquit, hæc duo non vniuntur per modum actus, & potentiæ, quod requiritur, vt aliquod tertium distinctum resultet; Christus ergo, inquit, est nomen à chrismate deriuatum, quod latinè vnctionem significat, quapropter formaliter significat vnctionem, per quam Patres intelligūt hypostaticam vnionem, connotat verò humanitatem, tanquam subiectum huius vnionis, & Verbum vt terminum, hinc quandoq; pro istis supponit; quam nominis interpretationem confirmat ex Athan. in Orat. contrà Arrianos, Dam. 4. de fide c. 6. & Paulino Aquileiensi; ex qua doctrina consequenter negat art. 2. Christum esse personam compositam, quia non est quid à rebus vnitis distinctum, & resultans, & hoc adhuc posset confir-

confirmari, quia si Christus est aliquid à Verbo, & humanitate distinctum, vel est natura, vel suppositū, nō primum, quia sic vnio esset facta in naturameq; secundum, quia tunc in Christo essent duæ personæ, scilicet Verbi, & Christi, quod etiam est falsum. Tùm quia esset quid causatum, haberet rationem totius, & Verbum, ac humanitas rationes partium, à quibus Christus dependeret, quæ omnia sunt absurda. Adest etiam Scotus, qui 3. d. 6. q. 3. expressè negat, ex Verbo, & humanitate resultare aliquod tertium distinctū.

21 Verùm hæc doctrina minimè placet; eòquia ex qualibet vnione semper resultat aliquod vnum, & eo modo, quo res vniuntur, eo modo resultat vnum, scilicet si accidentaliter vniuntur, resultat vnum per accidens, si essentialiter, vnum essentiale, si integraliter, vnum integrale, sed Verbum, & humanitas realiter, per se, & substantialiter, seù hypostaticè vniuntur, ergo debet dari resultans, quod sit vnum per se, substantiale, & hypostaticè; Tùm quia, si Christus pro formali diceret, vnionem, quia vnio hæc est accidens, vt infra, Christus pro formali esset ens accidentale, quod est falsum. Hinc Scotus in 3.d.6. q. 2. & d. 7. q. 2. & d. 11. q. 3. & d. 22. M. & seq. docet, Christum esse vnum ens, non plura entia, ergo suo modo Christus erit vnum à Verbo, & humanitate distinctum, diciturq; ex se vnum suppositū diuinum in duabus naturis subsistens humana, & diuina, distinctum à Verbo diuino, nō adæquatè, sed inadæquatè, vt includens, & inclusum, quia est idem Verbum, sed cum addito, scilicet cum humanitate hypostaticè vnita; quam doctrinam ipse Vulpes ibi art. 1. num. 2. amplectitur; sed art. 2. oppositum docet.

22 Nec rationes, quas pro se affert, aliquid valent; nam verum est, quòd in realiter distinctis, vt resultet vnum tertium adæquatè distinctum, & causatum à partibus componentibus, debent partes vniri per modum actus, & potentiæ, at Christus non adæquatè, sed inadæquatè distinguitur à Verbo, vt dixi. Similiter quamuis Christi nomē à Chrismate deriuetur, nō ob id ipsam vnctionem habet significare, sed impositū est ad significandū suppositū in duabus naturis subsistēs, vt ait Dam. 3. de fide c. 3. *Christi vocabulum personæ esse dicimus, & quòd non vnimodè dicatur, sed duplicem naturam significat ipse, & seipsum vnxit*, & Matt. 16. *Tum es Christus Filius Dei viui*: nō enim semper in significatione obseruatur nominis ethymologia, nam lapis à læsione pedis deriuatur, & tamen non significat læsionem in concreto; verum est tamen, quòd quandoque sumitur in propositione, vel pro supposito diuino, vel pro humanitate assumpta; quomodò intelligendi sunt Patres ab ipso citati. Ad aliud dico, esse aliquid inadæquatè à Verbo distinctum, & consequenter non est aliud suppositum omninò, sed idem cum addito, scilicet cum humanitate per se vnita; sicut homo albus est aliud ab homine distinctum, non adæquatè, sed inadæquatè, quia dicit hominem cū albedine vnita, est tamen differentia, quòd homo albus est vnum per accidens, quia extrema accidentaliter vniuntur, at Christus est vnum per se, quia extrema substantialiter, & per se vniuntur; ex quo magis confirmatur nostra sententia, si enim homo, & albedo possunt facere aliquod vnum, quamuis per accidens, quātò magis Verbum, & humanitas constituent vnum per se, cum substantialiter vniantur. Ad vlt. nego sequelam, quia illa omnia verificantur, quando extrema vniuntur per veram compositionem, nam sic resultat compositum realiter adæquatè distinctum, & consequenter est quoddam totū perfectius, sed causatum, & dependens à partibus; at in proposito, quia Verbum, & humanitas vniuntur simplici vnione absq; vlla propria compositione, quod resultat, est inadæquatè àb extremis vnitis distinctum, quod sicut largè dicitur compositum, sic etiam dicitur totum largè, & Verbum, ac humanitas largè possunt dici partes, quo sensu de illis est Doctor locutus d. 11. q. 3. non tamen potest dici causatum, & dependens, nisi ratione humanitatis, de quo infra. Nec tandem Scotus negauit, omnimodè ex hac vnione resultare vnum per se, sed addidit non resultare, sicut ex materia, & forma resultat per se vnum, quare loquitur de compositio strictè sumpto, vt est videre in textu; & in hoc sensu intelligitur etiam d. 11. q. 1. C. præterquamquod ibi loquitur in sententia illorum negantium hanc propositionem, *Christus est creatura*.

23 Sed contra istam doctrinam posset adhuc primò dubitari; quia ex ipsa videtur infringi opinio Doctoris de distinctione reali totius à partibus, nam possent aduersarij dicere, totum inadæquatè distingui à partibus, seù à qualibet parte, ita vt v g. homo sit anima, nō vt sic, sed corpori vnita, vnde inadæquatè erit ab anima distinctus; sicut nos dicimus, ex humanitate, & Verbo vnitis resultare vnum Christum inadæquatè à Verbo distinctum, quod esse falsum, ostendi in Physf. disp. 5. q. 13. art. 1. Secunda dubitatio est de ista vnitate, ad quod genus vnitatis reducatur; nam cum vnitas alia sit aggregationis, alia ordinis, alia informationis accidentalis, alia continuationis, alia compositionis ex per se actu, & per se potentia, alia generis, alia speciei, & alia definitionis, non videtur Christus dici vnus aliqua harum vnitatum.

24 Ad primum respondeo negando sequelam, & ratio disparitatis est, quia partes, essentiales ad constitutionem compositi concurrunt tanquam veræ causæ physicæ, & concurrunt etiam vt vnitæ, & collectiuè sumptæ, hinc causant effectū realiter distinctum, at in proposito humanitas, & Verbum nō sunt causæ physicæ constituentes aliquod tertium, sed potiùs dicuntur res substantialiter vnitæ, ideoq; cōstituunt aliquod tertium, solùm inadæquatè distinctum ab illis vt vnitis, nō collectiuè sumptis, sed distributiuè, sicut homo, & albedo dicuntur constituere vnum per accidens, quod tamen non est quid realiter à partibus distinctū adæquatè, sed inadæquate, at in proposito constitutum est vnum per se substātiale (ex his inferas, quàm sit aptum exēplum istud de subiecto, & accidente pro explicatione huius mysterij) quapropter sicut vnio subiecti, & formæ accidentalis propriè non debet dici vnio *ex his*, sed *cum his*, quia non resultat aliquod tertium adæquatè distinctum realiter, vt dixi in Phys. disput. cit. q. 13. art. 2. in fine, ita in proposito, hæc vnio deberet dici vnio *cum his*, non *ex his*, nisi largo modo, sicut etiam largo modo admittimus compositionem in Christo; vide in Phys. art. 1. cit. concl. 2. quæ dixi contra Hurtadum. Et certè nequit negari aliqua distinctio inter Verbum, & Christum, nam Verbum præcessit Incarnationem, Christus incepit per Incarnationem, Verbum semper post Incarnationem fuit, Christus in triduo non fuit, Verbum non est terminus adæquatus actionis vnitiuæ, Christus est talis terminus, Verbum terminat vnionem humanitatis, non verò Christus; quæ omnia conueniunt Christo, vt significat aliquod suppositum; & quia non est distinctum



ctum suppositum à Verbo, hinc est, quòd inadæquatè distinguitur à Verbo.

25 Ad 2. respondeo, vt colligitur ex Scoto 3. d. 6. q. 1. ad 1. quòd Christus propriè nullo illorum modorum potest dici vnum, patet discurrendo per omnes illas vnitates; nam in primis non sunt illæ naturæ in Christo aggregatæ tantum, vt dicebat Nestorius, vel ordinatæ, nec vna est accidens respectu alterius, itaut verè illam informet, illiq; inhæreat, vt patet; nec etiam sunt vnitæ vnitate continuationis, aut compositionis, vt dictum est; neq; Christus vnum genere, aut specie dici potest, quia natura diuina, & humana plusquàm genere differunt; insuper nec est vnũ numero, eo modo, quo de tali vnitate loquitur Philosophus, videlicet quòd inferat vnitatem specificam, & genericam; neq; adhùc est vnum definitione, itaut vnicam tantùm habeat essentiam ex natura diuina, & humana constitutam, quia sic esset vnum compositione, vel quòd habeat vnam essentiam simplicem, nam sic non haberet duas naturas; nullo igitur horum modorum potest dici vnum propriè loquendo. Sed sicut ista vnio, qua duæ naturæ substantiales completæ in vno supposito vniuntur, ineffabilis est, ac admirabilis, ita Christus erit vtique vnum per se, quia sunt illæ naturæ vnitæ substantialiter, sed vnitate quadam ineffabili, & admirabili; quæ tamen, vt colligitur ex Scoto 3. d. 6. q. 2. ad 3. poterit reduci ad vnitatem numericam, eòquia, vt dicam quæst. seq. nullo modo Christus potest dici duo, sed vnus propter vnitatem suppositi.

26 Addit etiam Doctor, quòd potest dici vnum per accidens, quatenùs illa sic dicũtur, quorum vnum aduenit alteri iam completo in proprio esse, nec illud informat. Attamen subiungit Doctor, quòd hoc nõ benè sonat in proposito, quia licèt natura humana adueniat Verbo in esse completo, nec illud informet, est tamen Verbo substantialiter vnita, non accidentaliter, vnde solùm dici potest vnum per accidens logicè, & accidente prædicabili, non metaphysicè, & accidente prædicamentali, vt clariùs in seq. quæst. ex his patet ad argum. num. 19. propositum; nam Christus non est ità simplex, sicut Verbum, quia admittit aliquam compositionem, largè sumptam, quam Verbum non includit. Patet etiam, Christum dici posse terminum totalem huius actionis, quia est vnum resultans; quicquid dicat Centinus disp. 4. c. 3. nam cum sit vnum resultans, sufficit ad rationem termini totalis, nec requiritur vera, & rigorosa causatio.

Quæstio Tertia.

An Christus sit aliqua duo.

27 QVod attinet ad rem, ex dictis patet, Christum habere vnicam subsistentiã, & duas naturas, solùm est dubitatio in modo loquẽdi, pro qua not. quòd hi termini vnus, duo, tres, &c. possunt accipi dupliciter, scilicet masculinè, & neutraliter, primo modo ex communi vsu significant vnitatem, vel multitudinem suppositorum; siue naturæ sint multiplicatæ, siuè non; vnde personæ diuinæ, licèt habeant vnam naturam, non tamen dicuntur vnus, sed tres; secundo modo vnum est nomen substãtiuum, & propriè significat aliquod vnum ens, vel vnum indiuiduum, vel vnum suppositum, vel vnam naturam.

Communiter à Doctoribus negatur, Christum posse dici aliqua duo, siuè masculinè, siuè neutraliter. Attamen quia Vasq. disp. 16. c. 5. Ioan. de Lugo disp. 10. in appendice, & Bernal disp. 14. sect. 3 concedunt hanc propositionem, *Christus est diuinitas, & humanitas*, videntur etiam admittere istas alias propositiones, *Christus est duæ naturæ*, *Christus est aliqua duo neutraliter*, quas propositiones Suar 2 disp. 35. sect. 2. ait esse veras in sensu identico; Vasq tamen disp. 70. cap. 3. istam vt veram admittit, *Christus est aliud, & aliud*.

28 Dico tamen, quòd Christus neq; masculinè, neq; neutraliter est aliqua duo, sed vnus, vel vnum; neq; est habens duo masculinè, sed est habens duo neutraliter; ita Scotus 3. d. 6. q. 2. Quòd Christus masculinè sit vnus, non duo, habetur 1. ad Tim. 2 *Vnus est mediator Dei, & hominum Christus Iesus*, in symbolo Niceno, *In vnum Dominum Iesum Christum*, Athanasij, *Non duo tamen, sed vnus est Christus*, accedit ratio, quia vnus masculinè significat personam, & suppositum, vnde Dam. 3. fidei c. 7. dicebat *alius personam indicat, aliud naturam*, sed in Christo est vna persona, ergo &c.

29 Deinde quòd nõ sit duo neutraliter, sed vnum, prob. quia Christus non est duo entia, sed vnum ens, cũ sit vnum suppositum, neq; de Christo prædicantur aliqua plura, vt distincta, nam licèt Deitas in abstracto possit de Christo prædicari, non tamen humanitas, ratio est, quia vt dixi in Logica disp. 10. q. 3. adhòc vt aliqua propositio sit vera, & prædicatum verè de subiecto enuncietur, requiritur, vt extrema sint aliquo pacto idem inter se, itaut identitas, quæcunq; illa sit, est fundamentum veritatis propositionis, sed hoc non sufficit, nam adhùc requiritur, vt termini accipiantur, quatenùs consignificant illam habitudinem extremorum, non verò, vt à tali habitudine, & identitate præscindunt, qua ratione, licèt hæc propositio, *nix est alba* sit vera propter identitatem terminorum, quia sunt vnum subiecto, quam habitudinem, & identitatem cõcernunt termini illi, eòquia album est concretum ad subiectum; attamen hæc est falsa, *nix est albedo*, licèt adsit identitas, eò quia ly albedo præscindit, cum sit terminus abstractus, à tali habitudine; similiter hæc est vera, *Petrus est homo*, quia homo concernit suppositum, non tamen ista, *Petrus est humanitas*, ergo hæc quoq; erit falsa, *Christus est humanitas*; Quamuis ista alia *Christus est Deitas* sit vera identicè, proter infinitatem vnius extremi, quę est ratio identitatis, vt ibi dixi art. 1.

30 Respondent, concretum dupliciter sumi posse, vel materialiter, & specificatiuè, & sic sumitur inadæquatè, vt album vt sic sumitur, vel pro subiecto, vel pro forma, & Christus vt sic accipitur pro personalitate Verbi; secundo modo sumi potest formaliter, & reduplicatiuè, & sic sumitur adæquatè pro omni eo, quod importat; tunc aiunt, abstractum non posse de concreto prædicari, si sumitur primo modo, at secundo modo potest, vnde hæc est vera, *album est paries, & albedo*, & etiam istæ, *Christus est diuinitas, & humanitas*, *homo est animalitas, & rationalitas*.

31 Sed ista responsio ex dictis refutatur, nam quicquid sit de illa duplici acceptione concreti, semper erit verum, quòd termini in propositione sumi debet, vt consignificant identitatem, & habitudinem extremorum, ergo quia abstractum vt sic præscindit ab habitudine

bitudine ad suppositũ, nunquam verè poterit de concreto prædicari; vnde falsa est illa propositio, *album est paries, & albedo*, aliter si paries, & albedo essent separata, tunc daretur album, quod est falsum; album igitur est paries, & albedo inter se vnita, quam vnionem, & identitatem exprimit album vt concretum; neque hinc inferas, abstractum de concreto posse aliquo modo prædicari, dicendo, *album est albedo vnita parieti*; Non valet, quia vt dicam disp. 5. q. 2. ly *albedo vnita parieti* dicit terminos inter se implicatorios, nam albedo quò ad modum significandi abstrahit à subiecto, & sic abstraheret, & non abstraheret propter vnionem, quæ deinde additur. Ex quibus etiam patet, quòd sit falsa adhùc illa propositio, *Christus est aliud, & aliud*, non enim videtur differre ab illa, *Christus est aliqua duo*.

32 Est igitur Christus vnus, & vnum; qua ratione dicetur habena duo neutraliter, quia verè habet duas naturas diuinam, & humanam, sicut compositum est habens duo neutraliter, scilicet materiam, & formam, non verò est materia, & forma; non tamen est habens duo masculinè, quia non includit plura supposita, nec habet plures subsistentias, sicut est cumulus lapidum, qui est habens tres, vel quatuor, quoniam plura continet supposita.

33 In oppos. arguitur primò, Christus secundùm quòd homo est aliquid, vt dicitur extra. de hæreticis. *Cum Christus*; & etiam secundùm quòd Deus est aliquid, ergo vt homo, vel est idem aliquid, quod Deus, vel aliud; non primum, quia humanitate esset Deus, ergo secundum, ergo est aliud, & aliud, ergo duo neutraliter, quia aliud dicit naturam.

Respondet Doctor neg. conseq. si ly *secundùm quòd* sumitur reduplicatiuè, ratio est, quia arguitur à superiori ad inferius affirmatiuè, nam esse aliquid est superius ad esse idem aliquid, vel aliud aliquid; non valet idcirco, secundùm quòd homo est aliquid, ergo vel est idem aliquid, vel aliud aliquid cum Deo, quia denotaretur, hominem esse causam inhærentiæ huius prædicati, scilicet idem aliquid, vel aliud aliquid cum Deo in subiecto (hoc enim est dictionem illam sumi reduplicatiuè) sed hoc est falsum, quia si homo esset ratio, cur Christus esset idem cum Deo, humanitate esset Deus, & sic omnes homines essent Dii; si verò homo esset ratio, quòd sit aliud aliquid, nunquã Christus posset esse Deus, sicut quia homo est ratio, cur Frãciscus est aliud aliquid ab equo, nunquã Franciscus erit equus; hinc valet iste modus arguendi solum respectu alicuius prædicati, quod nullo modo est impossibile cum subiecto, vt in exemplo adducto equo respectu Francisci, quatenùs est homo. Si verò illa dictio sumitur specificatiuè, sic posset concedi, quòd Christus vt homo est idem aliquid, quod Deus, cum est sensus, Christus, qui est homo, est Deus.

34 Contrà, idem, & diuersum diuidunt omne ens, 5. met. 22. ergo Christus vt homo reduplicatiuè, vel est idem, vel aliud à Deo, quia inter contradictoria nequit dari medium. Tùm quia, Deus, & homo sunt duo, Christus est Deus, & homo, ergo est duo; maior patet, quia sunt duo entia, duæ naturæ.

Resp. Doctor neg. conseq. ad probat. ait, inter contradictoria absolutè sumpta non dari medium, at cũ aliqua determinatione, & sincathegoremate, vel cum particula reduplicatiua dari medium per abnegationem extremorum, vt homo aut est per se albus, aut per se non albus, vtrumq; est falsum, homo vt homo aut est albus, aut non albus, neutrum valet, quia humanitas non est ratio essendi, aut non essendi album, vt dixi disp. 9. Log. q. 1. art. 2. ità in proposito, Christus vt homo aut est idem aliquid cum Deo, aut non idem aliquid, sed diuersum, non sunt contradictoria. Ad 2. si loquimur de homine, vt dicitur de Christo, nego maiorem, quia vt notat Scotus lit. D. & in fine quæst. Deus, & homo sunt nomina cõcreta ad suppositum, vnde exponuntur per sua abstracta cũ participio habens, Deus enim est habens Deitatem, & homo humanitatem, & consequenter cum idem suppositum sit Deus, & homo, non erunt duo; & per hoc patet ad probat. non enim vt sic sunt duo entia, nisi in abstracto concipiantur, quo pacto humanitas non dicitur de Christo; & hoc magis constabit disp. 5. q. 2. examinãdo, an si eadem persona plures assumeret humanitates, diceretur vnus, vel plures homines.

35 Secundò, ex Dam. 3. de fide. c. 7. Christus non est tantùm Deus, ergo est Deus, & aliquid aliud, sed quod est aliud, & aliud, est duo neutraliter, ergo &c. prima consequentia patet per regulã propositionum exponibilium exceptiuarum, sic enim exponuntur, vt v.g. non tantum homo currit, ergo aliud ab homine currit; homo non est tantùm albus, ergo est albus, & aliquid aliud, scilicet animal rationale.

Resp. Scotus, quòd dictio exclusiua alio modo excludit addita subiecto, alio modo addita prædicato, addita subiecto excludit à prædicato omne id, quod non competit subiecto nec per se, nec per accidens, vt tantùm homo currit, significat, quòd ea tantùm, quæ per se, vel per accidens sunt homo, currunt, & sic Petrus, qui est per se homo, currit, album, quod est per accidens homo, currit, at equus, qui nec per se, nec per accidens est homo, non currit. Exclusio verò addita prædicato excludit à subiecto, quicquid non prædicatur, vel formaliter, vel essentialiter de prædicato, & maximè si sunt eiusdẽ generis; v.g. Petrus est tantùm albus, excludit à Petro omne id, quod essentialiter, vel formaliter non dicitur de albo, quod est eiusdem generis, & sic excludit à Petro nigredinem, & omnes alias coloris species, & qualitatis; licèt istæ possint per accidens de albo prædicari. Cum ergo dicitur, *Christus est solum Deus*, dictio exclusiua excludit totum id, quod formaliter, & essentialiter non dicitur de Deo, & quia homo solùm per accidens dicitur de Deo, & ex alia parte Christus est etiam homo, idcirco hæc propositio, *Christus est tantùm Deus*, est falsa, & opposita, *Christus non est tantùm Deus*, est vera; sed non sequitur, ergo est aliquid aliud à Deo, quia est fallacia consequentis, arguẽdo à propositione habente plures causas veritatis ad vnam illarũ; vt si dicam, Sortes ingreditur domum diuitis noctu, ergo est fur, non sequitur, quia potest ingredi, vt furetur, vt inuadat, ob metum, ideò non licet arguere ad vnam determinatam; sic cum dicitur, *Christus non est tantum Deus*, habere potest plures causas veritatis, vna est, quòd Christus sit aliquid aliud à Deo, & hæc est falsa, altera, quòd Christus non solùm sit id, quod formaliter est Deus, sed etiam homo, qui formaliter non est Deus, & hæc est vera.

Dices, aliud est homo, aliud est Deus, Christus est Deus, & homo, ergo aliud, & aliud. Resp. aliud est homo, aliud est Deus, distinguo, inter se, concedo, in ordine ad Christum, nego, nam idem Christus est homo Deus, & ex distinctione eorum, quæ sunt in Christo, non licet inferre distinctionem Christi, sicut

ex

ex distinctione materiæ, & formæ non rectè distinguitur compositum.

36 Tertiò, differentia specifica infert numericam, sicut generica infert specificam 5. met. t. 2. sed in Christo est differentia quasi specifica naturarum, ergo & differentia numeralis, ergo est duo. Tùm 2. tres personæ diuinæ, quia sunt tria supposita, dicuntur tres masculinè, & quia vnius naturæ, dicuntur vnum neutraliter, ergo per oppositum, quia in Christo sunt duæ naturæ, & vnum suppositum, erit vnus masculinè, & duo neutraliter. Tùm 3. Christus est aliquid, quod est Pater, & aliquid, quod non est Pater, ergo est aliquid, & aliquid, ergo duo. Tùm 4. sicut forma accidentalis facit alterum, ita forma substantialis facit aliud, secundùm Porph. c. de differentia, sed in Christo sunt duæ naturæ substantiales, ergo &c. Tùm 5. ex Arist. 3. phys. 17. vnum, & duo denominatiuè dicuntur, sed Christus habet dualitatem naturarum, ergo est duo. Tùm 6. docet Arist. 7. met. 12. hominem album vnum esse simpliciter, sed plura, & tamen non adest diuersitas suppositi, ergo &c.

37 Resp. ad 1. ex Scoto cit. concedendo, differentiam specificam naturarum inferre numericam earundem, & sic in Christo sunt duæ naturæ numero, non tamen Christus est duo, quia non est illa duo. Ad 2. nego paritatem, quia Deitas in recto prædicatur de illis, non tamen humanitas de Christo, vnde si tres homines haberent vnam animā, nō dicerētur vnum, sed habentes vnum, quia non sunt illud vnum. Ad 3. ly *aliquid* in prima parte antec. supponit pro natura diuina, siuè in abstracto, siuè in concreto, quia vtroque modo prædicatur de Christo, at in secunda parte supponit pro humana tantùm in concreto, & sic negatur conseq. quia requiritur, vt sit diuersum suppositum. Ad 4. ly *alterum* non significat diuersitatem suppositi, & ideo forma accidentalis sufficit ad faciendum alterum; at ly *aliud* notat diuersitatem naturæ, & suppositi, & consequenter non sufficit sola naturæ diuersitas, vt est in proposito. Porphirius verò loquitur in creatis secundùm ordinem naturalem. Ad 5. non sequitur, ergo est duo, sed quòd sit habens duas naturas, sicut non sequitur, compositum habet dualitatem partium, ergo est duo; & licet in accidentibus valeat, homo habet albedinem, ergo est albus, hoc est, quia ad hoc non requiritur variatio suppositi; at numerus infert pluralitatem natu arum, & suppositorum, si absolutè pronunciatur. Ad 6. Arist. ibi non dicit, hominem album esse simpliciter plura, sed solùm non esse idem quod quid erat homini, & homini albo, & hoc quidem verum est, alio enim est homo, & alio homo albus, ex hoc tamen non sequitur, esse plura simpliciter.

38 Quartò, Aug. in Enchiridion c. 35. *Cum in forma Dei esset, formam serui accepit, vtrumq; vnus, sed est aliud propter Verbum, & aliud propter hominem*; & de Trin. c. 7. *Quia forma Dei accepit formam serui, vtrūq; Deus propter accipientem Deum, vtrumq; homo propter acceptum hominem*, sed vtrumq; dici non potest, nisi vbi sunt duo, ergo &c. Tùm 2. possunt istæ duæ naturæ in abstracto dici de Christo, ergo Christus est duo; antec. prob. ex Leone 1. epist. 11. *Verbum, & caro, atq; anima vnus Iesus Christus, ac Dei, hominisq; est filius*; Dam. 3. de fide c. 19. *Nam & duæ naturæ vnus Christus est, & vnus Christus est duæ naturæ*; similes locutiones habent Leo 2. in epist. ad Imperatorem, quæ habetur in 6. Synodo act. 18. Bernar. serm. 8. in vigil. Natiu. & alij Patres. Accedit, quòd licèt partes singillatim non possint de toto dici in recto, vnitæ tamen rectè prædicantur, vnde D. Athan. in Symb. ait, *Anima rationalis, & caro vnus est homo*; hæc etiam propositio est vera, *ternarius hominum est Petrus, Paulus, & Ioannes*.

39 Resp. primam authoritatem intelligi, & exponi debere, vt exponit ipsemet Aug. contra Fælicianum c. 11. videlicet per habere aliud, & aliud, & aliud aliam dico, per ly *vtrumq;* significari naturas in concreto, non quòd sint duæ vt sic, sed prout sunt duo nomina duas naturas in eodem supposito significantia. Ad 2. nego assumptum, & ad Patres dico, quandoq; non attendisse rigorosum loquendi modum secundùm regulas logicales, sed rem ipsam, vnde propositiones illæ in rigore sunt falsæ, nisi causaliter explicentur; v.g. homo est corpus, & anima, id est constat ex corpore, & anima; & quamuis admittantur ab aliquibus prædicationes istæ, dummodò tamen termino abstracto adiungatur relatio vnionis, quæ explicitè dat intelligere identitatem extremorum. quæ est causa veritatis, non ob id tamen infertur, Christum esse duo, quia hæc duo non prædicarentur vt distincta, sed vt vnita, vt dixi.

Quæri etiam posset, an Christus sit creatura, & inceperit esse, sed hæc cōmodiùs examinabuntur disp. 5.

Quæstio Quarta.

Quid fuerit vi huius actionis productum; an humanitas, vel aliud, vbi de termino formali eiusdem.

40 Bacconus in 3. d. 1. q. 2. art. 1. Greg. in 1. d. 28. q. 1. ad 17. & 18. docent, per hanc actionem nihil fieri ab extremis distinctum, quod habeat rationem termini ad quem, sed solùm fieri ipsum compositum Christum, vnde omnem terminum formalem negant, vel cum totali confundunt; citantur etiam pro hac sent. ntia Caiet. 3. p. q. 2. art. 10. Nazar. art. 8. cōtr. 3. Medina ibid. Aurez disp. 13. Valenc. disp. 1. q. 2. p. 5. & Aureolus 3. d. 1. q. 1. art. 2. Alij volunt, hanc actionem vnitiuam fuisse terminatam ad humanitatem Christi, vt Verbo vnitam, itaut totum hoc, scilicet humanitas Christi, & vnio humanitatis ad Verbum acceperint esse ex vi huius actionis vnitiuæ; pro hac sent. Suarez disp. 8. sect. 1. nullum Doctorem citat, solùm ait, debere defendi ab illis, qui negant, humanitatem Christi habere propriam existentiam in Verbo; attamen hunc dicendi modum docent Cabrera 3. p. q. 2. art. 9. disp. 2. Bernal disp. 12. & ex nostris P. Vulpes hic disp. 21. art. 1. & 2. addit Ioan. de Lugo disp. 11. sect. 1. quòd licèt de facto alia actione humanitas fuerit producta ab actione, qua vnio accepit esse, de possibili tamen non implicat, eadem actione simul produci. Alij docent, hunc terminum formalem fuisse qualitatem quandam absolutam, supernaturalem, ex dono, & gratia Dei collatam humanitati Christi, & vocatur gratia vnionis, quæ mediante natura vnitur Verbo, ità Gabriel in 3. d. 1. q. 2. art. 1. & in p. d. 30. q. 4. art. 2. Alij personalitatem Verbi, Alij naturam humanam, ita Vasq. disp. 29. c. 2.

Commu-

Cõmunior asserit, vnionem ipsam, ita Suarez disp. 8. sect. 3. & hos tres dicendi modos probabiles iudicat Ioan. de Lugo disp. 11. sect. 2. iuxtà varia nomina, quibus hoc Misteriũ exprimitur, & cõsideratur, nã vt dicitur productio, habet pro termino vnionẽ hypostaticam; vt dicitur assumptio, incarnatio, cõmunicatio, naturam humanam; at si appellaretur impersonatio, seù hypostasis communicatio, personalitatem Verbi.

41 Dico primò; in Incarnatione prȩter humanitatẽ aliquid de nouo fuisse factum, quod quidẽ non fuit illa qualitas absuluta, sed vnio. Est cõmunis, & docetur à Scoto in 3. d. 1. q. 1. Prima pars, quòd prȩter humanitatem aliquid aliud sit factum, prob. cõtra Baconum, & alios, quia illud idem fuit in Incarnatione productum, in qua humanitas tempore non prȩcessit ad vnionem cum Verbo, quod fuisset productum, si tempore præcessisset in se suppositata, & postea fuisset Verbo vnita; sed in hoc casu aliquid aliud fuisset de nouo productum, ergo etiam in Incarnatione, vt iam fuit facta, aliud prȩter humanitatem fuit productum; maior prob. quia sicut modò natura humana dicitur hypostaticè, & substantialiter Verbo vnita, subsistens subsistentia increata, ita etiam talis esset, si Incarnationem humanitas præcessisset in se suppositata; min. prob. humanitas anteà non diceretur vnita Verbo, post Incarnationem esset vnita, ergo aliquid nouum reale produceretur, prob. conseq. quia non fit transitus de contradictorio in contradictorium, nisi sit aliqua mutatio realis in extremis, vt ostendit Scotus in 4. d. 16. q. 2. Aliter non esset ratio, cur magis nunc vna pars contradictionis est vera, quàm alia, ergo si humanitas priùs non diceretur vnita, & postea esset vnita, aliqua mutatio realis deberet interuenire inter extrema, non in Verbo, quia nequit mutari, ergo in humanitate. præcipuè quia hæc denominatio est intrinseca humanitati, non extrinseca;

42 Dices, sufficere variationem temporis, sicut cũ Princeps determinat v.g. monetam aliquam hodie esse tanti valoris, cras verò minoris, vel maioris, moneta cras dicetur mutata solùm propter temporis variationem; sic Deus pro tempore A voluisset humanitatem non vnitam, pro tẽpore B vnitam. Vel mutatio in casu esset, nõ quia humanitas aliquid de nouo acquireret, sed quia aliquid amitteret, scilicet propriam subsistentiam.

43 Contrà primam respons. quia exemplum non est ad propositum, nam valor in moneta est quædam extrinseca denominatio, ab actu voluntatis Principis deueniens, & ideò non fit mutatio realis in moneta, ac vnio in humanitate est denominatio realis intrinseca; tùm quia poterat Deus etiam pro tempore B velle humanitatem non vnitam, ergo si voluit vnitam, aliquid aliud præter humanitatem, & Verbum fuit à Deo volitum. Contrà secundam, quia amissio propriæ subsistentiæ non denominat humanitatem hypostaticè Verbo vnitam, sed solùm non in se subsistentem, ergo aliquid aliud requiritur de nouo reale, à quo dicatur vnita Verbo; tùm quia si ab aliquo supposito creato, vel à Patre, & Spiritu Sancto fuisset illa humanitas assumpta, esset sine propria subsistentia, nõ tñ diceretur Verbo vnita, ergo amissio propriæ subsistentiæ nõ est ratio denominãdi humanitatem Verbo vnitam; vide in Phys. disp. 5. q. 9. & in Log. disp. 8. q. 3.

44 Secunda pars, quòd tale nouiter productum non sit qualitas absoluta, est Scoti in 3. cit. & prob. per hoc nouiter productum humanitas fuit relatione denominata, scilicet vnita Verbo, ergo non fuit qualitas, antec. patet, quia vnio respicit aliud; conseq. prob. quia absolutum non nisi absolutè denominat. Tùm quia poterat hæc qualitas conseruari in humanitate separata à Verbo, quia cum esset quid absolutum, solùm dicet ordinem inhærentiæ ad subiectum, scilicet ad humanitatem, non autem ad Verbum, sed hoc est falsum, quia sic humanitas diceretur simul vnità, & separata. Quapropter quod de nouo fuit productum, debuit esse quid relatiuum, quo humanitas diceretur formaliter Verbo vnita, & talis est ipsa vnio; an autem sit simplex relatio prædicamentalis, vel modus substantialis intrinsecè includens relationem transcentalem ad Verbum, dicam q. seq.

45 Contrà primam partem instari potest; sicut humanitas vnita est Verbo, ità Verbum humanitati, ergo si in Verbo nihil fit de nouo, neq; in humanitate. Tùm 2. anima, & corpus se ipsis immediatè vniuntur, & causant totum, sed vnio humanitatis ad Verbum, est huic similis ex Patribus, ergo &c. Tum 3. terminus actionis vnitiuæ est Verbum fieri hominem substantialiter, sed hoc non est nisi indiuisio in esse personali, ergo &c.

Resp. ad 1. neg. paritatem, & conseq. quia inter vnita necessariò vna, vel duplex vnio intercedere debet, duplex, si ambo extrema intrinsecè vnita dicuntur, vna, si vnum intrinsecè, & aliud extrinsecè, vt est in proposito, nam Verbum dicitur extrinsecè humanitati vnitum ex dictis disp. præced. n. 46. Ad 2. neg. maior ex dictis in Phys. disp. 5. q. 8. art. 2. vbi contrà Nominales ostendi, materiam, & formam vniri ad constituendum compositum, non medio accidente absoluto, sed media vnione, quæ requiritur vt nexus partium, & præcedit constitutionem compositi; vbi etiam eorum argumenta sunt soluta. Ad 3. est verum assumptum de termino totali, non de formali, nam nequit intelligi illa indiuisio in persona, nisi propter vnionem hypostaticam in personalitate.

46 Dico secundò, hanc vnionem non fuisse factam eadem actione, qua fuit humanitas producta, sed diuersa. Hæc conclusio prob. ex his, quæ habet Scotus in 4. d. 10. q. 1. B. vbi contrà D. Thomam ostendit mutationem, quæ est transubstantiatio, non posse terminari ad substantiam corporis Christi in Eucharistia, & ad præsentiam localem eiusdem sub speciebus panis, ex hoc medio, quia substantia corporis Christi est simpliciter alia, & prior locali præsentia, ergo nequit eadem mutatio ad hæc duo terminari, quia vnius mutationis per se vnus est per se terminus, & ita quicquid est per se aliud ab illo termino, & per se posterius eo, licèt sit per accidens idem cum eo, non habet esse per illam mutationem; quæ doctrina adamussim applicatur in proposito, quia humanitas Christi est simpliciter prior, & alia simpliciter ab vnione hypostatica, quæ est relatio, & cõsequenter posterior simpliciter suo fundamento, ergo vnio nequit accipere esse per actionem, per quam humanitas producitur. Tùm quia Scotus in 3. d. q. 1. ad 4. loquens de actione, quæ est incarnare, ait, quòd ipsi correspondet ex parte naturæ passio, quæ est vniri, vel assumi, & concedit, quod natura assumpta patitur, & est in potentia; subinfero, ergo natura respectu actionis vnitiuæ, quia est in potentia, & patitur, habebit rationem subiecti per Scotum, ergo non accipit esse per illam actionem, quia subiectum præsupponitur actioni, non fit eadem actione.

Accedit ratio, quia corpus, & anima sũt priores natura Christi humanitate, quia causant ipsam, humanitas est prior natura vnione, quia illã fundat; anima ex sui natura propriè creatur, corpus, & humanitas nequeũt propriè creari, nã semper supponunt concursum materiæ, & creatio excludit omnẽ cõcursum subiecti, vel partis præsuppositæ, vt dixi in Phys. disp. 2. q. 7. art. 2. in fine, & in lib. de Gen. disp. 5. n. 27. & 28. cum Scoto 2. d. 18 § *Contra istum motiuum*, & 4. d. 1. q. 1. ad 4. vnio etiam, cum sit relatio ex dicendis, essentialiter pendet ab humanitate, vt à fundamento, ergo implicat, hæc omnia fieri eadẽ actione, prob. conseq. quia ex diuersitate specifica terminorũ infertur specifica distinctio actionũ; tũm quia eadẽ actio esset creatiua animę, generatiua humanitatis, & vnionis, & tamẽ generatio in ratione productionis est specie à creatione distincta.

47 Respondet Vulpes, actiones distingui ex terminis in ordine ad agentis creatũ, cuius virtus est limitata, nõ verò in ordine ad Deum, cuius virtus, cũ sit infinita intẽsiuè, & extẽsiuè, formalissimè erit formatiua corporis organici, creatiua animæ, vnitiua partiũ, productiua humanitatis, eiusdẽq; Verbo vnitiua. Addit deinde, quòd actio in Deo fũdamẽtaliter sũpta est ipsa virtus omnipotẽtię, quę, cũ sit formaliter vna, & virtualiter multiplex, potest eadẽ esse ratio referendi ad totũ quoddã cõpositũ ex parte de nihilo creatũ, & ex parte formatũ ex presupposito subiecto; formaliter verò accepta est sola extrinseca denominatio sũpta à reali terminatione depẽdẽtię effectus pducti, modò homo assũpt⁹ fũdat simultaneã depẽdẽtiã ad Deũ terminatã.

48 Sed prima responsio, prӕterquãquòd infringit doctrinã Scoti in 4. cit. cõtrà D. Thomam; imò apertè aduersatur Scoto, nã Scotus propositionẽ illã de actionũ diuersitate penès diuersitatem terminorũ assumit in ordine ad omnipotentiã diuinã; improbatur adhùc, quia sequeretur, Deũ omnia producere actione eiusdem rationis; & si omnia simul produceret, quia est eadem virtus formaliter, vnica actione produceret, quod est falsum, quia, vt dicebam, eadẽ actio esset in pluribus speciebus. Tũm quia, & est impugnatio alterius responsionis; in presenti, cum quęritur, an eadem actione producatur humanitas, & vniatur Verbo, nõ est sermo de actione fũdamẽtaliter accepta, scilicet de omnipotẽtia, quis enim negabit esse eadẽ? impertinẽs enim esset hęc quęstio, oẽs enim concedunt, vnicã formaliter esse omnipotẽtiam diuinam omnia possibilia respiciẽtẽ; sed est sermo de actione formaliter sũmpta, quæ in Deo est extrinseca denominatio à reali terminatione dependentiæ creaturæ desumpta in doctrina Scoti; tunc sic, nõ eadem dependentia dependent corpus, anima, & humanitas Christi, & ipsius vnio ad Deum, sed omninò diuersis, quia depẽdentia ad Deũ per Scotũ in 2. d. 1. q. 5. est realiter idẽtificata creaturę, & consequenter quia nequit eadẽ omninò relatio idẽtificari realiter cũ pluribus realiter inter se distinctis, licèt simul sint, & producãtur, diuersę omninò erunt depẽdentiæ, ergo diuersæ quoq; terminationes, ergo diuersæ actiones. Negat Vulpes primam conseq. fundamentaliter, quia duæ illę dependentię, vel plures à parte rei non sunt naturaliter subordinatæ, nisi ordine naturæ negatiuo in casu, nõ positiuo, similiter duę illę terminationes ex parte Dei. Sed iam dixi, nõ esse sermonẽ de actione fundamẽtaliter accepta, sed formaliter, quæ necessariò est multiplex ad multiplicationem dependentiarum, nam terminatio sumitur à respicientia rei depẽdẽtis, & quia Deus formaliter dicitur agere ista terminatione, si eadem esset respectu omnium, tunc producẽdo terram v. g. diceretur etiã producere omne ens creatũ, quod est falsum. Insuper falsũ est, dependẽtias illas esse solùm ordine naturæ negatiuò subordinatas, imò ordine positiuò, quia res, cum quibus identificantur, positiuè ordine naturę sũt inter se ordinatæ, licèt omnes sint in eodẽ instanti temporis, nã vna naturaliter præsupponitur alteri; vide Scotũ cit. in 4. vbi omnes rationes, quas adducit contra D. Tho. possunt contra hanc sententiam formari.

49 Accedit principaliter; quòd productio humanitatis respicit totã Trinitatem, vnio hypostatica respicit solum Verbum, ergo nequeunt esse formaliter eadem; Neq; dicas, hoc esse secundùm diuersas formalitates; Etenim cum istæ formalitates respiciãt terminos diuersos, etiam formaliter, & ad inuicem non se habeant vt actus, & potẽtia, non possunt vnam per se entitatem constituere. Verum est tamen, quod mos est apud Recentiores, entitates rerum, & modorum ex variis formalitatibus, & conceptibus cõstituere ad modum pulmenti gallici absq; vlla per se connexione. Tùm quia ex ista opinione sequitur, B. Virginẽ physicè attigisse vnionẽ hypostaticã, & animã Christi, quia fuit physicum principium productionis humanitatis Christi, quæ productio est eadẽ cũ vnione, & animæ productione per Aduersarios; quod est falsũ, vt infra.

50 In oppos. arguit Vulpes 1. ex Scoto 3. d. 2. q. 3. vbi docet, quòd verius est affirmare, in eodẽ instãti temporis fuisse corpus organizatũ, animatũ, & totũ resultãs hypostaticè Verbo vnitum, quàm ponere, actionẽ præuiã præcessisse incarnationi, quia sic magis saluatur, quòd B. Virgo fuerit verè mater Dei, ergo eadem actione fuit humanitas producta, & vnita, aliter B. Virgo nõ fuisset mater Dei, sed ipsius actio ad purum hominem fuisset terminata. Tùm 2. potest Deus hominem aliquem de nihilo creare, & in instãti sine prę-uijs alterationibus, & dispositionibus, aliter nõ supernaturaliter, sed naturaliter produceret illum hominem, scilicet successiuè, & secundùm naturæ cursum; in hoc casu licèt corpus, anima, & tota humanitas producerentur, non tamen distinctis actionibus, sed vnica tantùm, quia nõ separatim, sed simul illa omnia producit, ergo idem in subiecto misterio dicendùm. Tùm 3 quod agens creatum pluribus actionibus subordinatis circa plures terminos distinctos, sed subordinatos ad vnum totalem terminum, producat suum effectũ vltimũ, & totalem, pendet ex limitatione propriæ virtutis, ergo quia Deus est infinitæ virtutis, potest omnia vnica actione pducere. Tùm 4. incarnatio est actio diuinæ omnipotentiæ de facto terminata ad Christum simpliciter Deũ hominẽ, ergo de facto fuit productiua simpliciter assumpti hominis vsq; ad vnionem cũ Verbo. Tùm 5. ex Scoto in 4. d. 10. q. 4. poterat Deus ante incarnationẽ Eucharistiã instituere, ita vt sub speciebus panis, & vini contineretur totũ id, quod modo tàm ex vi verborum, quàm per cõcomitãtiam continetur, sed in illo casu corpus Christi ex vi actionis sacramentalis simul acciperet absolutũ esse existẽtiæ, & esse relatiuũ sacramẽtalis prӕsentię, & nõ pluribus actionibus distinctis, quarũ vna dicat ordinẽ prioritatis ad alterã, ergo idem in incarnatione dicendum.

51 Sed istę rationes laborãt in æquiuoco, nã ex hoc, quòd illæ actiones fiunt in eodẽ instanti tẽporis, infert Vulpes identitatẽ in essentia, quod quidẽ, an sit rectè illatum, quilibet etiam rudis ingenij, poterit iudicare; hinc ad 1. dico, Scotum ibi solum asserere, verius esse,

organi-

organizationẽ corporis nõ præcessisse animationẽ, nec istam præfuisse incarnationi, quod quidẽ concedo, sed nego conseq. quia in eodẽ instanti tẽporis fuerunt illæ oẽs actiones, quæ necessariò requirũtur ad productionem hominis; ex quo nõ sequitur, B. Virginis actionẽ fuisse ad purũ hominem terminatã. Ad 2. cõcedo etiã, Deum posse in instãti creare hominẽ, sed essent in illo instanti plures actiones, scilicet vna creatiua materiæ, altera generatiua corporis pro altera parte, quod cum sit cõpositũ, propriè nequit creari, vt dixi, altera creatiua animæ, & tandẽ altera generatiua hominis; & nimis ineptè ex hoc deducitur, Deum naturaliter, & nõ supernaturaliter producere hominẽ. Per idẽ ad 3. virtus illimitata Dei facit, quòd simul exeat in oẽs actiones, quas agẽs creatũ successiuè operatur, nõ tñ quòd vnica actione omnia producat. Ad 4. si incarnatio sumitur pro toto processu productionũ, quæ fuerunt in illo instanti, verum est antecedens, sed vt sic incarnatio nõ est vnica actio formaliter, sed quid aggregatum ex pluribus actionibus; at si sumitur pro formali actione vnitiua, sic terminatur ad solã vnionem, præsupponẽs alias actiones ordine naturæ, quibus corpus, anima, & humanitas fuerunt productæ. Ad 5. in casu non eadem actione Corpus Christi acciperet esse absolutũ, & esse sacramẽtalis presẽtiæ, sed omninò diuersa ex Scoto ibi q. 1. vnde falsa est minor, cum probatione. f. quòd si diuersis actionib⁹, ergo vna alterã præcessisset, nã arguitur ex simultate tẽporis ad idẽtitatẽ actionũ in essẽtia.

52 Secundò adhùc potest instari ex Leone 1. epist. 2. ad Iulianũ; *Natura nostra nõ priùs creata, quàm assũpta, sed ipsa assumptione creata;* & Fulgẽtio de Incarnat. c. 3. *Ipsa acceptio carnis, fuit cõceptio virginalis.* Aliàs etiam authoritates adducit Bernal. Tùm 2. si humanitas præsupponitur vnioni vt existẽs, & nõ simul vnita, & producta, etiam in instanti naturæ, tunc B. Virgo nõ produxisset Deum, sed purũ hominẽ, imò humanitas esset etiam subsistens, nam vt præexistens, vel pẽdet à Verbo, vel nõ, si primũ, ergo est vnita, & nõ preexistit, si secundũ, ergo subsistit. Tùm 3. eadem actione calor producitur, & subiectò vnitur, ergo idem in presenti. Tãdem ideo anima rationalis subsistit, quia creatur à Deo, ergo si creatio, & actio productiua priùs terminaretur ad humanitatẽ existẽtẽ, nulla esset hæc ratio.

53 Resp. ad 1. Patres solùm contrà hæreticos asseruisse, humanitatem Christi non fuisse priùs tempore productã, quàm assumptam, vnde solùm indicarũt simultatem tẽporaneam, non autẽ formalem identitatẽ actionum. Ad 2. neg. sequela, quia instantia naturæ ex dictis in Log. disp. 9. q. 2. art. 1. non explicãtur per verbum est, sed per verbũ intelligi, vnde in primo instanti naturæ nõ debet dici humanitas nõ vnita, & nõ pendens à Verbo, sed nõ intelligitur vnita, & pendens à Verbo, & consequenter non debet dici purus homo in se subsistens. Ad 3. neg. assumptũ ex dictis in Phys. disp. 2. q. 7. art. 3. contrà Suarez, vbi ostendi, eductionẽ, & vnionem esse distinctas actiones cum Scoto 4. d. 13. q. 1. N. quamuis necessariò cõnexas; Deinde negatur paritas, nã actio eductiua caloris fit cũ cõcursu subiecti, ideoq; potest dici vnitiua, at actio, qua fit humanitas, non fit cum concursu Verbi, ideoq; debet esse distincta ab vnione. Ad 4. anima potiùs creatur, quia ex se est subsistens, idest nõ depẽdẽs à subiectò sed quicquid sit de hoc, neg. cõseq. quia adhùc vt aliquid creatur, nõ necessariò debet esse subsistens incõmunicabiliter, vt patet de anima; præterquamquòd humanitas Christi non fuit creata, sed supernaturaliter producta.

54 Sed cõtrà expositionem allatam authoritatibus Patrũ adductis instat Bernal; quia si solùm Patres intẽderent illis locutionibus simultatem temporaneam actionum, nõ autem identitatem realem, iam locutiones illæ essent eiusdem rationis cum ista, *Petrus ambulatione videt, & visione deambulat,* eòquia simul videt, & deambulat, quæ locutio est impropriissima; hinc licèt hæc sit vera, *Iustitia Dei est Misericordia*, non tamen ista, *Deus iustitia miseretur, & misericordia punit.* Accedit, quòd ista propositio, *Humanitas est ipsa assũptione creata*, adducitur etiam à D. Aug. in lib. contrà Serm. Arrianorũ c. 8. vbi pro ratione illam reddit, ad ostendendũ humanitatẽ Christi ex gratia, nõ ex meritis præuijs fuisse assumptam, eòquia fuit ipsa assumptione creata, hæc tñ ratio nõ conuincit, nisi intelligatur de identitate reali, nã simultas temporis nõ obuiat, quia meritũ sufficit, vt natura præcedat præmiũ, ergo ex hoc, quòd in eodẽ instanti tẽporis fuerit humanitas Christi producta, & assumpta, nõ sequitur, fuisse assũptam ex gratia, quia in instanti naturæ præcedente assumptionem poterat elicere actum meritorium.

55 Resp. oẽs illas propositiones, & locutiones in sensu cõcomitãti esse veras, sicut ista propositio, *Generatio vnius est corruptio alterius*, est vera nõ solùm causaliter, vt ait Bernal, sed etiam præcisè in sensu cõcomitanti; Ratio autẽ, cur Patres ita sint locuti, est, quã sæpè insinuauimus, .f. quòd in confutandis hæresibus excessiuè loquuntur ad oppositã partem inclinantes; cum igitur intenderent repellere errorem Eutichetis asserentis, humanitatem Christi priùs tẽpore extitisse, deinde Verbo vnitam, idcircò hanc tẽporaneã simultatem, & concomitantiã ita explicarunt, vt quasi viderentur inferre identitatem realem harum actionum. Quod addit de D. Aug. nõ vrget, quia ibi D. Aug. intendebat ostendere, Christũ nũquam fuisse filium hominis præcisè, & nõ Dei, hoc autem nõ fuisset verũ, si meritũ præcessisset, quia vt dixi disp. præced. q. 1. subsistẽtia præcedit actiones, quare si ante vnionẽ humanitas Christi elicuisset actũ meritoriũ, fuisset in se subsistẽs, & cõsequenter nõ filius Dei, sed hominis tãtùm; hinc maiori ratione D. Aug. asseruit humanitatẽ assũptione creatã, vt ostenderet præcessionẽ vnionis in ordine ad elicitiones actuum. Quapropter nomina ista, *creatio, assumptio, susceptio, &c.* verbaliter sunt explicanda, quo sensu dant intelligere simultatem temporis, ac si dicatur, *Deus creando assumpsit, & assumendo creauit*, quæ propositio est verissima, sicut ista alia, *Petrus videndo ambulat, & ambulando videt.*

56 Tertiò arguit idem; humanitas pẽdet à Verbo, vt à sustentante, ergo productio humanitatis pendet à Verbo, tãquã ab extremo vnibili, ergo est essentialiter vnio cũ Verbo; antec. patet; prima cõseq. prob. quia si productio nõ pẽderet, ergo neq; terminus .f. humanitas, nã quod cõuenit productioni vt Quo, cõuenit humanitati vt Quod, sic quia creatio est indepẽdẽs à subiectò vt Quo, creatũ erit indepẽdẽs vt Quod, ergo à pari idẽ de depẽdẽtia à supposito dicẽdũ; altera cõseq. patet, quia quod pẽdet à Verbo, vt extremo vnibili, est vnio. Tùm 2. entitas, quæ naturaliter est in alio, per eandem actionem, qua fit, vnitur cum illo, vt patet in accidente, et si supernaturaliter est in se, per eandam actionẽ fit, & existit supernaturaliter per se, ergo entitas, quæ naturaliter existit in se, si supernaturaliter est in alio, vt est humanitas in Verbo, eadẽ actione fit, & existit in alio, seù illi vnitur; antec. prob. quia eductio formæ à subiectò est realiter actio, & passio, & conse-

quenter est in subiecto vt Quo, ergo receptio formæ in subiecto, ergo frustra ponitur alia vnio. Tum 3. creatio v.g. Michaelis est propria subsistentia ipsius, quia est productio independens à supposito alieno, ergo vt creatio, animæ, & productio humanitatis Christi non sit subsistentia, debet pendere à supposito Verbi, ergo est essentialiter vnio, antec. prob. quia subsistentia reddit naturam Michaelis independentem vt Quod à supposito alieno, ergo ipsa est independens vt Quo, sed creatio est taliter independens, ergo est formaliter subsistentia; min. prob. creatio est independens vt Quo à subiecto, quia nec attingit, nec potest attingere subiectum, sed nequit adhuc attingere alienum suppositum, ergo est vt Quo à supposito independens; quod etiam patet de subsistentijs diuinarum personarum, quæ formaliter sunt ipsarum productiones. Tum 4. data hac opinione melius saluatur, B. Virginem fuisse matrem Dei, eoquia suo influxu per se attigisset humanitatem, quæ ex vi suæ productionis debebat vniri Verbo, vbi in sententia opposita per accidens generasset Deum hominem, quia accideret productioni humanitatis vnio ad Verbum. Tandem ex Cabrera: humanitas fuit assumpta eadem actione, qua Christus fuit genitus, quia ex assumptione humanitatis resultauit Christus, sed Christus fuit genitus productione humanitatis, nam eadem actione fit humanitas, & suppositum, quia actiones sunt suppositorum; tùm quia Christus includit intrinsecè naturam, & suppositum, ergo humanitas fuit assumptione producta; alia argumenta leuioris momenti adducit Hurt. disp. 34. sect. 2.

57 Resp. neg. primam conseq. ad probat. nego iterum sequelam, & ad probat. concedo assumptum, vt patet in exemplo creationis, non tamen est verum oppositū, scilicet quod conuenit humanitati vt Quod, debeat conuenire productioni vt Quo, nam humanitas est dependens ab omnibus causis vt Quod, non tamen productio est talis vt Quo, quia per productionē humanitas solùm pendet ab efficiente, vt dicitur in Phys. Ad 2. neg. antec. quò ad primam partem, cum sua probat. quia vt ostensum est in Phys. disp. 2. q. 7. art. 3. eductio distinguitur ab vnione formæ cum subiecto; quamuis secunda pars sit vera, quia in nostra sententia, vt forma per se existat, nō indiget nouo perseitatis modo ex dictis in Phys. disp. 2. q. 3. art. 3. & disp. 3. q. 4. art. 2. ideò negatur conseq. Ad 3. neg. antec. cum probat. & cum probatur, nego minorem subsumptam, quia creatio est vtrique sua ratione formali independens vt Quo à subiecto, attamen in ordine ad suppositum nec est dependens, nec independens, quia potest esse, & cum vnione alieno supposito, & cum carentia vnionis, in qua consistit secundùm nos subsistentia; tùm quia creatio potest stare absque aliqua subsistentia, vt patet in creatione animæ, quæ tamen non subsistit. Paritas de subsistentijs diuinis non currit, quia productiones illæ sunt relationes substantiales incommunicabiles, quod non conuenit productionibus creatis, quæ secundùm nos sunt relationes accidentales; tùm quia relationes diuinæ non dicuntur subsistentes, quia productiones sunt, aliter productio actiua Spiritus Sancti esset incommunicabilis, sed quia sunt talis naturæ. Ad 4. ex dicendis infrà, ratio maternitatis Dei saluatur, eòquia in eodem instanti actio ipsius fuit terminata ad hominem Deum, quamuis non attigerit physicè ipsam vnionem; & hoc sufficit, nec requiritur maior influxus, quia nec est possibilis. Ad vlt. quicquid dicat Hurt. concedo maiorem, loquendo de Christo cathegorematicè sumpto, & vt est terminus totalis resultans ex actione vnitiua, in quo sensu nego min. vt inadæquatam, quia sicut Christus non est sola humanitas, ita non productus fuit sola humanitatis productione, & ad probat. respondeo, in creatis verum esse, eadem actione fieri naturam, & suppositum; quia suppositum creatum dicit naturam cum illa duplici negatione; at in Christo est falsum, quia sicut suppositum Christi præter naturam dicit subsistentiam Verbi, ita præter productionem naturæ requiritur actio vnitiua; propositio autem illa, actiones sunt suppositorum, iam fuit explicata disp. præced. q. 1. præterquamquòd solùm asserit, actiones esse suppositorum, vt à principijs, non tamen ait, semper debere terminari ad supposita.

58 Dico 3. terminum formalem Incarnationis varium esse iuxtà varias termini formalis acceptiones. Prob. & explicatur simul, nam terminus formalis quandoque sumitur pro termino adæquato, quomodo sumpsit Scotus quol. 2. O. & 1. d. 13. K. & X. loquendo de productionibus diuinis, & in hoc sensu terminus formalis erit Christus, qui est adæquatus terminus resultans. Quandoque sumitur pro illo termino, secùndùm quem terminus adæquatus accipit esse simpliciter, siuè accipiat esse per eandem actionem, siuè præsupponatur actioni, & in hoc sensu accepit Scotus 1. d. 5. q. 2. F. & sic terminus formalis in præsenti erit humanitas ipsa, quia est ratio, cur Verbum accipiat esse simpliciter, & humanum: humanitate enim Christus formaliter est homo. Quandoque sumitur pro eo, quod immediatè accipit esse per actionem; & sic loquendo de termino formali actionis vnitiuæ, erit vnio ipsa in humanitate producta; & quoniam incarnatio absolutè hanc actionem significat, idcircò terminus formalis incarnationis est vnio. Quandoque sumitur pro termino, ad quem respectus terminatur, tanquā ad aliud extremum; quo sensu si loquimur de vnione, & assumptione reali passiuè acceptis, terminus erit Verbum, quia assumptio, vnio, communicatio sunt idem respectus realis in humanitate fundatus, & ad Verbum terminatus; at si sumuntur, vt dicunt respectum rationis in Verbo, sic terminus formalis erit humanitas. Ex his concordantur varia dicta Doctorum.

59 Cæterùm solet hic quæri à Doctoribus, qui sit fuerit terminus à quo huius actionis. Verùm hic terminus solùm interuenit, quando actio est simul cum mutatione reali, & hæc reperitur, quando subiectum tempore præcedit sub priuatione formæ ex dictis disput. 15. Phys. q. 2. modò humanitas nunquam fuit sub priuatione vnionis, quæ habet rationem termini ad quem, & acquiritur hac actione vnitiua; nisi velis dicere, priuationem vnionis præcessisse ordine naturæ priuatiuo, de quo dixi in Log. disp. 9. q. 2. art. 1.

Quæstio Quinta.

Quid sit vnio hypostatica.

60 Hæc quæstio manet soluta ex dictis in Phys. disp. 5. q. 9. eadem enim difficultas ferè est, ac de vnione in communi, sicut enim Recentiores docent, vnionem materiæ, & formæ esse modum quendam substantialem, absolutum quidem, sed includentem in suo conceptu formali rationē transcedentalem

ad

ad partes vnitas; pariformiter de vnione hypostatica asserunt, esse modum substantialem, partim absolutum, & partim relatiuum, quo natura humana hypostatice, & substantialiter vnitur Verbo.

61 Dico tamen, vnionem hanc non esse modum substantialem, sed relationem realem, non mutuam, non æquiparantiæ, sed disquiparantiæ, non intrinsecùs, sed extrinsecùs aduenientem, & ad prædicamentum habitus reducibilem; ita ex professo Doctor 3.d. 1. q. 1. I. Quòd non sit modus substantialis, potest primò probari ex hoc, quòd implicat, eandem entitatem secundùm proprium, & adæquatum conceptum esse simul absolutam, & respectiuam, vt vniuersaliter ostendi in Log. disp.8.q.2.de omni relatione transcendentali, quòd non possit esse de essentia alicuius absoluti. Secundò probari etiam potest, quia est superfluus, nam non inseruit ad saluandam substantialitatem vnionis, aut ad terminandam actionem agentis, aut ad fundandam nouam relationem vnionis relatiuæ, vt in Phys. loc. cit. demonstraui.

62 Sed adhùc probari potest ratione speciali; nam aduersarij ponunt plures modos, vnum in corpore, alium in anima Christi, quibus corpus, & anima sunt hypostaticè vnita Verbo, differunt tamen, an humanitas postea habeat modum aliquem specialem, quo immediatè vniatur Verbo; nam aliqui negant, vt Altisiodorensis 3. lib. 1 summæ tract. 1. c. 1. q. 2. qui ait, illos duos tantùm sufficere; alij verò, vt Suarez disp. 17. sect. 5. & Ioan. de Lugo disp. 12. sect. 5. concedunt, adduntq; hunc modum resultare ex illis partialibus modis inter se vnitis per alium modum; sed hæc omnia sunt falsa; nam primum sustineri nequit, quia, vt disp. 4. q. 2. ostendam, humanitas priùs natura fuit Verbo vnita vnione ad hypostasim, quàm partes, ergo debet habere propriam vnionem; tùm quia humanitas est, quæ propriè habet subsistentiam, ergo ipsa propriè vniri debet, & immediatè, non ratione partium, quia per istam vnionem immediatè tollitur subsistentia; tùm quia in triduo partes adhùc erant Vebo vnitæ, & non humanitas, ergo vniones partium non possunt esse rationes formales vniendi naturam humanam; & tandem, quia vniones partium sunt alterius rationis ab vnione humanitatis, quia partes sunt entia incompleta, humanitas ens completum, vt disput. cit. dicetur.

63 Neq; secundum asseri potest; tùm quia si humanitas fuit primò vnita, quàm partes, & vnione alterius rationis, hæc vnio non potuit resultare ex vnionibus partialibus. Tùm quia si vnio animę ad Verbũ intrinsece est partialis, & respicit non solùm Verbum, cui animam vnit, sed etiam alteram vnionem partialem corporis, sicut actus respicit potentiam, iam intrinsecè, & essentialiter ad duos terminos diuersos referretur, quod est falsum. Tùm quia tàm vnio animę, quàm vnio corporis essent formaliter, & intrinsecè vnitæ, ergo non per vnicam vnionem, sed per duas, & quæro de istis alijs, an vniantur ad inuicem, an verò remaneant separatæ, si secundum, ergo non daretur vnica vnio totalis, qua vniatur anima, vnde sisti poterat in primis vnionibus; si primum, ergo vnirentur alijs vnionibus, & sic processus in infinitum; prima conseq. probatur, quia vt fusè probaui in Phys. disp. 5. q. 10. non sufficit vnica vnio, quando ambo extrema intrinsecè vniuntur, sed est geminanda in vtroque, vide ibi.

64 Deinde, quòd ista vnio sit relatio realis, patet à sufficienti diuisione; tùm quia extrema vnita, in eo quòd vnita sunt, & dicuntur, non sunt ad se, sed ad aliud, quia implicat, intelligere rem vnitam, & non alteri vnitam, ergo vnio erit quid relatiuum, & quidem reale, nam à parte rei, & non per opus intellectus vniuntur humanitas, & Verbum. Neq; est relatio mutua; quia vt dixi disp. præced. n. 46, Verbum nõ fundat relationem realem ad humanitatem. Neq; est æquiparantiæ, seu quòd habeat fundamentum eiusdem rationis in vtroq; extremo, sed disquiparantiæ, nam ratio fundandi vnionem in humanitate est communicabilitas, & ratio terminandi in Verbo est incõmunicabilitas. Neq; est intrinsecùs adueniens, sed extrinsecùs, quia licèt nunquam humanitas fuerit nõ vnita Verbo, attamen poterat existere non vnita, & consequenter hæc vnio non insurgit positis extremis in rerum natura; & tandem est in prædicamento habitus, quia vt loc. cit. dixi, & etiam in Log. disp. 8. q. vlt. agenon de hoc prædicamento, vnio realis in nullo alio prædicamento collocari potest, præterquàm in vltimo, vbi non reponuntur denominationes ab habitu, & vestitu prouenientes, vt falsò putat Vulpes disp. 11. art. vlt. sed omnis realis habitio, & vnio plurium rerum; & quamuis in prædicamento habitus solùm mentionem feci de vnione per informationem, non ob id alias exclusi, sed quoniam illa est manifestior.

65 Multipliciter insurgunt Aduersarij contrà nostram conclus. & primò, quia relatio noua nequit aduenire nouiter alicui extremo, nisi propter aliquid de nouo adueniens in vno extremorum, quod sit fundamentum proximum illius relationis, hinc Arist. 5. met. 10. negauit, ad relationem esse per se motum, & actionem, ergo vt humanitas fundet relationem vnionis, aliquid in ipsa præexigitur, aliter daretur relatio sine ratione proxima fundandi. Neque dicas, assumptum esse verum de relatione intrinsecùs adueniente, quæ nequit propria acquisitione acquiri, non verò de extrinsecùs adueniente, quæ potest per se primò terminare actionem agentis. Non valet, quia licèt admittatur hoc assertũ de aliquibus relationibus extrinsecùs aduenientibus, non tamen est verum de omnibus, aliter quia relatio extrinsecùs adueniens constituit sex prædicamenta, ad ista sex daretur per se motus, & tamen solùm inter ista sex ad Vbi admittitur per se motus; cum igitur hæc vnio nullo modo spectet ad prædicamentum Vbi, sed ad prædicamentum Habitus, ad quod non est per se motus, hæc vnio non erit propria acquisitione acquisibilis, sed ad acquisitionem alterius, & tale erit modus quidam substantialis.

66 Resp. ex Scoto hìc, assumptum vniuersaliter verificari de relatione intrinsecùs adueniente; neq; datur relatio sine ratione proxima fundandi, nam extremum secundùm suam entitatem proximè fundat illam relationem, sicut per aduersarios, quia ille modus in vno tantùm extremo ponitur, adhùc in altero extremo fundatur relatio sine aliquo nouiter adueniente. Ad impugnationem iam dixi in Phys. d. 15. q. 6. art. 4. naturaliter loquendo solùm ad Vbi inter respectus extrinsecùs aduenientes dari per se motum, non ad Habitum, eo quia habitiones aliarum formarum non per se intenduntur, sed formæ ipsæ vnitæ, at supernaturaliter propter istam hypostaticam vnionẽ, quæ per se primò fieri potest, posse dari per se motũ; nisi velimus dicere, hanc vnionem non per se primò intendi, sed Verbum vnitum naturæ. Vide ibi.

Secundò,

67 Secundò, subsistentia est modus substantialis naturæ intrinsecè terminans naturam absolutam, ergo si in humanitate Christi hic modus fuit præuentus, debuit tribui alius modus incompossibilis, quo substantialiter Verbo coniungatur. Tùm 2. extrema huius vnionis non sunt relatiua, ergo nec vnio, antec. prob. quod dependet ab alio, solùm quia vnitur illi, vt sit in se, non est relatiuum, quod est ad aliud, non in se, humanitas est vnita Verbo, solùm vt sit subsistens, ergo &c. Tùm 3. extrema relationis sunt distincta; ista sunt vnita, ergo &c. Tùm 4. secundùm Scotum quol. 5. relatio non dicit perfectionem, hæc vnio dicit maximam perfectionem, ergo &c. Tùm 5. ista vnio potiùs facit aliud, quàm ad aliud, quia Deus dicitur homo, & homo Deus, non ad Deum, vel ad hominem.

68 Resp. ad 1. solùm sequi ex præuentione subsistentiæ, quòd debuit tribui alia subsistentia, qua subsistat, talis est subsistentia Verbi, cui media vnione vnitur. Ad 2. sunt relatiua, non quò ad esse proprium, sed vt subsunt relationi vnionis; cum dicitur, quòd humanitas vnitur, vt subsistat, in se, nego, in alio concedo, ergo non facit ista vnio ad aliud, nego. Ad 3. ad relationem solùm requiritur distinctio extremorum, quæ stat cum vnione, vt patet de materia, & forma, non verò separatio. Ad 4. assumptum Scoti valere de relationibus diuinis, non de creatis. Ad vlt. speciale huius relationis vnionis esse, quòd faciat aliud per prædicationem in recto, vt patet, cum paries dicitur albus, loquendo in terminis concretis, non abstractis, & cum hoc, quòd faciat adhuc ad aliud, nam paries dicitur albedini vnitus, & è contrà, sic dicimus, homo est Deus, & est Deo vnitus, & ad Deum per vnionem refertur.

69 Tertiò arguunt ex hoc, quòd vnio ista est substantialis, & substantialiter vnit extrema, quod non posset præstare, si esset mera accidentalis relatio. Tùm quia vnio est de ratione vniti, ergo cum vnitum sit substantiale, vnio nequit esse relatio accidentalis, quia nullum accidens præexigitur, & est de essentia substantiæ. Et tandem, quia in decima Synodo collat. 8. c. 4. negatur expressè, hanc vnionem factam esse secundùm relationem.

70 Sed huic rationi fusè satisfeci in Phys. disp. 5. q. 9. vbi ostendi, vnionem non dici substantialem, vel accidentalem, quia in se sit accidens, vel substantia, sed quia accidentaliter, vel substantialiter vnit extrema, modò hæc hypostatica vnio substantialiter vnit naturam humanam cum Verbo, vt in seq. quæst. dicetur, idcircò quamuis sit accidens, attamen substantialis dici debebit; quod quidem ipsi aduersarij tandem coguntur concedere, vt Vasq. disp. 18. n. 29. & Ioan. de Lugo disp 11. sect. 4. videlicet ad hòc vt vnio substantialis dicatur, sufficere, vt extrema tali vnione substantialiter vniantur, licèt sit in se accidens; vide in Phys. cit. vbi banc doctrinam multis exemplis confirmaui, & plures obiectiones dilui. Similiter ad aliud, quòd vnio sit de essentia compositi, seù termini resultantis responsum est disp. cit. phys. q. 12. art. 2. vbi ex professò exagitatur hæc difficultas, vide ibi, nè eadem bis repetantur. Tandem ad authoritatem, sæpe dictum est, Sanctos Patres in confutandis erroribus per excessum esse locutos, vnde in proposito solùm contra Nestorium determinare intendebant, hanc vnionem non fuisse impropriam, vt asserebat impius Nestorius, qui solùm admittebat relationẽ vnionis personæ Verbi ad personam Christi secundùm affectum, inhabitationem, operationem, dignitatem, & authoritatem; non autem intendebant definire, hanc vnionem esse formaliter substantiam. Sic quia hæretici nostri temporis negant veram, & propriam continentiam Corporis Christi in Eucharistia sub speciebus panis, & vini, sed asserunt contineri, esseq; præsens vt in signo, vel figura, aut virtute, in sacro Concil. Trid. sess. 13. can. 1. habetur hæc determinatio, *Si quis negauerit in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri, verè, realiter, & substantialiter corpus, & Sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi; ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodò esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit;* & tamen nemo dicet, hanc continentiam formaliter esse substantiam, quamuis Concilium doceat, esse substantialem, nam sensus est, quòd sit vera, propria, ac realis; vide disp. 4. q. 3. n. 34.

Quæstio Sexta.

Qualis sit hæc vnio, seù an sit substantialis, essentialis, naturalis, & omnium maxima.

71 EXplicata quidditate vnionis, remanent declaranda quædam ipsius attributa. Et primò, an dici possit substantialis; innuimus enim quæst. præced. ex disp. 5. phys. q. 9. vnionem non dici accidentalem, aut substantialem, quia sit accidens, vel substantia, sed quia si est inter extrema, quorum vnum saltim est accidens, vel si ambo sunt substantiæ, non tamen vniuntur sub ratione substantiali, sed accidentali, vt motor, & mobile, tunc vnio erit accidentalis; at si est inter extrema substantialia substantialiter vnita, vt sunt materia, & forma, quæ per se dicuntur vniri, eò quia materia est per se potentia, forma per se actus, idest ex suis rationib' formalibus sunt per se vnibiles, vnio erit substantialis, sic docet Scotus 4. d. 43. q. 1. C. loquendo de vnione animæ, & corporis.

Aliqui Theologi, inter quos citatur Dur. 3. d. 6. q. 4. quamuis concedant, hanc vnionem factam fuisse in vnitate personæ, nolunt tamen, illam vocare substantialem, sed accidentalem, eòquia fuit facta ex duobus entibus in actu completo, nec vnum se habuit vt per se actus, alterum vt per se potentia; & videtur opinio Doctoris, dum d. 6. q. 1. docet, Christum esse vnum per accidens.

72 Verùm communis Theologorum asserit, vnionem hanc dici debere substantialem; ità Scotus 3. d. 7. q. 1. § *Quintò videndum*, & habetur expressè in multis Concilijs determinata, præsertim in Concil. Later. sub Martino 1. consid. 5. can. 6. *Si quis secundùm Sanctos Patres non confitetur propriè, & secundùm veritatem naturarum substantialem vnionem indiuisè, & inconfusè in eo cognitam, condemnatus sit;* idem habetur in alijs Concilijs, & apud Patres. Accedit ratio, quia extrema huius vnionis sunt substantiæ, scilicet natura humana, & Verbum; deinde non vniuntur sub ratione aliqua accidentali, sed substantiali; nam quicquid pertinet ad modum per se essendi substantiæ, dici debet ratio substantialis ipsius, subsistentia est huiusmodi, quoniam licèt sit formaliter quid negatiuum, attamen spectat ad complementum per se essendi, cum

per

per subsistentiam natura incommunicabiliter existat, quia ratione, vt dictum est disp. præced. q. 1. conuenit naturæ, antequàm adueniat ipsi aliquod accidens; igitur si subsistentia est ratio, cur natura per se completè existat, qui est modus peculiaris per se essendi substantiæ, iam actuabilitas naturæ, & actuatio subsistentiæ erunt quædam rationes substantiales, & consequenter natura humana, & Verbum substantialiter vniuntur, scilicet sub ratione substantiali, eò vel maximè, quòd perfectiùs natura humana actuatur per subsistentiam diuinam, quæ est entitas positiua.

73 Nec refert, quòd sint duo entia completa, quia natura est completa vtique in esse essentiæ, & existentiæ, non tamen subsistentiæ. Neq; etiam vrget, quòd non se habeat Verbum vt actus, & forma informans; nam vt docet Doctor 1.d.8.q.4 X. & 3. d. 1.q.1.art.1. forma in creaturis habet duplicem habitudinem, primam, quòd sit pars informans, & hæc dicit imperfectionem, secundam, quòd ipsa sit, qua aliquid est tale, & hæc non dicit imperfectionem; Verbum in hoc secundo sensu dici potest actus naturæ humanæ. Et tandem Scotus non ait absolutè, vnionem hanc esse accidentalem, sed solùm, quòd Christus dici potest vnum per accidens Logicè, & accidente prædicabili, non metaphysicè, & accidente prædicamentali, & quòd de Christo possunt formari propositiones per accidens Logicè, vt dixi supra n. 26. & patebit amplius infra disp. 5.

74 Secundò quæri solet, an possit dici essentialis; cui affirmatiuè respondet Vasq. disp. 17. c. 3. & Ioan. de Lugo disp. 11. sect. 4. eòquia sic fuerit appellata à Nanzian. epist. 1. ad Cledonium post principium; Dam. 3. de fide c. 3. Ildelphonso in lib. contra eos, qui disputant de perpetua Virginitate Sanctæ Mariæ, & alijs. Negatiuè respondet Doctor 3. d. 7. q. 1. D. & rationabiliter quidem, eòquia vnio essentialis in rigore significat vnionem plurium constituentium vnam essentiam, naturæ autem humana, & diuina non ita inter se vniuntur ex dictis q. 2. contrà Iacobitas, & alios Hæreticos. Patres autem citati, quia arguebant contrà Nestorium, declinarunt in modo loquendi ad aliud extremum, & solùm per vnionem essentialem intellexerunt veram, & realem vnionem, prout ab impropria vnione per affectum, & inhabitationem contradistinguitur. Cum igitur hæc propositio, *vnio hypostatica est essentialis*, sit ambigua, & in vno sensu sit falsa, & damnata, vel absolutè negari debet, vel saltem nunquam proferri sine debita explicatione, quod etiam obseruarunt illi Patres.

75 Tertiò, hoc etiam modo philosophandum erit, cum Patres hanc vnionem naturalem appellarunt, vt Petrus Diaconus in lib. de Incarnat. & gratia Christi c. 3. Maxentius in confess. suæ fidei, Fulgent. lib. 3. ad Trasimundum c. 15. imò Concil. Alexandr. in epist. approbata in Concil. Ephes. anathematismo 3. & sexta Synodus act. 11. in epist. Sophronij, & act. 13. non enim intellexerunt dici naturalem, quia factam in natura, sed quia veram, & realem.

76 Verùm in alio sensu solet inter Catholicos controuerti, an vnio hypostatica sit naturalis Christo. D. Tho. q. 2. art. 12. docet, vnionem posse dici naturalem Christo vt homini dupliciter, primò, quia prouenit à principio intrinseco ipsius Christi, scilicet à natura, non quidem humana, sed diuina; secundò, quia fuit coæua ipsi naturæ humanæ ab instanti Conceptionis; sequuntur Thomistæ, & ex Recentioribus Suarez in comm. illius art. & Ioan. de Lugo disp. 12. sect. 4.

77 Attamen istæ acceptiones sunt prorsùs impropriæ; nam vel loquimur de ipso Christo cathegorematicè sumpto, seù vt vnum ens, & suppositum est in natura diuina, & humana subsistens, vel de ipso sincathegorematicè accepto, & secundùm partes, seù secundùm humanitatem, vel diuinitatem; si primo modo sumitur, vtiq; posset dici hæc vnio naturalis Christo, non quidem, quia sit ratio, & vltima forma substantialis constituens Christum in sua naturali existentia, vt ait Vulpes disp. 11. art. 9. etenim vnio nec cõstituit Christum, nec est forma substantialis ipsius, ex dictis n. 21. sed quoniam est quid præuium, & prærequisitum ad constitutionem Christi, & in hoc sensu dicetur naturalis, hoc est, quia necessariò præexigitur ad proprium esse, sicut vnio animæ cum corpore dicetur naturalis homini.

78 In secundo verò sensu, scilicet in ordine ad partes, quomodò controuerti solet, nullo modo propriè dici debet naturalis, nam vt in Phys. disp. 6. dictum est, naturale dici potest de principio actiuo, & passiuo, vt de primo dicitur, solet opponi supernaturali, vel libero; hæc vnio in ordine ad diuinam naturam non potest dici naturalis, vt opponitur libero, quia producta fuit à voluntate, quæ est libera, neq; vt opponitur supernaturali, quia illud erit hoc modo naturale, quod agit iuxtà cursum rerum naturalium, at natura diuina producendo vnionem non agit iuxta exigentiam, & naturas rerum, sed suprà omnem naturam, & consequenter erit agens supernaturale. Neq; dicas cũ Ioan. de Lugo, hanc vnionem esse naturalem, non supernaturalem, quatenùs non excedit vires illius. Nam sic impertinens esset hæc distinctio in ordine ad naturam diuinam, respectu cuius nullus effectus dici potest supernaturalis, cum sit infinita, & omnipotens. In ordine verò ad naturam humanam adhuc erit supernaturalis, quia non habet talem facultatem producendi hanc vnionem. Si verò est sermo de principio passiuo, quale est humana natura, quia forma in ordine ad tale principium dici solet, vel naturalis, vel violenta, vel neutra, patet ex dictis disp. præced. hanc vnionem respectu humanitatis non esse naturalem, sed neutram. Et hoc totum confirmari potest ex D. Aug. 13. de Trin. c. 19. *In rebus per tempus ortis summa gratia est, hominem fieri Deum*. Et quamuis in Enchiridio c. 40. dicat, *In humanæ naturæ susceptione fit quodammodò ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum possit admittere peccatum*; ibi loquitur non de gratia vnionis, vt benè aduertit Vulpes cit. sed de gratia habituali, de qua suo loco dicetur, quomodò sit naturalis Christo.

79 Tandem circa vltimam quæsiti partem, an scilicet hæc vnio sit omnium maxima; est duplex dubitatio, an sit omnium vnionũ maxima in ratione vnionis, vel in ratione oĩm; primo modo ex multiplici capite potest hæc vnio hypostatica dici maxima, sicut hæc vnionis maioritas variè accipi potest, vndè varij modi à Doctoribus assignantur. Potest enim dici maxima, vel quia terminatur ad Verbum, quod est magis vnum, quàm quodlibet aliud ens creatum; vel dignitate, aut perfectione, vt ait Scotus 3. d. 6. q. 1. ad 1. quia vnit substantialiter ens increatum, & infinitum cum natura humana, quæ etiam est ens perfectum, & completum, quod à nulla alia creata vnione habetur; vel in inseparabilitate, iuxta illud Dam. *Quod semel assumpsit nunquam dimisit*; vel in intelligibilitate, quia est Sacramentum absconditum, mirabile, & inenarrabile;

vel

vel in communicatione idiomatum, nam per hanc vnionem fit perfecta idiomatum cômunicatio, quod ab alijs vnionibus non præstatur, licèt namq; quando duo accidentia vniuntur in eodem supposito, fiat hæc idiomatum communicatio, non tamen est ita perfecta, quia album, & dulce v.g. ad inuicem prædicantur adiectiuè, at Deus, & homo media hac vnione prædicantur substantiuè; & aliquo istorum modorum intelligi debent Patres, cum aiunt, hanc vnionem esse maximam post vnionem Trinitatis, vt Bern. lib. 5 de considerat. ad Eugen. Leo serm. 17. de pass. Cirill. lib. de Incarnat. Vnigeniti c. 7.

80 Solùm dubitari potest, an sit maxima omnium vnionum, si consideretur in ordine ad id, quod resultat, quod est vnum ens; nam licèt vnio non denominet vnum, sed vnitum, & consequenter non respiciat terminum resultâtem, qui potiùs dicitur vnus ab vnitate, sed partes inter se vnitas; attamen negari nequit, quin vnio sit necessariò præ requisita, vt ex pluribus inter se distinctis resultet vnum tertium; quod nunquam fiet, nisi priùs illa plura inter se vniantur; quapropter etiam hæc vnio poterit cum alijs vnionibus conferri ex hoc capite, quæ comparatio stat in hoc, quòd illa diceretur maior vnio, ex qua resultat magis vnum.

81 Durandus in 3. d. 5. q. 3. negat, in hoc sensu vnionem istam esse omnium maximam, non solùm quia vnio diuinarum personarum cum essentia diuina est maior, sed etiam quia vnio materiæ, & formæ in creatis est etiam maior, nam ex istis resultat vnum in essentia. Ex alia parte affirmat Suarez disp. 9. sect. 1. & ex nostris Faber disp. 8. & Vulpes disp. 11. art. 7. non faciunt tamen isti Doctores comparationem cū vnione personarum in diuina essentia, quia potius dicuntur vnum, quam vnitæ propter summam identitatem realem, sed cum alijs vnionibus creatis.

82 Verùm ista vnio ex hoc capite, non solùm erit minor vnitate personarum in Trinitate, sed etiam aliqua alia vnione creata; prima pars prob. quia vnio est plurium coniunctio, & vbi adest coniunctio aliqualiter distinctorum, ibi datur vnio, cum igitur in diuinis essentia, & personalitas distinguantur formaliter, & constituant maximè vnum, ibi erit vera vnio; ita colligitur ex Scoto 4. d. 46. q. 3. ad 2. & in 2. d. 16. q. vn. K. hinc Doctor in 3. d. 6. q. 1. ad 1. negat, hanc vnionem esse maximam ex priuatione distinctionis, quia est maxima hîc distinctio naturarum, & consequenter vnio illa, quæ priuat distinctione reali inter extrema, erit secundùm Scotum maior vnio; hanc quoq; comparationem fecit D. Bern. cit. Secunda pars prob. illud est maximè vnum, quod nō solùm est vnum supposito, sed etiam numero, specie, genere, & essentia, seù definitione; sed Christus, qui est terminus, ex hac vnione non est huiu modi, imò dici potest vnum per accidens logicè; Verum Scoto ostendi supra n. 26. at Petrus v.g. qui ex vnione animæ, & corporis resultat, habet illas omnes vnitates, ergo &c.

83 Resp. Vulpes, vnitatem essentiæ in Petro esse minorem vnitate personæ Christi, nam Christus est persona simplex, Petri verò essentia est composita. Contrà, vnum prima sui diuisione diuiditur in vnum per se, & vnum per accidens, ergo illud erit magis per se vnum, quod magis recedit ab vno per accidens, sed essentia Petri magis recedit, eòquia nullo modo dici potest ens per accidens, neq; metaphysicè, neq; logicè, Christus verò saltim logicè dici potest vnum per accidens, ergo &c. Tum quia vbi plures vnitates scilicet generica, specifica, vel numerica, ibi maior vnitas, in essentia Petri sunt plures vnitates, quàm in persona Christi, ergo &c. Neq; obstat, quod Christus sit persona simplex, essentia vero Petri sit composita; nam illa simplicitas infert maiorem vnitatem, quæ excludit distinctionem realem vnitorum, quæ verò ex ludit solùm imperfectionem compositionis, vt est ista in Christo reperta, non necessariò arguit maiorem vnitatem; ratio est, quia quòd aliqua realiter distincta se habeant vt per se actus, & per se potentia, potius auget perseitatem vnitatis, quàm destruat; vnde videmus, quòd in composito accidentali, quia partes non se habent, vt per se actus, & per se potentia, minuitur vnitas.

84 Resp. Faber, assumptum esse verum de vnionibus excludentibus distinctionem, qualis est vnio materiæ, & formæ, ex qua fit vnum in natura nullam includens distinctionem, at loquendo de vnionibus includentibus distinctionem, vnio hypostatica est maxima, quia includit distinctionem naturarum, & facit vnum in persona. Sed hæc responsio friuola est, quia, quælibet vnio includit distinctionem extremorum, aliter extrema non dicerentur vnita, sed vnum; tùm quia sicut vnio hypostatica includit distinctionem naturarum, & facit vnum in persona, sic vnio animæ, & corporis includit distinctionem partium, & facit vnū in natura, & essentia; non enim est vera opinio Fabri, quòd partes in composito transeant in tertiam entuatem, vt ostendi disp. 5. Phys. q. 11. art. 2.

85 Resp. Suarez, ex hoc argumento solùm sequi, Petrum habere plures vnitates, quàm Christum, attamen cōparatio fieri debet inter vnionem hypostaticam, & quamlibet aliam, vnde concedit, Petrum esse magis vnum extensiuè, quia plures habet vnitates, at Christum, ait, esse magis vnum intensiuè, quia sua personalis, & hypostatica vnio est maior qualibet alia propter simplicitatem extremorū; nam & in Angelis reperitur hæc vnio naturæ, & subsistentiæ, & quò actus est perfectior, & simplicior, cæteris paribus, quale est Verbum, eò perfectiùs, & intimiùs coniungitur alteri extremo. Hæc quoq; responsio non soluit argum. hoc enim probatur, ex hypostatica vnione vt sic non resultare magis vnum, quàm ex vnione partium essentialium, quia maior est vnitas essentiæ resultantis, quàm vnitas suppositi, vt suppositum est, quia ex natura, & subsistentia non fit vnum definitione, & conceptu quidditatiuo, quæ est maior vnitas excogitabilis, vt fit ex vnione partium essentialium; Nec quia Verbum est simplicius, idcircò sequitur, maximè vniri, hoc enim potest separari ab illo; nec quia vnio naturæ, & subsistentiæ reperitur in Angelis, ideò est maior; nam etiam reperitur vnio ex subiecto, & accidente, quæ tamen est longe minor. Hunc nostrum dicendi modum amplectitur Centinus disp. 5. q. 2.

86 Circa secundam dubitationem, est opinio Dur. in 3. d. 2. q. 1. Riccardi, & aliorum asserentium, vnionem beatificam excedere in ratione doni hypostaticam. Communis tamen opinio Theologorum docet, hypostaticam excedere in ratione doni omnem aliam vnionem, etiam beatificam, & gratiam ipsam habitualem.

Scotus in 3. d. 2. q. 1. ad 1. duo dicit; Primum est, vnionem beatificam, & hypostaticam esse alterius rationis, & consequenter magis propriè loquendo neutram esse altera maiorem; quæ doctrina fundatur in

dicto

dicto Arist. 7. Phys. 31. vbi ad rectam comparationem inter alias conditiones requisitas, recenset istam, quòd scilicet extrema, quæ ad inuicem comparantur, sint eiusdem speciei specialissimæ, nam in genere, inquit, multæ latent æquiuocationes; vel saltim, vt addunt expositores, id, in quo fit comparatio, debet esse eiusdem rationis, quamuis extrema sint genere diuersa; cum igitur hæ duæ vniones sint omninò alterius rationis, rectè Scotus ait, non esse propriè comparabiles.

87 Secundum, quod docet, est, quòd hypostatica excedit beatificam quantùm ad actum primum, beatifica excedit hypostaticam quantùm ad actũ secundùm, & consequenter hypostatica est simpliciter perfectior omni alio dono supernaturali; quod etiam confirmat in 4. d. 49. q. 2. E. prob. ex illo D. Pauli Hæbr. 1. *Tanto melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit, cui enim Angelorum dixit, filius meus es tu;* & est sermo de dignitate Christi propter hypostaticam vnionem; adest ratio, quia hypostatica spectat ad complementum substantiæ, & ad esse primarium, beatifica ad complementum potentiarum in ordine ad operationes, & ad esse secundarium; hypostatica coniungit humanitatem Deo secundùm substantiam, beatifica vnit potentiam Deo obiectiuè, & accidentaliter; hypostatica est radix omnis meriti, & sub ipsa cadit gratia, beatitudo, & omnia supernaturalia dona, vnde & si nò habeat necessariam connexionem, absolutè loquendo, cum gratia, & vnione beatifica, habet tamen maximam congruitatem, vt ipsam comitentur gratia, omnia dona supernaturalia, & vnio beatifica, non è contrà, quod est signum maioris perfectionis, dignitatis, & excellentię suprà alia; vnde Christo homini propter hanc vnionem debetur summus honor, Hæbr. 1. *Et adorent eũ omnes Angeli eius;* accedit etiam authoritas D. Aug. et omniumq; Patrum acclamantium misteriũ istud Incarnationis tanquam manifestatiuum omnium attributorum Dei, hinc ob sui magnificentiam singulare est.

88 Attamen quia vnio beatifica spectat ad operationem, & actum secundùm, erit melior secundùm quid, quia apprehenditur vt vtilior, & conformior nostro appetitui, quàm vnio hypostatica præcisè sumpta absq; vnione beatifica, atq; adeo vnio beatifica fortè magis eligeretur ab homine, quàm hypostatica sine beatitudine, quę enim vtilitas humanitatis assumptæ, si omne eius desiderium non esset expletum per vnionem beatam, quamuis hypostatica sit longè pręstantior? sic Philosophia longè præstat diuitijs, & tamen pauper magis appetit ditari, quàm philosophari quoduis esse melius est non esse, at damnati magis appetunt non esse ob actum displicentem, & pœnalem.

89 Contra argu. ex D. Aug. tract. 10. in Ioan. c. 38. & lib. 6. de Sancta Virginitate habetur, maius esse concipere Deum mente, quàm ventre, si hæc ad inuicem separarentur, ergo maius est vniri Deo mente per gratiam, quàm hypostaticè in persona. Tùm 2. dignius est, quod solùm naturæ rationali communicari potest, quàm quod etiam irrationali cõferri potest, sed hypostatica, vt infrà dicetur, etiam irrationali naturæ potest conuenire, beatica verò solùm rationali, ergo &c. Tùm 3. beatitudo est summum nostrum bonum, & consistit in vnione beatifica. Tùm 4. Gratia habitualis sanctificat formaliter animã, hypostatica ex vi sua non est huiusmodi secundùm Scotum cit. Tùm 5. per hypostaticam vnionem humanitati confertur sola relatio vnionis, quæ est minimæ entitatis, at vnio beatifica cõsistit in actu vitali, qui est qualitas supernaturalis, sicut & gratia. Tandem perfectiùs homo vnitur Deo visione beata, quàm vnione hypostatica, prob. quia vnione hypostatica, licet substantialiter vniatur, nunquã tamen euadit ipsemet Deus per idẽtitatem realem, sicut euadit per visionem beatam, eòquia potentia intelligendo obiectum, identificatur realiter cum obiecto, vt docet Thomistæ in lib. de anima, iuxtà vulgatam Auerrois propositionẽ ex potentia, & obiecto fieri magis vnum, quàm ex materia, & forma.

90 Resp. ad 1. neg. conseq. nam concipere Deum mente, vel ventre non vnit hominem Deo substantialiter, sed accidentaliter per gratiam, & extrinsecè, vt causam actiuam suo effectui. Ad 2. antec. nõ esse vniuersaliter verum, quia perfectiones simpliciter sunt communes rebus alijs perfectionibus includentibus imperfectionem, ratio substantiæ magis patet, quàm ratio corporis, & tamen est perfectior. Ad 3. Beatitudo obiectiua, qui est Deus, est sũmum bonum, beatitudo formalis est vltimum bonũ, quò ad actum secundùm, ideoq; vt sic excedit hypostaticam, absolutè tamen hypostatica est dignior, quia cõmunicat humanitati summũ bonum substãtialiter, & perfectiùs. Ad 4. secundùm Scotum gratia ex ordinatione diuina sanctificat, non ex sui natura, & dato, quòd vi sua sanctificaret, attamen hæc sanctificatio est quid accidentale, quatenùs reddit hominem Deo gratum, & acceptum ad vitam ęternam, at vnio hypostatica sanctificat substantialiter, quia communicat humanitati personam Verbi, quæ est ipsa sanctitas, & de lege ordinaria est causa sanctificationis per gratiam, & vnionem beatam. Ad 5. maior perfectio vnionis in ratione doni nõ debet attendi penès entitatẽ propriam, sed penès id, quod vi illius vnionis donatur, modò in beatitudine donatur Deus, & tota Trinitas obiectiuè, & extrinsecè, at per vnionem hypostaticam communicatur persona Verbi, & mediatè ipsa Deitas substantialiter. Simile quoq; argumentum fieri solet de Eucharistia, per quam non vni naturæ, sed pluribus cõmunicatur Christus Deus, & homo, attamen non quò ad actum primum, & substantialiter, sed accidentaliter secundùm sacramentalem præsentiam. Ad 6. iam in libris de anima disp. 4. qu. &c. & seq. ostendi, quàm sit falsa illa opinio, & propositio Auerrois; imò quàm sit ridicula, eòquia sequeretur, intellectum fieri bouem, asinum, equum, & stabulum, dum hæc omnia intelligit.

Disputatio Tertia.

De extremis huius vnionis hypostaticæ.

INcarnatio ex hucusq; dictis fuit actio quædam diuina vnicns naturam humanam cum persona diuina Verbi, & immediatè ad vnionem fuit terminata, quæ cum sit relatio, consequenter ipsius cognitio maximè pendet ex cognitione extremorum; idcircò cũ extrema sint natura assumpta tanquàm fundamentũ, & persona diuina vt terminus, priùs de termino agemus, posteà de fundamento, ex quibus magis innotescet, quod disp. præcad. de hac vnione fuit determinatum.

Quæstio Prima.

Quæ sit ratio terminandi in Verbo vnionem hypostaticam, vbi an essentia diuina possit terminare.

1 SVpponendum est ex tract. de Trin. quamlibet personam diuinam duo includere, essentiam cum omnibus attributis, & relationem originis, quæ verè rationem subsistentiæ habet (loquor de relationibus constitutiuis, non de spiratione actiua, quæ cómunis est Patri, & Filio) constituens personam in esse personæ, & incommunicabilis omninò. Insuper supponendum, in diuinis præter tres subsistentias relatiuas dari subsistentiam absolutam cóu nientem essentiæ in eo priori signo, in quo præconcipitur relationibus; quæ subsistentia non est eiusdem rationis cũ subsist ntia personarum; sed solùm dicit existentiam alicuius naturæ vltimò actuatæ, & completæ omnem excludentis potentialitatem, & dependentiam, nec potentis recipere de nouo vlteriorem perfectionem, quia quicquid aduenire intelligitur, iam in ipsa radicaliter includebatur, & consequenter nequit essentia diuina concipi vt actuabilis, & perfectibilis, & si communicatur personis, hoc non prouenit ex indigentia, sed ex plenitudine propriæ fæcunditatis & infinitatis; hinc non habet solùm rationem Quo, sed rationem Quod, nam hic Deus concipitur vt indiuiduum Deitatis omninò completum, antequàm communicetur personis; ideircò hæc subsistentia, & modus per se essendi, non constituit essentiam in esse incommunicabili. Nequit tamen conuenire naturæ creatæ subsistentiali, antequàm supponitur, nam licet in illo priori existat, & non in alio, non tamen ita existit, vt in vltima actualitate, & completa concipiatur, quia compleatur per aduenientis suppositum, & communicatur ex indigentia propriæ potentialitatis, & dependentiæ, est etiam vt sic communicabilis alieno supposito, & consequenter dependens secundùm potentiam obedientialem; vnde natura creata, præscindendo à supposito, non habet rationem Quod, qua ratione communiter dicitur, Verbum hunc hominem nó assumpsisse, sed hanc humanitatem.

2 Hoc supposito, quærimus in præsenti rationem formalē immediatā, qua Verbū hanc vnionē terminare dicitur, & potest etiam moueri quæstio de possibili.

De facto est vna extrema opinio, quam sequuntur Varro 3.d.1. q. 2. & Dur. d. 2. asserens, rationem formalem immediatam terminandi hanc vnionē in Verbo fuisse essentiam diuinam secundùm subsistentiam absolutam; addit Dur. adhùc Verbū specialiter fuisse incarnatum, propter specialem vnionem humanitatis Verbo factam. Alia extrema cómunis apud Doctores docet, hanc rationem fuisse personalitatem Verbi, nullo modo essentiam, nisi mediatè, & secundariò. Tertia media ait, Verbum secūdùm vtrumq; scilicet essentiam, & personalitatem terminasse primò hanc vnionem, citantur Ocham, Capreolus, Aluarez, Soto, Victoria, & alij; licet interse aliqualiter differant. De possibili verò, Alensis 3. p. q. 2. mem. 3. & q. 7. memb. 1. art. 3. D. Bonau. d. 1. art. 1. q. 3. & d. 5. art. 1. q. 4. quos præsertim sequitur Vasq. 3. p. disp. 28. Hurt. disp. 16. & Ioan. de Lugo disp. 12. sect. 3. negant, posse essentiā diuinā terminare vnionē humanitatis, nó solùm hypostaticā, sed nec aliquā aliam, quia negant omnem subsistentiam absolutam in diuinis, licet Hurt. illam admittat. Opposita opinio est cómunior.

3 Dico primò; essentiam diuinam, vel aliud absolutum non fuisse rationem terminandi immediatam vnionem hypostaticam, neq; totalem, neq; partialem, sed hanc solùm fuisse personalitatem Verbi, essentiam verò solùm mediatè; ità Scotus 3. d. 1. q. 1. & q. 5. Prob. primò authoritate, nam in Concil. Tol. 6. & 11. in principio habentur hæc verba, *Solus Filius assumpsit humanitatem in eo, quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitati* & reddens rationem subdit, *Nã si naturam hominis, Deiq; alteram in alteram confudisset, sola Trinitas corpus assumpsisset, quoniam constat naturam Trinitatis esse vnam, non tamen personam*; quæ est ratio Scoti; idē expresse habet inter alios Patres, quos citat Suarez disp. 12. sect. 2. D. Ansel. lib. de Incar. Verbi c. 4. Secundò prob. à Scoto ratione; in quocunq; supposito est formalis ratio terminandi hãc vnionem, ipsum terminet eam, sed Pater, in quo est essentia diuina, & omne absolutum, nó terminat hanc vnionem, ergo essentia diuina, vel quodlibet aliud absolutum non est ratio terminandi, maior debet intelligi cęteris paribus, si actu, actu, si aptitudine, aptitudine, si potentia, potentia, idest si ratio formalis actu terminat hanc vnionem, suppositum, in quo est, actu terminabit, non tamen quòd vbi est ratio terminandi, ipsum semper terminet, quia sic Filius terminasset ab æterno, & sic intellecta maior prob. suppositum non terminat, nisi quia habet rationem formalem terminandi, cui enim conuenit formalis, & proxima ratio alicuius, illud sibi competit, vt suppositum diuinum creat, quia habet rationem creandi, & quia hæc proxima ratio est in tribus, omnes creant, ergo si essentia est proxima ratio terminandi, omnes terminassent.

4 Dices, proprietatem personalem Filij esse códitionem sine qua non, ideò solum Filium terminasse. Contra ait Scotus, in quo est formalis ratio agendi, & terminandi, & priùs natura, quàm actio, vel terminus sit productus, illud est principium agendi, & terminandi, vt patet in productione Spiritus Sancti, & creaturarum, priùs enim quàm Spiritus Sanctus intelligatur productus, quia præintelligitur voluntas fæcunda, quæ est principium producendi Spiritum Sanctum, in Patre, & Filio, Ideò Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum, & tres personæ creant, quia antequàm creaturæ producantur, intelligitur in eis potentia, & virtus creatrix, quæ est essentia omnipotens, ergo si essentia est ratio terminandi, quia ipsa necessariò priùs est in tribus, quàm fuerit vnio, tres personæ terminant; & sic nihil prohibet proprietas relatiua Filij, quominùs Pater terminet. Tùm quia non est maior ratio de vna proprietate, quàm de alia; vnde vnio poterat etiā fieri ad Patrē, & Spiritū Sanctū, ergo filiatio nó est códitio, sine qua essentia nó terminaret.

5 Dices etiā; diuersimodè essentiā esse in personis, in Patre à se, in Filio à Patre, & in Spiritu Sancto ab vtroq; hinc secūdùm modū essendi, quo est in Filio, est ratio terminādi, ideoq; solus Filius incarnatus. Cōtrà inquit Doctor, relatio realis requirit terminū realē sub ratione terminandi reali, vnio est realis, ergo terminus debet esse realis, & sub modo reali, sed iste modus habēdi essētiā est relatio rationis, quia inter essentiam vt cómunicatā Filio, & vt est ratio cómunicandi seipsam existentē in Patre, est tantùm relatio rationis, aliter

aliter essentia ad seipsam referretur realiter, ergo &c. Tùm quia si Pater fuisset incarnatus, adhuc essentia haberet eundem modũ essẽdi in vtroq; , ergo modus habendi essentiam nõ est ratio, vel cõditio terminãdi.

6 Dices cum Dur. ex vi vnionis præcisæ ad essentiam Verbum non fuisse incarnatum simpliciter, nec alias personas, nisi cum addito, in quantùm sunt hic Deus; at simpliciter Verbum dicitur incarnatũ propter aliam vnionem factam ad ea, quæ sunt propria Verbi. Contrà, quia Patres, & Concilia supra relata vnam tantùm vnionem agnoscunt inter naturam humanam, & Verbum, non duas. Tùm quia saltim vigore vnionis ad essentiam omnes tres personę simpliciter incarnatæ dicerentur sine addito, sicut quia hic Deus est qui creat, valet dicere Pater creat. Tùm quia hanc vnicam vnionem Patres, & Concilia hypostaticam appellant, ergo nullo modo fuit ad essentiam terminata, quia non est hypostasis. Ex quibus patet etiã, essentiam non esse rationem terminandi partialem cũ relatione filiationis, quia cum hæc vnio sit hypostatica, nequit æquè primò terminari ad aliquod communicabile, qualis est essentia; & saltim ex hoc capite alię personæ essent incarnatæ. Quapropter sequitur, totã rationem terminandi fuisse personalitatẽ Verbi, vnde Io. 1. dicitur, *Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis.*

7 Contrà; eo Verbum terminat, quo subsistit, sed subsistit essentia ex Aug. 7. de Trin. Deus à se, idest absolutè subsistit, non relatiuè, ergo &c. Tùm 2. essentia vt in Patre est principium generandi, paternitas est conditio, & tamen non sequitur, Filium generare, ergo essentia vt in Filio erit ratio terminandi, Filiatio erit conditio, nec sequitur, Patrem terminare. Tùm 3. per id Verbum primò terminat, per quod continet perfectionem suppositi creati, huiusmodi est essentia, non personalitas, quia continentia virtualis solùm cõuenit entitati formaliter infinitæ, ergo &c. Tùm 4. persona diuina est res simplicissima, sicut essentia, & simplicia se totis distinguuntur, ergo & persona, & per consequens Verbum secundùm se totum terminat. Tùm 5. filiatio est ratio referendi tantùm ad Patrem, ergo est ratio terminandi habitudinem Patris tantùm, non humanitatis, aliàs eadem relatio bis esset ratio referendi. Tùm 6. Filius non tribuit humanitati esse relatiuum, sed absolutum, nam per vnionem persona Verbi fit suppositum humanitatis, quæ est subsistentia absoluta, non ad aliud, ergo terminat ratione essentiæ, non relationis. Tandem quia rationes adductæ pro conclus. æquè impugnant terminationem mediatam diuinæ essentiæ, nam sicut ex hoc sequitur, Deum fuisse incarnatum, saltim mediatè, ita posset dici, Patrem, & Spiritum Sanctũ, qui sunt hic Deus, mediatè terminasse hanc vnionẽ; & sicut ex hoc, quòd diuinitas est eadem cum filiatione, deducitur, fuisse in Christo, sic idem de Patre, & Spiritu Sãcto dici debet.

8 Resp. ad 1. maior intelligi debet de subsistentia incommunicabili, personali, & relatiua, at D. Aug. loquitur de subsistentia absoluta, & communicabili. Ad 2. neg. paritas, tùm quia Concilia oppositum asserunt de vnione; tùm quia generare est actus notionalis, vnde solùm Patri conuenit, at terminare potest cuilibet personæ conuenire, quare filiatio nequit esse conditio sine qua non; tùm quia hæc terminatio ad essentiam foret quasi essentialis, sicut terminatio dependentiæ creaturæ, & consequenter omnibus personis conueniret. Ad 3. negat Scotus assumptum, sed ideò, ait, Verbum terminare, quia est incommunicabile simpliciter; ratio est, quia continentia virtualis, & aliud esse in potentia obedientiali ad Deum spectat ad causam efficientem, & consequenter toti Trinitati, vnde tota Trinitas operata est Incarnationem, sed solum Verbum terminauit. Ad 4. respondeant Thomistę omnem distinctionem actualem negantes inter essentiam, & personalitatem, quos valde vrget hæc obiectio; sicut & alia, quæ solet fieri, nam secundùm ipsos humanitas existit existentia diuina, quæ cum sit absoluta, & communis toti Trinitati, non videtur posse saluari, quin essentia terminarit immediatè aliquam vnionem humanitatis, & consequenter tota Trinitas; nos autem asserimus essentiam, & filiationem formaliter actualiter distingui, & humanitatem habere propriam existentiam, vt infrà. Ad 5. ratio terminandi non est ratio referendi, quia relatiuum non terminat sub ratione relatiua, sed sub ratione absoluta ex dictis in Logica disp. 8. q. 6. art. 3. ideoq; filiatio potest referre Verbum ad Patrem, & esse ratio terminandi vnionem humanitatis. Ad 6. filiatio formaliter per terminationem dat solùm humanitati incommunicabiliter existere, quæ est ratio absoluta, quia filiatio terminat, vt habet modum absoluti; at concomitanter, & specificatiuè dat quoq; esse relatiuum, quia hic homo Christus dicitur Filius Dei, & Patris, vt dicetur in disp. 5.

9 Ad vlt. neg. assumptum, cum probat. eòquia quæ conueniunt Deitati, vel Deo ratione vnius personæ, non tribuuntur alijs personis; quapropter concedo, Deum, vel Deitatem fuisse incarnatam mediatè, quia verè hę duæ naturæ fuerunt substantialiter vnitæ in eodem supposito; & etiam quia Deitas essentialiter includitur in Verbo, qua ratione speciali modo Deitas est humanitati vnita in Verbo, quàm natura angelica, si fuisset simul cum humanitate assumpta à Verbo; nego tamẽ, Patrem vllo modo, vel per se, vel per aliud dici posse incarnatũ. quia in tantùm est verum, Deum incarnari, quia Deus concernit suppositum Verbi, & in tantùm est verum, Deitatem incarnari, quia Deitas etiam in abstracto, cum sit infinita, habet vnde identificet sibi filiationem, & sic in illa propositione adest causa veritatis in sensu identico; non ita tamen est in ista propositione, Pater incarnatur.

An autem Pater, & Spiritus Sanctus speciali modo sint in humanitate Christi, quanquam non sint ipsi vniti, quàm sint in alijs creaturis. Affirmat Suarez, disp. 12. sect. 1. quod confirmat ex multis Patribus asserentibus, Patrem, & Spiritum Sanctum esse in humanitate Christi propter hanc vnionem hypostaticã, ergo quia hæc vnio est specialis in Christo, pręter præsentiam, qua Pater, & Spiritus Sanctus dicuntur præsentes omnibus creaturis per essentiam, præsentiam, & potentiam, & qua dicuntur per gratiam habitare in iustis, habebunt aliam præsentiam in Christo propter istam vnionem. Tùm quia si per impossibile Pater, & Spiritus Sanctus non essent præsentes omnibus creaturis, adhùc posita ista vnione, aliquo modo dicerentur præsentes humanitati Christi; qua ratione speciali modo dicuntur etiam pręsentes speciebus Eucharistiæ; quarè propter vnitatem naturę omnes personæ sunt præsentes humanitati, sed sola persona Verbi est substantialiter hypostaticè vnita; vide Suarez, hic tamen modus reduci potest ad modum circuminsessionis, de quo in tract. de Trin.

10 Dico secundò, de possibili nõ posse essentiã diuinam terminare vnionem aliquam hypostaticã naturæ humanæ immediatè per suam absolutã subsistẽtiam,

sed benè vnionem dependentię ſitã Doctor 3.d.1.q.1. & d. 5.q. 1. prima pars patet, nam vnio hypoſtatica eſt, qua res alicui incommunicabili vnitur, & per ipſam perſonatur, ſubſiſtentia eſſentię non eſt huiuſmodi. Secunda pars pendet ex cõceſſione illius ſubſiſtentiæ abſolutæ in Deo, per quam conſtituitur indiuiduum Deitatis, ſcilicet hic Deus, quam opinionem nũc ex tract. de Trin. vt veram ſuppono, & fusè eam probant P. Faber in 1. diſp. 26. & P. Vulpes 1. p. diſp. 63. art. 10. nam ſi eſſentia diuina ex ſe verè ſubſiſtit, quia ſcilicet eſt in vltima actualitate, non vlteriùs perfectibilis, poteſt terminare dependentiam oppoſitam iſti independentiæ, vt in ſimili argutum eſt de poſſibilitate Incarnationis; ſed natura humana eſt ſaltim potentialiter dependens dependentia oppoſita, quia ſimpliciter non repugnat, ipſam vlteriùs perfici, & compleri, ergo &c. Accedit, quòd nulla apparet repugnãtia, vt ex ſolutione argumentorum patebit. Nec obſcurè inſinuatur à Concil. Tol. cit. num. 3. vbi hæc vnio cum natura non adducitur vt inconueniens, ſed potiùs vt ratio theologica probabilis.

11 Obijc. primò, Patres, & Concilia non tradunt aliud genus vnionis, niſi in natura, vel in perſona, & ex eo, quòd vnio humanitatis ad Verbum non fuit, nec potuit fieri in natura, concludunt factam fuiſſe in perſona; tunc ſic, hic Deus non poteſt immediatè aſſumere nec ad vnitatem naturæ, quia ex natura diuina, & humana non poteſt vna natura conſtitui, nec ad vnitatem perſonæ, vt patet, ergo &c. Tùm 2. D. Anſel. lib. de Incarn. c. 9. arguens contrà aſſerentes, ſi Verbum incarnatum fuiſſet, neceſſariò ſequi, omnes perſonas fuiſſe incarnatas, air, eos neceſſariò ponere, Incarnationem factam eſſe in natura, ſentiens, non poſſe eſſe aliam vnionem tribus communem, & hanc eſſe impoſſibilem iudicat. Tùm 3. multiplicato ſuppoſito multiplicantur naturæ, quia ſecundùm Scotum nequit eadem natura à pluribus ſimul aſſumi, ſed ſi eſſentia immediatè terminaret, tunc humanitas haberet tria ſuppoſita. Tùm 4. aſſumere naturam eſt ſubſtentare, & ſupplere perſonalitatem creatam, ergo nequit eſſentiæ conuenire, quæ non eſt perſona. Tùm 5. tunc humanitas foret abſq; propria, & aliena ſubſiſtentia, & daretur hic homo à parte rei, qui non eſſet perſona, quod eſt falſum. Tùm 6. ſi in Deo eſſet vnica perſona, vt putant Iudæi, non poſſet hic Deus aſſumere ad ſubſiſtentiam eſſentialem, quin etiam ad perſonalem, ergo & modò. Tùm 7. eſt magis omninò idem perſona diuina cum Deitate, quàm perſona humana cum humanitate, ſed non poteſt aliquid vniri immediatè humanitati perſonatæ, quin etiam immediatè vniatur perſonæ, ergo &c.

12 Reſp. ad 1. vnionem fieri in natura, habere duplicem ſenſum, primò, quòd conſtituatur per identitatem, vel compoſitionem vna tertia natura, ſecundò terminatiuè, quòd ſit terminata immediatè ad naturam; in hoc ſecundo ſenſu eſt vera propoſitio, in primo eſt falſa, quo ſenſu illam Patres impugnant, nam ita intelligebatur ab Hæreticis, & hac ratione propter amphibologicum ſenſum rectiùs dicitur, in hoc caſu humanitatem aſſumi ad vnionem cum natura, vel ad naturam, quàm in vnitate naturæ; ita Scotus d. 1. q. 2. in fine. Ad 2. D. Anſelmum ſolùm inferre primam conſeq. quæ rectè ſequitur, non enim poteſt eadem natura ſimul à pluribus aſſumi, niſi immediatè terminaretur ad naturam, hoc tamen non habet pro abſurdo de poſſibili. Ad 3. aſſumptum valere, quandò ſuppoſitum in ordine ad naturam creatam eſſet primus, & immediatus terminus, quomodò intelligitur Scotus, vt infrà; non verò quando eſt terminus mediatus, & ſecundarius, vt in caſu. Ad 4. aſſumere ad perſonalitatem, & ſubſiſtendum incommunicabiliter ſpectat ad perſonam, at aſſumere naturam ad ſimpliciter ſubſiſtendum eſt ſupplere dependentiã ſubſtentificabilis, & hoc poteſt Deitati conuenire. Ad 5. in caſu humanitas eſſet mediatè cum aliena perſonalitate, immediatè eſſet ſolùm hic homo ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, mediatè eſſet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ad 6. neg. paritas, quia tunc ſubſiſtentia eſſentialis eſſet omninò eadem cum perſonali, at modò ſunt diſtinctę, ideoq; poteſt prima ſe ſola immediatè terminare. Ad 7. eſt magis idem quò ad excluſionem compoſitionis, & quò ad identitatem realem, nõ quò ad ſubſiſtendum, quia Deitas pręciſa perſonalitate ſubſiſtit, non ſic humanitas. Vel dic, quòd accidentia modò vniuntur immediatè humanitati, mediatè verò ſuppoſito, idcirco negatur minor.

13 Secundò, ex Hurt. omnis natura creata eſt ſubſiſtens per creationem, ſubſiſtentia abſoluta eſſentiæ diuinæ non poteſt ſubrogari pro iſta ſubſiſtentia creata, quia hæc eſt productio, & creatio naturæ, ſubſiſtentia autẽ diuina nequit eſſe productio naturæ creatæ, ergo &c. Tùm 2. ſubſiſtentia abſoluta diuinæ eſſentiæ conſtituere habet hunc Deum, ſed hic effectus formalis nequit communicari humanitati, ergo &c. min. prob. humanitas ſeipſa eſt hæc humanitas, & ſolùm per aliquid adueniens ſupereſt, quòd conſtituatur homo; ſed homo nequit conſtitui per ſubſiſtentiam diuinam abſolutam, quia homo conſtituitur ex humanitate, & perſonalitate, & ſubſiſtentia abſoluta nõ eſt perſonalitas, ergo &c. Tùm 3. vt poſſit fieri hæc vnio, oporteret, vt in natura humana ſit aliquod prędicatum ſeparabile, cuius loco ſubrogetur prædicatũ naturæ diuinæ, ſed tale prædicatum non adeſt in natura humana, quia duæ naturæ totales non poſſunt vniri, niſi continuatione, ergo &c. Tùm 4. arguunt alij natura creata cum propria ſubſiſtentia eſt inaſſumptibilis, at vnio ad naturam immediata non excludit ſubſiſtentiam propriam humanitatis, quia hæc eſt vltimus terminus, & perſonalis, qualis nõ eſt ſubſiſtentia diuina abſoluta, ergo hæc vnio eſt impoſſibilis. Tandem vnio ſubſtantialis conſtituit vnum in natura, vel in perſona, nullum iſtorum poſſet hæc vnio conſtituere, & ergo &c.

14 Reſp. ad 1. neg. maior, quia vt ſæpè dixi, creatio etiam eſt rerum non ſubſiſtentium, ſufficit ergo, quòd natura diuina ſit alieno ſuppoſito incommunicabilis, quam incommunicabilitatem non habet natura creata, vt præſcindens à proprio ſuppoſitò, ideoq; poterit à natura diuina terminari. Ad 2. in caſu homo conſtitueretur per humanitatem & ſubſiſtentiam abſolutã, & eſſet adhùc communicabilis mediatè tribus diuinis perſonis, quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus eſſent hic homo, quod ſufficit. Ad 3. patet ex dictis ad 1. Ad 4. neg. min. quia ſubſiſtentia creata excludit omnem communicationem actualem, & conſequenter eſt incompoſſibilis cum iſta vnione, & ſufficit, quòd mediatè communicetur ſubſiſtentiæ incommunicabili. Ad 5. per hanc vnionem conſtitueretur vnum in perſona, non immediatè, ſed mediatè.

Quæſtio

Quæstio Secunda.

An eadem persona, siuè creata, siuè increata possit simul assumere plures naturas; vbi an esset tunc vnus, vel plures homines.

15 Dicendum, posse vnam personam increatam simul plures accipere naturas; non tamen creatam; Prima pars est Scoti 3.d.1.q.3. & est communis omnium; quam Doctor probat; antequàm Verbum assumeret humanitatẽ, alia natura assumptibilis erat, ergo nunc est etiam assumptibilis, prob. conseq. per vnionem naturæ ad Verbum non terminatur dependentia alterius naturæ, nec eius potentia obedientialis est reducta ad actum, nec per vnã vnionem adæquatur potentia terminatiua Verbi assumentis, quia idem terminus potest plures relationes, & dependẽtias terminare, vt patet etiam in creatis, ergo &c. Tùm quia in triduo mortis Christi Verbum vnitum mansit duabus naturis, & substantijs separatis, scilicet animæ, & corpori, ergo potest Verbum duas naturas sibi vnire.

16 Secunda pars, quòd suppositum creatum non possit assumere alias naturas, nisi propriam, videtur esse contra Scotum 3.d.1.q.4. vbi expressè oppositum docet; Attamen est aduertendum, quòd Doctor est problematicus, an subsistentia dicat quid positiuum, vel negatiuum; & sustinendo quid positiuum dicere, potest probabiliter sustineri, suppositũ creatum posse aliam naturam assumere; at sustinendo subsistentiam dicere quid negatiuum, quod tanquã probabilius supra docui, est prorsùs impossibile, talem assumptionẽ fieri à supposito creato, quod prob. ista assumptio nõ fieret in natura, vt patet, sed in persona, sed hoc esset prorsùs impossibile, quia persona vt sic dicit quid negatiuum, & non ens nequit terminare dependentiam entis positiui, quia secundùm Scotũ omnis vnio realis est ad terminũ realem secundùm rationem realem, ita in 3. d. 2. q. 2. E.

17 P. Faber, & si sustineat sententiam de negatiuo, oppositum tamen docet nostræ conclus. disp. 2. vnde c. 5. respondet, neg. min. ad probat. ait, terminum illum vnionis formalem esse duplicẽ negationem, materialem esse naturam singularem, ex quibus integratur vnus terminus totalis adæquatus; nam sicut materia prima, ait, sine priuatione nequit esse subiectum potens recipere formam, per priuationem autem fit formaliter potens, sic in proposito; infra tamen ad 6. declarãs, quomodò potest Verbum supplere suppositum creatum, ait, suppositum creatum, seù modum illum essendi naturæ incommunicabiliter esse aliquid reale, licèt non positiuum, sed negatiuum, & hinc falsum esse, vnionem illam ad nihil terminari.

18 Sed hæc responsio non soluit argum. & in se falsa est; nam primò falsum assumit, materiam scilicet primam constitui formaliter in esse subiecti potentis recipere formam à priuatione, esse enim subiectũ potẽs est quid positiuum, cũ dicat relationem realem ad formam, ergo non constituitur à priuatione; tùm quia priuatio recedit à materia, potentia remanet. Sic in proposito terminare dependentiam naturæ est quid positiuum, quia dicit terminum relationis realis positiuæ, ergo ratio formalis cõstituens naturam creatam in ratione talis termini, nequit esse quid negatiuum. Accedit; quòd illa vnio, quæ esset inter naturam assumptam, & suppositum creatum assumens esset realis ex parte vtriusq; extremi, ergo nequit in negatione fundari, entitas enim positiua naturæ nequit hanc vnionem suppositi fundare, ex Scot. 3. d. 1. q. 5. Insuper falsum est, negationem illam esse aliquid reale, vt docui in Phys. disp. 4. q. 1. art. 1. Tùm quia licèt esset aliquid reale, non tamen esset positiuum, sed priuatiuum; ergo cum vnio illa sit aliquod ens positiuum reale, nequit fundari in ente reali negatiuo, nec ad illud terminari. Quapropter nullum suppositum creatum potest alienam naturam assumere; & licet quandoq; à Patribus dicatur, Angelos assumere naturam humanam, hoc autem non debet intelligi per veram vnionem hypostaticam, sed per assistentiam. An autem sustinendo, subsistentiam creatam formaliter dicere quid positiuum, possit suppositum creatum alienam naturam assumere; videãt defensores huius opinionis.

19 Obijc. vt singulare infert singulare, ita plurale infert plurale, vt homo est, animal est, homines sunt, animalia sunt, ergo si plures naturę, plura etiã supposita, nõ vnum. Tùm 2. posset sic assumere plures naturas loco distantes, & quarũ vna esset alba, altera nigra, vna calida, altera frigida, sed hoc est falsum, quia tunc quæ loco distarẽt, essent vnum suppositum, & per cõmunicationem idiomatum valeret dicere, album est nigrum, frigidum est calidum; imò contradictoria ad inuicem prædicarentur, vt album est non album; videns est cæcus, si altera ex illis esset priuata visu. Tùm 3. Pater, & si habeat infinitam potentiam generandi, non potest tamen generare, nisi vnicum Filium, ergo licèt persona diuina infinitam vim habeat terminãdi, non tamen terminabit, nisi vnam naturam: Tùm 4. in incarnatione tota natura diuina est vnita toti naturæ humanæ, & cuilibet parti eius, est enim perfectus Deus, & perfectus homo, totus Deus, & totus homo ex Dam. 3. fidei c. 7. sed duæ naturæ creatæ materiales non possunt sic totaliter sibi inuicem vniri, quia tunc confusio fieret naturarum, penetratio corporum, & anima vnius esset in corpore alterius, ergo &c.

20 Respon. ad 1. assumptum valere in prædicatis, quorum vnum intrinsecè, & essentialiter clauditur in essentia alterius, & realiter nõ distinguũtur, & quãdo superius numeratur ad numerationem inferioris, modò natura singularis realiter à supposito distinguitur, neq; necessariò ad numerationem naturæ numeratur suppositum, idcircò non sequitur, sunt duæ humanitates, ergo duo supposita; ita ex Scoto 4. d. 12. q. 1. § *Iuxta quæstionem*. Ad 2. non implicat, duas naturas loco distantes esse in eodem supposito illimitato, & extrinseco, implicat in limitato, & intrinseco. Ad illud de communicatione idiomatum; quidam negant, in casu posse fieri talem idiomatũ communicationem, eòquia nunc fit, quoniam natura diuina est omninò eadem realiter cum Verbo, at illæ naturæ ambæ essent à Verbo realiter distinctæ. Sed hoc est falsũ, quia idiomatum communicatio solùm prouenit ex vnione naturarum in eodẽ supposito, nec requiritur identitas realis vnius naturæ cum supposito, vt patet de albedine, & dulcedine in lacte, ratione cuius illæ qualitates ad inuicem prædicantur in concreto. Quapropter cõcedo, tunc fieri idiomatum communicationem, & contraria, imò & contradictoria ad inuicem prædicari, sed non prædicantur contrario, & contradicto-

rio

ſto modo, cum non ſint reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu diuerſorum; ſicut nunc dicimus, mortale eſt immortale, finitum infinitum, &c. Ad 3, negatur paritas, quia Filius eſt terminus adæquatus potētiæ generatiuæ Patris, ideóq; hæc potentia expletur vnico actu, nec illa potentia poteſt alium terminum reſpicere, cũ ſit de ſe hęc ad hũc Filiũ determinata ex Scoto quol. 2. at independentia Verbi non adæquatur per ſolam terminationem dependentiæ vnius naturæ, quia in infinitum excedit; & quamuis Verbum, vt terminat communicationem diuinæ naturæ, habeat actum perfectum, & adæquatum intenſiuè, & extenſiuè ſecundùm neceſſariam connexionem, & vnitatem, vnde non poteſt terminare aliam naturam, quæ ſit illi eſſentialis, non tamen adæquatum extenſiuè ſecundùm liberam, & extrinſecam vnionem alteri naturæ. Sicut voluntas diuina pro termino adæquato tàm intēſiuè, quàm extenſiuè reſpicit eſſentiam diuinam, vt obiectum amoris ſecundùm neceſſariam habitudinem, attamen extenſiuè ſecundùm cōtingentem habitudinem poteſt ſe extendere ad exiſtentes creaturas. Ad vlt. dato caſu, illæ naturæ non eſſent inter ſe vnitæ, nec vna in alia, ſed ſolùm extrinſecè vnitæ in ſuppoſito eodem, authoritas Dam. ſolùm infert communicationē perfectam idiomatum, eò vel maximè quia Deitas eſt eadem eſſentialiter cum Verbo.

21 Quæres, an in hoc caſu Verbũ diceretur vnus, vel plures homines? Reſpondet Riccardus, in tali caſu, nec vnum eſſe, nec plures; non plures, quia homo concernit ſuppoſitum, nec vnum, quia vnus homo dicit ſolùm ſuppoſitum in vna tãtùm natura ſubſiſtens; quam reſponſionem, referente Lich. hic, tradunt aliqui Scotiſtæ, & concedunt, rationes Scoti quò ad hoc non concludere.

22 Sed contrà ait Doctor, vnum, & plura diuidunt omne ens, ergo ſi eſt homo, aut vnus, aut plures. Reſpondent non eſſe neceſſe, quòd vnũ, & multa diuidant omne ens, vt comparantur ad aliud in recto, ſed ſufficit in obliquo, & ſic Verbum eſſet habens plures humanitates, licèt non eſſet plures homines. Contrà, ergo nec homo habens plures artes dici poſſet vnus artifex, nec Pater in diuinis, quia habet plura principia, generatiuum ſcilicet, & ſpiratiuum, poſſet vnum principium appellari, nec Chriſtus, quia habet duas naturas, poſſet vnum neutraliter dici in recto, propter eandem rationem, quæ omnia ſunt falſa, vt præcipuè docet Doctor 1. d. 12. q. 1. in fine.

23 Aliqui Scotiſtæ, vt Baſſol. Lich. Bargius in 1. d. cit. & Centinus hic diſp. 8. c. 4. quos ſequitur Vaſq. 1. p. diſp. 155. c. 4. & alij, concedunt, in caſu eſſe plures homines, quia ly *plures* non determinat ſuppoſitum, ſed ſubſtantiuum, cui immediatè adiungitur, & tale eſt ly *homines*, & ſic ſolùm multiplicat humanitates, non ſuppoſita.

Hanc tamen opinionem impugnaui in Log. diſp. 2. q. 6. art. 2. quia ſecundùm Scotum cit. & in 3. d. 8. q. vn. F. & quol. 11. H. ad multiplicationem concretorum, non ſolùm plenam, & totalem, vt ait Centinus, ſed etiam abſolutam, non ſufficit multiplicatio formarum, ſed requiritur etiam multiplicatio ſuppoſitorum, hinc negat Doctor locis citatis, Patrem habentem plures paternitates eſſe plures patres, ſed vnum, Patrem in diuinis eſſe plura principia, Chriſtum eſſe duo neutraliter, non alia ratione, niſi propter vnitatem ſuppoſiti, quod non eſt verum, ſi ratio illa valeret, nam numerus ille, poteſt dici, quod determinaret ſubſtantiuum immediatum, non ſuppoſitum. Dices, iſta ſubſtantiua eſſe concreta ad ſuppoſitum, & ideò non poſſe multiplicari. Contrà, etiam homo eſt nomen concretum ad ſuppoſitum ex Scoto in 3. d. 6. q. 2. D. & in fine, ergo eadem ratio hic, & ibi; quod etiam probo, quia homo ſignificat habentem humanitatem, tale eſt ſuppoſitum humanitatis. Dices, hanc regulam valere ſolùm de concretis accidentalibus. Contrà, quia exempla adducta ſunt de concretis accidentalibus, ſed ſubſtantiuè ſumptis, & etiam de concretis ſubſtantiuis, vt patet.

24 Reſpondeo ergo cum Fabro 1. diſp. 41. c. 4. Aretino hìc d. 1. q. 3. art. 2. & cum communiori, in caſu Verbum eſſe vnum hominem propter vnitatem ſuppoſiti; Neq; hanc reſponſionem impugnauit Doctor in hac quæſt. Nam vt benè aduertit Faber cit. Scotum impugnare hanc reſponſionem, quæ eſt etiã D. Thomæ in hoc ſenſu, quòd videlicet ad multiplicationem ſufficiat ſolummodò multiplicatio ſuppoſitorum, nō verò formarum, nam tunc rectè ſequeretur, quòd tres perſonæ diuinæ eſſent tres Dij, ſi verò D. Thomas dicat, quòd vtriuſq; multiplicatio requiratur, tàm ſcilicet ſuppoſitorum, quàm formarum, ſic Scotus ab ipſo nō diſcrepat; vnde hìc non determinat quæſitum, ſed ſe refert ad ea, quæ dixerat in 1. d. 12. vbi apertè determinauit noſtram ſententiam.

25 Dices etiam, Scotus in 1. cit. ait, quòd adiectiuum quando vnitur ſubſtantiuo, quia ſubſtãtiuum terminat immediatè dependentiam adiectiui, ideò adiectiuum determinat ſignificatum ſubſtantiui, ergo quia in propoſito ly *homines* eſt ſubſtantiuum, & ſuum ſignificatum eſt determinabile à ly *plures*, poteſt Verbum dici plures homines, & cum veritate, quia verè dantur plures humanitates, quæ ſignificantur à ly *homines*, quod non poteſt dici de concretis accidentalibus, quæ ſemper ſunt adiectiua, ergo ſi hæc doctrina nō eſſet vera tàm de termino vnitatis, quàm multitudinis, debebat Scotus hoc animaduertere.

26 Reſp. etiam in ſubſtantiuis non rectè fit plurificatio, ſi non adeſt etiam multiplicatio ſuppoſitorum, vt patet in exemplis adductis. Ad Scotum autem dico, quòd vtiq; differentia inter adiectiuum, & ſubſtantiuum eſt, quia illud nullo modo poteſt terminare dependentiam alterius adiectiui, ſed ambo à tertio dependent, benè tamen ſignificatum ſubſtantiui, attamen quia ſignificatum ſubſtantiui concernit ſuppoſitum, ideo ſignificatum ipſius cum iſto modo ſignificandi terminat dependentiam adiectiui, & vt ſic determinatur ab ipſo; & hæc eſt ratio illius regulæ *Ad multiplicationē concretorũ, &c.* quia videlicet cōcretũ ſubſtantiuo terminat dependentiam termini numeralis ſecundùm ſuum ſignificatum, & ſecundùm modum ſignificandi, ſcilicet cum concernentia ad ſuppoſitum, quare vtriuſq; multiplicatio requiritur; & quamuis hæc doctrina explicitè à Scoto non habeatur, hoc eſt, quia quæſtio ipſius ibi erat, circa materiam, in qua eſt vnitas ſignificati formalis, & pluralitas ſuppoſitorum, vt eſt ſpirator, & Pater, & Filius, at implicitè hoc habet in fine, dum negat, Patrem poſſe dici duo principia propter vnitatem ſuppoſiti.

27 Dices, cur ſubſtantiuum, quamuis multiplicatum formaliter, ſi ſuppoſitum eſt vnum, poteſt determinari ab adiectiuo, non multitudinis, ſed vnitatis, & ſi non eſt multiplicatum formaliter, ſi ſuppoſita ſunt plura, nequit ab adiectiuo multitudinis determinari, ſed benè ab adiectiuo vnitatis.

Reſpon-

Respondet Auersa q. 23. sect. 3. hoc esse ex vsu loquendi. Suarez hic disp. 13. sect. 2. prouenire, quia adhòc vt aliqua sint plura, requiritur, quòd omninò sint diuisa, vt verò vnum dicantur, sufficit, vt aliquo modo vniantur. Sed has responsiones reieci in Log. disp. cit.

28 Cardinalis Ioan. de Lugo disp. 23. sect. 3. aliter respondet, sed priùs adnotat, quòd omnis prædicatio, vt sit vera, requirit, quòd rectum subiecti, idest significatũ à subiecto importatum in recto, sit rectũ prædicati, quando est affirmatiua, & quando est negatiua propositio, debet rectum subiecti non esse rectum prædicati; Deinde aduertit, quòd concreta substantiua in recto important suppositũ, in obliquo naturam, sic persona, homo, Deus, significant in recto subsistentiam terminantem, in obliquo naturas terminatas, cum hac tamen differentia, quòd concreta naturæ, vt homo, Deus, explicitè significant naturam, implicitè, & confusè suppositum, at concreta personalia, vt persona, explicitè significant suppositum, implicitè naturam, vnde *hic homo* significat in recto suppositum in communi (& hoc est significare confusè) terminans hanc humanitatem (en quomodò humanitas explicitè, determinatè, & in particulari significatur in obliquo) *hic Deus* significat suppositum terminans deitatem; at *hæc persona* significat hanc subsistentiam determinatè, & explicitè, terminantem aliquam naturam, ecce quomodò natura importatur in obliquo, & confusè.

29 Tunc ad difficultatem respondet, nõ posse multiplicari homines multiplicata natura, & non multiplicatis suppositis, quia si vnum est suppositum, falsò adiungitur terminus multitudinis cum significato in recto, quod est suppositum, vnde Verbum assumens duas humanitates non dicitur duo homines, quia non sunt duo supposita, quæ sunt significata in recto per ly *homines*. E contrà verò terminus vnitatis rectè adiungitur concreto naturæ, etiam quando supposita sunt plura, vt tres personæ non dicuntur tres Dij, sed vnus Deus, licèt significatum in recto huius nominis *Deus* scilicet suppositum sit multiplicatum, quia hæc concreta explicitè significant naturam, & consequẽter determinatio, seu terminus vnitatis afficit naturam; & rectè hoc concretum *Deus* dicitur de tribus personis, *& hic homo* de Verbo, quia rectum prædicati non est distinctum à recto subiecti, nam rectum prædicati est suppositum in communi, & rectum subiecti est suppositum particulare, commune autem non est à particulari distinctum, imò per inclusionem est idem cum ipso.

30 Hæc tamen doctrina, pace tanti viri, quia falsum habet fundamentum, tota de se ruit; nam in primis falsum est, ad veritatẽ propositionis requiri, quòd importata in recto per subiectum, & prædicatum sint idem, & consequenter quòd concreta primò importẽt suppositum, quia vt dictum est in Log. disp. 2. q. 6. art. 2. si denominatiua importarent in recto supposita, omnes propositiones essent nugatoriæ, quia idem bis repeteretur: nulla foret verè per accidens, nam in qualibet idem de se ipso prædicaretur, aut saltim aliquod commune; tùm quia omnes propositiones essent particulares, & nunquam superius formaliter diceretur de inferiori; quapropter ibi docui concretum à parte subiecti vt plurimùm significare in recto suppositum, sed à parte prædicati sumptum significare formam. Accedit contra solutionem datam; quòd si *hic homo, ille homo* significat suppositum in communi terminans humanitatem, & determinatio vnitatis scilicet ly *hic, ille* cadit supra naturam, non suprà suppositum, vnde *Verbum est hic homo* est vera propositio, quia facit hunc sensum, hoc suppositum Verbi est suppositum terminans hanc humanitatem, sequeretur, hanc propositionem, *hic Deus, qui est Pater, est ille Deus*, esse veram, quia faceret hunc sensum, suppositum Patris est suppositum terminans deitatem, & tamen a nullo concederetur, quia nõ rectè dicuntur de Deo *hic, & ille*. Tùm quia omnes admittunt, has propositiones esse distinctas, *Petrus est hic homo, Petrus est aliquis homo*, nam prima est de indiuiduo determinato tamquam de prædicato, secunda tanquam de prædicato est de indiuiduo vago, & tamen stante ista doctrina, essent eiusdem rationis, quia *hic homo* esset indiuiduum vagum, quia significaret aliquod suppositum in communi, & confusè.

31 Dices, si homo in recto significaret humanitatem subsistentem, ergo sicut dicimus, *Verbum est homo*, dici potest *Verbum est humanitas subsistens*, vel *Verbum est personalitas, & humanitas*, quod nemo concederet. Tùm quia si homo est humanitas subsistens, ergo vbicunq; est humanitas subsistens est homo, sed in Christo est illa humanitas subsistens, ergo in Christo est homo, sed humanitas illa subsistens non est Verbum, ergo in Christo esset aliquis homo, qui non esset Verbum, quod est falsum.

32 Resp. ex dictis in Log. disp. cit. & disp. 10. q. 3. terminos aliter significare, quando absolutè accipiuntur, & aliter, quando sunt in propositione, nam in propositione quandoq; significatum vnius determinatur à significato alterius; præterea vt propositio sit vera, debent termini accipi, vt denotant identitatem, seù connexionem, quam habent à parte rei, hinc propositiones de terminis abstractis vt plurimùm sunt falsæ, quia terminus abstractus præscindit ab habitudine connexionis ad subiectũ; hinc ad 1. nego conseq. quia ly *homo* in prima propositione dat intelligere vnionem humanitatis cum Verbo, at ly *humanitas subsistens* præscindit ab hac vnione, & potiùs significat humanitatem in se subsistentem, non in alio; quòd si dat intelligere per ly subsistens vnionem hypostaticam, posset forsan admitti hæc propositio *Verbum est humanitas subsistens*, non tamen illa alia, *Verbum est personalitas, & humanitas*. Per idem ad 2. vide disp. 5. q. 2.

33 Quapropter ad dubium principale respondeo, vt disp. 2. cit. in Log. dixi, videlicet discrimen esse, quia vnitas pertinet ad naturam, multitudo ad supposita, vnde nequit substantiuum determinari ab adiectiuo multitudinis, quando suppositum est vnum, quia hoc adiectiuum, cum sit proprium suppositorum, determinabit etiam supposita, at quando est vnica forma, licèt supposita sint plura, potest substantiuum determinari ab adiectiuo vnitatis, quia cum hoc sit proprium naturæ, suum significatum ponet supra naturam, præscindendo ab vlteriori dependentia ad suppositum. Quando autem formæ sunt multiplicatæ, & suppositum est vnicum, ex hoc capite potest substantiuum terminare adiectiuum vnitatis, quia adiectiuum hoc est connaturalius, seù magis proprium substantiuo naturæ, quàm adiectiuum multitudinis; vide ibi. Ex his facilè solues, quæ congerit Berna. disp. 24. sect. 2. § 4.

Quæstio Tertia.

An plures personæ possint simul eandem numero naturam assumere.

34 QVæstio hæc affinis est illi philosophicæ, qua quæritur, an eiusdem effectus possint simul esse plures causæ totales; & potest habere duplicẽ sensum, primus est, an possint plures personæ immediatè assumere, sicut de facto assumpsit Verbum; secūdus, an saltim immediatè, si scilicet essentia diuina primò terminaret, & immediatè naturam, qua mediante postea omnes tres personæ diuinæ terminarent, sicut est de relatione creationis; hic loquimur in primo sensu, nam de secundo satis dictum est q. 1. conclus. 2.

Thomistæ omnes cum D. Tho. 3. p. q. 3. art. 6. affirmant, & cum eo Vasq. Suarez, Valentia & alij ibidem, quam opinionem ex nostris sequitur Bassol. in 3. d. 1. q. 4.

35 Dico tamen, non posse eandem naturam simul à pluribus personis assumi; est Scoti in 3. d. 1. q. 2. & omnium Scotistarum præter Bassol. item Alberti q. 5. art. 10. Riccardi d. 1. q. 4. & ex Recentioribus amplectitur Ioan. de Lugo disp. 12. sect. 6. & prob. primò à Scoto authorit. D. Ansel. lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 9. vbi habentur hæc verba, *Plures enim personæ nequeunt vnum, eundemq; hominem assumere in vnitatem personæ, quare in vna persona tantùm id fieri necesse est*, vbi aduertendum, quòd D. Anselmus non loquitur de congruitate, vt explicat Ocham, sed simpliciter, & absolutè; hinc lib. 1. de Incarnat. c. 4. ait, *Quare impossibile est Deo secundùm vnam quamlibet personam incarnato illum secundùm aliam quòque personam incarnari*. Caiet. respondet, D. Ansel. loqui de natura humana personata, non tamen vt à proprio abstrahit supposito. Contrà, quod D. Ansel. negat tribus personis, concedit vni, aliter impertinens esset negare tribus, quod æquè vni nequit conuenire, sed vna persona assumpsit naturam abstractam à proprio supposito, ergo hoc tribus personis diuinis repugnat.

36 Bassol. & cum eo Suarez, Valent. & alij, ait, D. Ansel. negasse, non posse tres personas diuinas eandẽ naturã assumere in vnitatem personæ, idest quòd omnes tres personalitates in vnam coeant personam, non verò negasse, posse tres personas ad suas personalitates assumere eandem naturam. Contrà, si hic esset sensus D. Ansel. non rectè inferret posteà, ergo necessariò in vna tantùm persona fieri debet incarnatio, quia poterat responderi, quòd posset fieri à tribus personis ad suas distinctas personalitates; præcipuè quia arguebat cōtrà asserentes, omnes tres personas incarnatas fuisse; Vel si ista consequentia necessariò infertur, idem esset secundùm Ansel. tres personas assumere eandem naturam, ac omnes in vnam personam cōuenire, quod sicut est impossibile, ita & illud; hanc authoritatem fusè prosequitur Centinus disp. 8. c. 3.

37 Secundò prob. à Scoto ex hoc, quòd nō possint eiusdem rei esse plures dependentiæ totales eiusdem rationis, etiam de potentia absoluta Dei, quia scilicet simul dependeret essentialiter, & non dependeret ab eodem, quam propositionẽ fusè ostēdi in Phys. disp. 8. q. 3. art. 2. impugnando etiam responsiones aduersariorum, & præcipue secunda ratio pro conclus. desumpta ex totalitatẽ dependentiæ maximè in præsenti inseruit; hoc ergo supposito pro maiori, subiungo, sed si natura humana à pluribus personis simul assumeretur, haberet simul plures depẽdentias essentiales totales, & eiusdẽ rationis, ergo &c. minor prob. quia depẽdentia naturæ ad suppositum est essentialis, non quidem causati ad causam, sed substentati ad substentificans, nam natura ex sua intrinseca ratione petit subsistere, & suppositari, vel in se, vel in alio, & vt supponitetur, non requirit, nisi vnum suppositum ex sua ratione formali, quia ab vno supposito expletur totaliter indigentia, quam naturaliter habet à supposito, vt substentetur, aliter cum est in vno supposito, haberet inclinationem ad alia, quod est falsum, ergo si à pluribus suppositis assumeretur, plures haberet dependentias essentiales.

38 Caiet. & cum eo Vasq. respondet primò, maiorem esse veram de dependentia essentiali cum causalitate, qualis non est ista, vt Scotus etiam concedit; de alijs verò dependentiis non esse veram, nisi cum duplici glossa, primò, quòd dependentia sit eiusdem rationis, secundò, quòd terminus terminet totaliter, non solùm intensiuè, sed etiam extensiuè, quod in præsenti non adest, nam Verbum licèt intensiuè, & adæquatè terminet naturam, non tamen totaliter extensiuè. Secundò respondet, min. esse falsam, nam licèt natura dependeret à tribus personis, non tamen dependentia eiusdem rationis, quia personalitates diuinæ, licèt conueniant in cōmuni ratione personalitatis, tamen inter se differunt, & sunt alterius rationis, & consequenter natura ad illas non dependeret dependentia eiusdem rationis, quia diuersitas dependentiæ attenditur penès diuersitatem terminorum, vnde etiam sequitur, nec in natura humana reperiri vnicam potentiam obediētialem, sed tres, sicut tres sunt personæ, à quibus diuersis dependentijs potest dependere.

39 Sed prima responsio non soluit, nam cum sit Scotus, hanc dependentiã non esse causati ad causam, est intelligendus de genere causæ efficientis, vt patet ex probatione, quã semper adducit, quia scilicet opera Trinitatis ad extrà sunt indiuisa; attamẽ hæc quoq; dependentia erit causati ad causã in genere causæ formalis extrinsecæ, in quo genere terminus concurrit ad relationem, vt dixi disp. 1. n. 32. quapropter argumentum concludit; attamen loquendo etiam de alijs dependentijs, quòd attinet ad primam glosam, illam admitto, at secunda est vana, nam hoc probat argumentum, videlicet quòd terminus totalis alicuius essentialis dependentiæ necessariò est adæquatus intensiuè, & extensiuè; quia esse adæquatum extensiuè est ità terminare, vt nullum aliud possit simul terminare, argo si eiusdem effectus nequeunt esse plures causæ totales eiusdem generis, nec à pluribus eiusdem rationis essentialiter poterit pendere totaliter, sed ab vno tantùm, simul sequitur, terminum essentialis dependentiæ totalem esse adæquatum intensiuè, & extensiuè. Tùm quia saltim intensiuè pendere à pluribus dependentia essentiali adhùc implicat, quia dependeret, & non dependeret simul essentialiter, & omnia argumenta in Phys. adducta hoc idem ostendunt, præcipuè secunda ratio.

40 Secunda responsio quòq; non conuincit, quia ratio formalis terminãdi talem dependentiam naturæ est incommunicabilitas personarum radicaliter, sed hæc est eiusdem rationis in tribus personis, ergo licèt personæ inter se differant, quia tamen in ratione formali

mali terminandi conueniunt, illæ dependentiæ essent eiusdem rationis; aliter sequeretur, quòd idem calor posset simul produci à sole, & ab igne tanquam à causis totalibus, quia sol, & ignis, licèt in ratione productiua caloris conueniant, differunt tamen inter se specie, & sic depēdentiæ essent alterius rationis, quod est falsum, & contra ipsum concedentem assumptũ in dependentijs causalitatis. Ex quo deducitur, in natura nō esse diuersas potentias obedientiales alterius rationis.

41 Suarez verò ex alio capite negat min. quia videlicet ista dependētia, cũ nō sit in entitate, sed solùm in subsistētia, nō sequitur, quòd idē esse proueniret à pluribus causis totalib⁹. sed solũ sequitur, quòd plures personæ darēt humanitati tres subsistētias diuersis vnionibus mediis. Sed nō percipit vim argumēti, nã natura essentialiter pendet à persona assumente, cũ ex sua natura necessariò postulet subsistere in se, vel in alio; ergo nequit recipere simul tres subsistētias, prob. seq. quia ab vna subsistentia acciperet esse subsistens, itaue ad subsistendũ nō indigeret alia subsistētia, ergo ab illa alia nō dependeret essentialiter, & tñ ex alio capite dependere diceretur, quia natura essentialiter dependet ad suppositũ; & saltim sequeret, naturam dare esse pluribus suppositis, quod impugnari potest illis rationib⁹, aliqualiter pertractatis, quib⁹ in Phys. disp. 5. q. 7. art. 2. ostenditur, eandem formam nō posse, etiam spectata Dei omnipotentia, informare plures materias adæquatas. Tùm quia illud esse subsistens, quo natura diceretur subsistere, esset quidam effectus proueniens à pluribus causis totalib⁹, & sic redit principalis ratio.

42 Tertiò prob. cōclusio; nequit natura subsistens in proprio supposito assumi ab alieno, ergo nequit natura subsistēs in vno supposito increato assumi ab alio increato; antec. prob. quia effectus propriæ subsistentiæ est reddere naturã in se subsistentē, & alteri nō cōmunicatã, seù incōmunicabilem vt Quo, & vt Quod, quapropter dato casu natura subsisteret in se, & nō in se, esset, & nō esset simul alteri cōmunicata, quæ contradicunt; hinc malè Hurt. & Bernal negāt hoc antecedens; conseq. prob. quia suppositum alienum æquè reddit in sensu cōposito naturam incōmunicabilem, & personatam, sicut proprium suppositum, & sic est paritas, seò vel maximè quòd Verbum perfectiori modo terminat naturam, quàm proprium suppositum.

43 Pro solut. huius arg. multùm laborat Caiet. negāt enim paritatē concesso antec., & rationē assignat, quia licèt nō minùs personalitas diuina terminet naturã, ac propria, aliter tñ, & aliter terminat, quia personalitas propria ita terminat, vt in suo esse pullulet ab ipsa natura, & cōsequenter nō pōt, nisi vnam personã cōstituere, nec posset natura assumi, quin etiã assumeretur ista personalitas propter naturalē connexionē, at personalitas diuina ita terminat, vt ab ipsa nō emanet, ergo poterit natura assumi, non assumpta hac personalitate; Dat etiã aliam differentiã, quia personalitas creata, cũ sit finita, est adęquata naturæ, at personalitas increata, cum sit infinita, est supra ipsius capacitatem.

44 Contrà; quia secundùm Caiet. natura diuina nullo modo actualiter distinguitur à paternitate, sed solùm ratione ratiocinata, & tamē potest natura diuina terminari personaliter à filiatione, non terminata paternitate, ergo multò màgis poterit natura humana à Verbo assumi, non terminata propria personalitate, cum actualiter, imò realiter inter se distinguantur (modò enim suppono cum aduersarijs, subsistentiã quid positiuum dicere) & maior connexio sit inter naturam diuinã, & paternitatē, quàm inter humanã, & propriã subsistentiã; imò si propria subsistētia, quia est finita, terminat adæquatè naturam intensiuè, & extensiuè, multò magis Verbum, quod est infinitum; quia ista disparitas non est in defectu, sed in excessu.

45 Resp. alij; rationē disparitatis esse, quia nequit natura simul duabus subsistētijs, quarũ vna sit creata, altera increata, subsistere, benè tñ duab⁹ increatis; Vel quia personalitatēs increatæ sunt relatiuæ, quæ se cōpatiũtur ad inuicē, at creata est absoluta, cuius natura est, vt excludat oēm aliam subsistentiam. Cōtrà, ergo posset natura humana subsistere duabus subsistentijs creatis, quarũ vna esset propria, quod est falsum. Quod secundò additur, est voluntariè dictũ, quia debet assignari ratio, cur personalitas relatiua admittat secùm aliam, nō verò absoluta, pręcipuè cũ oēs reddāt naturam incōmunicabilem, subsistētem, & suppositatam.

46 Suarez disp. 14. sect. 1. respondet, differentiã esse, quia propria subsistētia est quidam modus per se existēdi, at quęlibet subsistētia aliena est modus existēdi in alio, esse verò per se, & in alio proximè includunt negationē ad inuicē, nō verò duo modi essendi in alio; hinc est, quòd natura habens propriã subsistentiã, nequit subsistere aliena, benè tamen si istam non habet. Contrà, ergo saltim posset natura humana subsistere de potentia Dei duabus proprijs subsistētijs, sicut natura diuina, patet, quia istæ subsistentię humanę non habent talem repugnātiã. Ioan. de Lugo quamuis nobiscum sentiat, cōcedit tamen istã consequentiã; Verùm prętterquamquòd ratio secũda pro cōclus. adducta euidenter demonstrat falsitatem huius consequentię, adhùc tamen ostenditur eadem ratione, qua ipse mouetur ad amplectendam Scoti sententiam, ait enim, ideò repugnare, eādē naturã terminari à duobus suppositis, quia terminari est ibi sistere, & non progredi vlteriùs, ergo si terminatur in hoc supposito Verbi, nō potest terminari in alio supposito Spiritus Sãcti; quia affert secum in terminis virtualē contradictionē. Eodem modo ego arguo, terminari est ibi sistere, & vlteriùs nō progredi, ergo si hæc humanitas terminatur in supposito Petri v.g. nō poterit terminari in supposito Pauli, tàm enim vlteriùs progredi dr̃ natura, si terminatur ab alio supposito humano, quàm si ab angelico, licèt magis dicatur progredi propter terminationem istius, quàm illius; sicut tàm progredit limites regni, qui per vnũ milliare exit, quàm si p duo milliaria. Accedit prīcipaliter, quòd quęlibet subsistētia reddit naturã suppositatã, & cōsequēter incōmunicabilē vt Quo, & vt Quod in sēsu cōposito, quę est ratio suppositi, ergo quęlibet cũ alia habet specialē repugnātiã, siuè sit propria illius naturę, siuè aliena; vnde rectè aiunt Hurt. & Bern. admisso ãtecedēte, deberi quoq; admitti cōseq.

47 Tandem Valētia ait, nō posse huius rei assignari rationē à priori, sed solùm à posteriori, scilicet ex locutione Cōciliorũ, & Patrum, quia ex hoc, quòd natura humana subsistat subsistētia Verbi, inferunt, nō subsistere propria subsistētia, signũ, quòd habēt inter se repugātiã .l. à nobis nō cognoscatur. Sed nisi dicamus (& potest esse alia ratio principalis pro conclus.) quãlibet subsistētiã cum qualibet repugnare, illa conseq. nō esset bona, quia .l. inferretur, nō subsistere propria subsistentia, nō tamē necessariò sequeretur, nō subsistere subsistentia angelica; pręcipuè cũ in Sacra Scriptura Christus sępè Angelus vocetur; melius ergo dicēdũ, illã cōseq. euidētē esse, quia statim ac vna natura subsistit aliqua subsistentia, nequit per aliã subsistere.

48 Obijc. primò, non repugnat ex parte personarum assumentium, quia sicut non se excludunt ab eadem natura diuina, ità neq; ab humana; neq; ex parte naturæ, quia respectu cuiuslibet personæ est in potentia obedientiali, ergo &c. Tùm 2. ex Aug. epist. 3. ad Valent. in hoc misterio tota ratio facti est potentia facientis, potentiæ Dei hoc non repugnat. Tùm 3. ante assumptioné humanitas erat assumptibilis à tribus, agant simul omnes ad assumptionem, quantùm possunt, vel omnes assumunt, vel vna, vel nulla, si tertium, ergo non agunt, quantùm possunt, si secundum, non est maior ratio de vna, quàm de alia, ergo primum. Tùm 4. natura, antequàm assumeretur à Verbo, erat assumptibilis à Patre, & Spiritu Sancto, ergo etiam modò, prob. conseq. assumptio ad Filium non euacuat potentiam ad Patrem, sunt enim diuersę potentiæ, & vna redacta ad actum non reducitur alia. Tùm 5. natura in Verbo habet inclinationem ad propriam subsistétiam, cum illa sit sibi naturalis, ergo habet dependentiam ad omne id, quod potest supplere vicem proprię subsistentię, talis est Pater, ergo potest assumi à Patre, etiam stante vnione ad Verbũ. Tùm 6. vnum accidens numero potest esse simul in duobus subiectis, vt cum duo corpora sunt in eodem loco, tunc idem Vbi est in illis duobus, ergo eadem natura in duobus suppositis.

49 Resp. ad 1. repugnare ex parte naturæ, eòquia nequit idem dependere à pluribus terminis totalibus, & quamuis sit in potentia obedientiali, non tamen respectu impossibiliũ, & repugnantium. Ad 2. D. Aug. loquitur de facto, nam si factum est, non repugnabat, non autem loquitur de possibili; quod enim non fuit factum in hoc misterio, nisi sit possibile, nunquam fiet à Deo. Ad 3. omnes agerent, ait Doctor, non quidem ad hoc, vt omnes etiam terminent, sed vna tantùm, & sola illa, ad quam tres vniunt actiuè. Ad 4. assumptum est verum diuisìm, non coniunctim, vnde natura habet simultatem potentię, non potentiam simultatis, siuè hæc potentia sit vna, siuè multiplex. Ad 5. natura habet inclinationem ad proprium suppositum, etiam vt est Verbo vnita, non tamen ad id, quod potest supplere vices sui suppositi, sed respectu istius habet solum capacitaté, non tamen coniunctim, sed diuisim. Ad 6. neg. assumptum ex dictis in Phys. disp. 5. q. 7. art. 2. neq; in casu posito est idem Vbi formale in illis corporibus, sed duo, vt suo loco dictum est disp. 11. q. 7.

50 Secundò, multiplicato posteriori, non multiplicatur prius, natura singularis est prior personalitate, ergo possunt sine implicantia multiplicari personalitates sine multiplicatione naturæ. Tùm 2. natura diuina est simul in tribus suppositis, ergo & natura humana, saltim de potentia Dei; prob. conseq. quia si plures subsistentiæ in eadem natura repugnarent ex proprijs rationibus formalibus, etiam in diuinis repugnarent. Tùm 3. quæ solis relationibus distinguuntur, non se excludunt ab eodem absoluto, personæ diuinæ solis relationibus distinguuntur, ergo &c. Tùm 4. relatiuum non est causa distinguendi absolutum, ergo natura humana non distinguitur, quamuis sit vnita tribus personis. Tùm 5. non pugnat, plures formas, relatiuas esse in eodé numero subiecto absoluto limitato, nam idem calor est æqualis, & similis pluribus, & diuersis relationibus, ergo in eadem natura possunt esse plures subsistentiæ relatiuæ. Tandem est authoritas Damasceni in lib. *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus*, dicentis, *Nel Filius salutari Patris voluntate factus est homo, naturamque humanam sibi vnà cum voluntate humana, quæ naturæ est, coniunxit, hominis autem hypostasim non coniunxit, nè naturæ humanæ voluntas, quæ naturæ attribuitur, voluntate ea, quæ hypostasim attingit, à diuinæ voluntatis præscriptione discederet, sed ei sponte pareret in omnibus.* Quibus verbis manifestè colligitur, non repugnare naturam subsistentem in proprio supposito simul assumi à Verbo.

51 Resp. ad 1. maiorem non esse vniuersaliter veram, ait Doctor, quando ex multiplicatione posterioris resultat in priori aliquod sibi repugnans, vt est in proposito. Ad 2. neg. paritas, quia essentia diuina ex sua ratione formali habet, vt sit communicabilis tribus, scilicet à se Patri, per intellectum Filio, & per voluntatem Spiritui Santo propter sui illimitationem, & infinitam fęcunditatem, nõ autem propter dependentiam; vnde repugnat ipsi, quòd sit alteri supposito, siuè eiusdem, siuè diuersæ rationis communicabilis, at natura creata est ens finitum, limitatum, & dependens à supposito; ideoq; ab vno adæquatur eius capacitas, tàm intensiuè, quàm extensiuè. Ad 3. verum est assumptum, quando illud relatiuum non adęquat intensiuè, & extensiuè absolutum, secùs est in proposito. Vel non se excludunt, vt relatiua sunt, concedo, vt talia relatiua, quorum quodlibet adæquat capacitatem illius absoluti, nego. Ad 4. per idem. Ad 5. similiter relationes vt sic possunt esse in eodem subiecto, etiam eiusdem rationis, seù non repugnat ipsis, vt relationes sunt, sed in speciali, vt tales relationes, scilicet dependentiæ essentialis eiusdem rationis. Authoritas Dam. non vrget, quia ex hoc, quòd tacuit impossibilitatem huius assumptionis, non sequitur, illam iudicasse possibilem, sed aliam rationem addidit, quæ conuinceret, etiam si per impossibile talis natura esset assumptibilis.

Quæstio Quarta.

An qualibet natura potuit assumi à Verbo.

52 NAturæ rerum, aliæ sunt substantiales, aliæ accidentales; substantiales, aliæ sunt incompletæ, aliæ completæ; incompletæ sunt partes componentes totum, quarum aliæ sunt essentiales, vt materia, & forma, corpus, & anima, aliæ integrales, vt caput, manus, pes, &c. completæ, aliæ sunt rationales, aliæ irrationales; rationales, aliæ corporales, vt homo, aliæ spirituales, vt Angelus; irrationales, alię sunt sensibiles, vt bruta, aliæ insensibiles, vt arbor, Lapis; formæ accidentales, aliæ sunt absolutæ, aliæ respectiuæ. Quæstio proposita de his omnibus intelligitur, præter quàm de vltimis, scilicet formis respectiuis, de quibus est certum, non posse assumi immediatè à Verbo; non est autem sermo de congruitate, sed de possibilitate, idest non quærimus, quodnam sit congruum diuinæ Maiestati, sed quod est possibile à Deo fieri. Neq; est sermo de istis naturis, vt concernunt suppositum, nam ex dictis quæstione præcedenti patet, neq; per diuinam potentiam posse, naturam vni supposito cõmunicatam alteri coniunctim communicari.

53 Bassolius noster 3. dist. 2. q. 1. art. 2. negauit in primis, formam accidentalem posse assumi à Verbo, quem secuti sunt Vasq. 3. p. disp. 30. c. 5. Suarez disp. 14. sect. 4. & alij. Multi ex Antiquis, vt Alensis 3. par. q. 2. mem. 7. Biel 3. d. 1. q. 2. art. 1. & 2. Henr. quol. 13. art. 1. & citatur etiam D. Bonauent. docuerunt, naturam irrationalem non posse à Verbo assumi, quos sequitur Hurt. disp. 43. sect. 2. Albertus 3. d. 2. art. 1. negauit hoc de angelica natura. Tandem P. Faber disp. 6. c. 2. nu. 12. hoc solùm negat de formis substantialibus generabilibus, & corruptibilibus, vt sunt forma carnis, sanguinis, & huiusmodi.

54 Dico primò potest Verbum assumere formam accidentalem separatã; ità colligitur ex Scoto 3. d. 22. q. vn. in fine, & d. 1. q. 1. art. 1. & quol. 19. M. & N. quam optimè probat P. Vulpes disp. 6. art. 1. ex doctrina, quam tradit Doctor cit. ait enim, quòd accidens duplicem habitudinẽ dicit ad subiectum, vnam actualis informationis, & inhærentiæ, alteram in ratione dependentiæ ad inexistendum in ratione posterioris naturaliter ad prius, à quo sustentatur; quę habitudines sunt inter se diuersæ, quia prima dicit perfectionem in accidente, & imperfectionem in substantia, eò quia in accidente dicit rationem actus, in substantia rationem potentiæ, secũda dicit perfectionem in substantia, & imperfectionem in accidente, ergo sunt diuersæ; ex quo deducitur ratio, potest Deus separare ab accidente vtramq; habitudinem, vt patet in Sacramento altaris, ergo potest separare primam solam; prob. sequela à simili, forma substantialis materialis, etiam in sententia Aduersariorum, quantum est ex se, non habet primam subsistentiam, & ex sua natura communicatur materiæ per informationem, & terminatur vltimatè in composito, & tamen si separata esset, posset Verbo immediatè vniri, quia potest præscindi habitudo informationis ab habitudine terminati, vt patet in triduo, ergo idem de accidente separato dicendum: Tùm quia nulla apparet contradictio, vt patebit ex solutione argumentorũ, quæ est præcipua ratio in similibus quæstionibus de potentia absoluta Dei. Quapropter potuisset Verbum assumere sola accidentia corporis Christi separata ab ipso corpore, & sine anima, & corpore substantiali hominem apparere in exteriori figura, quę accidentia fuissent terminata ad Verbum in ratione sustentantis, & terminantis, non autem informati.

55 Contrà; forma accidentalis non est capax modi substantialis, sed subsistere est modus substantialis, ergo &c. Tùm 2. non potest accidens vniri substantię ad constituendum vnum per se, ergo multò minùs ad constituendam vnam personam. Tùm 3. ratio personandi, & suppositandi naturam alienam est suppositalitas diuina, in quantùm subrogatur loco propriæ subsistentiæ, forma accidentalis non habet propriam subsistentiam, ergo &c. Tùm 4. accidens ex sui natura est denominatiuum subiecti, quia informat illud, nam denominatio intrinseca, qualis est denominatio accidentis, sumitur à forma inhærente, sed si Verbum assumeret accidens, fieret idiomatum communicatio, & Verbum denominaretur ab accidente, ergo informaretur ab illo, quod implicat.

56 Resp. ad 1. quòd vnio ad personam est multiplex, vel enim est per modum personationis, vt cum assumitur natura intellectualis, vel per modum suppositationis, & hypostaseitatis, vt cum assumitur natura irrationalis, vel per modum simplicis substentificationis sine ratione actus, & potentiæ, vt cum assumitur aliquid, quod ex se non est natum immediatè suppositari, qualis esset quælibet pars essentialis, & quælibet forma accidentalis; quæ diuersitas oritur ex diuersitate fundamenti; tunc ad argum. cócedo maiorem, ad min. distingo de subsistere, nam subsistere incommunicabiliter tàm actualiter, quam aptitudinaliter est modus substantialis, concedo, actualiter tantùm, nego, nisi secundùm quid; modò si argumétum valeret, concluderet, accidens nullo modo posse separatum existere, quia hic modus essendi videtur esse substantialis, quod tamẽ est falsum, quia accidens separatum propter aptitudinem, quam habet ad cómunicandum se supposito, nó subsistit. Præterquamquòd, si accidens assumeretur, non subsisteret in se, sed solùm sustentaretur à supposito diuino; quod fallit Aduersarios, est, quia putant, vnionem ad suppositum esse modum quendam absolutum substãtialem; quod esse falsum, suprà ostensum est, nam in nostra sententia est solùm relatio. Ad 2. accidens non constituere in casu personam, sed terminari ad independentiam personæ, non sub ratione personæ, cuius nó est capax, sed sub ratione sustentantis. Per idem ad 3. Ad 4. primò dici potest cum Scoto d. 22. cit. quòd cũ concreta accidentalia modò concernant subiectum, denominant illud ratione informationis, & cósequenter in casu non fieret communicatio idiomatum; sicut in triduo Verbum erat animæ vnitum, & tamen non denominabatur anima, vel animatum; secundò admitto communicationem idiomatum, non quidem in concreto, sed in abstracto, vt Verbum est albedo; vel si admitteretur in concreto, nó tamen vt accidens habet rationem informantis, sed solùm terminati, nec talis denominatio esset intrinseca, sed extrinseca, & per consequens nó debet esse per informationem. Et nota, quòd omnes istæ rationes possunt retorqueri de forma substantiali materiali, quam tamen in sententia aduersariorum est à Verbo assumptibilis, vt mox dicetur.

57 Dico secundò, quælibet natura partialis incompleta, siuè sit pars physica essentialis, siuè integralis, quando separata existit, potest à Verbo assumi, at quando sunt in cópòsito, nequit quælibet singillatim assumi absq; altera, sed necessariò si vna assumitur, debet altera assumi, & etiam totum cópositum. Prima pars est contra P. Fabrum negãtem, formam materialem esse assumptibilem, pro qua etiam citatur Vasq; estq; Scoti in 3. d. 2. q. 1. art. 2. vbi doctrinam vniuersalem tradit, & clariùs d. 22. cit. prob. quia quãdo materia, vel forma solitariè existunt, habent modum quendam per se essendi, non positiuum, sed negatiuum, & cum hoc potentiam seipsas communicandi alicui supposito, vt patet, à quo dependerent in sustentari, & subsistere, ergo talis dependentia, sicut potest à supposito creato terminari, ita à supposito diuino. Accedit etiam, quòd est de fide, animam, & corpus in triduo fuisse Verbo vnita, ergo idem de alijs formis, & partibus integralibus dici potest; & maximè contra Fabrum vrget paritas de forma accidentali, quam concedit esse assumptibilem, ergo multò magis forma substantialis materialis. Solùm posset dubitari de materia in sententia Thomistarum, negantium posse separatam sine omni forma existere; sed hoc esse falsum, ostensum est in Phys. disp. 2. q. 3. art. 2.

58 Secunda pars est contrà Suarez disp. 14. sect. 3. asserentem, materiam vnitam formæ, & constituentem actu compositum posse immediatè assumi, absq; eò quòd assumatur forma, & cõpositum, quod etiam admittit de partibus integralibus, sed negat de forma substantiali materiali; est etiam contra Vulpes disp. 6. art. 2. qui de omnibus concedit, scilicet tàm de materia, quàm de forma; Idem quoq. docent Auersa q. 4. sect. 2., & Bernal disp. 25. sect. 1. hæc tamen assertio apertè habetur à Scoto 3. d. 2. q. 2. art. 1. in tertia ratione contra primam opin. quæ est Varronis; ex quo loco deducitur ratio pro nostra conclus. partes istæ, quando sunt in composito, cum sint causæ intrinsecæ ipsum constituentes, necessariò communicant proprium esse composito, quæ communicatio nequit à Deo suppleri, cum sit in genere causæ formalis, & materialis intrinsecæ, & consequenter cum compositum substantiale non sit assumptum, propria subsistentia subsistet, ergo illæ partes etiam eadẽ subsistentia subsistent, patet ista conseq. quia communicantur alicui vltimatè independenti, ergo nequeunt à Deo assumi, quin totum assumatur, prob. conseq. quia ex quæst. præced. nulla res potest duplici subsistentia subsistere.

59 Resp. Vulpes (quam responsionem ait esse Scoti, sed locum non citat) in casu formam constituere totum per modum partis informantis, non autem substentificari à materia, vel à toto, sed à Verbo immediatè, quia istæ duæ habitudines sunt separabiles; Sed potiùs ratio adducta est Scoti, & ista responsio est contrà Scotum, nam loc. cit. Scotus ait, quòd si corpus ex se assumeretur, tunc duplici hypostasi hypostasiaretur, scilicet intrinsecè, & extrinsecè, quæ ratio non valeret, si esset vera ista responsio. Et adhùc impugnatur, tùm quia non valet de materia; tùm quia tunc forma substentatur, quando communicatur alicui independenti. & incommunicabili, sed in casu forma necessariò esset communicata composito, quod ponitur subsistens, ergo &c. Et quamuis illæ duæ habitudines sint separabiles in forma in ordine ad materiam, quam potest forma materialis informare absq; eo, quòd substentetur ab ipsa, vt dixi disp. 2. Phys. q. 7. art. 3. attamen in ordine ad compositum non potest communicatio separari ab hoc, quod est subsistere subsistentia compositi, respectu cuius formà non habet rationem informantis, sed constituentis tanquam pars formalis.

60 Accedit principaliter contra Suarez, quia vult ipse, quòd subsistentia compositi resultet ex subsistentijs partialibus materiæ, & formæ, ergò si materia, vel forma tantùm assumeretur, quando est in cõposito, tunc amitteret propriam subsistentiam, ergò non posset compositum suam habere, quę ex illa intrinsecè pendet, & sic non subsistet in se, nec in alio, quod est falsum, & contrà ipsum. Idem dicendum de accidentibus corpori coniunctis. Similiter falsum quoq; est, quod ibidem ait Suarez, posse formam separatam assumi in vno loco, & in alio reperiri vnitam materię, & non assumptam; Non valet, quia vnio formæ cum materia, & cum supposito non sunt formæ dependentes à loco, quapropter non debent ex variatione loci variari, vt dictum est in Phys. disp. 10. q. vlt.

61 Dices ex Fabro, formæ materiales ex Arist. nõ sũt abstrahibiles à materia, nec re, vt forma abstracta, nec ratione, vt formæ mathematicæ, quia est impossibile concipere formam sanguinis absq. sanguine, ergo non sunt separabiles à materia, neq; assumptibiles à Deo, Ex Vulpes sic instatur; sufficit ad vnionem immediatam, vt partes sint ad inuicem separabiles, quamuis actu non sint separatæ, ergo &c. Friuola argumenta; nam in sententia Arist. concedo, formam materialem non esse nec re, nec ratione à materia separabilem, nego tamen secundùm veritatem; nec est verùm, quòd non possit concipi forma sanguinis sine sanguine, nisi loquatur de illo respectu transcendentali, quo intrinsecè forma respicit compositum, sed sicut hic respectus non respicit cõpositum in actu, sed in esse possibili, sic non sequitur, non posse formam sanguinis à materia separari, si enim à Deo separantur accidentia, quæ sunt minoris entitatis, quomodò nequit separari forma substantialis, quamuis materialis? Tùm quia talem respectum habet quoq; anima rationalis, & tamẽ potest separata existere, absq; quòd actu constituat compositum. Ad 2. nego assumptum, vt patet ex dictis; faciunt etiam cõtrà præsentem conclus. rationes contrà sequentem.

62 Dico tertiò; quamlibet naturam completam, siue irrationalem, siue rationalem, siue humanam, siue angelicam esse à Verbo assumptibilem; ita Doctor 3. d. 1. q. 1. & d. 2. q. 1. art. 2. & prob. de natura irrationali ex Tertull. lib. de carne Christi c. 4. qui cõtrà Marcionem dicẽtem, indignum Deo fuisse, si corpus terrestre de Virgine sumpsisset, ait, *Hoc enim ita videbitur, si res humano sensu ponderetur, non autem si diuino, quia stulta mundi elegit Deus, vt cõfundat sapientes, & idem esset, si de lupa, seu de vacca prodire voluerit.* ex Aug. lib. de vera, & falsa Relig. c. 16. habetur, potuisse Deum aliquod ęthereum corpus assumere; & alios Patres reperies apud Suarez; Tùm quia in triduo corpus quamuis ordinatũ naturæ rationali, erat irrationale, & tamen Verbo vnitum; prob. etiam eadem ratione, qua ostenditur possibilitas incarnationis quia non repugnat ex parte Verbi, cum vnio solùm in ipso sit relatio rationis, nec ex parte naturæ, quia quęlibet est in potentia obedientiali, & eodem modo quęlibet alia distinguitur à subsistentia, sicut natura humana, ergo, &c. Accedit pro natura angelica authoritas D. Pauli Hæbr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, quibus Apostolus præsupponit vtrumq; fuisse possibile, & hinc Patres gratiam, & misericordiam Dei erga homines commendant, quòd in hac vnione naturam humanam angelicæ prætulerit.

63 Hic tamen not. quòd authoritas Tertulliani ab Hurt. adducitur pro se; attamen nõ clarè loquitur pro aliqua ex his opinionibus, vnde intentionẽ ipsius oporteret inuestigare ex tota illa disputatione, quam habet cum Marcione, quod prolixitatem parùm vtilem pareret; idcircò consultò omittimus. Nec maiorem confirmationẽ pariunt authoritates, quas ex D. Aug. adducit; quarum prima desumitur ex lib. de spiritu, & anima c. 14. vbi adducens rationem, cur animam, & corpus Verbum assumpserit ad vnionem personalem, ait, fuisse, quia gradu intellectiuo gaudebant; Secũda desumitur ex lib. 2. de Incarn. Verbi post medium, vbi probans D. Aug. corpus assumptũ mediante anima, ait, *Hac ergo substantia animæ inter Deum, carnemq; mediante; non enim possibile erat Dei naturam corpori sinè mediatore misceri, nascetur, vt diximus, Deus homo.* Prima non vrget, nam ibi expressè loquitur de vnione personali, quæ necessariò est in gradu rationali ex definitione Boetij; Neq; secunda, quia solùm, ait, non esse possibile Deum nasci hominem sine

anima mediante, & cum solo corpore; quod vtiq; est verum; sed nos minimè offendit.

64 Contrà instatur; ex D. Ansel.lib. cur Deus homo c.4.& 5. Deus non potest facere, quod ipsum non decet, indecens est, Deum assumere naturam irrationalem, vt Lupam, Vulpem,&c. quia tunc fieret communicatio idiomatũ, imò Lupus diceretur filius Dei, ergo &c. Tùm 2. supremum donũ concessum naturæ creatæ est hæc vnio hypostatica, ergo natura infima irrationalis est incapax huius doni, quantò enim natura est dignior, eò perfectioris doni est capax. Tùm 3. hæc natura nõ potest eleuari ad operationem supernaturalem, seù visionem beatificam, ergo nec ad esse supernaturale,& vnionem hypostaticam, quia secundùm Arist. 4. metaph. in fine, esse est propter operari,& cui est impossibilis operatio, ei est impossibile esse, nam operari minùs est, quàm esse, ergo cui repugnat minus, repugnabit quoq; maius. Tùm 4. sicut se habet esse naturale ad posse naturale, ita esse supernaturale ad posse supernaturale, sed non potest natura habere esse naturale, quin habeat posse naturale, ergo nec habere esse supernaturale, quin habeat posse supernaturale, hoc posse, quod est ad visionem, & fruitionem, repugnat naturæ irrationali, ergo &c. Tùm 5. tres illapsus dantur; generalis, qui est per essentiam, præsentiam, & potentiam, specialis, qui est per gratiam, & specialissimus per vnionem; qui ità se habent, vt secundus præsupponat primum, & tertius præsupponat secundum, & primum, sed natura irrationalis non est capax secundi; ergo neq; tertij. Tùm 6. vnio hypostatica deificat naturam; ergo etiam debet illam sanctificare, & beare, quia hoc minus est illo, sed natura irrationalis non potest sanctificari, ergo neque deificari, & hypostaticè vniri.

65 Resp. ad 1.neg.min. nam si talis vnio fieret, esset ordinatissima, & conuenientissima, quia à summa sapientia determinata, licèt secundùm humanam rationem id appareat indignũ, quid enim indignius prima facie, quàm Deum pro nobis fieri hominem, mori, crucifigi, & maledictum? & tamen incarnatio fuit conuenientissima, ratio est, quia Deus non maculatur ex imperfectionibus creatis; & quamuis fieret idiomatum cõmunicatio, vnde Deus diceretur brutum, & è cõtrà, hoc tamen offenderet quidem aures plebis, non tamen fidelium, qui Deum omnipotentem prædicant, & omnipotentiæ obiectum esse omne possibile,& quod non implicat; Lupus autem vt sic non esset filius Dei, quia non esset in similitudinem naturæ. Ad 2. nego conseq. ad probat. si illud donum consequitur rationes speciales naturarum, concedo, si rationem communem, nego, modò hoc, quòd est subsistentari,& suppositari, conuenit naturis, vt substantiæ sunt, at beari conuenit, vt tales substantiæ sunt, hinc vnio hypostatica potest naturis brutalibus conuenire, non autem beatifica. Ad 3.nego conseq. ad probat. ait Doctor, quòd esse est propter operari, quod conuenit illi naturæ, nõ autem quod illi repugnat, vt in proposito, nam visio beatifica repugnat naturæ brutali, cum adhùc prob. ex hoc, quòd vnio hypostatica est maius donum, ait, propriè vniones istas nõ esse ad inuicem cõparabiles;& assumptum valere, quando dona sunt eiusdem rationis, vt si quis nequeat ferre duo, nequit etiã ferre decem. Tùm quia tunc esse est propter operari, quando est intrinsecum, & principium formale operandi; non verò quando est extrinsecum, & sola conditio operandi, non autem ratio formalis, vt est subsistentia Verbi; Tùm quia propriè esse naturæ dicitur communicari Verbo, non è contrà, & sic Verbum operatur operationes illius naturæ. Per hoc patet ad 4. Ad 5. falsum est, tertium præsupponere secundùm illapsum, sed solum primum; imò neq; de facto præcessit, quia vt ostendam disp. seq. gratia non præcessit vnionem. Ad 6. nego conseq. quia etiam in natura rationali potest hypostatica vnio à beatifica separari, vt suo loco dicetur.

66 Secundò, personalitas nequit vniri ei, cui repugnat esse personam, natura brutalis nõ est personabilis, ergo &c. Tùm 2. tunc fieret perfectior communicatio idiomatũ, nam si Deus assumeret lapidem, tunc ob vnionem non solùm lapis diceretur Deus, sed etiã quælibet pars diceretur Deus, quia quælibet pars est lapis, & tamen modò prohibemur dicere, animam, vel aliam hominis partem esse Deũ. Tùm 3. de natura angelica hoc non videtur verum, quia personalitas in Angelis non distinguitur à natura singulari, quia distinctio personalis est attributum angelicæ naturæ ex Magistro sent. 2.d.3. imò ex Arist. 2. met. 20. in abstractis à materia idem est quodquid est cum eo, cuius est, idest natura, & suppositum, ergo &c.

67 Resp. ad 1. natura brutalis, ait Scotus, non assumeretur vnione personali, sed suppositali, quia suppositum, & persona nõ differunt penès subsistentiam, sed penès connotata, vt sæpè dictum est. Ad 2. negat Scotus conseq. ad probat. distinguit, pars lapidis est lapis, vt est pars subiectiua respectu lapidis in communi, qui est totum vniuersale, concedit recipere prædicationem totius, vt est pars integralis, & lapis totum integrale, negat, nulla enim pars integralis dicitur de toto, nec è contrà, vnde pars lapidis nõ est totus lapis, Verbum in casu diceretur lapis, non primo modo, sed secundo modo, quia non assumeret lapidem in communi, sed in particulari,& consequenter nulla pars lapidis posset dici de Deo. Ad 3. neg. assumptum, quia æquè subsistentia angelica est quid negatiuum, sicut humana; & ad Magistrum dico, solùm asserere, In creatione Angelos accepisse essentiam, distinctionem personalem, & potentias, quod vtiq; verum est, non tamen sequitur, personalitatem non distingui à natura. Aristoteles autem parùm vrget in præsenti, quia non solùm negauit distinctionem subsistentiæ à singularitate in Angelis, sed etiam singularitatis ab ipsa natura, cum posuerit Angelos esse entia necessaria de se hæc; idcircò negatur.

68 An verò ista rationalis natura esset impeccabilis, vel nõ necessariò haberet connexionem cum beatitudine, hoc spectat propriè ad disp. de Christi impeccabilitate.

Dices, si quælibet creata natura erat assumptibilis, & maximè angelica, cur potiùs ex his solam naturam humanam assumpsit? debebat præcipuè naturam angelicam sibi vnire, vt potè nobiliorem, & habentem maiorem similitudinem, & conuenientiam cum ipsa diuina natura.

69 Respondeo, hoc esse in diuinum beneplacitum propriè referendum, vt docet Scotus 3. d. 20. plures autem congruentiæ solent à Patribus, & Doctoribus assignari, & præcipuè à D. Bon. 3.d.2. art.1. q.1.& 2. nam licèt ratione perfectionis maioris congruentiùs erat assumere naturam angelicam, attamẽ ex alijs capitibus deducitur maior cõgruentia pro assumptione humanitatis. Etenim congruum erat diuinæ bonitati, vt suum esse communicaret ad extra, sed non ita congruum

gnuum, vt cuilibet creaturæ communicaretur nè propter vniuersalitatem vilesceret hoc donum tàm maximum vnionis hypostaticæ, idcirco fuit cõmunicatum naturæ humanæ, quæ, vt ait D. Gregor. hom. 25. in Euang. participat de esse omnis creaturæ, nam habet esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis, vnde Marci vlt. homo dicitur omnis creatura, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euãgelium omni creaturæ*, idest homini. Tùm quia congruentius erat, reparare genus humanum; nam totus homo lapsus erat, & perditus, non omnes Angeli; homo cecidit à serpente deceptus, Angelus spontè, & sine occasione; homo ex aliquali ignorantia, Angelus ex certa malitia; homines vnius voluntate lapsi sunt, Angeli singuli proprijs volitionibus errauerunt; homo quærebat tantùm scientiam, *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum*, quæ aliquo modo communicari poterat creaturæ, Angelus similitudinem, & Dei æqualitatem, *Ero similis Altissimo*; homo fuit redemptus, nè gloriaretur diabolus vicisse, & desiderium inuidiæ suæ expleuisse, nè homines assequerentur gloriam, quam ipse perdiderat; homo propter naturam magis labilem, & imbecillem pronior est ad peccandum, propter quod magis Dei pietatem prouocauit, vt eum redimeret; & tandem ad concutiendam dæmonis superbiam, qui Deo æquari voluit, decuit ex gratia hominem fieri Deum; plura apud Patres.

Quæstio Quinta.

Quid de facto Verbum assumpserit, vbi de assumptione sanguinis.

70 IN homine primò est illa tertia entitas, humanitas appellata, realiter resultans à partibus, & ab illis realiter distincta, deinde sunt partes componentes, scilicet anima rationalis, & corpus organicũ, quod quidem plures habet partes, nam aliæ sunt homogeneæ, vt caro, os, nerui, aliæ ætherogeneæ, vt caput, manus, &c. homogeneæ, aliæ sunt solidæ, vt caro, pellis, aliæ fluidæ, vt sanguis, alijq; humores, spiritus vitales, & animales, item pinguedo, seuum, adeps, medulla, semen, lac, &c. Insuper aliæ sunt partes, quæ per se spectant ad constitutionem corporis, quæ scilicet inseruiunt organis, aliæ excrementitiæ, quæ ex partibus inutilibus alimenti gignũtur, & istarum aliæ sunt merè excrementitiæ, quæ tanquam inutiles expelluntur à corpore, vt fæces, saliua, &c. aliæ sunt innatæ, quæ naturaliter à corpore proueniunt, & ad ornatum, & alios vsus deseruiunt, vt pili, vngues, &c. ita notaui in lib. de Ani. disp. 1. q. 9. art. 5. vbi etiam art. 2. determinaui, partes fluidas nõ informari anima, quod præcipuè de sanguine ostendi contrà Thomistas, dentes verò, & vngues esse animatos, & probabilius etiam pilos, non anima distincta, sed eadem, qua totum corpus animatur, prçter hæc, quæ sunt substantiæ, dantur quoq; accidentia, vt quantitas, color, &c. De his omnibus mouetur quæstio; sed vt certa ab incertis separemus.

71 Primò certum est, Verbum assumpsisse humanitatem, non in specie, aliter daretur natura communis à parte rei separata ab indiuiduis, vt asserebat Plato, imò omnes homines in indiuiduo essent in Verbo suppositati, quæ omnia sunt falsa; humanitas igitur fuit singularis, in diuidua, de stirpe Adæ, vt dicitur Matt. 1. Lucæ 3. ad Rom. 1. *factus est ex semine Dauid secundùm carnem*; non quòd portio aliqua carnis Adæ fuerit successiuè hominibus vsq; ad Christum cõmunicata, vt aliqui ex antiquis dixerunt, hoc enim videtur naturaliter impossibile, vt aliqua portio in omnes homines diuisione transfundatur, nam omne finitum per ablationẽ finiti tandem consumitur; vt notat Doctor 3. d. 3. q. 2. sed dicitur prouenire ex stirpe Adæ, quatenùs B. Virgo actiuè influxit ad generationem Christi Domini, subministrãdo quòq; materiam Spiritui Sancto, non autem per coniunctionem, & copulam carnalem cum viro; quicquid reclamet in hac re Vulpes disp. 6. art. vlt. est enim lis de nomine. Nec quia Christus dicitur esse omnium communis Saluator, idcircò sequitur, assumpsisse naturam in communi; Nam dicitur Saluator omnium causalitate salutis, non communitate naturæ. Similiter cum dicitur segregatus à peccatoribus, non debet intelligi quò ad naturam, sed quò ad culpam, & maculam.

72 Secundò certum est, Verbum assumpsisse animam rationalem eiusdem speciei cum anima nostra, ita Doctor 3. d. 2. q. 2. & d. 16. q. 1. & alibi, contrà Arrium, & Apollinarem asserentes, diuinitatem in Christo gessisse vices animæ; quod est cõtrà sacram Scripturam, nam Ioan. 10. Christus ait, *animam meam pono pro ouibus meis*, & c. 22. *anima mea turbata est valde*, & Matt. 26. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem*; & accedit ratio, aliter non fuisset verus homo, qui ex anima intrinsecè constat, cuius concursus à Deo nequit suppleri, cum sit in genere causæ formalis intrinsecæ, & per modum informantis. Et licèt Ioan. 1. dicatur, *Verbum caro factum est*; attamen ibi caro sumitur pro toto homine, quæ acceptio est vsitata in Scriptura, Gen. 2. *omnis caro corruperat viam suam*, Psal. 64. *Ad te omnis caro veniet*, Lucæ 3. *Videbit omnis caro salutare Dei*; Nominat autem Ioannes potiùs carnem, quia nobis manifestior, & vt maximã Dei misericordiam ostenderet, quòd nostras miserias, & infirmitates non spreuit, quæ nomine carnis exprimuntur; & caro nõ mortua, sed viua, & animata suscepta est. Quæ anima non fuit sensitiua tantùm, sed rationalis, Isa. 9. *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*, Lucæ 2. *Puer Iesus proficiebat ætate, & sapientia coram Deo, & hominibus*, aliter nec fuisset verus homo, nec potuisset mereri, nec fuisset capax gratiæ, & gloriæ.

73 Tertiò certum est, Verbum assumpsisse verum corpus, non phantasticum, vel apparens, vt dicebant impij Manichæi, ita Scotus cit. *Verbum enim caro factum est*, Ioan. 1. & Lucæ 24. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*, ad Rom. 1. *factus ex semine Dauid secundùm carnem*, aliter Christus non esset verus homo, nec verè cõceptus ex Virgine, nec verè passus, mortuus, & sepultus, nec inde salus secuta. Et quamuis dicatur in similitudinem hominum factus, non debet intelligi de similitudine phantastica, & extrinseca, sed in natura, vel in similitudinem, quia videbatur peccator alijs similis, qui tamen erat Sanctus, & innocens.

74 Quartò certũ est, hoc corpus à Verbo assumptum nõ fuisse diuinitùs e cælo elapsum, quod per Virginem sacratissimam transierit, velut aqua per canalem, vt falsò putarunt Mennotitæ, Priscillianistæ, & alij hæretici, sed fuisse verum, reale, terrestre, ex purissimis Mariæ sãguinibus in eius vtero Spiritu Sãcto cooperante formatum; ita Doctor cit. Lucæ 1. *Ecce*

conci-

concipies in vtero, & *quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei*, 1. Ioan. 4. *omnis spiritus, qui confitetur, Iesum Christum venisse in carne, ex Deo est*; tùm quia non saluatur ratio humanitatis, passionis, & mortis, ad hæc enim requiritur corpus terrenum, seù organicum, sicut est nostrum corpus. Et quamuis Christus 1. Corint. 15. dicatur, secundus homo de cælo cælestis, id non est quò ad celeste corpus intelligendum, & secundùm esse naturæ, sed in esse moris, quia cælestem vitã duxit, quo sensu è contrario intelligi debet, quod ibidem habetur, *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt*, ideſt qui viuent secundùm desideria, & inclinationes carnis, & sanguinis, non possidebunt regnum Dei.

75 Quintò dico, Verbum assumpsisse omnes partes corporis, quæ anima informantur, & etiam quæ ad ornatum, & integritatem corporis attinent; ita Doctor cit. & d. 16. q. 1. D. patet, quia Christus non fuit homo monstruosus, sed perfectus, & speciosus præ filijs hominum, ergo perfectum corpus quò ad omnes partes debuit habere, quæ anima informantur; & si capilli non sunt animati, vel vngues, vt aliqui asserunt, adhùc fuerunt assumpti à Verbo, quia sunt de complemento, & ornatu corporis, & aderunt in corporibus gloriosis; tùm quia nullum incommodum sequitur; tùm quia D. Ambr. lib. de incarnat. c. 6. & Athan. epist. ad Epictetum docent, eos hæreticos, qui affirmabant, diuinitatem, & carnem Christi esse eiusdem substantiæ, consequenter fuisse dicturos, Verbum in carnem, capillos, sanguinem, & ossa conuersum esse, ergo intellexerunt capillos in incarnatione fuisse assumptos.

76 P. Vulpes disp. 7. art. 5. negat vngues, dentes, capillos fuisse à Verbo immediate assumptos; eòquia putat, non esse animatos, citatq; Scotum in 4. d. 44. q. 1. & cum in 3. d. 16. cit. Doctor ait, hæc omnia fuisse Verbo vnita, respondet, non loqui de vnione per se, immediata, & actuali, vel mediata, & potentiali, sed de vnione omninò per accidens; quæ enim reuerentia fuisset, si Christus, vngues incidendo, & capillos, mitteret has partes Verbo vnitas sub pedibus conculcandas? non secùs esset, ac si quis scienter Eucharistiam sub pedibus proijceret conculcandam; tùm quia sunt partes excrementitiæ, & sine ipsis homo est æque perfectus, non mutilus; idem docet Vasq. disp. 36 n. 34.

77 Sed in primis falsum est assumptum, quòd hæ partes non sint animatæ, vt visum est lib. de An. disp. cit. neq; Scotus in 4. cit. loquitur de istis partibus, sed solùm de nutrimento, & de semine, vt patet legenti textum; ideòq; supposita ipsorum animatione, necessariò quòq; debemus admittere esse Verbo vnitas. Tùm quia falsum quòq; est, Scotum d. 16. cit. loqui de vnione per accidens, affero textum: *Ad primum, cum dicitur, quod semel assumpsit, nunquam fuit dimissum, verum est de partibus principalioribus corporis, quæ cõcurrunt ad perfectionem hominis, cuiusmodi sunt partes ætherogeneæ, scilicet cor, caput, & manus, & huiusmodi, & tamen aliquæ partes dimissæ sunt, vt si incidit sibi vngues, vel rasit sibi capillos, & sic de partibus carnis, & alijs, imò totum sub ratione totius fuit dimissum, quia totum integrum ex partibus non semper fuit vnitum, vt supra patuit, tamẽ principales partes semper fuerunt vnitæ, & de illis loquitur Damascenus*; quibus verbis, vt patet, Doctor supponit, eodem modo fuisse Verbo vnitas partes ætherogeneas, totum integrum, capillos, & vngues, & ex dimissione capillorum, & vnguium deducit, nõ esse absurdum, partes carnis in nutritione fluere, itaut vetus deperdatur, & alia de nouo acquiratur, & de nouo vniatur Verbo, quod nullo pacto concluderet, si capilli, & vngues per accidens solùm fuissent vniti; nec vnquam Doctor hanc vnionem per accidens admisit; imò non obscurè colligitur ex hoc loco, has partes esse animatas.

78 Quod ait de illa irreuerentia ex incisione capillorum, & vnguium, non vrget, tùm quia & si non fuissent vniti, adhùc ratione contactus essent adorandi adoratione latriæ, sicut crux, claui, spinæ, &c. ergo parùm reuerenter Christus incidendo sibi vngues, & capillos in terram proiecisset; & non secùs esset, ac si quis modò scienter crucem, clauos, spinas in terram mitteret; imò certum est, partẽ aliquam carnis à corpore Christi fuisse incisam, vt præputium in Circumcisione, quæ priùs erat Verbo vnita, & Romæ asseruabatur in Basilica Lateranensi, nùnc autem apud Pagum Romæ propinquum nomine *Calcatam*, vt refert Auersa q. 25. sect. 3. insuper ex carne Christi aliqua pars resoluebatur in sudorem, vel quid simile, ergo non debebat Christus, illa emittere; Quapropter dico, capillos, & vngues post incisionem non mansisse ampliùs Verbo vnitos, quia nec ampliùs erant animati, nec actu constituebant Christi corpus; & licèt dicãtur excrementitiæ, eòquia ex superfluitate alimenti generantur, nõ tamen sunt merè excrementitiæ, quin ad aliquod munus inseruiant, vt dictum est; vnde homo sine capillis, & vnguibus non esset vndequaq; perfectus, saltim quò ad partes ornantes corpus, qua ratione Beati post iudicium nõ erunt calui, sed cum capillis, & vnguibus resurgent, vt habetur Lucæ 21. *Capillus de capite vestro nõ peribit*, Matt. 10. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*; Accedit authoritas Ambrosij supra adducta, quæ nequit explicari de vnione per accidens.

79 Sextò ex his infertur, partes merè excrementitias non fuisse Verbo vnitas, vt saliua, fæces, sudor, &c. quia non pertinent ad integritatem naturæ; accidentia quoq; corporis Christi solùm mediatè dicebãtur vnita Verbo, ratione scilicet corporis, & humanitatis, in qua subiectabantur per informationem, sicut suppositum creatum dicitur mediatè terminare dependentiam accidentium.

80 Tota difficultas est de sanguine, & alijs tribus humoribus. Durandus in 4. d. 10. q. 1. negauit, sanguinem Christi fuisse immediatè, & actu vnitum Verbo, sed remotè, mediatè, & potentia, quatenùs debebat proximè in sanguinem conuerti, pro hac sent. citatur etiã Biel lect. 53. in Can. & modò ex nostris defendit P. Vulpes disp. 7. art. 3. Secunda sententia docet, sanguinem Christi, dum erat in corpore ante mortem, & post resurrectionem fuisse immediatè Verbo vnitum, at è corpore diffusum, præcipuè in illo triduo, fuisse separatum, ita ex Nostris Mayr. 4. d. 43. q. 2. Franciscus de Ruuere, qui posteà fuit Summus Pontifex Sixtus IV. appellatus apud Ioan. de Lugo disp. 14. sect. 1. Tertia sent. est Caiet. 3. p. q. 54. art. 2. distinguentis de sanguine, quòd alius sit inanimatus, & nutrimentalis, qui tàm in corpore, quàm extra corpus semper fuit à Verbo disiunctus, alius vitalis, & animatus, & hunc, ait, fuisse immediatè Verbo vnitum. Quarta opinio docet, sãguinem fuisse Verbo vnitum, etiam in triduo extrà corpus, non tamen omnem, sed eum solum, qui erat in resurrectione reassumendus, ita Franciscus Collius tract. de sanguine Christi lib. 2.

Vltima

Vltima est Gregorij de Val. 3. p. disp. 1. q. 5. punct. 1. ad 3. dicentis, totum sanguinem, etiam qui nunc in terris spinis, & sudario coniunctus aspicitur, semper fuisse Verbo immediatè vnitum; quam opinionem sequitur Centinus disp. 9. c. 4.

81 Dico primò, totum sanguinem Christi, tàm in corpore existentē, quàm è corpore effusum in triduo, fuisse immediatè Verbo vnitum; sitá communis Theologorum sententia; pro cuius probatione supponenda est doctrina, quam tradit Scotus in 4. d. 8. q. 1. B. & d. 10. q. 4. A. & ad 2. princ. quibus in locis habet primò, quòd corpus potest sumi dupliciter, vel strictè, prout scilicet includit partes animatas, & est primum perfectibile ipsius animæ, & vt sic sanguis non est pars corporis, quia actu nō est animatus, sed in potentia propinqua, vt conuertatur in carnem animatam; secundò sumitur largè, vt omnia illa includit, quæ pertinent ad totum corpus organicum, siuè sint partes animatę, siuè sint alia non formaliter animata, vt humores, & spiritus, & hoc modo, inquit Doctor, sanguis est aliquid corporis. Deinde docet, quòd sub specie panis per se, & ex vi sacramenti licèt possit dici, quòd sanguis etiam contineatur, attamen rectiùs dicetur, non contineri, nisi concomitanter, & solùm per se primò contineri sub specie vini, quod probat, quia si in triduo fuisset consecrata Eucharistia, fuisset res eadem, quæ est modò, & tamē in passione possibile fuit, totum sanguinem, vel magnā partem emanasse è corpore Christi, & consequenter sanguis non fuisset sub speciebus panis, sicut nec anima fuisset in triduo. Ex hac doctrina colligo etiam, idem de sanguine dicendum, videlicet quòd sub speciebus vini per se primò sit sanguis, cōcomitanter sit corpus, vt innuit Doctor ad 2. princ. cuius ratio erit eadem, quam assignauit pro corpore, quia si in triduo fuisset Eucharistia cōsecrata sub speciebus vini, fuisset eadem res sub speciebus vini, scilicet totus sanguis, non tamen corpus, propter separationem.

82 Colligo insuper, sanguinem, non solùm quando sumus in hac vita mortali, dici partem necessariò requisitam ad corpus organicum, quia est nutrimentū corporis principale, sed etiam absolutè loquendo de corpore vt organico, esse partem ipsius, licèt non animatam, vnde in corporibus gloriosis reperitur, & ex hoc capite ponitur cōcomitanter sub speciebus panis, & corpus concomitanter sub speciebus vini. Hinc falsum est, quod ait Vulpes, sanguinem ad corpus gloriosum nullo modo spectare vt partem, sed solùm ad corpus mortale, quod indiget nutrimento; falsum, inquam, est, quia sanguis non solùm dicitur esse pars corporis, quia est nutrimentum, sed quia etiam spectat ad integritatem corporis organici, aliter sub speciebus vini corpus Christi non esset concomitanter, quod est hæreticum, probo sequelam, quia ex Scoto cit. & ex Sacro Concil. Tridenti. sess. 13. c. 3. ratio, cur corpus est concomitanter sub speciebus vini, & sanguis sub speciebus panis, assignatur, quia partes corporis se inuicem comitantur, & sunt connexæ: hæc sunt verba Concilij, *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post cōsecrationem verum Domini nostri corpus, verumq; eius sanguinem sub panis, & vini specie vnà cum ipsius anima, & diuinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus, inter se copulantur*, en quòd à Concilio sanguis vocatur pars corporis Christi ex mortuis resuscitati, & cōsequenter corporis gloriosi: quæ authoritas totam confirmat præcedentem doctrinam.

83 Probatur modò conclusio; sub speciebus vini reperitur sanguis Christi per se primò, concomitanter diuinitas, ergo sanguis fuit immediatè vnitus Verbo, prob. conseq. aliter sub speciebus vini nullo modo esset diuinitas. Resp. reperiri diuinitatem concomitanter, non propter vnionem, quam habet immediatè cum sanguine, sed cum corpore, & anima, quæ ibi concomitanter adsunt; quod potest cōfirmari ex verbis Concilij cit. quæ subdūtur, *Diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypostaticam vnionem*: vbi non fit mentio de vnione ad sanguinem.

84 Contrà, quia licèt ibi Concilium hoc explicitè non determinet, tamen rectè deducitur, sub nomine corporis amplecti sanguinem, quod probo ratione Scoti, si in triduo fuisset sub speciebus vini consecrata Eucharistia, fuisset res eadem ex vi verborum, quæ nunc est, & tamen tunc non fuissent ibi corpus, & anima, quia possibile fuit totum sanguinem à corpore fuisse separatum, & tamen fuisset ibi diuinitas concomitanter, ergo non solùm sub speciebus vini adest diuinitas cōcomitanter propter vnionem immediatam ad corpus, & animam, sed etiam ad ipsum sanguinem tàm intrà corpus existentem, quàm extra effusum, ratione cuius adorari debuisset adoratione latriæ, propter scilicet diuinitatem ibi præsentem.

Resp. aliqui, dubium esse, an potuisset in triduo cōfici Eucharistiam; Addit Vulpes, sanguinem in triduo fuisse adorandum adoratione magis, quàm crux, nam ait, diuinitatem magis sub sanguine tunc separato patere, quàm sub ligno crucis distante à corpore Christi, quia sanguis ex se est proximè ordinatus ad nutriendam vitam, non sic crux, nisi quatenus fuit principale instrumētum nostræ redemptionis, ideòq; in triduo sanguis erat dignificādus, & adorandus magis, quàm lignum, & alia instrumenta dominicæ passionis.

85 Contrà, quia iam per Scotum cit. potuisset in triduo cōfici Sacramentum Eucharistiæ. Tùm quia, si species vini cōsecrati in sacra Cœna fuissent in triduo reseruatæ, adhùc ibi fuisset sanguis Christi ex vi verborum, & non fuissent ampliùs corpus, nec anima concomitanter, sicut erant priùs ante passionem; quæro, vel adhùc fuisset ibi diuinitas, vel non, si primum, habetur intentum, diuinitatem vnitam scilicet sanguini immediatè (sumo ly immediatè, vt dicit immediationem ex parte sanguinis, excludēdam mediationem vnionis corporis, non autem ex parte diuinitatis, nam ex dictis supra, diuinitas mediante Verbo dicitur vnita) si secundum, ergo tunc, quod priùs erat verum Sacramentum, non ampliùs fuisset Sacramentum, & tamen nulla esset facta mutatio in speciebus, & adhùc permanerent accidentia illa sine subiecto. Tùm quia bibens in triduo illum sanguinem, nō habuisset in se suppositum Christi præsens, contrà promissionem Christi Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*. Quod addit Vulpes, non est ad rem, eòquia non est sermo, an sanguis in triduo erat adorandus adoratione latriæ, hoc enim non est dubium; etiam

si fuisset

si fuisset à diuinitate separatus, sed an existens sanguis sub speciebus habuisset vnitã diuinitatem, si ergo per ipsum diuinitas est magis vnita sanguini, quàm cruci? quæro, vel ratione huius vnionis sub illis speciebus esset cõcomitanter diuinitas, vel non, si secundũ, redit ratio suprafacta, si primum, ergo diuinitas erit immediatè sanguini vnita, sicut corpori, & animæ, prob. cõseq. quia ratio, cur diuinitas sit cõcomitanter in sacramento ex Cõcil. cit. est admirabilis vnio hypostatica.

86 Secundò prob. principaliter conclusio authoritate Conciliorum, & Patrum, asserentium, Verbum assumpsisse simul carnem, & sanguinem, ita Cyrillus Alex. epist. 8. ad Nestoriũ approbata in Cõcil. Ephes. tom. 2. c. 12. & alijs in locis idem sępè repetit; Nazian. quoq; in breui tract. de fide Nicæna, 6. Synodus act. 8. & aliæ authoritates consimiles adducuntur à Suarez disp. 15. sect. 6. & Ioan. de Lugo disp. 14. sect. 2. Respondet Vulpes, has authoritates non debere intelligi de vnione immediata, & actuali, sed mediata, & potẽtiali, vnde in illis authoritatibus semper dicitur sanguis cũ carne assumptus, nunquam solitariè sine carne; & si adesset talis locutio, debet intelligi de vnione mediata, quia est nutrimentũ proximè cõuertendũ in carnem.

87 Cõtrà, si ideò sãguis Christi dr vnitus, & assũptus, quia proximè est cõuertẽdus in carnẽ Christi, sequeret primò, cũ omni proprietate dici posse, Verbũ fuisse vnitũ sanguini B. Virginis paulò ante Incarnationẽ, eiusq; sanguinẽ assũpsisse, antequàm Verbũ sit caro factũ, quod est falsum, prob. seq. quia sanguis in venis existens non statim in carnem conuertitur, sed paulatim, & tẽpore medio, ergo si hac ratione dicitur vnitus, & assumptus à Verbo, quia sanguis B. Virginis ante Incarnationẽ erat proximè cõuertendus in carnẽ Christi, tũc debebat dici vnitus, & assũptus à Verbo, quod est falsum, ergo authoritates illæ nõ sunt intelligẽdę de vnione mediata, & potẽtiali, sed de immediata, & actuali. Sequeretur 2. nunc nõ debere vllo pacto sanguinẽ Christi Dñi dici vnitum Verbo, quia non est amplius nutrimẽtũ, nec est in potẽtia, vt cõuertatur in carnẽ Christi; quapropter ratio, cur sanguis est hypostaticè Verbo vnitus, est, quia est vera pars corporis organici, & assumẽs totũ, assumit quoq; oẽs eius partes.

88 Tandem sequeretur, modò in sacramento altaris esse aliquod suppositum creatum, quod non est concedendum, sequela prob. quia si sanguis mediatè fuit assumptus, ergo non dicitur subsistere subsistentia Verbi, sed propria, probo cõseq. ratione Scoti, qua in 3. d. 2. q. 2. § *Cõtra primum istorũ* probat cõtrà Varronẽ, corpus nõ fuisse assumptũ mediante anima, quia inquit Doctor, *corpus natũ est in se subsistere, & nõ præcisè ex hoc, quòd anima informans ipsum subsistit in se, ergo non suppletur istud in corpore, nisi ipsum immediatè assumatur, est enim corpus capax talis assumptionis, sicut & subsistentiæ in se*; multò magis idem erit dicendũ de sanguine, qui nõ est pars informabilis à corpore, sicut corpus ab anima, quòd si immediatè nõ esset assumptus, subsisteret propria subsistentia, & sic aliquod suppositum creatum esset in Sᶜ. Eucharistiæ sacramẽto.

89 Ex his colligitur contra primã, & secundã sent. sanguinem in corpore existentẽ, & in triduo separatũ fuisse immediatè Verbo vnitũ; secundò contrà tertiã, & quartam sent. totum Christi sanguinem in triduo fuisse vnitum, quia totus sanguis Christi ante passionẽ fuit in calice sub speciebus vini, & consequenter totus erat vnitus, ergo si species vini fuissent cõseruatæ, iam sub illis fuisset totus sãguis, vt priùs: & præcipuè cõtrà Caiet. distinctionẽ de sanguine nutrimentali, & vitali, præter ea, quę dixi in lib. de An. disp. 2. cit. eadẽ quoq; argumẽta hic adducta possunt formari, nã sanguis nutrimentalis in vltima cæna fuit sub speciebus vini, quia etiam hic sanguis erat pro nobis tradẽdus in passione, ergo etiam erat Verbo vnitus ante, & post mortem.

90 Dico secundò, in resurrectione Christus nõ necessariò reassũpsit totũ sanguinẽ, sed aliquã partem in terris reliquit, quæ tñ nõ est hypostaticè Verbo vnita; Prima pars est cõtrà aliquos Thomistas partẽ negantẽ docẽtes, imò olim magna fuit disceptatio corã Clemente 6. Pio 2. & Paulo 2. sũmis Pontificibꝰ inter Patres nostri Ordin. ex vna parte, & Patres Dñicanos ex altera, an aliqua particula sanguinis pretiosi remãserit in terris, vnde Pius 2. vt refert Syluester in Rosa aurea tract. 3. q. 51. Bullã quãdã cõfecit ad Abbatem S. Mariæ Xantonensis Diœcesis, in qua declarauit, nõ repugnare veritati fidei nostram sententiã; quod potest cõfirmari etiã ex Platina in vita Leonis tertij, de quo refert, sanguinẽ quendã Mantuæ existentẽ in sũma veneratione tanquã pretiosum, sũ Christi Dñi, nõ autẽ miraculosũ, approbasse, & idẽ habet Baron. anno 804. Adest quoq; reuelatio facta à B. Virgine Sanctæ Birgitræ, vt habetur in lib. 6. suarũ reuelationũ, dicẽte, tẽpore suę mortis præputij Christi membranam, & sanguinem, qui in eius vulneribus remansit, cõmendasse D. Ioãni; aliæ quoq; historiæ habẽtur apud Vasq. disp. 36. c. 8. Suarez 3. p. to. 2. disp. 47. sect. 3. (quamuis in oppositã partem inclinet) & P. Fabrum in 3. disp. 52. & inter alias particulas, quæ in clauis, cruce, lancea, vel spinis, aut sudario vidẽtur, memorabilis est gutta illa, quæ Venetijs in nostra Ecclesia asseruatur in ampulla vitrea plena balsamo, estq; adeò rubicũda, vt recenter è corpore manasse appareat; nõ est ergo de hac veritate dubitandũ. Neq; dicas, illũ nõ esse verũ sanguinem, sed colorẽ sanguineum impressũ. Nã licèt possit hoc asseri de vestigijs cruci, vel spinis hærentibus, nõ tamen de gutta illa in nostra Ecclesia seruata, & de alijs, quæ varijs in locis reperiuntur; tùm quia est cõtrà reuelationem ipsius B. Virginis factam S. Birgittę.

91 Secunda pars est cõtrà vltimã opinionẽ, & prob. sãguis ille nõ censetur ampliùs pars corporis Christi, ergo non debet hypostaticè esse vnitus Verbo. Tùm quia vel Christus has particulas iterũ aliquãdo reassumet, & hoc est falsũ, quia tũc Christus nõ perfectè resurrexisset; vel illas nũquã sibi coniunget, ergo vel in ęternũ Verbũ manebit illis vnitũ, quod est prorsùs vanũ, & arbitrariũ, vel quãdoq; hęc vnio destruetur, ergo potiùs debemus dicere, fuisse destructã in instanti resurrectionis, quia tunc sãguis ille nõ cẽsebatur pars, neq; actualis, neq; potentialis corporis Christi. Accedit, ꝙ si adhùc sãguis ille cẽsetur pars sãguinis Christi, deberet in Eucharistia reperiri, quod firmiter asseri non debet, videtur enim contra Concil. Trid. cit.

92 Dico tertiò, quod dictũ est huc vsq; de sãguine, idẽ quoq; dicẽdũ de alijs tribus humoribus; est communis, quia nõ minùs sãguis, quàm alij humores pituita, flaua, & atra bilis censentur partes corporis organici, similiter spiritus animales, & vitales, vt habet Scotus cit. imò vt notat Ioan. de Lugo sect. 8. sãguis humano modo sumitur pro aggregato ex quatuor humoribꝰ, quamuis purè sũptus sit ab alijs tribus condistinctus, vnde vulgariter in sectione venę dicere solemꝰ, aliquẽ emisisse quatuor, vel sex vncias sanguinis, & tñ tota illa massa constat ex alijs humoribus; imò putat, in hoc sensu sanguinẽ poni ex vi verborũ sub speciebꝰ vini in Eucharistia .s. ꝓ aggregato ex quatuor humoribꝰ, qđ humano, & populari sermone sanguis appellari solet.

Soluuntur obiectiones.

93 CONtrà primam conclus. arguit primò Vulpes. Sanguis ex se non est pars corporis, quia non est animatus, & docetur etiam ab Arist. multis in locis, solùmq; inseruit pro vltimo alimento, quo nutritur corpus, ergo non est immediatè assumptus à Verbo; & maximè, quia post resurrectionem non exercet hoc munus vltimi alimenti in corpore glorioso. Tùm quia si sanguis, etiam separatus à corpore, esset immediatè Verbo vnitus, ergo posset fieri idiomatum communicatio, & Verbum posset dici sanguis, & è contrà; imò ab æterno duo decreta oporteret assignare in voluntate Dei, vnum, quo Deus voluit fieri hominem, alterum, quo voluit fieri sanguinem, etiam ab homine separatum, quod nemo concederet.

94 Resp. faciliter, & ad 1. patet ex suprà dictis nu. 81. cum Scoto, quo sensu sanguis dicatur, vel non sit pars corporis organici; quod etiam confirmari potest in spiritibus vitalibus, & animalibus, qui maximè inseruiunt corpori organico, & non solùm vt vltimum alimentum; idem etiam apparet in semine, quod non est animatum, ex dictis disp. 8. de gen. q. 2. art. 1. & tamen censetur pars substantialis viuentis, qui ratione generatio viuentium dicitur, quòd fiat principio vitæ coniuncto, vt explicui loc. cit. n. 5. vnde generans dicitur, communicare genito partem aliquam propriæ substantiæ ratione communicationis seminis, ergo multò magis debet asseri de sãguine, quód sit pars substantialis corporis organici, quamuis non animatus; imò si ratio valeret, concluderet, in corporibus gloriosis non adesse sanguinem, & alios humores, quia nun amplùs nutriuntur, quod est falsum. Ad 2. resp. ex his, quæ habet Doctor in 3. d. 22. in fine ad 3. princ. quod erat, si Verbum in triduo fuisset vnitum animæ, & corpori, ab illis denominaretur (quæ est eadem difficultas de sanguine) ait Doctor, quòd licèt potuisset denominari, non tamen placuit Doctoribus, vt denominaretur ab illis; & ratio esse potest, quia partes, quæ natæ sunt esse partes alicuius totius, naturaliter subsistunt in suo toto, cuius sunt partes, & consequenter nõ denominãt, nisi sint in suo toto, & nominibus cõcernentibus suppositum, vnde Verbum nunquam dicitur corpus, nec anima, quia hæc nomina abstrahunt à supposito, neque in triduo corporeum, vel animatum, quia non habebat totum scilicet humanitatem, cuius corpus, & anima erant partes; eodẽ modo dicẽdum de sanguine, quòd in tantùm assumitur à Verbo, quatenùs est pars suo modo corporis organici, & consequenter non denominat Verbum, quia denominatio non fit à parte, sed à toto; sed de hoc fusiùs disp. 5. Per hoc etiam patet ad illud de diuinis decretis, non enim propriè sunt duo decreta, sed vnum, vel duo subordinata, quia si Deus determinauit, sibi vnire humanitatem, determinauit quoq; sibi vnire partes ipsius, quia totum non est sinè partibus, tales sunt anima, & corpus organicum, similiter omnes partes corporis organici, inter quas connumeratur sanguis.

95 Dices, sanguis non est pars essentialis hominis, quia est specie, imò genere distinctus ab homine, quia non est animatus, & se habet, vt oleum ad lumen, cuius est pabulum; nec est pars integralis, quia non continuus cum corpore, eòquia fluidus, & præter munus alimenti, non videtur inseruire ad aliud munus, ergo &c.

Respon. si valeret argumẽtum, probaret quoque, sanguinem non esse concomitanter sub speciebus panis, nec corpus sub speciebus vini, vt dictum est num. 82. quare respondeo, sanguinem non dici partem essentialem, quasi quòd tanquàm per se potentia concurrat ad constituendam tertiam entitatem, sed dicitur pars substantialis, quia est de integritate corporis organici, quod quidem non est vnius naturæ, sed constat ex pluribus substantialibus formis, & partialibus diuersæ speciei, ex dictis in Phys. disp. 5. quæst 6. art. 1. sicut oleum, licèt non sit pars essentialis luminis, potest tamen dici pars substantialis lucernæ ardentis; potest etiam dici pars integralis, non continua, sed contigua, qua ratione non est animatus, nam pertinet ad integritatem corporis organici; & quamuis præcipuum munus sanguinis sit esse vltimum alimentum, adhùc tamen habet proprio calore fouere, & conseruare partes corporis, replere venas, & alias partes humectare, moueri secundùm varios animi affectus, & similia; neque ex hoc, quòd post resurrectionem corpus non indigebit hoc fomento, sequitur, non debere assumi, vel non esse partem; nam etiam qualitates connaturales non præseruabunt corpora gloriosa à contrarijs, quia non erunt passibilia, & tamen ponuntur in ipsis tanquam accidentia naturaliter conuenientia, idem de humoribus dicendum.

96 Secundò ad idem. Verbum suppleuit in humanitate vices suppositi creati, & terminauit dependentiam, quam terminasset humanum suppositum, sed hoc in homine non terminat sanguinem, qui propria subsistit subsistentia, quia est incommunicabilis vt Quo, & vt Quod, ergo Verbum non vniuit sibi hypostaticè sanguinem. Tùm 2. quia Verbum vnam naturam solam in specie assumpsit, scilicet naturam humanam, ergo non sanguinem, qui est diuersæ speciei. Tùm 3. quia si quæretur, quodlibet necessarium humano corpori esse de integritate ipsius, & consequenter Verbo vnitum, talis esset aer, qui maximè inseruit ad respirationem.

97 Resp. Verbum in incarnatione non solùm assumpsisse naturam humanam, sed etiã omne id, quod ad eius integritatem spectabat, huiusmodi est sanguis, quamuis non subsisteret humana subsistentia, & hac ratione fortè Patres, & Concilia loquendo de ista assumptione aiunt, Verbum assumpsisse carnem, & sanguinem, eòquia dicendo solùm assumpsisse carnem, poterat dubitari de sanguine, quia distincta subsistit subsistentia, vnde non tantùm Verbum suppleuit vices suppositi humani, sed etiam communicauit se alijs partibus corporis; Ad 2. Verbum dicitur assumpsisse vnam naturam specie, quia licèt sanguis sit specie distinctus, censetur tamen reductiuè eiusdem speciei, quia est pars suo modo. Ad 3. negatur sequela, & paritas de aere, quia aer non est naturaliter ordinatus ad componendum corpus humanum, nec est subordinatus ipsi corpori essentialiter, sed est quoddam extrinsecum, & indifferens, vnde corpora gloriosa in cælo non habebunt aerem, sed benè sanguinem, qui vera pars censetur, & intrinseca corporis organici, cui essentialiter subordinatur, ratione cuius non se habet, vt lapis in aceruo, qui solùm per accidens alteri vnitur.

Tertiò,

98 Tertiò, ſi ſanguis eſſet vnitus immediatè, ergo Symbolū Apoſtolorum eſſet imperfectum, quia ex vnione Verbi cum corpore profitemur, Dei filium eſſe ſepultum, & propter vnionem cum anima deſcendiſſe ad inferos, ergo propter vnionem cum ſanguine in triduo ſeparato deberemus profiteri, fuiſſe ſparſum, cruci adhærentem, & ſimilia. Tum 2. ſanguis in circumciſione effuſus non manſit Verbo vnitus, quia ſeparatus à corpore, ergo neque in paſſione effuſus, quia iam erat à corpore ſeparatus, erat Verbo vnitus. Tùm 3. ſanguis in triduo mutauit formam ſubſtantialem, quia deſiccatus, & puluere mixtus, ergo non ampliùs Verbo vnitus. Tùm 4. ſaltim ille ſanguis, qui erat in terris manſurus, non debebat eſſe vnitus Verbo, quia nec actu, nec potentia cenſebatur pars corporis reſuſcitandi.

99 Reſp. 1. non omnia, quæ interuenerunt in paſſione Chriſti, fuiſſe in Symbolo explicita, ſed principaliora, neq; omnia, quæ conueniunt Filio Dei ratione partium, dicuntur de ipſo, niſi partes ſint principales, qua ratione dicitur, propter vnionem animæ deſcendiſſe ad inferos, propter vnionem corporis iacuiſſe in ſepulcro, quia corpus, & anima ſunt partes principales, non ſic ſanguis, idcircò non dicimus, hominem occiſum effuſum eſſe ſuper terrā ex effuſione ſanguinis facta in occiſione. Ad 2. negamus paritatem, quia ille ſanguis non ampliùs cenſebatur pars corporis Chriſti: ſicut etiam ſi particula carnis in vita Chriſti fuiſſet abſciſſa, iam ceſſaſſet vnio ad Verbum propter eandem rationem; at ſanguis in paſſione effuſus cenſebatur pars potentialis corporis Chriſti, quia ſtatim aſſumendus in reſurrectione. Ad 3. negatur aſſumptum, præcipuè ſi vniuerſaliter loquatur, quia illæ alterationes ſolùm inferunt mutationem accidentalem, & licèt naturaliter debebat corrumpi, fuit tamen ex ſpeciali priuilegio reſeruatus, quòd ſi hoc præbet Deus cum alijs Sanctis, quantò magis cū proprio Filio? de quo dictum eſt, *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Ad 4. negatur quoq; aſſumptum, ratio eſt, quia licèt non totus ſanguis erat reaſſumendus, attamen in triduo totus cenſebatur pars corporis Chriſti potentialis, quia totus erat inter ſe vnitus, & vterque vnum totum moraliter conficiebat, non dum enim ſanguis reaſſumendus erat à non reaſſumendo diſcretus, ſed hoc fuit factum in reſurrectione, idcircò ſi anima Chriſti in triduo dixiſſet, *hic eſt ſanguis meus*, certè de vtroque ſanguine intelligi debebat propoſitio, quia totus ille ſanguis cenſebatur eſſe Chriſti, vt optimè aduertit Ioan. de Lugo cit.

100 Contrà primam partem ſecundæ concluſ. arguitur primò: Corpus glorioſum plùs ſanguinis requirit, quàm non glorioſum, eòquia inteſtina, & ſtomacus implentur, non cibo, & fæcis, ſed ſanguine, ergo tantùm abeſt, quòd Chriſtus reliquerit partem ſui ſanguinis, quem tempore paſſionis habebat, quòd potiùs alium aſſumpſit, quē in progreſſu vitę habuit. Tùm 2. D. Athan. in lib. de paſſ. imaginis Domini abſolutè ait, in terris nō adeſſe ſanguinem pretioſum, ſed totum eſſe miraculoſum, vbi refert hiſtoriam de quadam imagine Crucifixi, quā quidam lancea percuſſerant, è qua ſanguis effuſus eſt in magna copia; quæ hiſtoria fuit in ſeptima Synodo generali Nicæna approbata.

101 Reſp. ad 1. ex Scoto in 4. d. 49. q. 41. H. non eſſe opus, in corporibus glorioſis ſtomachum, & alia loca ſanguine repleri, ſed potiùs ſpiritibus ſubtilioribus, quæ multùm agilitati inſeruient; tùm quia ſanguis ille ex vno capite deberet eſſe ſub ſpeciebus vini, ex alio tamen capite non deberet adeſſe, quia ſe haberet ad modum cibi, nec poſſet dici proprius ſanguis Chriſti; ſicut ſi quis biberet aliquid ſanguinis, ſanguis ille in ſtomacho exiſtens non diceretur ſanguis illius; vnde in vltima cœna ſub ſpeciebus panis non fuit cibus in ſtomacho Chriſti exiſtens, quia non erat adhuc aliqua pars corporis. Ad 2. reſpondeo, in illa Synodo fuiſſe tantùm hiſtoriam illam approbatam, non autem omnia in illa contenta, & omnes particulas; quare dictum Athanaſij poteſt reprobari ex determinatione adducta Pij II. Præterquamquòd non eſt certum, an author illius libri fuerit magnus ille Athanaſius Eccleſiæ Alexandrinæ Antiſtes, an verò alter eiuſdem nominis. Vel dicas, & meliùs, hanc authoritatem confirmare ſecundam partem noſtræ concluſionis, quòd ſcilicet non reperiatur in terris ſanguis Chriſti hypoſtatice Verbo vnitus.

102 Dices, quiſnam, & quantus fuerit ſanguis iſte relictus in terris à Chriſto, & quam ob cauſam. Reſpondeo, non poſſe circà hoc afferri certam aliquam determinationem, nam quod aliqui aſſerunt, fuiſſe ſanguinem in horto effuſum, vtpotè imperfectiorem, eſt voluntariè dictum, quia veſtigia huius ſanguinis apparent in cruce, ſpinis, Syndone, &c. tùm quia reuelatio B. Virginis Sāctæ Birgittæ facta loquitur de ſanguine in vulneribus Chriſti reperto: quapropter circà hoc, & circa quantitatem nō poſſumus aliquid determinatum aſſerere, finis autē eſſe potuit ad excitandum in nobis diuini amoris incendium, & recolendam ſuæ paſſionis memoriam; quam ob cauſam, etiam ſi ſanguis ille fuiſſet totus de veritate naturæ humanæ, poterat adhùc relinqui in terris, & defectum aliundè ſupplere, ex alio ſcilicet ſanguine, quē habuit in progreſſu vitæ.

103 Contra ſecundam partem arguitur, oſtendendo ſanguinem, qui in terris colitur, eſſe hypoſtaticè Verbo vnitum. Tùm quia Clemens VI. *in Extrauag. Vnigenitus de pœnit. & remiß.* ait, totum ſanguinem Chriſti *propter vnionem ad Verbum* fuiſſe infiniti valoris. Et idem Pontifex decretum quoddam confecit, vt refert Silueſter cit. directum Inquiſitori Catalonię, quo damnatum fuit aſſertum cuiuſdam Concionatoris dicentis, ſanguinem in Paraſceue effuſum fuiſſe à diuinitate ſeparatum. Tùm 2. eſt commune axioma apud Theologos è Dam. deſumptum, *Verbum, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, ergo ſi ſanguis ille fuit priùs hypoſtaticè vnitus Verbo, etiam poſt reſurrectionem. Tùm 3. ſi ſpecies vini conſecrati fuiſſent reſeruatæ etiam poſt reſurrectionem Chriſti, certe eadem res fuiſſet ſub illis ſpeciebus, ac anteà, ſed anteà erat ibi totus ſanguis Chriſti hypoſtaticè vnitus Verbo, ergo poſt reſurrectionem quoq; totus ſanguis remanſit vnitus, aliter in ſacramento fuiſſet aliquod ſuppoſitum creatum, vt ſupra arguebamus contra Vulpes.

104 Reſpon. primam authoritatem non vrgere, quia loquitur de ſanguine Chriſti in paſſione diffuſo, quem vtiq; concedo, fuiſſe vnitum Verbo, & idem dici poteſt de illo decreto, vnde potiùs vrgent primam opinionem; verum eſt tamen, quòd eſt magna dubitatio de veritate illius decreti, vnde Dominicus de Dominicis Ordinis Prædicatorum in lib. de ſangui-

ne Christi art. 3. in fine ait, non esse authenticum; vide Ioan. de Lugo. Ex quo sequitur, primam opinionem nō esse censurandam vt hæreticam, vel erroneā, quia non adhùc extat clara determinatio facta ab Ecclesia. Ad 2. ait Doctor 3. d. 16. q. 1. assumptum esse verum de partibus principalioribus, non de minùs principalibus, quod non solùm intelligi debet de quibusdam particulis sanguinis, sed etiam carnis, nam in nutritione pars carnis præexistens defluit, & noua generatur, & consequenter fiebat semper noua vnio, vt infrà. Ad 3. respondeo, idem dubium fieri posse de carne, nam si ante circumcisionem fuisset instituta Eucharistia, sub speciebus panis fuisset præputium, post circumcisionē iam præputium non erat amplius Verbo vnitum, quomodo ergo fuisset sub speciebus panis? quapropter dico, in casu nō amplius fuisse sub speciebus vini sanguis illé in terris relictus, eò quia nō fuisset amplius sanguis Christi, & in ordine ad sacramentum se haberet, ac si esset corruptus; Non potest autem idem dici de illo sanguine in triduo, quia tunc verè erat sanguis Christi, & pars potentialis corporis Christi, quia erat ex se reassumptibilis, & alteri sanguini continuus, quòd enim non fuerit reassumptus, processit ex diuina ordinatione.

105 Contra 3. conclus. instatur, nam Aug. epist. 146. dubitat, an in Christo resuscitato sit sanguis, eò quia Christus discipulis dixit, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut mē videtis habere*; & subiungit, *non addidit sanguinem, non ergo nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere*; & iterùm subdit, *si sanguis, cur non pituita? cur non & fel flauum, & fel nigrum?* quibus verbis videtur haberi pro inconuenienti ab Aug. quòd in Christo reperiantur omnes humores. Tùm quia si Christus expuebat in terra phlegma, iam emitteret aliquid hypostaticè Verbo vnitum.

106 Resp. ex illo loco nihil determinatum colligi posse, nam apparet, quòd D. Aug. solùm dubitatiuè loquitur, & protestatur se non velle vlterios inquirere; attamen quòd modò sit sanguis in Christo, est de fide, vt patet ex Concil. Trident. cit., & quamuis à Christo explicitè non fuerit discipulis facta mentio de sanguine, implicitè tamen inclusus fuit in carne; tùm quia sanguis propter fluxibilitatem non est ità tactu sensibilis, vt caro, & ossa. Ad aliud dico, sputum nō esse humorem phlegmaticum, sed excrementum non vnitum diuinitati; tùm quia & si esset verū phlegma, idem dicendum, quod de carnis particula, vel de sanguine è naribus, aut aliquo vulnere emisso; scilicet post separationem nō esse amplius vnitum diuinitati.

Quæstio Sexta.

An natura humana in Christo habeat propriam existentiam.

107 HÆc quæstio si quam habet ineuidentiam, prouenit ex diuersa acceptione huius termini existentiæ; nam Scotus in 3. d. 6. q. 1. distinguit de esse, quòd quatruplex est, primum est esse essentiæ, quod nihil aliud est, nisi ipsa essentia, & quidditas rei, quod esse est distinctum ab essentia in modo concipiendi, vt concretum ab abstracto, & hoc esse vel est in singularibus, si est à parte rei actu, vel in intellectu, si habet esse cognitum. Secundum est esse subsistentiæ, quod est esse actualis existentiæ in seipso non dependentis ad aliud, vt ad suppositum, vt explicui disput. 1. q. 1. Tertium est esse propositionis, quod nō est aliud, nisi veritas ipsius, siuè sit affirmatiua, siuè negatiua, non esse verò propositionis est falsitas ipsius: Quartum est esse actualis existentiæ, quo res actu existit extrà suas causas, id enim, quo res formalitèr habet, vt sit entitas in rerum natura extrà suas causas, existentia dicitur, & est actualitas illa, qua intrinsecè, & formaliter res constituitur extrà nihil, & in actu, quod esse realiter secundùm Scotum non distinguitur ab essentia; an verò formaliter distinguatur, vel ratione, de hoc in metaphysica.

108 Thomistæ verò, præsertim Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. & q. 17. art. 2. aliter distinguunt; Tria, inquit Caiet. sunt in quolibet supposito, scilicet natura, persona, seù subsistentia, & existentia, quæ est actus, quo res existit; & licèt communiter dicatur, existentiam esse actum naturæ, & naturam existere, tamen, ait Caiet. hoc est verum, si natura à supposito, & persona non secernatur, sed supposita distinctione ex misterio Incarnationis cognita inter naturam, & suppositum, debemus dicere, quòd esse, seù existentia est solius suppositi vt Quod, naturæ verò vt principij Quo, sicut & quælibet alia operatio est suppositi, vt principij Quod, naturæ verò, vt principij Quo; quare id, à quo emanat existentia, est natura, cum sit principium Quo, quod verò recipit existentiam, non est natura, sed suppositum, quia hoc se habet vt principiū Quod, seù vt subiectum receptiuum, quod idem est; hinc sequitur, quòd adhòc vt natura principiet existentiam, oportet, vt priùs personetur, non ex defectu naturæ principiantis vt Quo, sed ex defectu principij receptiui, quod est suppositum.

109 Ex hac doctrina duo elicit Caiet. Primum, quòd adhoc vt natura existat, non requiritur, vt ipsa per existētiā actuetur, sicut subiectum dicitur actuari à forma in ipso existente, sed sufficit, quòd ipsa sit, qua aliquid existit, quia modus essendi consonus naturis, & formis est, vt non sint tanquam Quod est, sed vt sint tanquam Quo est, nec plùs eis debetur. Secundum, quod elicit, est, quòd cum natura priùs personetur, quàm existentiam principiet, intimior est ipsi personalitas, quàm existentia, & consequenter si potest præueniri, nè personetur, præuenietur etiam, nè existentiam principiet; quia existētia à natura actualiter non prouenit, nisi in propria persona. Ex his duobus sequitur Tertium, videlicet quòd quando natura assumitur, vt aliena subsistentia personetur, assumitur etiam, vt aliena existentia existat, non quidem vt Quod, sed vt Quo, quia esse naturam alicuius personæ actu existentis est naturam existere, siuè persona illa sit à tali natura constituta, siuè non; ideoq; cùm in Christo natura humana non habeat propriam subsistentiam, nec propriam existentiam habebit.

110 Ex his apparet discrimen inter Scotum, & Thomistas circà explicationem existentiæ; nè igitur in æquiuoco laboremus, antequàm videamus, an natura habeat propriam existentiā in Verbo, priùs oportet examinare, quænam sit vera acceptio existentiæ, an illa Scotica, an illa Thomistica. Pro cuius explicatione duo ostendam; primum, existentiam conuenire essentiæ, seù naturæ, statim ac est in actu, & antequam personatur; secundum, quòd post personationem nullus modus existentiæ aduenit, nec supposito, nec naturæ.

Primum

111 Primum, quòd existentia ante personationem conueniat naturæ, prob. natura, seu quidditas in illo priori naturæ, in quo præcedere intelligitur, non solùm existentiam secúdùm Thomistas, sed etiam subsistentiam, & personalitatem, vel est ens actuale, vel potentiale, nequit dari aliquod medium, quia contradictoriè opponuntur; si secundum, ergo nequit ab ipsa, etiam vt principio Quo, emanare existentia, nec subsistentia, prob. quia quælibet causa, & principium positiuè influens in aliquem effectum non potest esse non ens, & nihil, vt ostendi in Phys. disp. 7. q. 4. art. 1. sed ens potentiale est nihil, & non ens, ergo nequit natura, quæ principium positiuũ ponitur in illo priori, tàm existentiæ, quàm subsistentiæ, esse ens potentiale, & non ens; vel dicendum, quòd non sit principium existentiæ, & subsistentiæ. Imò addo, quòd persona, vt prior est existentia, vel est ens actu, vel potentia, non secundum, quia non posset recipere existentiam in se tanquam in subiecto, quia non ens non potest recipere, & fundare vt subiectum aliquod esse, sed præsupponi debet in actu.

112 Si verò admittatur primum, scilicet esse ens in actu, ergo habet aliquem modum, quo de non esse transiuit ad actum, & vbi priùs erat nihil, & in potentia, modò est ens actuale, & reale, & talem modum vocat Scotus existentiam, ergo existentia conuenit naturæ, antequam personetur. Quòd autem ille modus rectè vocetur existentia, prob. existentia, vt ex vi vocabuli patet, nihil aliud dicit, nisi rationem illam, qua aliquid existit in rerum natura, existere autem est esse in rerum natura in actu, & extra nihil, aliter posset dari medium inter ens in potentia, & ens existens, quod est imperceptibile, ergo quando natura in illo priori dicitur esse ens in actu, rectè dicitur esse, & consequenter existere in rerum natura. Accedit, quòd huic esse actuali naturæ conueniunt omnia, quæ ex stentiæ tribuuntur, ergo &c. prob. anteced. nam primò dicitur, quòd existentia rerum non est æterna, sed temporalis, non necessaria, sed contingens respectu naturæ, non conuenit ex se, sed ab efficiente, hæc omnia conueniunt illi esse actuali, etenim natura non habet hoc esse ab æterno, sed in tempore, non necessariò, sed contingenter, quia potest illo priuari, & conuenit ipsi efficienter à sua causa, non ex se, quia nulla natura potest seipsam actuare, ergo &c.

113 Dices, vnam ex præcipuis conditionibus esse, vt conueniat supposito vt Quod, & hoc illi esse minimè competit, assumptum probatur, quia solius suppositi est operari vt Quod, ergo solius suppositi est esse vt Quod, eius enim est esse, cuius est operari. Cōtrà, quia tunc sequeretur, quòd accidentia separata non existerent propria existentia, imò nec coniuncta, quia non sunt suppositum, quod tamen est falsum, quia possunt esse terminus actionis agentis, vt patet in Sacramento Altaris. Falsum insuper est, solius suppositi esse propriè operari ex disp. 1. num. 25. & seq. Ad summum negari nequit, quin illa actualitas essentiæ existentia vocetur, cum habeat tot conditiones existentiæ, sicut simpliciter loquendo non est solius suppositi esse ens in actu, ergo nec solius suppositi est existere.

114 Secundum, quòd post personationem nullus modus existētiæ adueniat supposito, vel naturæ, prob. ex quo magis confirmabitur primum, nam iste modus superueniens naturæ personatæ est superfluus, cū nihil possit tali naturæ tribuere, non enim tribuit, vt sit ens in actu, quia iam præsupponitur in actu, nec tribuit, vt tali modo sit, scilicet vel in se, vel in alio, quia hoc habet vel per subsistentiam, vel per inhærentiam, si est accidens; neq; potest tribuere existere, quia de hoc quæro, quid addat existere supra esse in actu, & extrà suas causas, quod ab Aduersarijs non potest assignari, nec explicari, ergo prorsùs est voluntarius.

115 Ex quibus omnibus patet, quomodò sine ratione philosophantur Thomistæ, ponentes illum ordinem inter naturam, subsistentiam, & existentiam, illam isti præferendo. Etenim non solum natura est, qua persona existit, sed quæ existit, sicut non solùm est, qua persona est ens in actu, sed ipsa est ens in actu, patet etiam falsitas primi corrolarij, nam licèt natura propriè non actuetur per existentiam, sicut subiectum per formam, quia deberet præintelligi in actu, quod est impossibile, vnde nec persona potest hoc modo actuari, actuatur tamen per existentiam, quatenùs per ipsam formaliter dicitur extra causas esse, & in actu, vbi priùs erat nihil, & in potentia intra suas causas; & consequenter apparet vanitas secundi, & tertij corrolarij. Et ex opposito patet, quomodò Scotus formaliùs sit locutus, magisq; fundamentaliter, dum nō admittit distinctionem inter essentiam realem, & existentiam, cum implicet intelligere naturam in actu, & non existentem propria existentia, quia non potest aliquid existere existentia aliena, nisi propria priuetur, quod esset destruere naturam illam, non existere enim, quod iam existebat, est desinere esse. His obiter adnotatis pro terminorum explicatione, nam potiùs est res metaphysicalis, quàm theologica, de qua vide P. Mastrium Collegam meum in Metaphysica.

116 Dicendum est cum Scoto 3. d. 6. q. 1. quem omnes Recentiores sequuntur in hac quæst. & in metaph. in illa quæst. an essentia realiter ab existentia distinguatur; naturam humanam in Christo propriam habere existentiam, quam conclus. Doctor multis rationibus probat, aliquas tamen adducam. Ista humanitas assumpta non est ens actuale per existentiam increatam, ergo non existit existentia increata, patet conseq. quia esse ens actu, & existere idem sunt ex dictis, antec. prob. primò, quia verè fuit producta à Matre, & à tota Trinitate, etiam vt præsciinditur ab vnione ad Verbum, causalitas verò efficientis non terminatur ad nihil, sed ad ens reale in actu. Secundò, quia si Verbum dimitteret istam naturam, non corrumperetur natura totaliter, vt etiam concedit Caiet. sed nouum esse creatum, ait, sibi acquireret, ergo non potest esse ens in potentia, aliter vt esset in actu, requireretur de nouo cōcursus causæ efficientis. Tertiò, quia relatio actualis præsupponit fundamētum actuale, ergo ista vnio ad Verbum præsupponit naturam actualem; quod etiam de anima patet, nam priùs informabat corpus in sententia aduersariorum, quàm assumeretur à Verbo, informatio autem pertinet ad ens reale actuale, ergo &c.

117 Ad omnes istas rationes respōdent Thomistæ, solùm concludere, naturam debere esse in actu existentem, vel propria existentia, vel aliena; natura in Christo existit existentia aliena; vel naturam in fieri præcedere vnionem, non in facto esse, quo pacto est existens. Sed non percipiunt vim harum rationum, nam probant, naturam, vt est prior vnione hypostatica (& consequenter, vt est prior ad subsistendum hypostaticè, & ad existendum existentia creata, quod

per

per ipsos posterius est) debere esse ens in actu, quia illa omnia naturæ conueniunt in illo priori, & nequeunt, nisi enti actuali, conuenire, ergo cum esse ens in actu, & existere idem sint, sequitur, quòd antequàm assumpta fuit, existebat propria existentia; quòd autem hæc actualitas dicatur ab ipsis in fieri, non in facto esse, iam est refutatum, quia actualitas in facto esse nec explicari, nec intelligi potest.

118 Secundò probari potest ratione merè theologica; nam in septima Synodo act. 6. tom. 3. coll. 8. quæ est secunda Niceni, quidam Epifanius Episcopus distinguit naturam ab hypostasi, & naturam, ait, dicere humanitatem existentem, hypostasim verò addere subsistētiam, cum ergo natura humana sit actu in Christo realiter distincta à Verbo, existet actualiter per existentiam distinctā ab existentia Verbi. Dam. 3. fidei c. 3. ait, Verbum sumpsisse humanitatem, nec substantia, nec existentia priuatam; & c. 21. & 13. addit, humanitatem habuisse existentiam in Verbo, nec per Verbum. Item ex Concil. Tol. 6. & 11. in confess. fidei, Verbum non suscepit humanitatem in id, quod est commune toti Trinitati, sed in id, quod est proprium Filij; & ex 6. Synodo Pater, & Spiritus Sanctus non communicant in assumptione humanitatis, nisi benignissimam voluntatem efficiendo vnionem, sed si humanitas assumpta fuisset ad existētiam diuinam, Pater, & Spiritus Sanctus, non solùm efficienter, sed formaliter communicassent existentiā, ergo &c. probo min. quia Verbum etiam in sent. Thomistarum existit existentia absoluta cōmuni tribus, ergo si humanitas existit existentia increata, vnio nō fuisset facta in id, quod est proprium Filij, sed in aliquo essentiali, & communi.

119 Contrà arguunt primò, authoritate Sophronij in epist. approbata in 6. Synodo act. 11. dicentis de humanitate Christi, *In ipso*, idest in Verbo, *& nō in se habuit existentiam vnam cum Verbo*; Dam. 3. fidei c. 22. *Humanitas Christi existit existētia Verbi* ità arguit Medina; Item Leo Papa epist. 11. ait, humanitatem Christi ipsa assumptione fuisse creatam; Fulgent. lib. de Incarnat. cap. 3. *Ipsa acceptatio carnis fuit conceptio virginalis*.

Resp. primas duas authoritates non fideliter adduci à Medina, vt notat Suarez disp. 36. sect. 1. nam ly *cum Verbo* non habetur à Sophronio, sed solùm ait, *In illo, & non in semetipsa habuit existentiam vnam*, quod quidem est verum, & nostram confirmat sententiam, quia humanitas Christi habuit propriam existētiam, non in se subsistentem, sed in Verbo. Similiter Dam. habet tātùm hæc verba, *Carnē ab vltimo ortu Deo Verbo vnitam esse, imò potius in ipso extitisse, ac personalem cū eo identitatem habuisse*, quæ authoritas explicatur, vt prima; aliæ duæ authoritates solùm affirmare intendunt, humanitatem in eodem instanti temporis extitisse, & fuisse à Verbo assumptam, vt disp. seq. dicetur, itaut non mediarit tempus inter productionem humanitatis, & assumptionem eiusdem; vt etiam explicauimus disp. præced. num. 53.

120 Secundò, existentia est proprietas, & actus personalis, quia suppositum est, quod per se primò fit, & generatur, ergo existere per se primò conuenit supposito, ergo humanitas in Christo existit existentia suppositi, quæ est increata. Tùm 2. terminus generationis temporalis est persona in humanitate existēs, sed in Christo non est, nisi persona increata, ergo etiā existit sola existentia increata. Tùm 3. sequeretur, has naturas non esse substantialiter vnitas, quia vt duo substantialiter vniantur, necesse est, vt vnum sit quasi in potentia ad esse alterius, ergo vt humanitas dicatur Verbo substantialiter vnita, debet esse in potentia ad esse Verbi. Tùm 4. tunc Verbum existeret existentia creata, & existentia creata esset perfectio Verbi, & B. Virgo non esset mater Dei.

121 Resp. ad 1. neg. assumptum, quia existentia est actus entitatis realis, siuè sit suppositum, siuè non, ad probat. patet ex dictis disp. 1. n. 53. suppositum primò fieri secundùm vltimam denominationem; sed quod accipit esse actuale, est ipsa natura singularis, licèt non vltimatè. Ad 2. assumptum esse verum de termino vltimato, & de subsistentia vltimatà, verùm terminus proprius est natura humana existens, nō in se, sed in Verbo. Ad 3. neg. seq. sæpè dictum est, hanc vnionem dici substantialem, quia factam in subsistentia, quæ est modus substantialis, non quia factam in existētia naturæ, vnde falsa est probatio sequelæ. Ad 4. prima sequela verificatur de Verbo, vt homine, non vt Deo; secunda sequela est falsa, quia Verbum est terminus huius existentiæ dependentis, neq; se habet vt actus, neq; vt potentia. Similiter tertia seq. negatur, quia B. Virgo dicitur mater Dei, eòquia in eodem instanti temporis, in quo produxit humanitatem in rerum natura existentem, fuit humanitas Verbo vnita, vt suo loco dicetur.

122 Tertiò, existere in aliquo est existere existentia illius, vt patet, de accidentibus, humanitas existit in Verbo, ergo &c. Tùm 2. existentia est vltimus terminus naturæ, ergo præsupponit personalitatem, non præcedit. Tùm 3. in Christo est vnum esse, ergo vna existentia, antec. prob. ex Sophron. cit. *Est vnum, & duo, vnum secundùm subsistentiam, atq; personam, duo verò secundùm ipsas naturas, ex quibus esse vnum sortitur, natura duplex*. Tùm 4. natura non minus pendet ab existentia, quàm à subsistentia, ergo si Verbum suppleuit subsistentiam, existentiam quoq; suppleuit. Tùm 5. humanitas vnitur Verbo, non vt forma materiæ, neq; vt actus potentiæ, ergo non vnitur vt dans esse, sed potiùs vt recipiens esse. Tùm 6. infinitum non recipit esse à finito, ergo Verbum non recipit esse ab humanitate, sed è contrà. Tandem Christus haberet duo esse, ergo esset duo entia, quod est falsum.

123 Resp. ad 1. existere in alio, vt terminetur existentia, est existere existentia illius, nego, imò præsupponitur existentia rei terminatæ, ità se habet humanitas in Verbo, & accidentia in subiecto. Ad 2. neg. assumptum ex dictis num. 114. Ad 3. negatur antec. de esse existentiæ, conceditur de esse subsistentiæ, & personali, quo sensu intelligitur Sophronius; Ad 4. neg. etiam assumptum, quia subsistētia realiter à natura distinguitur, existentia est realiter identificata; Dices, existentia non est perfectio essentialis naturæ, ergo eodem modo se habet sicut subsistentia. Resp. de natura secundùm esse essentiæ concedo, secundùm esse actuale, & reale, nego. Ad 5. solùm sequi, humanitatem nō dare esse Verbo per informationem, sicut neq; per informationem vnitur, posse tamen dare esse per simplicem vnionem. Per idem ad 6. Ad vltimum concedo, Christum habere duo esse, nego tamen esse duo entia ex dictis disp. præced. q. 3.

Posset adhùc instari illis rationibus, quibus Thomistæ ostēdere conātur, existentiam realiter ab essentia distingui; sed hoc ad metaphysicam spectat.

Quæstio

Quæstio Septima.

An humanitas in Christo habuerit defectus ipsi naturæ connaturales.

124 Defectus humanitati connaturales sunt in duplici differentia, quidam pertinent ad animam, quidam ad corpus; primi generis alij pertinent ad intellectum, vt ignorantia, admiratio, alij ad voluntatem, vt peccatum, ira, timor, &c. defectus corporis etiam sunt in duplici discrimine, quidam sunt generales consequentes naturam in communi, idest qui omnibus hominibus conueniunt, vt fames, sitis, defatigatio, mors, &c. alij sunt speciales, qui non omnibus conueniunt, sed aliquibus ex peculiari quadam causa, & ratione, vt ægritudines, deformitas in membris, &c. Insuper hi defectus corporales possunt dupliciter considerari, vel in ordine ad naturam in statu naturali spectatam, & sic dicuntur naturales, quia prouenium ex principijs intrinsecis ipsius naturæ, quia scilicet ex materia, & contrarijs constat, & in nutritione agendo repatitur; vel considerantur in ordine ad naturam, prout in statu innocentiæ erat constituta, quomodò erat multis donis prædita, & præcipuè iustitia originali, quibus prædictos defectus poterat vitare, & hac ratione dici solét defectus pœnales, eo quia propter peccatum fuit homo priuatus supernaturalibus donis, & consequenter incurrit in illos defectus. In præsenti non loquor de defectibus animæ, quia requirunt specialem discussionem de scientia, voluntate, & impeccabilitate Christi; solùm erit sermo de defectibus corporis.

125 Et quidem de fide est, Christum assumpsisse defectus consequentes naturam in communi, quia verè habuit corpus passibile, & mortale, non enim est vera opinio quorumdam Hæreticorum, Christum habuisse corpus gloriosum in se, & solùm apparêret passum fuisse; nam *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*; vnde verè esurijt, sitiuit, & in itinere est defaticatus, vt habetur in sacra Scriptura, similiter verè mortem, & crucifixionem est passus, Lucæ 24. *Nonnè oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*, 1. Petri c.2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*; &c. Nec vrget, quòd in Psal.15. & Act. 2. dicatur, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; non vrget, quia illis verbis solùm excluditur corruptio, & putrefactio corporis post mortem, non verò passio, & ipsa mors. Ad redemptionem igitur nostram valdè conueniens diuinæ bonitati fuit, assumere corpus non gloriosum, nec impassibile, sed passibile, & mortale, vt ex morte ipsius vita spiritualis originaretur.

126 Deinde non assumpsit defectus consequentes naturam in particulari, non enim fuit deformis, sed pulcherrimus, iuxtà illud Psal. *Speciosus forma præ filiis hominum*, vnde à Patribus maximopere comẽdari solet Christi pulchritudo; Chrisost. hom. 28. in Matt. *Sicut insignis perficiendis miraculis fuit, ita visu gratiosissimus fuisse dicitur*; & quidem suadebat ratio, cum enim ex purissimis sanguinibus Spiritus Sancti ope fuerit conceptus, decens erat, vt ex omni parte esset perfectus, quia Dei perfecta sunt opera; tùm quia maiestatis, pulchritudinis venustas cum summa modestia, & virtute maximè incitat ad deuotionem, & reuerentiam. Neque etiam fuit morbis, febribus, & ægritudinibus subiectus; quia corpus Christi constabat ex optimo temperamento, & complexione, nec ipse immoderatus fuit in cibo, & potu, neque à cæli intemperie, vel aeris corruptione pati poterat, quia ab intrinseco propter aptissimum temperamentum sufficienter resistere poterat, vnde si non fuisset Christus morte violenta interfectus, naturaliter senio confectus per resolutionem caloris naturalis fuisset mortuus; nisi tamen poneretur casus, quòd vires causarum extrinsecarum valdè augerentur, nam tunc cõcederem, potuisse Christum aliquam infirmitatem incurrere ab extrinseco. Verùm est tamen, quòd virtualiter, & eminenter propter intensissimam passionis acerbitatem omnes nostros dolores sustinuit; vnde dictus est ab Isa. *Vir dolorum, & sciens infirmitatem*.

127 Solet tamen hic dubitari, an necessariò Christus assumpserit hos defectus, & præcipue an habuerit necessitatem moriendi, an verò erat in sua potestate illos respuere; & quidem possunt vtique hi defectus dici voluntarij voluntati humanæ Christi in ratione obiecti, iuxtà illud *oblatus est, quia ipse voluit; Corpus autem aptasti mihi, tunc dixi ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuã, Deus meus volui*; sed est sermo specialiter per modum effectus, an scilicet poterat voluntas Christi impedire has passiones, & non impediuit.

128 Suarez distinguit de anima, & voluntate Christi, vel enim considerantur secundùm vires naturæ, & vt sic non poterant impedire, vel vt instrumentum diuinæ omnipotentiæ, & hac ratione affirmat potuisse impedire. P. Vulpes disp.8. vsque ad art.8. distinguit ex alio capite; ait enim, quòd isti defectus naturales possunt dupliciter considerari, vel secũdùm ordinem naturæ, vel secundùm ordinem gloriæ, & vnionis hypostaticæ; primo modo necessariò contingebant in Christo, nec poterant impediri ab anima; at secundo modo, quia ex regula generali anima beata debet informare corpus quoque beatum, & gloriosum cũ dotibus gloriosis, quarum vna est impassibilitas, quæ regula fuit cum corpore Christi dispensata ex speciali decreto, quo Deus determinauit, Verbum assumere corpus passibile, cuius animæ beatitudo non redundaret in corpus, idcircò mors Christi simpliciter fuit supernaturalis, quia scilicet ex hoc miraculo, quo suspensa fuit redundantia beatitudinis animæ in corpus, & secundùm quid naturalis, quatenùs scilicet supposito illo miraculo, quo cõstituitur corpus in esse naturali, naturaliter ab extrinsecis agẽtib' patiebatur. Sed addit art.6. hãc mortẽ fuisse in potestate animæ Christi, itaut etiam suppositis omnibus præreqisitis ex parte iudicorum ad inferendam Christo mortem, poterat anima Christi prohibere propriam separationẽ à corpore. Fundamentum ipsius est, quia putat, dotes gloriosi corporis esse sub expedito vsu Beatorum, vt in potestate voluntatis Beati erit iterum mori, vel nõ mori, si Deus ipse permitteret, iterùm pro amore Dei sanguinem fundere; licet ergo Christus ab instanti suæ conceptionis acceptauerit mortem, & corpus habere passibile, supposito decreto Dei concomitante, non antecedente, quod auferret libertatem, tamen potestatem adhùc habebat transfundendi beatitudinẽ animæ in corpus, & consequenter per dotem impassibilitatis impedire passionem, mortem, & omnes defectus, idcircò non necessariò, sed liberè est mortuus.

Dico

129 Dico tamen, animam Christi beatam secundùm proprias vires non habuisse potestatem impediendi suam mortem, & passionem, nec vt in se consideratam, nec vt instrumentum diuini Verbi, sed necessariò subijsse mortem, licèt voluntariè illam acceptauerit. Prima pars, quòd anima beata Christi secundùm proprias vires non habuerit talem potestatem, est contrà Vulpes, & habetur expresè à Scoto 3.d.16. q.2. infra G. & ad 2. & 3. princ. vbi apertissimè docet Scotus, non fuisse in potestate animæ Christi effugere mortem, & passionem; & probatur, eòquia supposito illo miraculo, quòd animæ beatitudo non redundasset in corpus, iam corpus remanebat passibile, & subiectum alterationi, & corruptioni; nec erat in potestate animæ, actiones horum agentium impedire, ergo &c.

130 Resp. Vulpes, si anima consideretur in ordine naturæ, verum est argumentum, at si consideretur, vt constituta in ordine superiori gloriæ, & vnionis hypostaticæ, falsa est minor, quia ex suo arbitrio poterat beatitudinē corpori communicare, & per dotem impassibilitatis impedire actionem extrinseci contrarij. Contrà, quia Scotus cit. loquitur absolutè, & de anima beata, quia considerat humanitatem, quatenùs habet animam beatam cum corpore passibili, & ait, esse impossibile respectu huius animę beatæ, effugere mortem. vnde lit. I. habet hæc verba, *ponere, vel separare effectiuè attribuitur Verbo, sed terminatiuè, vt à quo separetur anima, idest à corpore, conuenit sibi ratione humanæ naturæ*, & infrà, *Vt homo accepit mandatum ponendi animam; idest de complacendo, & patiendo animam poni, sed non effectiuè, itaquod ponere animam, & non ponere fuerit in potestate animæ eius*; Tùm quia dos impassibilitatis, per quam debebat impediri passio, nō erat in potestate animæ Christi vt beatæ, ergo neq; suspēsio mortis, & passionis fuit in potestate eiusdem; conseq. patet, antec. prob. dos impassibilitatis ex Scoto 4. d. 49. q. 13. § *Dico ergo*, nil aliud est, quàm ipsa assistentia diuinæ volūtatis impedientis actionē cuiuscunq; corruptiui, & in anima solùm dicit ius quoddā ex meritis in istam diuinam custodiam sibi impendēdam; sed ista diuina assistentia non erat in potestate animæ Christi beatæ, aliter Deus habuisset simul duo decreta contraria, scilicet corpus Christi esse passibile, & impassibile, ergo &c.

131 Tum quia, quòd modò corpus Christi gloriosum non patiatur à contrarijs extrinsecis, non prouenit effectiuè ab anima beata Christi, ergo multò minùs, quando corpus non erat gloriosum, poterat anima impedire passionem; prob. antec. ex Scoto in 4. cit. F. vbi respondens cuidam argumento, quo probabatur, animam beatam posse impedire passionem sui corporis, eòquia habebit perfectum dominium suprà corpus, ait, *Ad primam de dominio animæ suprà corpus respondeo, Deus tunc non faciet voluntatem animæ omnipotentem, & ideo nec potentem facere, quicquid volet fieri, sed sufficit sibi, quod quicquid volet fieri, fiet; & sic corpus suum perfectè subdetur voluntati suæ, hoc est, erit sicut volet, sicut ipsa subditur Deo, sed ipsa subditio corporis sui erit effectiuè à voluntate diuina*; ergo secundùm Scotum præseruare corpus gloriosum non est effectiuè ab anima, sed à diuina voluntate.

132 Dices pro Vulpes; in hoc quòq; sensu ab Ipso concedi, animam Christi potuisse impedire passionē, quatenùs scilicet sicut liberè acceptauit passionem, poterat non acceptare, & non acceptando, Deus præseruasset corpus à morte. Sed contrà, quia vt suo locō videbitur, Christus non acceptauit mortem secundū liberum vsum libertatis, aliter potuisset peccare in potentia proxima, quia potuisset transgredi diuinum præceptum. Tùm quia vel Deus habebat concursum paratum ad elicitionem nolitionis ab anima Christi in ordine ad passionem, & etiam ad præseruationem corporis à corruptione, stante nolitione in voluntate Christi, vel non habebat talem concursum, si secundum, ergo nullo modo præseruatio à passione erat in potestate animæ Christi; si primum, ergo Deus non habuisset determinatum decretum, Verbum venturum in carne passibili, quia hoc decretum repugnat cum illo.

133 Dices etiam, Deum non habuisse illum concursum paratum, adhùc tamen dici posse, animam Christi liberè non impediuisse passionem, quia cum voluntas humana Christi virtualiter cōtineatur in voluntate Dei, virtualiter quòq; assensit illi decreto de carne passibili, quod decretum, cum sit concomitans, non antecedens, non aufert libertatem. Sed iam dixi hoc non sufficere ad libertatem proximam, sed adhùc requiri concursum paratum ad oppositum, quem nō habuit Christus, vt dicam in disp. de voluntate. Tandem quod addit Vulpes de Beatis, est falsum, quia si circà elicitionem illius actus habent expeditum vsum libertatis, iam foret meritorius, & consequenter Beati nō essent in termino; Tùm quia vt ex Scoto dicebam, dos impassibilitatis est assistētia diuinæ voluntatis impediens omne corruptiuum, quæ est impermutabilis, ergo licèt Beati vellent iterùm pro Christo mori, non ob id tale desiderium poneretur in actu; ergo dos impassibilitatis non est in libera potestate Beatorum.

134 Secunda pars, quòd neq; vt instrumentum diuini Verbi anima Christi potuerit impedire passionē, probabitur infrà, cum de potentia Christi in ordine ad patranda miracula agetur. Quapropter licèt anima Christi liberè, & non coactè acceptarit mortem in ratione obiecti, necessariò tamen Christus est mortuus, supposito miraculo, quòd animæ beatitudo non redundauerit in corpus.

Sed contrà primam partem arguitur primò; mors fuit inflicta in pœnam peccati, Christus nullū habuit peccatum, ergo nullam habuit necessitatem moriendi. Tùm 2. anima Christi fuit omnipotens, ergo potuit impedire mortem, antec. prob. quia fuit omnisciens, ergo & omnipotens, quia non est minoris perfectionis omnia scire, ac omnia posse. Tùm 3. omnis mors secundùm medicos prouenit ex aliqua ægritudine, Christus non assumpsit morbos, & ægritudines, ergo &c. Tùm 4. Christus sciuit, quantum necesse fuit sumere ad tātam restaurationē deperditi, vt tantum restauraretur in nutritione, quantum fuit deperditum, ergo non habuit necessitatem moriendi.

135 Resp. ad 1. ex Scoto 3. d. 16. q. 1. mortem in genere moris, & demeritoriè esse effectum peccati, & ex hoc capite Christus nō habuit necessitatem moriendi, qualem habuerunt primi nostri parentes post peccatum; at in genere naturæ potest habere causam physicam inducentem necessitatem moriendi, quia posita causa non impedita, si est naturalis, ponitur effectus, & hæc necessitas fuit in Christo. Ad 2. ex eodem nego antec. cum probatur, nego conseq. cum probat. quia ad posse omnia producere requiritur in potente forma vna, vel plures, in qua, vel in quibus radicetur potentia omnium possibilium possibilitas

tur

stendorum, & talis forma nõ est dabilis, quia esset infinitæ virtutis; at ad posse omnia cognoscere nõ requiritur, nisi potentia intellectiua, & species cognoscibilium, quarum anima est capax; hinc maior virtus requiritur ad producendũ aliquid in esse reali, quàm in esse cognito. Ad 3. dictum medicorũ intelligitur regulariter; vel dicendũ, etiã debilitationẽ caloris naturalis ex cõtinua actione in alimẽtum, ex qua tandẽ sequitur mors viuentis per resolutionẽ, modo explicato in lib. de Gen. disp. 8. q. 9. dici posse egritudinẽ, de qua nõ intelligitur illud dictũ, quòd Christus nõ assumpserit infirmitates, quia hæc infirmitas sequitur naturã viuentis in cõmuni. Ad 4. ait Doctor, adhùc cõtingere mortẽ, quia propter alimenti impuritatẽ, & reactionẽ ipsius in potentiam vitalẽ naturaliter debilitatur virtus, vt tandẽ fiat mors per resolutionẽ partium; vide loc. cit. vbi etiã locutus sum de ligno vitæ, an potuisset preseruare hominẽ in æternũ, vt nõ moriatur.

136 Dices, si in restauratione per nutritionẽ priores partes euanescebant, & nouæ adiungebantur, igitur semper, & continuum miraculum vniendi partes illas Verbo fiebat in Christo, quod nõ videtur dicendum. Respondet Doctor, quòd noua pars non fuit nouo miraculo vnita, sed antiquo, quo primò totum corpus fuit vnitum Verbo, & consequenter vnitur etiam omnis pars actualis totius.

Secũdò arguit Vulpes multis authoritatibus, quib⁹ ostẽditur, in potestate animę Christi fuisse mori, & nõ mori; vt Ioan. 10. *Potestatẽ ego habeo ponendi animam meã, & iterùm sumẽdi eam*; Matt. 26. *An putas, nõ possũ rogare Patrẽ meum, & exhibebit mihi modo plusquàm duodecim Legiones Angelorum*; Hæbr. 7. *Qui proposito sibi gaudio* scilicet sui corporis ex gloria animę regulariter resultãdo, *sustinuit Crucẽ*; Isa. 52. *Oblatus est, quia ipse voluit; Si posuerit animã suã, videbit semen lõgæuum*; & cõsimiles authoritates adsunt. Tùm 2. anima Christi perfectissimè dominabatur corpori, ergo poterat impedire omnẽ actionẽ corruptiuam. Tùm 3. Christus Ioan. 10. accepit mandatũ à Patre, scilicet ponẽdi animã, sed nõ accepit mandatum, nisi vt homo, ergo vt homo habebat talẽ potestatẽ, nam præceptũ datur de his, quæ sunt in nostra potestate. Tùm 4. in Euangelio habetur, Christũ cum clamore valido amisisse spiritũ, quod signũ fuit gratis præuenisse horã mortis, ergo liberè, & ex sua potestate posuit animã suam. Tandẽ Christus nõ solùm volũtariè acceptauit mortẽ, sed etiã adhibuit media, *Surgite eamus, ecce appropinquat, qui tradet me*; ergo fuit in sua potestate passio.

137 Ad 1. resp. Scotus, quòd ly ego in supposito, & apposito stat pro eadem persona, sed nõ secundùm eandẽ naturã, & est sensus, ego scilicet suppositũ Verbi, secundùm naturã diuinã pono animã meam à me ipso secundùm naturã humanã, quia animã separauit à corpore, nõ à Verbo; ità quòd ponere, vel separare effectiuè, ait Doctor, tribuitur Verbo, sed terminatiuè vt à termino à quo conuenit sibi ratione humanæ naturæ. Secũda authoritas est pro nobis, demonstrat enim nõ cõuenire sibi hanc potestatẽ, vt est homo, effugiendi mortẽ, sed Deo, & solùm infert, Christũ voluntariè acceptasse passionem in ratione obiecti; quod etiã innuunt reliquæ authoritates. Ad 2. si per dominiũ perfectissimũ intelligatur absolutũ dominũ, & dispoticum, quò ad omnia, falsum est assumptũ, inquit Doctor, quia anima suprà corpus nõ habet tale dominium, imò minùs suprà corpus, vt vegetans est, quàm suprà potẽtias sensitiuas, quia istas poterat impedire, nẽ exirẽt in actus suos, nõ tamẽ potẽtias vegetatiuas, si alimẽtum haberent applicatũ; at si per dominiũ perfectissimum intelligatur suo modo, & respectiuè ad alias animas aliorũ hominũ, est verũ assumptũ, quia præcipuè quò ad potentiã motiuã poterat mouere localiter corpus vbicunq;, & quãdocũq;, ex hoc tamẽ nõ sequitur, potuisse impedire passiones, & dolores in potẽtijs sẽsitiuis. Ad 3. ait Scotus, quòd Christus accepit à Patre mandatũ ponẽdi animã, idest cõplacẽdo, & patiendo animã poni, sed nõ effectiuè, itaut ponere animam, & nõ ponere fuerit in potestate animæ eius; hinc lit. G. docet Scotus, quòd volũtas potest habere actũ meritoriũ circa aliquod obiectũ, quod nõ est in potestate sua, imò quod est necessariũ, & impossibile aliter se habere, cõplacendo scilicet de illo obiecto, & illud acceptando. Ad 4. ait Scotus, clamorẽ illũ validũ fuisse miraculũ ex potentia Verbi. Ad 5. solùm infert voluntariam acceptationem, non verò omnimodam potestatem effugiendi mortem, etiam positis omnibus perequisitis ex parte Iudęorum. Tota hæc doctrina clarior reddetur ex disp. de voluntate Christi.

138 Dices, Christus quamuis suspensionẽ haberet redundantiæ beatitudinis animę in corpus, adhùc tamen habebat potestatẽ vtendi dote agilitatis, & subtilitatis prolibito suæ voluntatis, vt patet, cum Lucæ 4. *Trãsiens per mediũ illorũ ibat*, & Ioan. 8. *Abscõdit se, & exiuit de tẽplo*, & cum de vtero Virginis egressus est, relinquens claustra Virginitatis intacta, ergo idem de dote impassibilitatis dicendum. Tùm quia Matth. vlt. ait Christus, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, ergo habuit etiam hanc potestatem.

Resp. ad 1. negando paritatẽ, quia vt notat Doctor in 4. d. 49. cit. agilitas cõsistit in principio actiuo mouendi corpus inorganicè, quod principiũ inest animę, & consequenter effectiuè potest cõcurrere ad motus agilitatẽ, at impassibilitas est assistẽtia diuinę volũtatis impedientis actionẽ cõtrarij, quę assistẽtia nõ fuit data Christo in hac vita, stante decreto suscipiendi carnẽ passibilẽ, & mortalẽ, vnde nõ est par ratio de ista dote, & de alijs, nã aliæ poterãt saltim ad tẽpus cõmunicari corpori Christi, sicut etiã in transfiguratione fuit cõmunicata claritas, quia nõ extabat decretũ immediatè oppositũ, sicut erat decretũ oppositũ doti impassibilitatis; an autem aliquando corpus Christi habuerit ad tempus hanc dotem, non est ratio conuincens pro altera cõtradictionis parte. Ad 2. ibi sermonem propriè esse de potestate iudiciaria, & præeminentiæ in genere moris iudicandi vniuersaliter de omnium meritis, ac demeritisque Christo vt homini fuit concessa virtute passionis, & meritorum.

139 Tandem circa hanc materiam solet dubitari, an Verbum assumpserit humanitatem circumscriptiuè in loco existentem, an verò ex vi vnionis humanitas fuerit vbiq; Quidam hæretici affirmant.

Verùm est cũ Scoto not. in 4. d. 10. q. 2. K. quòd vbiquitas est duplex, prima, quæ intrinsece conuenit, & cõnaturaliter alicui, & hæc cõuertitur cũ immẽsitate, & est propria solius Dei, altera, quę ab extrinseco, scilicet à Dei volũtate cõuenit alicui, & hæc potest cõmunicari creaturę, & multò magis humanitati Christi, loquẽdo de possibili, at de facto nõ fuit cõmunicata, neq; ante, neq; post resurrectionẽ, vt patet ex sacra scriptura, Ioan. 6. *Cũ vidisset Turba, quòd Iesus nõ esset ibi*; c. 11. *Vt sciatis, quia nõ erã ibi*, & c. 16. *Relinquo mũdũ, & vado ad Patrẽ*, Marci 16. *Surrexit, nõ est hic*; & aliæ similes habẽtur, quæ nõ debẽt explicari de pręsentia visibili,

sed de vera, & reali præsētia, vt fecerūt Patres, & Cōcilia, vt est videre apud Suarez disp. 32. sect. 4. aliter in rigore nō posset dici, inclusum fuisse Christū in vtero Virginis, in sepulcro, &c. Tùm quia hæc vbiquitas nō conuenit ex vi vnionis hypostaticæ, vt patet, quia caput v. g. vnitur animæ, non tamen pedi; licet pes sit animæ quoq; vnitus; neq; conuenit ex diuino beneplacito, quia nullam habemus reuelationem in sacra scriptura de isto dono, imò oppositum colligitur, ergo &c.

140 Dices, Verbum est vbiq; Christus est vbiq; ergo homo est vbiq; quia Christus vbiq; est homo. Tùm 2. quia per hanc vnionem fuit facta communicatio idiomatum, & proprietatum. Tùm 3. Christus implet omnem differentiam temporis, Hæbr. 13. *Iesus Christus heri, & hodie, ipse, & in sæcula*. Tum 4. *Data est mihi omnis potestas*; & ad Ephæs. 4. *Ascendit in cælum, vt impleret omnia*, ergo omnem locum.

Resp. ad 1. Christus est vbiq; per communicationem idiomatum ratione suppositi, negatur tamen conseq. cum dicitur, Christus vbiq; est homo, si ly vbique cadit supra suppositum, est vera propositio, quia sensus est, Christi suppositum, quod est vbiq; est homo, at si cadit supra hominem, est falsa, quia sensus esset, quòd vbiq; Verbum haberet humanitatem assumptam; & ratio est, quia Verbum est illimitatum, humanitas limitata, idcircò non necessariò replicari debet ad præsentiam Verbi, vt patet de anima rationali, & partibus corporis, vide in Phys. disp. 11. in fine. Ad 2. communicatio idiomatum solùm est vera quò ad prædicationem mutuam proprietatum, non autem quò ad exhibitionem realem proprietatū, aliter fuisset facta mixtio naturarum. Ad 3. illa authoritas intelligitur de Christo quò ad suppositum, aliter humanitas Christi fuisset ab æterno. Ad 4. primam authoritatem iam supra explicui; secunda intelligitur de adimpletione omnium, quæ dicta fuerā à Prophetis de Christo; iuxta illud Lucæ 24. *necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt de me*, vel vt impleret omnia, non simul, sed successiuè, quatenùs per descensum ad inferos, & ascensum ad cælos omnia loca infima, media, & suprema implet sua gloria, virtute, & triumpho.

Disputatio Quarta.

De ordine assumptionis.

QVæ fuerunt à Verbo assumpta, ex dictis disp. preced. fuerunt corpus, anima, tota humanitas, & suo modo etiam accidentia; hinc quæritur in præsenti, quo ordine fuerint assumpta, & potest esse duplex ordo, alter temporis, & durationis, an scilicet aliqua istorum, vel omnia fuerint priùs tempore in rerum natura, quàm Verbo vnita, alter ordo est naturæ, explicatus in Log. disp. 9. q. 2. item potest quæri dubitatio de ordine intentionis, & de ordine executionis.

Quæstio Prima.

An humanitas, & partes essentiales simul tempore à Verbo fuerint assumptæ.

1 IN hac quæstione non est controuersia inter Catholicos, solùm est dissidium cum antiquis hæreticis; breuiter igitur.

Dico primò, humanitatem Christi nunquam extitisse in rerum natura absq; vnione, sed à principio suæ conceptionis vnitam fuisse Verbo; ita Doctor 3. d. 2. q. 3. estq; de fide, definita contra Cherintū, & Nestorium in Concil. Ephes. 1. can. 13. Calcedon. act. 5. Tolet. 11. in profess. fidei; quam probat Doctor, quia si humanitas Christi tēpore præcessisset hypostaticā vnionē, sequeretur, B. Virginē nō genuisse filiū Dei, nec esse matrem Dei, quia iam ipsius actio fuisset terminata ad purum hominem. Tùm quia tunc nō esset illa humanitas digna summo honore, & tamen inquit Apostolus Hæbr. 1. *Et cū iterùm introducit Primogenitum in orbē terrarū, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius*; ergo tunc, i. in instanti conceptionis Christi, fuit Christus adoratus vt verus filius Dei ab Angelis. Ex quo consequenter deducitur, partes, scilicet corpus, & animam, nō priùs tēpore fuisse inter se vnitas, quàm assumptas à Verbo, nam statim àc partes sunt inter se vnitæ, resultat humanitas, ergo si humanitas nunq; fuit sine vnione ad Verbū, nec partes fuerunt inter se vnitæ, & à Verbo separatæ; vide disp. 2. num. 62.

2 Dico secundò anima Christi non priùs tempore fuit creata, quàm Verbo, & corpori vnita; est Scoti ibidem, estq; contra Origenem, qui vt retuli in lib. de Anima disp. 1. q. 7. putauit, animas rationales extrà corpora fuisse creatas, quod esse falsum, determinatum fuit in 5. Synodo, vt habet Niceph. lib. 17. Hist. c. 28. tàm de anima Christi, quàm de omni alia; idem docet Leo Papa epist. 11. cum igitur omnis anima sit simul tempore producta, & corpori vnita, idem dicendum de anima Christi, quia non adest authoritas aliqua sacræ Scripturæ ostendens peculiare aliquod priuilegium animę Christi quò ad tempus creationis. In eodem igitur instanti temporis anima fuit creata, Verbo vnita, & corpori infusa.

3 Dico 3. si loquamur de perfecta, & vltimata conceptione corporis Christi, quæ est vltima dispositio ad animam, non priùs tempore corpus fuit conceptum, quàm animę vnitum, nec priùs tempore animę vnitum, quàm Verbo, vel è contrà; ita Doctor cit. & prob. quia ad vltimam dispositionem sequitur introductio animæ in corpore, aliter homo non diceretur generare alium hominem, vt dixi disp. 8. de Gen. q. 2. art. 2. quia esset terminata, & vltimata ipsius actio, & quia in eodem instanti fuit vnio animæ, & corporis, humanitas, & vnio istorum ad Verbum, hinc corpus non fuit priùs tempore animę, vel Verbo vnitum tantùm. Intelligitur tamen hæc conclusio de corpore in eo statu, qui ad animationem exigitur, non nego tamen, quin posteà assumpserit Verbum alias partes, vt dentes, oculos, &c. imò & easdem maiores vsq; ad perfectam magnitudinem corporis humani.

4 Dixi, si loquamur de perfecta, & vltimata conceptione; nam Scotus cit. & d. 4. q. vn. probabilem putat opinionem illam asserentem, corpus Christi fuisse in tempore formatum in vtero Virginis, licèt non vnitum, nisi in instanti animationis, attamen ibidem probabiliorem putat oppositam sententiam, scilicet corpus Christi non fuisse in vtero formatum prauiis illis alterationibus, quæ in vtero mulieris tempore præcedunt animationem, sed in instanti fuisse perfectè formatum, animatum, & Verbo vnitum; quod quidem est conformius Sanctis Patribus, præcipuè Basil. hom. 25. de humana Christi conceptione, vbi loquens de corpore Christi, ait, *Conceptum namq; illicò perfectum, non per interualla paulatim formatum*

natum. Quomodò autem id potuit contingere, & quo pacto B. Virgo potuerit actiuè concurrere ad formationem corporis Christi, dicetur suo loco.

5 Ex his quoq; sequitur, accidentia tàm animæ, quàm corporis, & humanitatis simul tempore fuisse suo modo vnita Verbo, quia substantia, nec per instans, est accidentibus omninò spoliata.

Quæstio Secunda.

An humanitas, & partes simul natura fuerint assumpta, an verò vna mediante alia.

6 QVæstio hæc potest intelligi, vel de assumptione personationis, vel simplicis substentationis, quos terminos explicui disp. præced. n. 56. insuper vel ordine intentionis, vel ordine executionis. Et tandem vel de medio Quod, vel de medio Quo; Medium Quod, vt habet Scotus in 3. d. 2. q. 2. A. est illud, quod immediatè vnitur alicui, & isto mediante aliud vnitur, sic quantitas est medium Quod inter hominem, & albedinem, quia homo priùs in se recipit quantitatem, & ipsa mediante recipit albedinem; vel dicitur medium Quod, quia mediat inter agens, & effectum productum, quo sensu agens proximum dici potest medium Quod inter agens remotum, & effectum productum. Medium Quo est ratio formalis producendi, vel recipiendi aliquid; hoc autem dupliciter potest contingere, nam vel ita est ratio formalis recipiendi aliquid in alio, quod illud nō posśit recipi, nisi isto mediante, sic intellectus est ratio formalis recipiendi intellectionem respectu animæ, ita vt anima dicitur tantùm recipere intellectionem mediante intellectu, vt ratione formali recipiendi, qui tamen primò recipit intellectionem, & hoc medium ex hoc capite posset etiam medium Quod appellari. Vel sic est ratio formalis recipiendi, vt nullo modo recipiat in se, sic est anima respectu risibilitatis, quæ sicut est partialis ratio, sed principalior producendi risibilitatem, quia dat esse specificum, & vltimatum, sic etiam est ratio recipiendi.

7 Thomistæ cum D. Tho. 3. p. q. 6. art. 5. quibus adhæret Suarez disp. 17. per totum, dicunt, Verbum ordine intentionis priùs natura assumpsisse totum, & ipso mediante partes, sed via executionis priùs natura assumpsisse partes, quàm totum; addit quoq; Varro 3. d. 2. q. 1. inter partes corpus fuisse vnitum mediante anima. Aliqui Scotistæ ex opposito asserunt, tàm via intentionis, quàm executionis Verbum priùs assumpsisse totum, & nullo modo partes primò fuisse assumptas, ita Bassol. 3. d. 2. q. 3. Faber disp. 9. Centinus disp. 9. c. 3. Vulpes disp. 10. art. 1. differunt tamen inter se, quia Faber, & Centinus non admittunt vnionem aliquam immediatam ad partes, sed solùm ad humanitatem; Vulpes verò illam concedit.

8 Dico primò, loquendo de assumptione ad personalitatem, vel suppositalitatem, tàm ordine intentionis, quàm ordine executionis Verbum priùs assumpsit totam naturam, & ipsa mediante vt medio Quod, assumpsit partes. Conclusio est contrà Thomistas, eamq; docet Scotus in 3. d. 2. q. 2. art. 2. quem sequuntur præter Scotistas, Palud. ibid. Vasq. 3. p. disp. 39. c. 3. & Ioan. de Lugo disp. 12. prob. & quò ad ordinem intentionis patet; quia assumptio totius humanitatis est primariò intenta, agens enim priùs intendit totum, quàm partes, quas ordinat ad totum. Prob. etiam quò ad executionem; eius est primò, & immediatè assumi tali assumptione, & per se primò vniri Verbo tali vnione, cuius est primò personari, tota humanitas primò personabilis est, ergo &c. maior patet; quia eius est primò personari in alio, cuius est primò personari in se, & id est primò personalitate aliena personabile, quod si in se relinqueretur, personaretur propria personalitate; min. prob. corpus, & anima in eo instanti naturæ, in quo intelliguntur præcedere totum, non sunt in se personabiles; nec natæ esse personæ, quia non sunt incommunicabiles vt Quo; sed tunc est persona, quando ex partibus vnitis tota natura resultat, & est in se, ita vt ab alio assumente non impediatur. Accedit contrà Varronem, si Verbum assumpsit humanitatem mediante anima, vt medio Quod; tunc Verbum non esset primò homo, prob. assumens non est primò homo, nisi assumptum sit natura humana, sed anima non est natura humana, sed pars eius, ergo &c. Imò nec posset Verbum dici homo, quia quod inest alicui secundùm partem, non inest illi per se, sed per aliud, 4. phys. 24. qui enim in flumine est secundùm pedes, est per aliud in flumine, non per se, qui verò secundùm totum est in flumine, secundùm se est in illo, ergo si humanitas vnitur Verbo per partes, Verbum nō est secundùm se homo formaliter, absolutè, & immediatè, sed per aliud. Ex his sequitur, humanitatem verè fuisse medium Quod respectu partium, quia personari, & suppositari dicuntur in supposito diuino solùm ratione totius naturæ, at in se non sunt personabiles, nec suppositabiles, quia communicabiles. Responsiones Caiet. nō adducuntur, quia nobiscum est, vt patebit ex sequentibus.

9 Dices, partes sunt priores toto, ergo vnione personationis priùs fuerunt vnitæ, quàm totum. Resp. ex Scoto cit. sunt priores via generationis, & constitutionis, concedo, sunt priores in ordine ad personationem, nego; vnde non est inconueniens, idem esse prius, & posterius respectu eiusdem, sed secundùm diuersas rationes; hinc patet, quomodò Scotus non loquitur hic de assumptione simpliciter, sed de assumptione ad personalitatem; & hac responsione respondetur ad omnes rationes, quibus Thomistæ arguunt contrà Scotum, solùm enim concludunt, partes non esse priùs vnitas vnione personalitatis, sed simplicis substentationis, vt mox dicemus, quæ est vnio diuersæ rationis.

10 Hic tamen not. contra Bernal, asserentem disp. 28. sect. 1. humanitatem ordine intentionis non fuisse priùs assumptam, quàm partes, eò quia nequit intendi totum, quin etiam intendantur partes, quæ sunt de eius essentia. Hoc autem assertum est falsum, si loquatur de ordine naturæ, quamuis sit verum de ordine durationis; etenim intētio priùs respicit totum finem, qui licèt includat partes, est tamen realiter ab illis distinctus, & per consequens potest primariò intendi; partes verò secundariò, licèt in eodem instanti temporis verum est, quòd in intentione finis implicitè inuoluitur etiam intentio partium; Sed præcipuè in præsenti hoc habes locum, quia partes personantur dependenter à toto, & consequenter intenduntur in posteriori natura, nam dependentia arguit hanc posterioritatem.

11 Dico secundò, partes fuisse à Verbo immediatè assumptas assumptione simplicis substētationis in Incarnatione, & priùs natura ordine executionis, quàm fuerit humanitas assumpta vnione personationis. Prima pars est contra P. Fabrum, eamq; videtur sequi Lich. 3. d. 2. q. 2. & d. 22. & Vulpes cit. Prob. primò authoritate Scoti, nam in d. 2. cit. supra A. arguens contra Varronem asserentem, Verbum assumpsisse corpus mediante anima, vt medio Quod, deducit ipsum ad hoc incōueniens, quòd *tunc in morte fuisset noua assumptio, quia tunc corpus fuit immediatè vnitum Verbo, & non per animam*; ergo per Scotū illa assumptio corporis, & animæ, quæ erat in triduo, non fuit noua, vt ait Faber, sed à principio incarnationis facta, & cōsequenter præter vnionem personationis immediatè in tota natura fundatam adest alia vnio substentationis in partibus immediatè fundata à principio incarnationis. Tùm quia ibidem art. 2. G. volens probare Scotus, gratiam Christi non præcessisse vnionem hypostaticam, sic ait, *Gratia est in anima Christi, vt accidens in subiecto, ergo realis, & actualis eius existentia præsupponit existentiam realem animæ. sed Christi anima nunquam habuit existentiam realem, nisi in Verbo, ergo priùs ordine naturæ assumebatur à Verbo, quàm sit subiectum gratiæ*, tunc sic, si anima non esset Verbo vnita immediatè, sed solùm ad assumptionem humanitatis, ergo in illo priori natura, in quo præcedere intelligitur humanitatem, nō intelligeretur Verbo vnita, quod est contrà Scotum, ergo præter vnionem ad personalitatem, qua partes mediatè assumūtur à Verbo, per Scotum dantur aliæ vniones immediatè in ipsis fundatæ, & ad Verbum terminatæ. Tùm quia d. 16. q. 2. D. explicans dictum Damasceni, *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, ait, partes principales semper fuisse vnitas, licèt dimiserit totum, & partes minùs principales, quod tamen non esset verum, quia deberet assumere immediatè partes in morte, & dimittere ipsas in resurrectione, cum denuò totum assumpsit; & d. 21. q. vn. videtur semper supponere, eodem modo fuisse corpus à principio Verbo vnitū, vt in triduo; clariùs in 3. d. 22. ad 3. princ. vbi assignat rationem, cur in triduo Verbum non fuit denominatum ab anima, & corpore, respondet, quia partes licèt vnitæ Verbo, non sunt natæ denominare, nisi adsit totum, cuius sunt partes, ergo partes eodem modo sunt vnitæ Verbo, quando adest totum, ac in triduo.

12 Accedit ratio tacta ex Dam. quia sequeretur, Verbum dimisisse partes, quas assumpsit. Nec valet responsio Fabri, Verbum nunquam dimisisse partes illas omnimodè, quia vel mediatè, vel immediatè semper fuit illis vnitum; sicut Doctor ipse d. 16. cit. concedit de partibus fluentibus, & minùs principalibus. Non valet, quia ipsemet Scotus, quod ibi concedit de partibus fluentibus, scilicet fuisse à Verbo dimissas, negat de partibus principalibus, corpore, & anima. Tùm quia partes sunt per se, & immediatè assumptibiles, vt patet in triduo, ex alio capite authoritates tam scripturæ, quàm Patrum videntur asserere, Verbum assumpsisse in Incarnatione animam, & carnem, *Verbum caro factum est*, Ioan. 1. & Fulgen. lib. de Incarnat. c. 3. *Ipsa acceptio carnis fuit conceptio virginalis*; de anima idem inter alios asserit Leo Papa epist. 11. ergo prorsùs voluntariè, & sine fundamento restringitur illud dictum ad vnionem mediatam.

13 Dices, Scotus in vltima ratione contrà Varronem in hac q. cit. habet hæc verba, *Propter illas duas vniones non fuit homo, sicut ostensum est in secunda ratione, ergo requiritur tertia, quæ sit totius primò, propter quam tertiam Verbum sit homo, sed illa sufficit sola, sine aliis duabus, ergo illæ duæ superfluunt*; & litt. I. mouet illud dubium, an fuerit in morte facta noua vnio partium essentialium, & non soluit, ergo per Scotum in incarnatione non fuit facta vnio partium. Tùm quia Verbum suppleuit in natura humana vices suppositi creati, sed suppositum creatum non respicit immediatè, nisi totum, partes verò solùm mediatè, ergo ita etiam Verbum.

Resp. Scotus in primo loco loquitur contrà Varronem, qui ponebat ad personationem Verbi necessarias esse illas vniones, cōtra quem rectè arguit Scotus, quia illæ duæ superfluunt, nam sufficit, quòd Verbum immediatè assumat totum, vt dicatur persona, vt ostēdi in 1. conclus. non loquitur autem de assumptione simplicis substentationis; in secundò loco licèt nō soluerit illud dubium, clarè tamen illud resoluit d. 16 q. 2. D. iam cit. & quia ex dictis poterat etiam deduci responsio. Ad confirmat. si valeret, probaret etiam, Verbum non fuisse in triduo vnitum partibus, quia neq; hoc facit suppositum humanum; respondeo ergo ex dictis suprà de sanguine, Verbum supplere vtiq; vices suppositi creati, sed adhùc aliquid aliud præstare, quod non faceret creatum suppositum, idcircò nō solùm naturam sibi vniuit, sed partes essentiales, imò & sanguinem ipsum.

14 Secunda pars conclus. quòd ordine executionis Verbum priùs natura vniuit sibi partes vnione simplicis substētationis, quàm humanitatem vnione personationis, est Scoti cit. præcipuè 3. d. 2. q. 2. G. estq; contrà Vulpes, & prob. priùs natura via executionis sunt partes, quàm totum, ergo priùs natura fuerunt assumptæ assumptione ipsis proportionata, quàm totum; antec. patet, quia ordo executionis incipit ab imperfectioribus, & quia primū in intentione est vltimū in executione; cōseq. prob. assumptio simplicis substētationis nō pendet ab assumptione ad personalitatem, ergo poterat exerceri in illo instanti naturæ, ergo fuit exercita, nè dicamus, aliquandò partes fuisse existentes, & non intelligi actu vnitas Verbo, sed ab alio assumptibiles, & consequenter, vt arguit Scotus contrà Varronem in quarta ratione, possent sic vniri altari supposito, & sic dupliciter supposítarentur; antec. prob. prius non dependet à posteriori in attributo sibi conueniente, etiam in ratione prioris, sed quòd partes sint assumptibiles, habent, etiam si essent separatæ, ergo hoc habent independenter à toto, ergo &c.

15 Multa congerit Vulpes cit. pro solutione huius rationis, nam primò num. 4. ait, idem esse sub intentione Dei formalissimè saltim de facto partes assumere per modum intrinsecæ causæ, & totū assumere hominem. Deinde addit, in nostro casu partes non esse priores natura ipso toto constituto, eòquia corpus nō præcessit tempore sub priuatione, nam non interuenit vera mutatio; & si adest aliqua prioritas naturæ, est prioritas naturæ negatiua, nō positiua. Tertiò nu. 8. subdit, partes humanitatis assumptæ, cum simul acceperint esse cum tota humanitate ex vi assumptionis, siuè actionis incarnandi in fieri, non exercuisse illam realem causalitatem, sicut exercent in communi generatione hominum, & ideò sunt priores secundùm consequentiam, & logice, non physicè, & in essendo. Tandem num. 16. ad argum. negat, partes in essendo, & in causando esse priores toto, quia hoc to-

tum

tùm assumptum non fuit naturaliter productum, vel à partibus præexistentibus verè compositum cum interuentu præcipuè omnium quatuor naturalium causarum. Præsertim cum causalitas materiæ, & formæ in fieri dicant ordinem ad non esse compositi immediatè præcedens, qui ordo non reperitur hic, sicut in communi productione hominum.

16 Sed pace tanti viri; hæc omnia pugnant cum veritate. Primum enim dictum ex ipsius doctrina refutatur, nam ipse concedit, assumptionem humanitatis esse vnionem ad personationem, assumptionem verò partium esse vnionem simplicis substentationis, quæ sunt omninò alterius rationis; tùm quia partes, & totum realiter, & specie distinguuntur, ergo vniones ad illa erunt specie distinctę, ergo assumere partes per modum intrinsecæ causæ formalissimè non est assumere totum hominem; tùm quia si hoc esset verũ, jam totum non esset priùs natura assumptum, quàm partes, vt ipse asserit. Secundum dictum est falsissimum in vera philosophia, nã quamuis corpus Christi non præcesserit tempore animationem, nec fuerit verè mutatum, falsum tamen est, partes non esse priores natura ipsa humanitate; tùm quia idem interuenit in qualibet generatione viuẽtis, nam licèt corpus successiuè formetur, tamen quãdo vltimò cõpletur corpus in esse corporis organici, quo pacto est subiectum aptum animæ, statim sequitur animæ informatio; vt docet Scotus in 3. d. 2. q. 3. ad 3. & tamen nullus negabit, partes viuentis non esse priores natura ipso viuente, cum illud constituant; nec vt aliquid dicatur priùs natura altero, requiritur, vt tempore præcedat, vt patet in subiecto respectu passionis. Falsum quoq; est, quod addit, partes si essent priores natura, hanc prioritatem esse negatiuam, non positiuam; Etenim prioritas negatiua, vt habet Scotus in 2. d. 1. q. 2. A. cadit inter priuatiuè opposita quò ad conuenire alicui subiecto; positiua cadit inter duo positiua verè, & realiter alicui tertio conuenientia; vt sunt genus, & differentia respectu speciei, materia, & forma respectu compositi, quorum genus, & materia dicuntur priora natura differentia, & forma, quia hæ præsupponunt illas; modò partes, & totum non sunt priuatiuè opposita, nec ambo comparantur in conuenire alicui tertio, ideoq; non possunt dici partes priores negatiuè, sed verè dicuntur priores positiuè, quatenùs naturali necessitate præsupponuntur ipsi toti; solùm hic ordo priuatiuus poterit assignari inter animam Christi, & priuationem ipsius in ordine ad corpus, sed nihil ad rem.

17 Tertium dictum nõ est minùs absurdum; tùm quia corpus Christi, & humanitas fuit causata à B. Virgine cum concursu speciali Dei, at anima Christi fuit totaliter à Deo creata, ergo falsum est, partes, & humanitatem simul accepisse esse ex vi assumptionis, & actionis incarnatiuæ, vt disp. 2. n. 46. ostendi contrà ipsum. Deinde si totũ essentialiter à partibus dependet, vt neq; de potentia absoluta Dei possint causalitates causarum intrinsecarum suppleri, vel impediri, quomodò corpus, & anima Christi non exercuerunt causalitates proprias circà humanitatem assumptam? numquid corpus Christi non constituebat humanitatem per modum partis potẽtialis, nec anima per modum partis formalis? certè humanitas Christi ex anima rationali, & humana carne constabat, sicuti cæteri homines, ergo habebat suas causas materialem, & formalem. Nec quia istæ non dicunt ordinem ad non esse cõpositi immediatè præcedens, idcircò non erunt veræ causæ physicæ, & reales; Nam præterquã quòd idem esset de omnibus viuẽtibus dicendum, quorum partes constituentes intrinsecæ non præcedunt viuens tempore, solùm materia est, quæ semper præcedit, & præcessit in Christo tempore; imò de omni effectu idem esset dicendum, quia regulariter nulla forma dicit ordinem ad non esse compositi immediatè præcedens, & sic nulla daretur causa formalis; adhùc est falsum assumptum, quia non est de ratione causæ, quòd tempore præcedat effectum, vt cum Scoto 2. d. 1. q. 3. § *Tenentes*, & d. 5. q. 2. B. docui in Phys. disp. 8. q. 2. art. 2., & tandem quo pacto in formatione humanitatis Christi non interuenerunt omnia causarum genera? nonnè adfuit causa efficiens, & finalis? iam ipse de his causis disputationes integras instituit; causa materialis, & formalis quoq; adfuerunt, aliter non fuisset generata humanitas, ergo omnia causarum generã concurrerunt ad productionem humanitatis Christi; solùm miraculum fuit in productione corporis, quatenùs in instanti, & non medijs alterationibus fuit formatum; sed hoc non impedit, quin verè constituat vt pars materialis humanitatem. Certè miror, virũm tàm doctissimum in tot dicta incidisse contra principia philosophica satis clara, & ab omnibus ferè cõncessa. Quapropter remanet firmum argumentum factum, scilicet partes fuisse priores natura, & causas humanitatis assumptæ, & consequenter quia secundum Scotum hic litt. G. anima nunquam extitit, nisi in Verbo, & idem dicitur de carne, cum in illo priori natura intelligatur Verbo vnitæ vnione ipsis proportionata.

18 Contrà istã partem arguit Vulpes; actio incarnationis est simul productiua simpliciter humanitatis, & hypostaticæ vnionis cũ Verbo, alioquin oporteret, plures distinguere realiter actiones ex parte Dei, quarum vna, quæ scilicet est ad humanitatem, natura præcederet alteram, quæ esset ad vnionem, & consequenter prior non diceretur incarnatiua, siuè factiua hypostaticæ vnionis, nec Verbum esset homo ex vi illius, quod est falsum; ergo vnio fuit simul cum humanitate, nec præcessit natura humanitatem, & ad partes terminata. Tùm 2. & est argumentum Scoti cõtrà Varronem; si Verbum ordine executionis priùs assumpsit partes, iam Verbum non esset primò homo, quia partes non sunt humanitas, quod Scotus habet pro inconuenienti. Tùm 3. ex Psal. 64. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti*, ergo ordo assumptionis via executionis non præcessit ordinem personationis, neq; est distinctus, aliter Propheta nõ loqueretur absolutè. Tùm 4. hæc causalis est vera, ideò partes fuerũt Verbo vnitæ, quia totus homo fuit illi vnitus personaliter, ergo vnio totius vt causa præcessit vniones partium.

19 Resp. ad 1. assumptum esse falsum, & quod ipse deducit vt falsum, dico esse verum, vt ostendi disp. 2. n. 46 Ad 2. dico, rectè rationem illam concludere cõtrà Varronem, quia ipse dicebat, Verbum assumpsisse corpus, & naturam mediante anima, vt medio Quod, itaut vnio ad solam animam fuerit terminata, vt ipsum exponit Scotus, & tunc sequitur, non esse primò hominem; at nos præter vnionem animæ, ponimus vnionem ad naturam immediatè terminatam, vnde nõ ponimus animã mediare, vt medium Quod, licèt priùs natura vniatur, quàm totum; hinc distinguendum est consequens, non esset primò homo loquendo

quendo de ordine naturæ vnionis simplicis substentationis, concedo, vnionis ad personalitatem, nego; vel loquendo de vnione partiali, concedo, de totali, & vltimata, nego, nam esse primò hominem idem significat, ac esse per se, & immediatè hominem, vnde parùm refert, quòd priùs natura Verbum assumpserit partes, dùmodò imediatè posteà assumpserit humanitatē. Ad 3. potest retorqueri, si enim ordo assumptionis non est distinctus ab ordine personationis, cur ipse cōcedit, in posteriori natura partes fuisse assumptas, licèt nō personatas? quapropter dico, Propheram intelligi debere de assumptione ad personationem, & totali, non de assumptione simplicis substentationis. Ad 4. causalem illam esse veram ordine intentionis, & in genere causæ finalis, non autem ordine executionis, & in genere causæ materialis, vel formalis; nam vt sic vnio partium potiùs est dispositio ad vnionem totius, quàm è contrà.

20 Dico 3. partes, scilicet anima, & corpus ordine intentionis priùs sunt vnitæ inter se, quàm ad Verbū, sed ordine executionis priùs natura ad Verbum intelliguntur vnitæ, quàm inter se; & corpus priùs natura fuit Verbo vnitum, quàm fuerit anima vnita Verbo; Colligitur ex Scoto sæpè cit. prima pars patet, quia sicut ordine intentionis priùs est vnio totius, quàm partium, ita prior est vnio partium inter se, quæ immediatiùs ordinatur ad esse totius, quàm vnio ipsarū ad Verbum; secunda etiam prob. ex dictis, partes, antequàm vniantur, priùs intelliguntur existentes, ergo, vt arguit Scotus, quia semper partes, quando fuerunt, erant Verbo vnitæ, in illo priori, in quo præsupponuntur esse ante vnionem inter se, debent intelligi vnitæ Verbo; vnde Aug. epist. 99. ad Euodium q. 2. ait, Verbum creasse sibi animam, & illam immiscuisse corpori mortali; Tùm quia vniones istæ partium ad Verbum non pendent ex vnione inter se, quia remanserunt in triduo absq; ista, ergo non est, cur hæc præcedere debeat, imò totum è contrà. Tertia pars colligitur ex tertia & quarta ratione Scoti cōtrà Varronem, vbi habet, corpori priùs attribui terminationem dependentiæ, quàm animæ, & q. 3. C. ait, organizationem corporis præcedere natura animationem; ex quo arguo sic; priùs intelligitur esse corpus, quàm anima, ergo priùs natura intelligi debet corpus Verbo vnitum, quàm anima; & quamuis antecedens negetur à Bernal; attamen sine ratione, nam hæc præsuppositio non infert dependentiam animæ à corpore, vt ipse malè deducit.

21 Dico 4. anima dici potest medium Quo mediante Verbum assumpsit humanitatem, & corpus, non medium Quod; ita Scotus hic, estq; communis, prob. primò authoritate Dam. 3. fidei c. 6. & Aug. de agone Christi c. 6. dicentiū, Verbum assumpsisse carnem mediante anima; & in 6. Synodo act. 10. in confess. fidei idem habetur, quod nequit intelligi de medio Quod, sed de medio Quo, quia scilicet anima est ratio recipiendi talem vnionem in humanitate, quatenùs volens Deus assumere naturam humanam, ratio formalis, cur assumatur, & vnionem in se humanitas recipiat, est anima, quia est ratio formalis constituens humanitatem in tali esse. Idem quoq; de corpore dicendum; in tantùm enim assumitur, quia intendebatur assumi tota humanitas, ergo quia corpus assumitur propter humanitatem, & anima est medium Quo respectu humanitatis, erit etiam medium Quo respectu corporis; ex hoc tamen non sequitur, priùs natura fuisse animam assumptam, quàm corpus ordine executionis, sed tantùm ordine intentionis, hæc enim causalitas potiùs est in genere causæ finalis, quia primò ordine executionis sunt media ordinata ad finem, quàm finis, & consequenter priùs sunt media assumpta, quam finis. Et in hoc sensu intelligendus est Aug. cum dicit, Verbum assumpsisse animam mediante spiritu, idest animam sensitiuam mediante spirituali, & rationali, seù gradum sentientem medio gradu rationali.

22 Dices, anima est forma, & dat esse, ergo non potest esse ratio primò recipiendi, & potentialis respectu huius vnionis. Resp. ex Scoto hic litt. B. cum dicitur, humanitatem per animam vniri, ly *per* respectu prædicati, quod est vnio, dicit circumstantiam causæ quasi materialis, receptiuæ, & potentialis in subiecto, & vnio, vt se tenet ex parte prædicati, habet rationem formæ, atq; ita vt respicit subiectum in ordine ad prædicatum, dicit circumstantiam causæ materialis, sed respectu eius, quod determinatur à ly *per*, dicit circumstantiam causæ formalis, est enim anima principalis ratio, qua talis vnio in humanitate recipiatur, sicut cum dicitur, homo per animam est risibilis, ly *per* vt notat risibilitatem, dicit rationem potentialem, at respectu hominis dicit circumstantiam causæ formalis, est enim forma, & principalis ratio, qua homini inest risibilitas.

Quæstio Tertia.

An gratia, & alia accidentia præcesserint vnionem hypostaticam.

23 IN homine, sicut & in quolibet alio viuente, tres substantiæ reperiuntur, adest primò corpus, quod est quoddam compositum physicum ex materia, & forma corporeitatis, organicum secundùm partes diuersæ rationis, essentialiter incompletum; secundò adest anima rationalis; tertiò adest ipsa humanitas, quæ est tertia quædam entitas resultans ex illis partibus; & consequenter dantur tria accidentium genera, quædam conuenientia corpori, vt sunt quantitas, & qualitates insequentes naturaliter formam corporeitatis, quædam conueniunt animæ, inter quæ à Thomistis connumerantur potentiæ, vt intellectus, & voluntas, sed præcipuè solet moueri quæstio in hac materia de ipsa gratia, quę animę inest; & tandem sunt accidentia conuenientia toti humanitati, & hæc sunt in duplici differentia, quædam sunt passiones insequentes naturam specificam, vt risibilitas, quædam sunt accidentia cōmunia, vt sunt operationes sensitiuæ, motus localis, &c.

24 Præsens igitur quæstio est, an humanitati Christi, vel animæ, aut corpori priùs, saltim ordine naturæ, conuenerint connaturalia accidentia, quàm fuerint Verbo vnitæ, an verò præcessit vnio hypostatica in ipsis ad Verbum; & vt certa ab incertis separemus, certum est in doctrina Scoti, non comprehendi sub hac quæstione potentias animæ, quia vt ostendi in lib. de anima disp. 2. q. 1. non sunt accidentia de genere qualitatis, sed realiter cum anima identificatæ, & consequenter præcesserunt vnionem hypostaticam. Certum est etiam ex dictis disp. 1. n. 28. passiones consequentes naturam specificam præcessisse, eò quia etiam

in no-

in nobis præintelliguntur priùs conuenire naturæ, quàm conueniat subsistentia. Certum insuper est; quòd gratia si accipiatur pro gratuita Dei voluntate, qua aliquid gratis confert, non ex necessitate naturæ, vel ex meritis, quòd tunc vnio hypostatica præsupposuit gratiam, ita colligitur ex Scripturis; Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mūdum, vt filium suū vnigenitum daret*, Luc. 2. *Per viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos oriens ex alto*; ad Titum 3. *Apparuit benignitas*, &c. remanet igitur dubium de alijs; de quibus etiam est certum, quòd de potentia absoluta Dei poterant præcedere, quatenùs Deus potest naturam in se suppositatam, & omnibus naturalibus accidentibus informatam separare à propria subsistētia, illamq; sibi vnire; quare dubitatur de facto, eoquia natura assumpta nō fuit in proprio supposito, neq; per instans.

25 P. Vulpes disp. 10. art. 2. putat, vnionem hanc præcessisse omnia accidentia, tàm corporis, quàm animæ, & humanitatis; mouetur præcipuè, quia sustinet, animam rationalem recipi in generatione hominis immediatè in ipso corpore organico, priusquā ipsi corpori adueniant propria accidentia. Alij verò ex parte animæ posuerunt, præcessisse gratiam habitualem; qui sunt inter se diuisi, nam quidam posuerunt gratiam, vt dispositionem necessariò prærequisitam, ita Alensis 3. p. q. 2. mem. 2. art. 1. Henr. quol. 15. Gab. 3. d. 2. quidam verò docent, solùm fuisse prærequisitam, vt ornamentum congruum humanitatis vniendæ Verbo, vt D. Bon. in 3. d. 2. art. 3. q. 2. Palud. q. 2. art. 3. Mars. q. 10. art. 1.

26 Dico, nullum accidens præcessisse ad vnionem hypostaticam ex parte humanitatis, & animæ; an verò nec etiam ex parte corporis, non est ita certum. Prima pars est Scoti in 3. d. 2. q. 2. quam probat primò, in eo instanti humanitas personatur à Verbo, in quo personata fuisset personalitate creata, eòquia nūquam fuit in proprio supposito, sed Verbum suppleuit vices suppositi creati, at humanitas priùs natura personata fuisset propria psonalitate, quàm habuisset accidentia sibi connaturalia, ergo &c. min. prob. quia natura, quæ simul àc habet esse, intelligitur suppositata, vel in se, vel in alio, priùs intelligitur suppositata, quàm operari queat; accidentia spectant ad operationem humanitatis, ergo præsupponunt naturam suppositatam, vel in se, vel in alio; maior patet, quia suppositari spectat ad esse naturæ, & ad actum primum, esse autem, & actus primus præcedunt operari, & actum secundum. Tùm 2. quod competit alicui secundùm se, priùs competit, quam id, quod competit per accidens, personari competit naturæ secundùm se, habere autem accidentia, per accidens; insuper potest natura esse sine accidentibus, non tamen sine subsistentia, vel propria, vel aliena. Tùm 3. accidens præsupponit existentiam subiecti, sed humanitas semper fuit positiuè subsistens in Verbo, ergo &c.

27 Secunda pars de anima, licèt ijsdem rationibus probetur à Scoto cit. est tamen aduertendum, quòd non omnes directè, & absolutè concludunt, nam de possibili poterat Deus animam cum gratia creare, & alijs donis supernaturalibus, illāq; posteà corpori infundere, & tandem humanitatem inde resultantem assumere, vt faciet in vniuersali resurrectione, nā animæ beatæ habitibus supernaturalibus ornatę vnientur corporibus, vt optimè aduertit P. Vulpes disp. 12. art. 1. & 2. quapropter rationes Scoti de facto cōcludunt, & ad hominem, ex principijs concessis ab aduersarijs; nam gratia, cum sit habitus, spectat ad principium operandi, ergo priùs conuenit animæ communicari humanitati, quod spectat ad esse, quàm habere gratiam, vnde secūdùm naturæ cursum anima priùs vnitur corpori, quàm exeat in operationem, eòquia ad corpus per se, & essentialiter ordinatur, ad operationes verò accidentaliter; & præcipuè loquēdo de vnione partiali, qua anima immediatè fuit assūpta à Verbo priùs, quàm humanitas, hæc vnio omninò præcessit gratiam, nam spectat etiam aliquo modo ad esse substantiale ipsius animæ, quia est communicatio animæ supposito, cuius est operari secundùm vltimam denominationem. Tùm quia ait Scotus, Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis*, vbi videtur assignari vnio hypostatica tanquam ratio congruentiæ, cur Christus habuerit plenitudinem gratiæ, ergo gratia non præcessit vnionem hypostaticam, sed e conerà.

28 Tertia pars de corpore ponitur dubia, nō enim expresè habetur à Scoto, sed deduci debet ex principijs ipsius; nam naturaliter loquendo, in nobis accidentia corporis præcedunt informationem animæ, ergo si fuit idem ordo obseruatus in formatione corporis Christi, iam accidētia corporis naturaliter præcessissent vnionem hypostaticam humanitatis, sicut corpus, & anima informatio præcedunt humanitatem assumptum prob. quia viuentia in generatione habent terminum intrinsecum paruitatis, vt dixi in Phys. disp. 9. q. 3. art. 2. cum Scoto 2. d. 2. q. 9. N. at inanimata nullum habēt terminum intrinsecum, qua ratione in lib. de Gen. disp. 5. q. 5. art. 1. dixi, inanimata successiuè generari, viuentia verò in instāti; ex quibus principijs sequitur, corpus organicum regulariter. quò ad partes animationi necessarias successiuè formari, & consequenter tunc erit quid compositum cum suis accidentibus connaturalibus, non enim partes illæ corporis sunt omnibus accidentibus spoliatæ, ergo accidentia prærequiruntur animationi, & anima aduenit corpori accidentibus, scilicet quantitate, & cōnaturalibus qualitatibus informatos probo conseq. quia accidētia illa perseuerant vsq; ad instans animationis, in quo corpus perfectè est organizatum, nec per aduentum animæ destruuntur, ergo perseuerant; antec. prob. quia in aduentu animæ nō recedit forma corporis in nostra sententia, ergo non possunt cessare ad destructionem subiecti, nec ab ipsa anima destruuntur, quia non sunt contraria ipsi animæ, imò connaturalia; ergo permanent; Tùm quia sunt dispositiones connaturales. Quapropter non rectè P. Vulpes negauit, in generatione hominis accidentia corporis præcedere animationem.

29 An autem hic ordo fuerit obseruatus in formatione corporis Christi; ex vna parte ponendo hanc formationem successiuè factam, quod probabile putat Doctor in 3. d. 2. q. 3. & d. 4. q. vn. debemus etiam ponere ista accidentia præcessisse vnionem humanitatis; at si fuit in instanti formatum, quòd probabilius est, tunc posset dici, animam infusam corpori, antequàm accidentia emanarint à corpore, itaut priùs fuerit completus totus ordo assumptionis vsq; ad personationem humanitatis, deinde emanarint accidentia; Sed oporteret adducere rationem, cur in generatione humanitatis Christi fuerit talis ordo mutatus, quæ non potest tàm facilè assignari. Hoc autem certum iudicari potest, quòd vnio partialis assumptionis

corporis

corporis præcessit accidentium emanationem, vt de anima dicebamus; huc fortè spectat authoritas Apostoli. 1. ad Corint. 15. *Non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale*; per spirituale intelligit omne donum Dei, per animale omne, quod est debitum ex lege naturæ.

30 Contra primam, & secundam partem arguitur primò authoritate D. Aug. 13. de Trin. c.9. *In rebus per tempus ortis, nulla est maior gratia, quàm quòd Deus sit homini coniunctus*, ergo hæc vnio est per gratiam; & in lib. de prædest. Sanctorum, *Illa gratia, qua fit homo Christianus, factus est homo Christus*, sed homo fit Christianus per gratiam receptam in baptismate, quæ est habitualis, ergo &c. & in lib. de agone Christi circà medietatem, *Incommutabilis veritas per Spiritum animam assumpsit*, quod intelligi debet de Spiritu sancto, & eius gratia.

Resp. primam, & secundam authoritatem intelligi de gratia, pro vt significat gratuitam Dei voluntatem, qua homo quoq; fit Christianus, hæc enim semper præsupponitur; verum est, quòd homo in baptismate recipit gratiam habitualem, Christus quoq; hanc gratiam recepit, non ante vnionem hypostaticam, sed in posteriori natura. Tertia authoritas explicatur vt supra n.21. de gradu rationali animæ Christi; vel si intelligitur de Spiritu sancto, hoc est, quia incarnatio fuit causata à Spiritu sancto appropriatè.

31 Secundò arg. ratione. Natura de se non est apta ad hanc vnionem, quia est supra statum naturalem, ergo debet eleuari, & fieri apta per aliquam dispositionem. Tùm 2. ordo diuinæ sapientiæ poscit, vt quæ summè distant, non vniantur, nisi præcedat aliqua dispositio, saltim in aliquo extremorum, sic in vnione beatifica natura disponitur per habitus luminis gloriæ, & charitatis, ergo in humanitate, quæ summè à Verbo distat, debuit præcedere dispositio gratiæ. Tùm 3. cum Deus habitat in iustis, est per gratiam, ergo multò magis cum vnitur hypostaticè. Tùm 4. tres sunt modi, quibus Deus est in rebus, primus est illapsus generalis per essentiam, præsentiam, & potentiam, secundus per gratiam in iustis, tertius per assumptionem, secundus supponit primum, quia in quo Deus est per gratiam, est etiam per essentiam, ergo tertius supponit secundum, scilicet assumptio supponit gratiam.

32 Resp. ad 1. non est apta, vt se eleuet, concedo, vt eleuetur à Deo, nego, quia est in perfecta potentia obedientiali, & per quamcunq; creatam entitatem nunquàm fieri potest aptior, quia semper quælibet creata entitas infinitè distat à Deo. Ad 2. assumptum non est vniuersaliter verum, nam materia, & forma sunt primo diuersa in entitate, & tamen immediatè vniuntur, non præuijs dispositionibus, distantia ergo in entitate parùm refert, si adest ex alia parte proportio quò ad vnionem; nec exemplum de vnione beatifica vrget, quia, ait Scotus, eleuatio per gratiam ad vnionem beatificam est ad operationem, & actum secundùm, in quem non potest anima, nisi habeat formam eleuantem, at vnio hypostatica est ad actum primum, ad quem non præsupponitur aliquod accidens in natura vnita, sicut etiam ad esse primum supernaturale, quod in nobis habetur per gratiam, nõ requiritur aliquod eleuans naturam, nam sic procederetur in infinitum, & vnum supernaturale præsupponeret aliud vt dispositionem. Ad 3. neg. paritas, quia in iustis Deus accidentaliter habitat, ideò per gratiam, at in Christo per vnionem substantialem, idcircò immediatè per Verbi personam. Ad 4. secundus supponit primum, quia habent inter se connexionem, nam primus est generalis, secundus specialis, & ad actum secundum, & ideò supponit primum, qui est ad actum primum, at tertius est quòq; ad actum primum, & ideò non necessariò supponit secundum.

33 Tertiò, ex parte humanitatis ad subsistentiam diuini Verbi præcedit vnio, quæ est forma accidentalis ex dictis disp. præced. ergo ad hanc vnionem præcedere debet habitus gratiæ sanctificantis, veluti medium congruitatis. Tùm 2. Verbum Dei est Sanctus Sanctorum, ergo in humanitate præcedere debet habitus ipsam sanctificans, qualis est gratia. Tùm 3. nulla adest implicantia, quòd gratia præcedat, imò summa congruitas adest, ergo fuit factum; prima pars antec. patet, quia etiam nos illam concedimus; & ex solutione obiectionum magis patere poterit secunda etiam, quia decuit præparari ad tàm excellentem vnionem, decet enim, Regem vxorem se indigniorem ducturum ornare, & nobilitare, quantùm potest, ergo Verbum assumpturum humanitatem, credendum est, priùs illam deificasse per gratiam.

34 Ad 1. resp. Vulpes disp. 12. art. 2. negando, vnionem hypostaticam esse formam accidẽtalem de prædicamento accidentium, sed ait, esse secundùm se formam substãtialem respectum extrinsecùs aduenientem, sed fortè transcendentalem, non prædicamentalem, quæ est deterioris conditionis, quàm omnis respectus intrinsecùs adueniens. Hæc responsio in doctrina Scoti implicat in terminis; nunquam enim Scotus admisit respectum aliquem, qui sit substantialis forma, nam substantia est prædicamentum absolutum, non respectiuum, & si vnio esset respectus transcendentalis, esset cum natura humana identificatus realiter, per hoc enim respectus transcendentalis à prædicamentali distinguitur, vt ostendi in Log. disp. 8. q. 1. Respondeo ergo primò negando, vnionem præcedere subsistentiam Verbi, imò subsequitur, sicut omnis relatio sua extrema; deinde nego, huic vnioni debere præcedere gratiam, quia est vnio ad personalitatem, & ad actum primum, vt sæpè dictum est; quomodò autem vnio, cum sit accidens, dicatur vnire substantialiter, dictum est disp. præced. q.6. Ad 2. neg. conseq. quia ipsamet vnio à Patribus dicitur substantialis sanctitas, & consequenter debet præcedere gratiam, quæ est sanctitas accidentalis, sicut substantia præcedit accidens. Ad 3. concedo vtiq; absolutè non repugnasse gratiam præcessisse, nego tamen defacto præcessisse, tùm ex authoritatibus adductis, quibus videtur inferri, vnionem hypostaticam fuisse rationem congruentiæ plenitudinis gratiæ in Christo; tùm quia regulariter anima non priùs informatur gratia, quàm humanitatem constituat, vnde nec ante constitutionem humanitatis anima dicitur operari, & consequenter priùs anima debet constituere humanitatem, vt compleatur totus ordo substantialis, aliter potuisset quòq; in illo instanti naturæ elicere aliquem actum meritorium, cum iam præsupponeretur humanitati informata gratiæ plenitudine. Deinde etiam necessariò vnio hypostatica totius humanitatis præcedere debuit ante infusionem gratiæ, aliter humanitas fuisset communicata proprio supposito, quod est hæreticum; ad exemplum Regis dico, non esse ad propositum, quia illa vnio est accidentalis,

dentalis, & præsupponit esse subiecti subsistentis, at vnio nostra est ad primum esse substantiale; & hypostaticum, ideò ante omnem vnionem accidentalem per gratiam.

35 Contra 3. partem arguit P. Vulpes; accidens ex 7. met. 4. & ex Scoto 2.d. 1. q. 5. § *contra* est posterius substantia tempore, cognitione, & definitione, ergo quodlibet accidens hominis præsupponit hominem constitutum. Tùm 2. accidens non est medium Quo recipiendi formam substantialem, ergo nō præcedit, conseq. prob. si corpus per accidentia disponitur ad recipiendam animam proprium eius actum, per eadem disponeretur ad cōstituendum hominem per modum partis, qui est subiectum vnionis hypostaticæ, ergo accidentia ex parte corporis haberent in assumpta humanitate rationē medij ad suscipiendam vnionem hypostaticam. Tùm 3. ex Scoto 2.d.3.q.4. I. partes organicæ corporis sunt alterius rationis, independenter à quantitate, & qualitatibus primis, ergo corporis organizatio nō fit medijs formis accidentalibus, præcipuè, quia posset Deus hominem omni accidente spoliare, & tamen haberet corpus organicum. Tandem Scotus 3. d. 1. q. 1. §. *Sed oppositum videtur*, negat, naturam fuisse vnitam medio aliquo accidente.

36 Resp. si valerent hæc argumenta, probarent etiam, in resurrectione, si corpus omninò idem perseueraret, omnia illa accidentia destrui debere, & alia de nouo generari similia, quod esse falsum in nostra Scola admittēte in viuentibus formam corporeitatis, est satis clarum; quapropter respondeo ad 1. dictum Arist. intelligi debere de subiecto primò, & immediato accidentium, modò non omnia accidentia, quæ sunt in viuente, immediatè fundantur in tertia entitate, sed aliqua in corpore, vt dixi, & explicui in Phys. disp. 5. q. 13. art. 1. Ad 2. accidens non est medium Quo per se recipiendi animam, quia non respicit animā corporis accidentia, vt necessariò prærequisita, nam immediatè recipitur in substantia corporis, attamen illa accidentia se habent, vt quædam dispositiones connaturales, & secundùm cursum naturæ requisitæ ad conseruationem viuentis; hinc falsum est, corpus per accidentia per se disponi ad recipiendam animam, & constituendam humanitatem, hoc enim præstat corpus per propriam substantiam per se, accidentia verò se habent, vt quid cōcomitans ipsam substantiam corporis, quę sicut præcedit animam, & humanitatem, eodem modo accidentia præcedunt. Ad 3. patet ex dictis. Ad 4. Scotum ibi negare omnem entitatem mediam, quæ sit ratio fundandi relationem vnionis.

37 Dices, hùc vsq. tàm in præsenti quæst. quàm in præced. dictum est, gratiam non præcedere vnionem, eòquia præsupponit existentiam subiecti, at subiectum nunquam fuit existens, nisi in Verbo; attamen idem dubitari potest de ipsa vnione, si enim vnio recipitur in humanitate, vel in anima, præsupponit existentiam humanitatis, & animæ, ergo quia in illo priori humanitas non intelligebatur vnita Verbo, iam erat in se existens, & consequenter in se subsistens, quod est falsum. Resp. opposita nata sunt fieri circa idem subiectum, & respectu eiusdem, & secundùm idem; hinc quia catulus ante nonum diem non est capax visionis, non dicitur priuatus visione, vel cæcus, sed non videns negatiuè, non priuatiuè, post nonum diem dicitur cęcus, vel videns; in proposito inter existentiam naturæ, & subsistentiam eiusdem est prioritas, & posterioritas naturæ, & priùs in primo instanti naturæ intelligitur existens, quàm subsistens; attamen in illo priori licèt sit nō subsistens, nō tamen positiuè, vel priuatiuè, sed tantùm negatiuè, quia subsistentia propria, vel aliena nata est cōuenire in secundo instanti naturæ accidentia verò conueniunt in tertio instanti naturæ, & cōsequenter necessariò præsupponunt naturam suppositatam in se, vel in alio; & in hoc sensu intelligi debet Scotus, cum in hac quæst. sępè dixit, subiectum præcedere accidens, & præsupponi vt existens, non enim loquitur de primo instanti naturæ, in quo subiectum pręcedere intelligitur omnem vnionem cum supposito, sed de instanti præcedente instans, in quo nata sunt conuenire accidentia, quod est secundum instans naturæ.

Dices etiam, si natura in primo instanti non intelligitur subsistens, sed merè existens, quid habet ampliùs in secundo instanti, quando est in se supposita, per quod dicatur subsistens? non quid positiuum, quia in nostra sententia subsistentia non dicit quid positiuum, si simplicem negationem habet, ergo quia hæc erat in primo instanti naturæ, iam tunc suppositata dici debebit.

Respondetur, in secundo instanti naturæ adesse priuationem, & carentiam communicationis actualis alieno supposito, quæ carentia in primo instanti habebat solùm rationem negationis, non priuationis, eoquia vt dixi, communicatio actualis non conuenit naturæ in primo instanti, & consequenter carentia talis communicationis tunc non est priuatio, quæ dicitur subiecto conuenire, quando nata est conuenire forma opposita, cuius est priuatio.

Disputatio Quinta.

De Communicatione idiomatum.

HVc vsq. vnionem hypostaticam declarauimus; tàm in se quò ad propriam formalitatem, quàm in ordine ad extrema, & terminum inde resultantem, à quibus essentialiter pendet, etiam in cognoscis quoniam autem ex ista vnione duarum naturarum diuinæ, & humanæ in eodem supposito quędam propositiones, & prædicationes formantur, quibus vna natura, vel proprietates vnius de altera prædicantur, ideòq; antequàm ad alia misteria huius sacratissimæ Incarnationis progrediamur, priùs de ista mutua prędicatione aliqua breuiter dicenda erunt, quæ prædicatio communiter appellatur communicatio idiomatum, nam idioma est nomen græcum, & idem apud Latinos sonat, ac attributum, seù proprietas.

Quæstio Prima.

Quædam regulæ pro hac materia assignantur.

1 Dicendum est primò, quòd communicatio nequit fieri per realem, & mutuam communicationem proprietatum, & attributorum vtriusq; naturæ,

turæ, ſicut nonnulli Hæretici, præcipuè Lutherani, impiè aſſerunt, itàut omnipotentia, omniſcientia, æternitas, &c. verè inſint ipſi naturæ humanæ, ipſamq; formaliter denominent, & è contrà, quòd diuinitas habeat in ſe proprietates humanitatis. Ratio huius dicti eſt, quia in iſta vnione naturæ remanſerunt impermixtę, vt dixi diſp. 2. ergo nequit fieri iſta realis communicatio idiomatum, aliter omnia cōfunderentur. Tùm quia nequit humanitas eſſe æterna, actus purus, independens, & ſimilia, ergo nullum attributum fuit realiter communicatum naturæ humanæ, itàut verè, & immediatè in ipſa reperiatur, patet conſeq. quia non eſt maior ratio de vno attributo, quàm de alio. Tùm quia vnum attributum infert aliud, non enim aliquid poteſt dici omnipotens, niſi quòq. ſit omniſciens, & independens.

2 Vera igitur communicatio idiomatum conſiſtit in hoc, quòd duæ naturæ diuina, & humana, & attributa vtriuſque prædicentur ad inuicem inter ſe propter veram, & realem vnionem iſtarum naturarum in eadem perſona, hinc dicimus, quòd *homo eſt Deus*, *eſt æternus*, *infinitus*, &c. *Deus eſt mortalis*; ratio huius communicationis aſſignatur à Scoto 3. d. 7. q. 1. B. quia quando duæ naturæ verè, & realiter vniuntur in eodem ſuppoſito, quælibet de ſuppoſito poteſt prædicari, & conſequenter ſub nominibus connotantibus ſuppoſitum poſſunt etiam ad inuicem prædicari, vt patet, cum calor, & albedo ſunt in eodem ſubiecto, & ſuppoſito, quia dicimus, *paries eſt albus*, *eſt calidus*, *& album eſt calidum*; hinc quia iſtæ duæ naturæ verè, & ſubſtantialiter, & non tantùm accidentaliter, vt dicebant Neſtoriani, fuerunt in eodem ſuppoſito vnitæ, talis communicatio erit vera, realis, & ſubſtantialis, & non tantùm per quandam extrinſecam denominationem, quia ad quamlibet vnionem ſequitur identitas, & prædicatio.

3 Dices; multoties Sancti Patres aſſerunt, maieſtatem, & gloriam diuinitatis, aut efficaciam, & diuina attributa cōmunicata eſſe humanitati; & ad Coloſſ. 2. *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*; Matt. 11. *omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, & c. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*, ergo in Incarnatione fuit realis communicatio attributorum inter naturas. Tùm quia ſequeretur, quòd hæc idiomatum communicatio, non eſſet vera, & realis, ſed ſolùm in quadam verborum denominatione cōſiſteret, quod eſt falſum. Tùm 3. fuit naturæ humanæ communicata ſubſiſtentia, ergo & alia attributa; idem quòq; oſtendi poteſt illis rationibus, quibus hęretici conantur probare vbiquitatem humanitatis Chriſti.

4 Reſp. Sanctos Patres illis locutionibus intendere, vel quòd humanitas hac vnione fuit taliter eleuata, vt ratione illius verè de homine dicatur, quicquid ad Dei gloriam ſpectat (& hæc eſt vera communicatio idiomatum) vt fuerit digna ſummo honore, & diuina quadam adoratione, vel quòd per iſtam vnionem fuerunt ipſi communicatæ diuinæ perfectiones, non propriè, & formaliter, ſed per eximia dona, & ſecundùm quandam analogiam. Secundò dico, perfectiones diuinas humanitati conuenire, poſſe dupliciter intelligi, vel immediatè, & formaliter, & ſic negatur, vel mediatè, & conſequenter, & ſic conceditur, ratione ſcilicet ſuppoſiti, in quo ipſa humanitas reperitur; non tamen ex hoc ſequitur, poſſe in abſtracto verè, & propriè prædicari, ratione iſtius identitatis ſuppoſiti, quia in abſtracto abſtrahunt ab hac identitate, vt mox dicam. Authoritates Scripturæ non intelliguntur de humanitate, ſed de Chriſto, & ſolùm oſtendunt tertium dictum infra adducendum. Ad 2. neg. ſeq. quia per iſtas locutiones ſignificatur vera, & realis, ac ſubſtantialis vnio naturarum in eodem ſuppoſito, & ſic non in ſolis verbis conſiſtet, ſed indicabitur vnio ſubſtantialis in ſuppoſito abſq; permixtione naturarum in ſe. Ad 3. & ſi naturæ humanæ fuerit communicata ſubſiſtentia per ſe, & immediatè, non ideò ſequitur, quòd etiam alia attributa fuerint communicata, quia ſubſiſtentia ex ſua ratione formali nō dicit aliquam infinitam perfectionem, vt attributa, & conſequenter non infert, omnia attributa eſſe humanitati vnita, ſicut infert communicatio vnius attributi; tùm quia vnio non fuit facta ad naturam, ſed ad perſonam, quod eſſet falſum, ſi humanitas propriè, & in ſe reciperet illa attributa; tùm quia, vt ſuprà diximus, ſubſiſtentia fuit ſolùm per terminationem dependentię communicata naturę, non quòd formaliter in illa fuerit recepta; at attributa deberent formaliter adiacere, & intrinſecè ipſi naturæ, quod implicat. Ad id de vbiquitate vide diſp. 3. in fine.

5 Secundò dico, vnam naturam non poſſe in abſtracto prædicari de altera, & conſequenter neq; attributa vnius naturæ, ſiuè in abſtracto, ſiuè in concreto poſſunt de altera in abſtracto accepta prædicari; ratio huius eſt, quia prædicatio, cum ſit quædam identitas, ſequitur vnionem, ergo quia naturæ inter ſe immediatè non fuerunt vnitæ, ſed in ſuppoſito, ſequitur, quòd vt à ſuppoſito præſcindunt, ideſt vt in abſtracto ſumuntur, vna nequit de altera prædicari, neq; proprietas vnius de proprietate alterius; falſum ergo erit dicere, *Deitas eſt humanitas*, vel *Deitas eſt homo*, vel *humanitas eſt Deus*, *immenſa*, *omnipotens &c.*

6 Dices, à Sanctis Patribus humanitas dicitur deificata in Chriſto, ergo poteſt dici Deus, ſicut aqua calefacta dicitur calida; item ab iiſdem Deitas dicitur incarnata, aſſumpſiſſe humanitatem, ergo eſt homo, quia ideò Verbum eſt homo, quia eſt incarnatum, & humanitatem aſſumpſit; Confirm. quia D. Fulgentius q. 2. ad Ferrandum Diaconum defendit hanc locutionem, *Deitas eſt paſſa*, quia inquit, *Deitas eſt Deus*; & Eccleſia canit, *Mors mortua tunc eſt*, *quando in Ligno mortua vita fuit*. Accedit, ſicut valet dicere, *Verbum eſt homo*, *Verbum eſt Deus*, *ergo homo eſt Deus*, ita *Verbum eſt homo*, *Verbum eſt diuinitas*, *ergo homo eſt diuinitas*.

7 Reſp. à Sanctis Patribus humanitas dicitur deificata, non immediatè, ſed mediatè, ratione ſcilicet vnionis ad perſonam diuinam, hinc neg. conſeq. neq; exemplum currit, quia aqua dicitur calefacta, quia formaliter afficitur calore, & conſequenter calida dici poteſt, non ſic humanitas afficitur Deitate, ſed ratione ſuppoſiti; item Deitas dicitur incarnata, vel aſſumpſiſſe humanitatem, non tanquam ſuppoſitum, & terminus humanitatis, ſed tanquam natura illius ſuppoſiti, quod terminauit humanitatem; hinc non ſequitur, ergo *Deitas eſt homo*, ſicut ſequitur de Verbo, quia id verè, & propriè ſit homo, quod humanitati tanquam ſuppoſitum vnitur. Ad confirm. dico, locutionem illam in rigore non eſſe veram, niſi in ſenſu identico, & cum aliqua determinatione

concer-

concernente suppositum, vt *diuinitas secundùm carnem est passa*, & hoc, quia Patres non semper ita dialecticè sunt locuti; similiter per ly *vita* metaphoricè intelligitur Deus, vel Verbum. Ad aliam, neg. paritas, quia licet Deus, & Deitas sint realiter idem, & æquè cum personis identificentur, tamen differunt in modo significandi, hinc non quicquid dicitur de Deo, potest dici de Deitate, sicut *Pater generat, Pater est Deitas, ergo Deitas generat*, non valet; assignat rationem Scotus in p. d. 5. q. 1. A. quia quando subiectum est vltimatè abstractum, & prædicatum ex se non est natum prædicari, nisi formaliter, non est vera propositio, nisi sit in primo modo, Deitas est vltimatè abstracta, generare, sicut quodlibet aliud verbum prædicatur formaliter, seù per quandam adiacentiam, & inhæsionem, & consequenter, quia non est de per se conceptu Deitatis, non erit verum, *Deitas generat*, vel *est generans*, vnde negatur consequentia, quia variatur prædicatio identica, qualis est in minori, nam *Pater est Deitas*, est vera identicè, in formalem, qualis est in conclusione; in proposito, cum dicitur, *Deitas est homo*, non est prædicatio identica, quia Deitas, & homo non sunt idem realiter, solùm potest esse prædicatio formalis, & facit hunc sensum, *Deitas terminat humanitatem*, idcircò variatur quòq; prædicatio identica in formalem.

8 Dices, ergo saltim hæc propositio, *hic homo est Deitas*, erit vera identicè, sicut ista, *Filius Dei est Deitas* est identicè vera, nam hic homo supponit pro Filio Dei. Resp. si ly *hic homo* supponeret pro Filio Dei, posset admitti illa propositio, quando se tenet ex parte subiecti, attamen communiter negatur, quatenùs hic homo non dicit solum suppositum diuinum, sed suppositum subsistens in humanitate, quod totum non identificatur cum Deitate.

9 Tertiò dico, naturam in concreto, & omnia eius attributa verè, absolutè, & substantialiter prædicari posse de supposito, & de altera natura in concreto accepta; Sequitur ex dictis, quia natura, & omnia eius attributa possunt rectè de supposito, cui communicantur, dici, & si substantialiter communicantur, substantialiter dicentur, & consequenter poterunt de omni, quod tale suppositum concernit, prædicari; dummodò tamen non sint prædicata, quæ conueniant Deo ratione aliarum personarum, vt esse ingenitum, spiratum, quæ de Deo dicuntur, vt supponit pro Patre, vel Spiritu Sancto; ratio est, quia nec ista prædicata conueniunt Verbo, quod est fundamentum totius cõmunicationenia idiomatum. Dixi absolutè, quia si sumuntur cũ reduplicatione, illæ propositiones erunt falsæ, nam licèt hæc sit vera, *Christus est Deus, est æternus*, non tamen ista *Christus secundùm quòd homo est Deus, est æternus*, reduplicatiuè loquendo, & vt homo significat humanitatem, licèt in sensu specificatiuo in rigore non esset falsa, sicut nec ista alia, *Christus in quantùm Deus est passus*, quia sua exponens est vera, nã faceret hunc sensum, *Christus, qui est Deus, est passus, Christus, qui est homo, est æternus*, qui sensus in rigore est verus, hinc malè Ioan. de Lugo disp. 23. sect. 6. absolutè negat has propositiones. Verum est tamen, quòd cum ly *in quantùm* prima facie videatur facere sensum reduplicatiuum, cautè vtendum est illis propositionibus; vt iterùm dicemus infra q. 4. art. 3.

10 Dices, Christus est Deus per gratiam vnionis, sed Christus secundùm quòd homo reduplicatiuè habet gratiam vnionis, ergo secundùm quòd homo reduplicatiuè est Deus. Confirm. dimittere peccata est proprium Dei, sed Christus secundùm quòd homo dimittit peccata, Matt. 16. *Vt autem sciatis, quod filius hominis habet potestatem dimittendi peccata*, ergo secundùm quòd homo est Deus. Tùm quia de Christo dicerentur duo contradictoria, vt est passibilis, & impassibilis. Resp. non sequi, ergo secundùm quòd homo est Deus, sed est vnitus Deo, quia non est idem ordinari per aliquid ad aliud, & esse illud. Ad cõfirm. nego min. si reduplicatiuè se teneat, & de potestate absoluta, cõcedo, si specificatiuè, vel de potestate delegata sit sermo, quo sensu explicatur authoritas, quæ etiam potest intelligi de potestate absoluta, nam ly filius hominis circũscribit suppositũ diuinum, quod vt Deus dimittit hoc modo peccata. Ad aliam, non verificarentur contradictoria, quia non secundùm idem, sed secundùm diuersas naturas. Dices, si valet dicere, *Christus est impassibilis*, ergo valet inferre, *Christus non est passibilis*, si sic, ergo valet etiam inferre, *Christus non est passus*, quæ est propositio falsa; prima cõseq. prob. quia ab affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuã de prædicato finito valet inferre, vt equus est irrationalis, ergo non est rationalis; secunda conseq. prob. quia à negatione potentiæ ad negationem actus tenet conseq. vt malum non est volibile, ergo non est volitũ, Angelus nõ est visibilis, ergo non est visus. Resp. hæc omnia in rigore esse vera, si semper eumdem sensum seruarent, nam sicut de Christo dicitur impassibilitas ratione diuinitatis, sic ratione eiusdem negatur passibilitas, & passio. Attamen quia propositiones negatiuæ faciunt sensum vniuersalẽ prima facie, & videntur negare prædicatum à toto subiecto, hinc non conceduntur illæ propositiones negatiuæ, sicut affirmatiuæ, vnde communiter vt falsæ negantur, ita Doctor d. 11. q. 2. in fine.

11 Quartò dico, quòd communicatio idiomatum non solùm desumitur à tota natura, sed etiam à partibus principalioribus, nõ tamen secundùm omnia prædicata, sed secundùm illa, quæ ex vsu loquentium attribui solent ipsi toti, seù homini; Explicatur, & probatur simul, nam ex vsu loquentiũ homo dicitur esse in sepulcro, iacere in lecto ratione corporis, quæ est pars principalis, dicitur esse in cælo, in purgatorio, in inferno, ratione animæ, non tamen dicitur esse in vase, quia sanguis v.g. ipsius continetur in vase, non dicitur esse, vbi solùm est manus, vel caput, eòquia sunt partes minùs principales; Neque prædicata illa, quæ exprimunt officium partis, applicantur toti, vnde non dicitur, homo separatur, vel vnitur corpori, eòquia anima, quæ est pars, separatur, vel vnitur; neq; quòd homo sit pars, vel componat, quia tunc partes illæ suo modo dici possunt supponere simpliciter, seù vt partes sunt cõeradistinctæ à toto. Ex quibus sequitur, eadem prædicata partium, quæ homini tribuuntur, dici quòq; de Verbo, & de Deo, vnde dicimus, Verbum, & Deum fuisse sepultum, iacuisse in sepulcro, ratione corporis, descendisse ad inferos ratione animæ, non tamen Verbum esse ratione sanguinis effusum à corpore, super terram diffusum, quia sanguis non est pars principalis corporis; neque dicimus, Verbum esse separatum à corpore ratione animæ, propter eandem rationem.

12 Quintò dico, quòd ab istis regulis de communicatione idiomatum excipiuntur illa prædicata, quæ exprimunt vnionem naturæ ad personam, vnde non valet dicere, *Deus subsistit in vtraq; natura, est terminus*

resultans ex vnione, &c. ratio est, quia ista communicatio fit propter vnionem; ideòq; præsupponit vnionem, sicut effectus suam causam; ità Scotus 3. d. 7. q. 3. in fine; ex quo sequitur etiam, multò minùs valere de illis prædicatis, quæ excludunt ipsam vnionem, vel simpliciter, & absolutè, vt purus Deus, purus homo, nam ly purus excludit simpliciter vnionem, aut saltem secundùm aliquod concomitans vnionem; quod explico; de facto vnioni hypostaticæ fuit annexa vnio beatifica, simpliciter tamen potest ab illa separari, vt infrà suo loco dicam; quapropter modò non valet cômunicatio idiomatum secundùm illa prædicata, quæ excludunt vnionem beatificam, quia saltem concomitanter excluderent hypostaticam, vt fuit exhibitarvndè non valet, homo est peccator, in peccato conceptus, filius iræ, &c. ergo Christus, & Verbum est tale.

Dices, ergo non posset dici, *Deus est genitus ex Virgine*, quia generatio præcedit vnionem. Resp. non dicere Scotum, communicationem non fieri in his, quę præcedunt vnionem, aliter neq; passiones naturæ, quę vnionem præcedunt, dicerentur de Deo, sed quòd nô fit in his, quæ exprimunt vnionem; & præcipuè in ista propositione nô sequitur sequela, quia generari competit termino totali, & consequenter præsupponit aliquo modo vnionem.

13 Sextò dico; quòd licèt quæ de Christo simpliciter dicuntur, dici possint etiam de Verbo, non tamê ea, quæ Christo, vt Christus est, formaliter, seù simpliciter supponens, conueniunt, possunt Verbo applicari; hinc dicimus, *Christus est filius Dei, homo mortalis*, &c. idem de Verbo, quia Christus personaliter supponit, & se tenet pro hypostasi, & persona; non tamen est verum dicere, *Christus est terminus resultans ex tali vnione, constat ex duobus naturis, &c. ergo Verbum est talis terminus, taliter constans, &c.* quia in istis propositionibus Christus se tenet pro suo immediato significato præcisè sumpto; hæc in generali sufficiant, aliqua tamen sparsim in sequentibus addentur.

Quæstio Secunda.

Examinantur istæ propositiones, Deus est homo, *&* Homo est Deus.

14 PRo exacta intelligentia harum propositionum aliqua dubia mouebuntur, & dissoluentur, vt facit Scotus 3. d. 7. q. 1.

Primò igitur dubitatur de ista propositione, *Deus est homo*, an sit vera; Dur. d. 4. q. 2. videtur asserere, non esse in rigore omninò veram, seu non esse omninò propriam, sicut est ista, *Petrus est homo*, vnde potiùs, ait, dicere debemus, *Deus est humanatus*, quàm homo.

15 Dicendum, hanc propositionem, *Deus est homo*, esse veram, & propriam; ita Doctor cit. estq; de fide, definita præcipue in Concil. Ephes. vbi ex hoc, quòd genitum ex Virgine fuit verè Deus, deducitur contra Nestorium, B. Virginem propriè, & verè esse matrem Dei; probat Doctor, verè, & propriè Verbum est homo, ergo verè, & propriè Deus est homo, antec. prob. suppositum subsistens in aliqua natura, vt suppositum naturæ, dicitur tale formaliter secundùm illam naturam, creditum est autem, Verbum subsistere in natura humana, vt suppositum in natura, ergo per eam Verbum formaliter, verè, & propriè est homo; conseq. prob. quandocunq; prędicatû conuenit inferiori, conuenit etiam communi, licèt non primò verè, sed mediatè, ergo si homo conuenit formaliter Verbo, quod se habet veluti inferius, conueniet quòq; Deo, qui se habet ad modum communis; & magis patebit hæc veritas ex solutione obiectionum.

16 Dices; diuidentia, quæ sunt maximè diuersa, sunt incompossibilia, sed finitum, & infinitum sunt maximè diuersa, ergo incompossibilia, ergo etiam Deus, & homo per illa constituti. Tùm 2. idem nequit de eodem denominatiuè, & in abstracto prædicari, vt paries non potest dici albus, & albedo, nec Petrus dicitur homo, & humanus, sed Deus dicitur humanatus ex Dam. 3. fidei c. 2. & ex Concil. Constantinop. c. 7. ergo non potest dici homo. Tùm 3. omne absolutum dictum de Deo cōpetit tribus personis ex Aug. 5. de Trin. c. 8. sed homo est prædicatum absolutum, ergo si diceretur de Deo; diceretur de tribus, quod est falsum. Tùm 4. istud prædicatum homo non videtur habere rationem generis, vel speciei, aut differentiæ, respectu Dei, quia Deus non est in genere, neq; definitionis, quia non est de essentia subiecti, neq; proprij, quia Deus non intrat definitionem hominis; neq; accidentis, quia prædicatur in quid, & substantiuè, non in quale, & adiectiuè, nec Deo potest accidens conuenire, ergo propriè non dicitur de Deo. Tùm 5. vbi est maior identitas inter prædicatum, & subiectum, est maior veritas, & proprietas prædicationis, maior identitas est inter Petrû, & hominem, quàm inter Deum, & hominem, ergo &c. min. patet, quia Petrus per eandem naturam est homo, per quam etiàm est Petrus, vnde est in primo modo, at Deus non est Deus per naturam humanam.

17 Resp. ad 1. ex Scot. cit. negando, diuersitatem facere incompossibilitatem, vt supè dictum est. Ad 2. negat Doctor, ly humanatum esse denominatiuum hominis, vel humanitatis, sed esse, ait, denominatiuum verbi *humanor*, seù *hominem fieri*, idcircò dicitur de Deo, nam denominatiuum, quod significat formam in fieri, dicitur de eodem subiecto, de quo dicitur ipsa forma denominatiuè sumpta, vt Petrus fit albus, ergo est albus; cum igitur hominem fieri dicatur de Deo, etiam esse hominem dicetur de Deo; at denominatiuum hominis absolutè sumpti est humanum, quod non dicitur de Deo, non enim communiter hæc propositio acceptatur, *Deus est humanus*, sicut neq; Petrus dicitur humanus, sed de hoc q. 4. art. 3. Ad 3. Aug. loquitur de prædicatis conuenientibus Deo ad intrà. Ad 4. patebit ex dicendis, quomodò istud prædicatum habeat rationem speciei, & accidentis; negatur tamen conseq. neq; probatio est vniuersaliter vera, sed solùm, quando subiectum cōstituitur in esse per illud prædicatum, at quando supponitur iam constitutum in esse, vt in proposito, & prædicatum est nomen substantiuum, poterit substātiuè, & non adiectiuè prædicari, quod peculiare est in hac vnione, sicut etiam est specialis vnio, vt dicemus. Ad 5. neg. maior, quia tàm proprie, & verè Petrus est risibilis, ac est homo, & si est albus, absq; vlla improprietate dicetur albus, sicut dicitur homo; quamuis homo sit magis idem cum Petro, quàm risibile, & album, vnde falsum est, maiorem identitatem inferre maiorem veritatem, & proprietatem prędicationis, solùm poterit inferre necessitatem, vel contingentiam prædicationis.

Secundo

18 Secundò dubitari potest, an hæc prædicatio hominis de Deo sit formalis, vel identica, seù quod idem est, an homo supponat pro natura humana in hac propositione, an verò pro supposito Verbi.

Hic est vna opinio, quam Margo Scoti tribuit Archiepiscopo Senoniensi, & eam sequitur Ioan. de Lugo disp. 23. sect. 1. hominem hic supponere pro supposito Verbi, vt idem sit rectum prædicati cum recto subiecti, aliter propositio esset falsa; idem quoq; docet Hurt. disp. 69. sect. 3.

19 Dico tamen cum Scoto § *Tertiò videndum*, hanc prædicationem esse formalem, & consequenter hominem hic significare naturam; quem dicendi modum inter alios sequitur Vasq. 3. p. disp. 63. c. 4. & ex dictis disp. 3. n. 30. & seq. probari potest. Tùm quia, vt arguit hic Doctor, prædicatio formalis est, quando prædicatū inest subiecto formaliter, idest per modum adiacentis, vel inhærentis, aut quidditatiuè, aut denominatiuè, prædicatio verò identica est, quando idem prædicatur de seipso, vel explicitè, vt cum dico, *Petrus est Petrus*, vel implicitè, vt cum dico, *essentia est paternitas*, quia in hac propositione paternitas significat eandem rem, quæ est essentia, à qua realiter non distinguitur, & est sensus, *essentia est res, quæ est paternitas*; modò in proposito, si hæc prædicatio esset identica, vel homo significaret suppositum, tunc faceret hunc sensum, *Deus est homo*, idest *Deus est suppositum, quod est homo*, quod est falsum, quia daretur processus in infinitum, nam licèt in hac propositione homo non prædicaretur pro formali significato, sed pro supposito; quæro tamen, in propositione illa expositoria nùm homo formali prædicatione prædicatur, an verò identica? idest cum dicitur, *quod est homo*, an homo supponit pro supposito, an verò pro natura, si pro supposito, debet sicut prima exponi, & sic in infinitum, si pro natura, habetur intentum, quia de supposito diuino pro formali dicetur.

20 Dices, non ità exponi debere allatam propositionem, sed *Deus est suppositum habens humanitatem*, & sic non sequitur processus in infinitum. Contrà, quia sequeretur, quòd natura nunquam in recto formaliter diceretur de proprio supposito; imò nūquam superius immediatè prædicaretur de inferiori, sed quælibet propositio esset singularis, vt arguebā disp. 3. cit. qualibet quoq; propositio esset identica, quæ omnia sunt falsa.

21 Contrà instat Ioan. de Lugo, si homo significaret naturam in supposito, & nō suppositum ipsum, sequeretur, quòd hæc propositio, *Deus est homo*, haberet hunc sensum, *natura diuina existens in supposito est natura humana existens in supposito*, qui sensus est falsissimus. Tùm quia sequeretur, quòd sicut dici potest, *Deus generat*, dici etiam posset, *natura diuina existens in supposito generat, vel generatur*, quod tamen ab omnibus negatur. Tùm 3. ideò propositio aliqua est vera, quia rectum subiectū est idem cū recto prædicati, quia verbum *est*, per quod fit omnis propositio, vel explicitè, vel implicitè, significat identitatem realem prædicati cum subiecto, nam vbi non est identitas, est distinctio, & vbi est distinctio, verum est, hoc non esse illud, si ergo hoc est illud, debet esse idem cum illo.

22 Resp. ex dictis disp. 2. cit. & in Log. disp. 2. q. 6. art. 2. neg. seq. non enim ità exponitur illa propositio, sicut nec qualibet alia, in qua prædicatum formaliter dicitur de subiecto, vt in ista, *paries est albus*, non est sensus, *paries est albedo existens in subiecto*, sed *albedo inhæret parieti*, cum sit forma accidentalis; in ista alia, *Petrus est homo*, non est sensus, *Petrus est humanitas existens in supposito*, sed *Petro conuenit humanitas*, sic in proposito, sensus erit, *Deo conuenit humanitas*. Ad 2. neg. etiā sequela, tùm quia Deus supponit ibi personaliter, licèt significet naturam diuinam. Ad 3. iam dixi, ad veritatē propositionis nō requiri identitatem realem, sed sufficere vnionem proportionatam, alitèr nunquam secunda intentio posset de prima prædicari; nam cū dicimus, *Petrus est indiuiduum*, esset sensus, *Petrus est suppositum habens secundam intentionem indiuidui*, & sic prædicatum esset reale, non rationis. falsum ergo est, quòd ly est significat identitatem realem, sed vnionem prædicati cum subiecto.

23 Dices, licitum est, loco alicuius termini in propositione ponere significatum illius, ergo quia homo significat humanitatem existentem in supposito, si valet, *Deus est homo*, verum erit etiam, *Deus est humanitas subsistens in supposito*. Resp. neg. assumptum esse vniuersaliter verum, quia veritas propositionis non solùm attenditur penès res significatas, sed etiam penès modos significandi, modò ly *humanitas subsistens in supposito*, vt sumitur in recto, & vt vnum terminum integrat, qui prædicetur, includit duo incompossibilia, videlicet humanitatem, quę ex se abstrahit à supposito, & concernentiam ad suppositum, quæ nequit humanitati conuenire, vndè *humanitas subsistens* dicit vnum constans ex duobus incompossibilibus. Tùm quia abstractum vt sic semper habet rationem partis ex dictis in Log. disp. 5. q. 1. art. 4. pars autem vt pars, siuè physica, siuè metaphysica, nequit prædicari de toto, vt ibi ostendi, idcircò non licet semper, pro termino vti significato eiusdem in propositione.

24 Tertiò dubitari potest, an Deus à parte subiecti in hac propositione supponat pro supposito Verbi solùm, an etiam possit supponere pro indiuiduo Deitatis.

Ioan. de Lugo, & Hurt. cit. consequenter docent, supponere tantùm pro supposito Verbi, alitèr dicendo, *Deus est homo*, esset sensus. *Natura diuina existens in supposito est homo*, quod est falsum. P. Vulpes disp. 18. art. 5. ait, Deum dupliciter posse supponere, vel simpliciter, vel personaliter, in vtroq; sensu concedit, propositionem esse veram, cum hac differentia, quòd vt Deus supponit simpliciter, est vera secūdùm communicationem idiomatum, at vt supponit personaliter, est vera immediatè ex vi vnionis. Vasq. disp. 63. c. 4. docet, Deum à parte subiecti supponere posse etiam pro indiuiduo Deitatis.

25 Sed in primis P. Vulpes videtur errare in Summulis, nam Summulistæ triplicem suppositionem tribuunt termino communi, simplicem, personalem, & absolutam; simplex est, quando sumitur pro suo immediato significato præcise sumpto, idest vt ab inferioribus præscindit, vnde sumitur in ordine ad prædicata ponentia discrimen inter ipsum, & inferius, aut superius, vt cum dicimus, homo est species, homo est natura communis, qua ratione non licet descendere sub termino communi ità supponente. Suppositio personalis est, quādo terminus communis sumitur pro suis significatis secundarijs, & dignoscitur hæc suppositio, quandò prædicatum immediatè conuenit inferioribus, & mediate termino communi, vt homo currit. Absoluta est, quando pro vtroq; significato indifferenter sumitur, in ordine scilicet ad illa

prædicata;

prædicata, quæ vtriq; significato conueniunt. Ex hac communi doctrina Summulistarum, patet, quàm sit falsum asserere in ista propositione, *Deus est homo*, Deū supponere posse simpliciter; nam hæc propositio in tantùm est vera, in quantùm concernitur vnio cum supposito, quia est vera mediatè, non immediatè, ex Scoto hic, ergo cum Deus se habeat instar termini communis, quia Patri, Filio, & Spiritui Sancto conuenit, cum simpliciter supponit, præscindit à suppositis, & consequenter ab ista vnione, quæ est fundamentum totius veritatis communicationis idiomatum. Tùm quia sub termino simpliciter supponente non licet descendere, ergo si Deus in hac propositione supponere potest simpliciter, non valeret descendere, *ergo Verbum est homo*. Tùm quia hoc prædicatum non ponit differentiam inter Deum, & personas diuinas, quale esset istud prædicatum in hac propositione, *Deus est communicabilis tribus*, *est indiuiduum Deitatis*, &c. ergo non rectè asseritur, supponere posse simpliciter cum veritate in hac propositione.

26 Huic tamen obiectioni videtur occurrere infrà art.9 dum ait, in vera Theologia dari triplicem suppositionem, vnam simplicem pro natura, aliam indiuidualem, pro signato indiuiduo eiusdem naturæ, tertiam personalem pro supposito Verbi, quæ diuisio suppositionis, quamuis à Logicis non assignetur, innotuit tamen nobis ex misterio incarnationis, & lumine Theologico. Verùm licèt suppositio indiuidualis, & personalis vt distinctæ suppositiones in lumine theologico sint admittendæ, & adhùc suppositio pro natura, hæc tamen potiùs dici deberet absoluta, quàm simplex in proposito, quia non est in ordine ad prædicata ponentia differentiam inter naturam, & inferiora. Sed quicquid sit de abusu terminorum, adhùc falsum est, Deum supponere simpliciter, quia vt sic præscindit ab vnione hypostatica, vt dicebam.

27 Quapropter dicendum est, Deum hic supponere personaliter, præcipuè quia sumitur in ordine ad prædicatum, quod ipsi conuenit mediatè, & ratione suppositi. Sed adhùc dubitatur, an sit propositio indefinita, itàut Deus supponat pro supposito diuino indeterminato, an verò sit propositio determinata, vt Deus supponat pro sola persona Verbi. Suarez in com. art.1 q.16. ait, supponere determinatè, quia si supponeret indeterminatè pro aliquo supposito diuino, etiam ista propositio, *Deus non est homo*, esset vera, quia suppositum Patris non est homo. Verùm si in prima propositione, *Deus est homo*, Deus à prædicato restringitur, vt supponat pro supposito Verbi tantùm, etiam in secūda propositione posset Deus à prędicato restringi, vt supponat pro Patre, vel Spiritu Sancto, & sic vtraq; propositio erit vera, siuè determinatè, siuè indefinitè sumatur; Attamen secunda propositio non facilè admittitur sic absolutè prolata, quia negatio videtur prima facie vniuersaliter negare prædicatum à subiecto; sed loquendo in rigore logico, vtraq; est vera, quia cum sit in materia contingenti, vt dicemus, vtraq; æquiualet particulari, vt cum dico, *homo est albus*, *homo non est albus*, sunt ambæ veræ. Idcircò propositio illa est indefinita, quia est de termino habente aliqualiter rationem communis nullo signo determinato; est etiam determinata, quia terminus iste supponit determinatè pro aliquo supposito diuino, quod de facto est Verbum.

28 Tota hæc doctrina, præterquamquod videtur supponi à Scoto in hac distinct. euidenter adhùc colligitur ex 1.d.4.q.2. vbi loquens Doctor de ista propositione, *Deus creat*, ait, Deum hic supponere pro indiuiduo Deitatis, non autem necessariò pro aliquo supposito, quia creare non conuenit naturæ, vt existenti incommunicabiliter; sed simpliciter vt existens est, & consequenter non est necesse, quòd Deus supponat pro suppositis, nam quando est veritas pro primis significatis terminorum, inquit Scotus, non oportet quærere veritatem in alijs, in quibus includuntur ista significata; subinfero, ergo quia hoc prædicatum, *homo* conuenit Deo, vt incommunicabiliter existenti, in conceptu huius subiecti debet intelligi incommunicabilitas, quæ est radix veritatis huius propositionis, ergo non supponit pro indiuiduo Deitatis, sed pro supposito, & consequenter personaliter.

29 Dices, communicatio idiomatum non fit inter naturas, & suppositum, sed inter naturas inter se, ergo Deus non solùm supponit pro supposito, sed potest quoq; supponere pro indiuiduo naturæ. Resp. cōmunicationem idiomatum fieri inter naturas, non præcisè, sed vt concernunt suppositum, à quo si præscindunt, non fierent propositiones veræ, vndè hæ duæ propositiones, *lac est dulce*, & *album est dulce*, nō sunt vna propositio, quamuis album supponat pro lacte, quia lac simpliciter significat naturam, & substantiam lactis, at ly album supponit quidem pro eadem, sed vt substat formæ albedinis, non reduplicatiuè, sed specificatiuè; & hac ratione fit idiomatum cōmunicatio inter terminos explicantes naturas.

30 Quartò dubitari solet, an hæc propositio, *Deus est homo*, sit per se, an verò per accidens; quod dubium secum defert solutionem alterius, an scilicet sit in materia necessaria, seù naturali, an verò in materia contingenti (nam quòd non sit in materia impossibili, clarum est, aliter nunquam fuisset facta talis vnio.) Thomistæ q.16. art.1. asserunt, hanc propositionem esse per se, & in materia naturali, sequitur Ragusa disp.125. pro quo aduertit Caiet., quòd si Deus hic supponit absolutè, vel pro persona diuina vt sic, non est per se, nec in materia necessaria, sed si supponit pro persona Verbi, quatenùs subsistens est in natura humana, seù vt persona humana; tunc est per se, & in materia necessaria.

31 Opposita opinio est Scoti in 3.d.7.q.1. quem sequuntur Nominales, & Recentiores, quamuis in explicatione videantur aliqualiter differre, vere tamen coincidunt; inquit ergo Doctor, quòd hæc propositio, metaphysicè loquendo, est per se, non per accidens, at logicè est per accidens, & consequenter in materia contingenti, non naturali. Prob. prima pars, id dicitur per accidens metaphysice, quando vnum alteri accidit, vel ambo tertio; in proposito homo non accidit Deo, neq; ambo tertio, sed substantialiter vniuntur in supposito, ergo metaphysicè hæc propositio non est per accidens, sed per se, qua ratione ostendi disp.8. hanc vnionem non esse accidentalem, sed substantialem, & Christum esse vnum per se modo ineffabili. Secunda pars prob. illa propositio logicè est per accidens, quando prædicatum, licèt sit substantia, & consequenter non accidens prædicamentale, attamen non necessariò conuenit subiecto; sed adest, & abest præter subiecti corruptionem, qua ratione dicitur accidens prædicabile, vt patet ex Log. disp. 5.q.5. art. 2. sic se habet homo respectu Dei, ergo &c. Tùm quia homo nequit per se cōuenire Deo, neq; in secundo modo, quia non est passio, neq; in

tertio,

tertio, qui est modus per se essendi, neq; in quarto, quia non consideratur hic vt effectus Dei; neq; in primo modo, quia non est de essentia subiecti, vt patet, ergo &c. Ex quo patet tertia pars, scilicet quòd logicè loquendo est in materia cõtingenti, quia poterat esse falsa, nam absolutè Deus poterat non incarnari.

32 Neq; effugium Caiet. videlicet hæc omnia esse vera, vt Deus supponit pro persona Verbi, nõ autem, vt supponit pro persona humana, aliquid valet. Etenim natura vtique essẽtialiter dicitur de proprio supposito, & per se illi conuenit, non quia præcisè terminat eius dependentiam, sed quia dat illi primum esse simpliciter, qua ratione accidens non essentialiter dicitur de subiecto, quia non dat illi esse primum, licèt ab ipso terminetur accidentis dependentia, ergo cum natura humana non det Verbo primum esse, licèt à Verbo terminetur ipsius dependentia, non per se cõuenit Verbo, sed per accidens logicè. Tùm quia Verbum propriè non est persona humana, sed gerit vices illius, ergo homo propriè, & per se non cõuenit Verbo, sicut neq; hoc, quod est, gerere vices suppositi humani per se conuenit Verbo.

33 Dices, verum est, esse personam humanam non per se conuenire Verbo, at homo per se conuenit Verbo sub ista reduplicatione. Contrà, ergo nulla propositio esset contingens, sed quælibet per se, prob. seq. quia si paries consideratur, vt subest albedini sub ista reduplicatione, albedo per se illi conuenit, & sic ista propositio, *paries est albus*, esset per se, quia paries hic supponit, non præcisè pro sua entitate, sed vt subest albedini; idem de alijs propositionibus dicendum; hæc tamen sequela est falsa, nam propositio ista dicitur per accidens, eòquia albedo per accidens conuenit parieti in se considerato, & quia hoc, quod est, subesse albedini per accidens competit parieti. Accedit, quòd ista propositio, *Deus est homo*, secundùm Caiet. faceret hunc sensum, *Verbum vt persona humana est homo*, sed hoc, quod est, esse personam humanam in Verbo nil aliud dicit, quàm esse hominem, ergo sensus esset, *Verbum vt homo est homo*, quod est nugatoriè dictum.

34 Contrà arguitur, ista propositio, *Sortes est homo*, est per se, & necessaria, eòquia Sortes est suppositum naturæ humanæ, sed Verbum est etiam suppositum humanæ naturæ, & Deus pro ipso vt sic supponit, ergo &c. Tùm quia si ista propositio, *Deus est homo*, non est per se, ergo neq; ista alia, *Christus est homo*, est per se, sed hoc est falsũ, ergo &c. seq. prob. quia Deus in hac propositione supponit pro Christo, falsitas prob. quia Christus est consubstantialis nobis quò ad humanitatem, estq; perfectus, sicut quilibet homo.

Resp. ex dictis neg. Deum ibi supponere pro persona humana, quia non est talis, sed gerit solùm vices illius; neq; paritas valet, quia homo dat Sorti tanquã proprio indiuiduo, & supposito primum esse, non sic comparatur Verbo. Ad 2. nego sequelam, quia Deus in rigore non supponit in illa propositione pro Christo, sed pro persona Verbi, non enim Deus, & Christus sunt omninò idem; an autem illa propositio sit per se, dicetur infrà.

35 Quintò dubitatur, an hæc prædicatio sit vniuoca; affirmant Thomistæ cũ Suarez q. cit. aiunt enim, esse essentialem; Scotus cit. concedit quidem, *homo* in hac propositione esse prædicatum vniuocum respectu Dei, & nostri, negat tamen de Deo vniuocè prædicari; sequitur Vasq. Gabr. & Ioan. de Lugo; & prob. quia homo tàm de nobis, quàm de Deo prędicatur secundùm idem nomen, & eandem rationem, ergo est prædicatum vniuocum; at non prædicatur vniuocè de Deo, quia ad hoc requiritur, non solùm quòd prædicatum dicat nomen, & rationem communem, sed etiam, quòd essentialiter conueniat vniuocatis, ex dictis in Log. disp. 2. q. 4. art. 2. at homo non essentialiter, sed accidentaliter logicè conuenit Deo, vt dixi, ergo &c.

36 Tandem hæc omnia dubia agitari possunt de ista alia propositione, *Homo est Deus*; quibus per ordinem respondendo.

Dico primò, hanc propositionem esse veram, & propriam, propter eandem rationem, imò clariùs apparet veritas, & proprietas huius propositionis, quã alterius, quia in ista natura diuina prædicatur de suo supposito. Secundò dico, hanc prædicationem esse formalem, quia Deus hic supponit pro natura diuina, non pro supposito Verbi. Tertiò dico, ly *homo* supponere non pro natura humana suppositata, sed pro supposito Verbi, vt concernit naturam humanam, nõ quidem reduplicatiuè, sed specificatiuè.

37 Maior difficultas est, an sit per se, vel per accidens; affirmant Thomistæ, esse per se; at vt consequenter loquamur, certum est, hanc propositionem esse magis per se, quàm sit præcedens, quia hic natura diuina prædicatur de proprio supposito importato à ly *homo*, de quo per se, & essentialiter dicitur; attamen quia ly *homo* non dicit absolutè Verbum, sed suppositum diuinum vagè, vt substans naturæ humanæ, quod totum logicè loquendo non est verum per se ex dictis disp. 2. n. 26. idcircò hæc propositio nõ est in rigore, & secundùm omnes partes per se; nam vt ait Scotus 3. d. 7. q. 1. E. ratio in se falsa ex 5. met. 34. de nullo est vera, ergo à simili conceptus, qui non est in se vnus per se, de nullo vno per se enunciatur, nec aliquid vnum per se enũciatur de ipso, erit igitur hęc propositio similis huic, *homo albus est coloratus*, vbi licèt coloratum per se dicatur de albo, non tamen de homine albo, quia homo albus non est vnum per se; pariformiter licèt Deus per se dicatur de Verbo, non tamen de Verbo homine, quod non est vnum per se logicè.

38 Ex quibus etiam sequitur, hanc propositionem esse quoq; in materia necessaria, & de prædicato vniuoco, & vniuocè dicto; ratio est, quia prædicatum per se, & essentialiter conuenit subiecto, & si propositio illa non est per se, nõ prouenit, quia per accidens omninò prædicatum conueniat, sed quia non est de subiecto logicè per se vno.

39 Contrà istam doctrinam instant Vasq. & Ioan. de Lugo; Quia si esset vera, sequeretur, nullam prædicationem accidentis communis de inferioribus in terminis concretis esse per se, scilicet *hoc album est coloratum*, quia subiectum non est per se vnum. Tùm quia quandò Scotus ait, subiectum debet esse vnum per se, vel intelligit, quòd non sit ens per accidens; & sic est verum assumptum, at ly *homo* non est ens per accidens; vel intelligit, quòd partes non debeant cõtingenter inter se vniri, sed necessariò, & hoc est falsum, quia nec homo esse poterit subiectum propositionis per se, nec aliud physicum compositum, quia partes, scilicet materia, & forma, contingenter vniuntur, ergo non est hæc conditio necessaria, vt propositio sit per se.

Resp.

40 Resp. neg. seq. album non est vnum per accidens, eòquia non importat ex æquo subiectum, & formam, sed vnum de principali significato, scilicet formam in hac propositione, alterum de connotato, scilicet subiectum; at homo ex æquo importat suppositum subsistens in natura humana, seu suppositum humanum, quod non est vnum per se in rigore logico. Ad 2. per idem, subiectum non debet esse vnum per accidens, homo hic est vnum per accidens logicè, quatenùs extrema nō se habent vt per se actus, & per se potentia, & vnum aduenit alteri in actu completo constituto, licèt metaphysicè loquendo non vniantur accidentaliter, sed substantialiter.

41 Dices; homo hic supponit pro natura humana, sed de natura humana Deus nequit per se dici, ergo hæc propositio non est per se; maior prob., quia ideò est vera ista propositio, *homo est Deus*, quia istæ aliæ sunt veræ, *Verbum est Deus*, *Verbum est homo*, & per sillogismū expositorium infertur; ergo *homo est Deus*, at *homo* in minori supponit pro nstura humana in nostra sententia, cum sit prædicatio formalis, non pro supposito ex dictis n. 19. ergo etiam in conclus. pro eadem supponet, alitèr argumentum non concluderet, quia esset in quatuor termiois, & committeretur fallacia ex variatione suppositionis; vel si in conclus. pro supposito supponit, idem de eodem in minori dicendum, & sic falsa erit doctrina assignata n. 19.

42 Resp. si argumentum valeret, probaret etiam, sillogismum illum constare ex duobus terminis, cum enim minor sit propositio idētica, iam vnus esset terminus; nego igitur maiorem, ad probat. nego, ly *homo* eodem modo suppnnere in minori, & in conclus. neq; ex hoc inferri debet, committi fallaciam ex variatione suppositionis, vel argumentum esse in quatuor termiois; ratio est, quia tunc variatio suppositionis multiplicat terminos, vt spectant ad sillogismū, quando suppositiones sunt aliquo modo inter se oppositæ, idest quādo significatio secundùm vnam suppositionem excludit aliam significationem secūdùm aliam suppositionem, talis est v.g. suppositio simplex, & personalis, vel absoluta, nam homo, vt supponit simpliciter, omnino præscindit ab inferioribus, à quibus non præscindit, vt supponit absolutè, vel personaliter, vnde non valet, *homo est species*, *Petrus est homo*, *ergo Petrus est species*; simili modo quoq; se habent suppositio personalis distributiua, & collectiua, nam prima omninò præscindit à collectione omnium singularium, quam necessariò imbibit secunda; at quando suppositiones non ità se habent, quia quicquid supponitur in vna, datur etiam intelligi in altera, licèt non eodem modo omninò, tunc non est variatio notabilis, nec infert fallaciam; sic se habent suppositio absoluta, & personalis, quia terminus cōmunis in vtraque sopposítione supponit pro significato primario, & secundario, seù pro inferioribus, & pro suo significato, cum hac tamen differentia, quòd in prima indifferenter respicit vtrumq;, at in secunda primò respicit significatum secundarium, deinde primarium; hinc sillogismus iste est rectus, *omnis homo est animal, aliquis homo est albus, ergo aliquod albū est animal*, & tamen homo in maiori supponit absolutè, in minori supponit personaliter; similiter album in minori se tenet adiectiuè, & consequenter prædicatur prædicatione formali, in conclus. se tenet neutraliter, & substantiuè, & supponit pro subiecto, habente albedinem, quæ acceptiones albi nō sunt oppositæ, nam in minori album significat albedinem cum ordine ad subiectum, itaut vtrumq; dat intelligere, vnum pro formali, alterum pro materiali, in conclus. supponit pro subiecto in ordine ad albedinem, ecce quòd etiā vtrumq; dat intelligere, sed principaliùs supponit pro subiecto; non igitur qualiber variatio infert fallaciā, aut terminos multiplicat; idem in proposito de homine in minori, & in conclus. posito dicendum.

Quæstio Tertia.

An istæ propositiones, Deus factus est homo, *&* Homo factus est Deus, *sint veræ*.

43 PRimam propositionem omnes Theologi vnanimiter admittunt, quamuis D. Bon. 3. d. 7. art. 1. q. 2. asserat, non esse in rigore propriam, eòquia quod fit tale, debet fieri propriè loquendo cum sui mutatione, Deus autem, cum factus est homo, non fuit mutatus. Secundam propositionem Thomistæ, & Recentiores docent esse falsam, nisi ly *factus est* explicetur impersonaliter, vt sensus sit, *factum est*, *vt homo sit Deus*.

44 Dico primò, ista propositio, *Deus factus est homo*, est vera, & propria; ita Scotus 3. d. 7. q. 2. prob. ex Symb. Nicæno, *& homo factus est*, Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, vbi caro ponitur pro homine; neq; est dicendum, Euangelium, & Symbolum impropriè loqui in præcipuo misterio nostræ fidei. prob. etiam à Scoto ratione, præmittendo, quòd factio, quando prædicat secundum adiacens, dicit factionem simpliciter, quando verò prædicat tertium adiacens, dicit factionem secundùm illud, quod specificatur per tertium, sicut etiam euenit de verbo substantiuo, itaut sicut verè, & propriè enunciatur fieri de eo, quod simpliciter accipit esse ab alio post non esse, ità de eo verè enunciatur fieri tale, quod per actionem alicuius agentis est tale, postquam non fuit tale; tunc sic, factio passiua non includit formaliter, nisi habitudinem facti ad faciens, & ordinem ipsius facti ad nō esse præcedens, siuè sit factio simpliciter, siuè talis, sed Deus per actionem diuinam est homo, & non fuit semper homo, vt patet, ergo verè factus est homo.

45 Contrà, si ista propositio est vera, ergo & hæc, *Deus factus est*, quod est falsum, prob. seq. quia sequitur, Sortes factus est homo, ergo factus est. Tùm 2. si est vera, rectè inferretur, ergo *Deus factus est Deus*, quia propter communicationem idiomatum qui occidit hominem, occidit Deum, ergo qui factus est homo, factus est etiam Deus. Tùm 3. sequeretur, quòd Deus mutatus esset, quia factio requirit mutationem eius, in quo est, & de quo dicitur, vt homo factus est albus, ergo mutatus est. Tùm 4. sequeretur, istam aliam esse veram, *Deus factus est hic homo*, quæ est falsa, quia ly *hic homo* supponit pro persona, & sic esset sensus, Deus factus est Verbum, nam sequitur per sillogismum expositorium, *hic homo est Verbum*, *Deus factus est hic homo*, *ergo Deus factus est Verbum*, sequela prima prob. quia Deus non est factus homo communis, sed particularis, & singularis, nam factio est circa singularia.

46 Resp. ex Scoto cit. ad 1. neg. seq. ad probat. neg. paritas, quia illa conseq. non sequitur gratia formæ, aliter

aliter posset inferri, homo factus est albus, ergo factus est; quod est falsum, quia non eadem actione homo factus est albus, & factus est quòd ad esse simpliciter; sed sequitur gratia materiæ, quia Sortem fieri hominem, est ipsum accipere esse simpliciter primû, Deus autem licèt accipiat esse humanum, quod est esse simpliciter, nõ tamen est primum esse ipsius. Ad 2. neg. seq. quia communicatio idiomatum non fit in illis prædicatis, quę exprimunt vnionem, vt est in proposito, vnde non sequitur, natura diuina assumpsit naturam humanam, ergo natura diuina assumpsit naturam diuinam. Ad 3. neg. etiam seq. & ad probat. ait Doctor, quòd tunc factio requirit mutationem, quãdo subiectum præsupponitur in potentia ad id, quod recipit, modò Deus non est quid potentiale respectu naturæ (vt in simili patet, cum Deus dicitur creator de nouo) non enim recipit habitudinem realem, sed solùm dicitur factus homo per realem terminationē vnionis factæ in natura humana, & denominatione extrinseca, vt dictum est disp. 1. q. 2. sic etiam Vrbanus 8. dicitur factus summus Pontifex absq; sui mutatione reali. Ad 4. resp. concedendo seq. negando falsitatem, ad probat. primò resp. ly *hic homo* in maiori supponere pro supposito, at in minori supponere tantùm pro indiuiduo humano, quia facit sensum formalem, idcircò non sequitur rectè conclusio. Deinde dico, & meliùs; sillogismũ illum esse in quatuor terminis, nam in maiori sunt duo termini, scilicet *hic homo, & Verbum*, in minori sunt alij duo termini *Deus, & factus*. Dices, sequitur *homo est animal, Petrus factus est homo, ergo Petrus factus est animal*. Resp. hunc sillogismum concludere, non ratione formæ, nam alij in eadem forma non concludunt, sed ratione materię, vt aduertit Ioan. de Lugo disp. 23. s. 3. quia scilicet homo, & animal se habent vt definitio, & definitum, de quibus habetur hæc maxima, *de quocunq; dicitur definitio, dicitur quoq; definitum, & eodem modo* ergo si de Petro dicitur factus homo, dicetur quoque esse factum animal.

47 Quæres, vtrùm possit absolutè dici ratione cõmunicationis idiomatum, *Deus est mutabilis*, *Deus est mutatus*, nõ enim istæ propositiones videntur esse falsæ, cum dicatur, *Deus est mortuus, Deus est passus*, quę sunt species motus. Resp. si est sermo de mutatione facta in Incarnatione, non posse dici, *Deus est mutatus*, neq; in se, vt patet, neq; ratione communicationis idiomatum; tùm quia natura humana non fuit verè mutata, quia tempore non præcessit vnionem; tùm quia vt sæpè dictum est, non fit communicatio idiomatum in illis prædicatis, quæ exprimunt vnionem; at si est sermo de alijs mutationibus, quas natura humana Christi progressu temporis habuit, sic Deus dici potest mutatus, sicut dicitur mortuus; attamen nõ tàm facilè admittitur hæc locutio absolutè, sed cum distinctione, nè significetur, Deum in Incarnatione passum esse aliquam mutationem.

48 Dico secundò, ista propositio, *Homo factus est Deus*, est vera de rigore sermonis; ità Scotus cit. quē sequitur Biel ibid. art. 2. & Lorca 3. p. disp. 63. n. 16. prob. primò ex D. Aug. de predest. Sanctorum c. 15. *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicūq; Christianus, qua gratia homo ille ab initio factus est Christus*; 1. de Trin. c. 13. *Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem fecerat, & hominem Deum*. & ex Dam. 3. de fide c. 11. *Eodem modo illud quoque dictum est, quod Deus homo factus sit, & homo Deus*; Nazian. orat. 2. de Theol. quæ est 31. *Atq; inferior hic homo Deus effectus est, postea quàm cum Deo coaluit*. Neq; valet communis responsio Thomistarum, has locutiones Patrum explicari debere per verbum factum impersonaliter acceptum; non valet, quia Patres, vt patet, eodem modo loquuntur de hac propositione, *Deus factus est homo*, ac de ista *homo factus est Deus*, signum euidens, vt sonant, esse veras, aliter non rectè fierat comparatio, si prima absolutè prolata esset vera, secunda verò aliqua indigeret explicatione.

49 Prob. etiam ratione adducta, factio passiua non includit formaliter, nisi habitudinem facti ad faciens, & ordinem ipsius facti ad non esse præcedens, sed homo per factionem Trinitatis fuit Deus, & priùs non erat Deus, ergo verè fuit factus Deus. Tùm quia factio passiua id propriè, & formaliter denominat, in quo fundatur, & reperitur, sed factio passiua correspondens factioni actiuæ totius Trinitatis in incarnatione fundatur in natura humana, ergo denominabit naturam humanam, licèt non in abstracto, saltim in concreto, min. patet; quia factio passiua à Trinitate producta fuit vnio humanitatis ad Verbum ex dictis disp. 2. quæ in natura fundatur. Tùm quia si homo præcessisset in propria personalitate, & posteà fuisset assumptus à Verbo, tum veritate dici posset, homo factus est Deus, ergo licèt non præcesserit in propria personalitate, adhuc verè dicet, *Homo factus est Deus*; antec. prob. quia ille idem homo manet post assumptionem quò ad esse humanum, qui erat priùs, & anteà non habebat esse diuinum, posteà acquisiuit realiter tale prædicatum, ergo verè factus esset talis secundùm illud esse, quod datur intelligi ab illo prædicato.

50 Neque dicas cum Thomistis, consequentiam nõ sequi, quoniam factio passiua dicit præsuppositionem subiecti, quod fit tale, & nouitatem termini, in casu homo non præextitit vnioni, neq; Deus est nouiter factus. Non valet, ait Scotus, si est sermo de præcessione in duratione, quia rectè dicimus, anima nũc incipit animare corpus; item corpus nunc factum est animatum, & tamen nec anima, nec corpus tempore præcesserunt animationi, nam in eodem instanti, in quo perficitur organizatur corpus, creatur anima, & vnitur corpori; item dicitur, *tempus nunc fit dies*, & tamen tempus non præfuit; Eccles. 7. *Deus fecit hominem rectum*; item Gen. 2. *factus est homo in animam viuentem*; & tamen homo non præcessit, nam licèt præcesserit corpus, non tamen homo, qui dicitur factus; Tùm quia si creatura fuisset ab æterno producta, fuisset verè facta, & cum his, vel illis accidentibus, vnde diceretur v.g. ab æterno facta fuit alba, & tamen absq; vlla mutatione, ergo hæc præcessio temporis non requiritur; dicere autem, omnes has locutiones esse improprias, est prorsus voluntarium, & irrationabile, quia factio passiua omninò à mutatione est distincta, neq; habet aliquam connexionem necessariam, vt ostendi in Phys. disp. 15. q. 1. Tùm quia ad veritatem istius propositionis, *natura humana vnita est Verbo*, non exigitur, vt natura humana præcedat tempore, & tamen in sensu istius propositionis includitur ista alia propositio, *Natura humana facta est subsistens in persona Verbi*. Neq; requiritur nouitas termini, quia si calor existeret separatus, & posteà vniretur ligno, verè, & propriè diceretur, *lignum factum est calidum*, quia verè, & propriè lignum per suspectum, & relationem passionis respiceret agens, ergo

K idem

idem in proposito dicendum, & præcipuè quando fa-ctio non est ad esse simpliciter, sed ad tale esse. Tùm quia terminus in præsenti, qui est vnio, est de nouo factus.

51 Aliter respondent, negando, hominem in Incarnatione fuisse subiectum factionis passiuæ, quia homo in ista propositione, cũ se teneat ex parte subiecti, non supponit pro hac natura, sicut cum est prædicatum, sed pro supposito, & consequenter falsum est, quòd suppositum hominis sit factum Deus, quia ab æterno fuit tale. Sed ista vera vtique esset, si homo necessariò supponeret pro supposito, at falsum est assumptum, quia licèt homo concernat suppositum, tamen à prædicato determinari potest, vt supponat pro indiuiduo naturæ humanæ, sic calidum est cõcretum ad subiectum, & vt plurimùm in propositione à parte subiecti supponit pro supposito, vel subiecto, tamen à prædicato potest determinari, vt supponat pro forma caloris, vt cum dicitur, *calidum est terminus calefactionis, est accidens*.

52 Cõtrà arguũt; primò authoritate Cyrilli Alex. qui lib. contrà Antropomorphitas cap. 22. ait, *Neq; enim homo, vt quidam volunt, Deus est effectus vnitus Verbo, sed Verbum ipsum carne assumpta homo factum mansit etiam ita Deus*; item Dam. 3. de fide c. 2. & alij quamplures docent, non debere dici hominem Deitate affectum esse, sed Deum humanitatem assumpsisse. Tùm 2. quia ista propositione significatur, Deum esse terminum effectionis actiuæ, quod est falsum. Tùm 3. ly homo nõ potest supponere pro supposito, quia nullum tale reperitur, quod de nouo fuit factum Deus, neq; pro natura communi, quia actiones sunt singularium, neque pro indiuiduo naturæ, quia hoc non dicitur homo, sed natura humana, quæ non fit Deus; neq; pro aliquo supposito indeterminato, & vago, quia licèt secundùm istam suppositionem non specificetur determinatè suppositũ, attamen ad veritatem propositionis requiritur, quòd à parte rei sit suppositum determinatum, quod sit tale, ideò enim hæc est vera, *aliquis homo fit albus*, quia aliqua singularis determinata est vera, quia scilicet à parte rei vnum suppositum determinatũ fit album, in proposito nullũ suppositum datur, quod fiat Deus. Tùm 4. supra num. 36. dictum est, in hac propositione, *homo est Deus*, ly *homo* supponere pro supposito Verbi, non pro indiuiduo humano, & ratio fuit, quia debet concerni vnio hypostatica, quæ est fundamentum totius veritatis, ergo etiam in hac propositione homo supponet pro supposito, & sic propositio falsa. Tùm 5. hæc propositio facit hunc sensum, *humanitas est deificata*, quod idem est, *natura humana est facta Deus*, hoc autem est falsũ, quia naturæ in Christo permanserunt impermixtæ. Tãdem sequeretur, quòd ista esset vera, *Christus factus est Deus*, quod est falsum, quia Christus dicit Deum hominem, at Deus homo non est factus Deus; sequela prob. arguendo per sillogismum expositorium, *hic homo est Christus, hic homo factus est Deus, ergo Christus factus est Deus*.

53 Resp. ad 1. Cyrillum arguere contrà illos hæreticos asserentes, naturam humanam cõuersam fuisse in diuinam, & idcircò concedit istam propositionẽ, *Deus factus est homo*, & negat istam aliam, *homo factus est Deus*, quatenùs potest facere sensum ab hæreticis intentum; ad alios Patres respondeo, loqui contrà asserentes, hominem in proprio supposito subsistentem fuisse Deitate affectum secundùm aliquam vnionem accidentalem, idcircò ad explicandam vnionem substantialem potiùs dicunt, Deum assumpsisse humanitatem, quàm hominem fuisse affectum Deitate. Vel intelliguntur de homine supponente pro supposito, quo pacto nequit dici fieri Deus. Ad 2. neg. assumptum, quia sicut in illa propositione, *Deus factus est homo*, terminus factionis actiuè non intelligitur natura humana, sed vnio, idem in ista propositione dicendum; tùm quia si homo præcessisset in propria personalitate, & postea fuisset assumptus, verè fuisset factus Deus, & tamen Deus non fuisset terminus actionis vnitiuæ, sed vnio. Ad 3. iam dixi, supponere pro natura singulari, & ad improbat. concedo, quòd natura singularis humana non est homo quò ad modum significandi, sicut neq; hæc albedo quò ad modum significandi est album, attamen in re significata conueniunt, & consequenter potest homo pro hac humanitate supponere, sicut album pro hac albedine; nego etiam, hanc humanitatem non fieri Deum, quia verè, & propriè hæc humanitas est, quę Deo est vnita, nam ly *fit* nihil aliud significat, quàm istam vnionem, & consequenter potest dici de ipsa. Ad 4. disparitas est, quia in illa propositione Deus dicitur de homine per Verbum substantiuum, & cum prędicatio ista sit quędam identitas, necessariò inuolui debet in sensu propositionis causa veritatis, quæ est vnio hypostatica ad suppositum; at in ista propositione non prædicatur Deus absolutè de homine, sed potiùs factio passiua, idcircò potest homo supponere pro indiuiduo humanitatis, quia ad veritatem huius propositionis nõ prę-exigitur vnio hypostatica, imò hæc vnio explicatur per istam propositionem, vnde potest quoq; formari per terminum abstractum *humanitas fit Deus*, idest *vnitur Deo*; qua ratione dixi supra n. 12. communicationem idiomatum non fieri in terminis exprimentibus ipsam vnionem hypostaticam. Ad 5. si ista propositio faceret illum sensum, etiam ista alia, *Deus factus est homo*, significaret, quòd Deus fuisset humanatus, sensus igitur est, quòd homo factus est Deus, non simpliciter, idest quòd transierit in Deum, sed secundùm tale esse, idest quòd acquisierit esse diuinum media vnione. Ad vlt. concedo seq. & nego falsitatem, vt ex professo dicam numero sexagesimo tertio.

54 Quæres, quænam istarum sit magis propria, *homo factus est Deus*, vel ista, *Deus factus est homo*? P. Vulpes disp. 58. art. 9. respondet, de mente Scoti primam esse veriorem, & immediatiorem.

Sed certè, quamuis Scotus hic litt. C. mouendo præsens dubium dicat, primam videri immediatiorem, eòquia ambæ istę propositiones fundantur in ista alia, *Natura humana vnita est Verbo*, modò factio passiua realis, quæ est vnio, fundatur in natura, & terminatur ad Verbum, huic autem immediatior videtur prima, quia immediatiùs exprimit factionem passiuam. Attamen resoluendo posteà quæsitum sub litt. D. oppositum docet, ait enim *Respondeo, & dico, quòd hæc est prima in ista materia, natura humana vnita est personaliter Verbo, & ex hac immediatè sequitur, quòd Verbum sit homo, ratio huius est, quia virtute vnionis est subsistens in natura humana, & ex hoc sequitur, quòd homo sit Deus per conuersionem, & eodem modo est in fieri, ergo ista, Deus factus est homo, non est mediatior ista, homo factus est Deus, imò immediatior illi, propter quam ambæ sunt veræ, vtraque tamen propria*; hæc Doctor, quibus clarè patet, Scotum

totum oppoſitum aſſerere; cuius ratio ab ipſo aſſignatur, quia ad vnionem naturæ cum Verbo ſequitur immediatiùs Verbum eſſe hominem, quia relatiua ſunt ſimul natura, ergo ſtatim àc intelligitur natura humana vnita Verbo, intelligitur quoq; Verbum vnitum naturæ, & Verbum eſſe hominem; deinde per conuerſionem homo eſt Deus, & idem eſt ordo quò ad fieri; Difficultas tamen eſt parui momenti.

Quæſtio Quarta.

Examinantur quædam propoſitiones de Chriſto.

55 HVc vſq; propoſitiones illas explicauimus, quæ ſub nominibus naturarum diuinæ, & humanæ formari ſolent; modò examinandæ veniunt propoſitiones, quæ de ipſo Chriſto formantur, & ſecundùm nomina propria ipſius Chriſti, qualia ſunt, *Ieſus, Emanuel*, quod ſignificat *Nobiſcum Deus*; hinc in plures articulos præſens quæſtio diuidetur.

Articulus Primus.

An ſit verum dicere, Chriſtus, *vel* Ieſus, *aut* Emanuel eſt Deus, eſt homo, factus eſt Deus, factus eſt homo, *& è conuerſo.*

56 PAter Vulpes diſp. 18. art. 4. concedit hanc propoſitionem, *Chriſtus eſt Deus*, eſſe eſſentialem, & quidditatiuam, ac per ſe, iſtam verò, *Chriſtus eſt homo*, ait, non eſſe per ſe, nec eſſentialem, ſed per accidens logicè, & denominatiuam, ſicut iſta alia, *Verbum*, vel *Deus eſt homo*, quod ait eſſe de mente Scoti in 3. d. 7. q. 1.

Communis opinio docet, has propoſitiones, *Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt Deus*, eſſe eſſentiales, & quidditatiuas, ac per ſe; à qua ſententia non recedit Scotus, nam vt optimè aduertit P. Faber in 3. diſp. 17. n. 13. aliud eſt loqui de iſta propoſitione, *Deus eſt homo*, & aliud de iſta alia, *Chriſtus eſt homo*, de prima docet Doctor, eſſe denominatiuam, & ly *homo* eſſe tantùm vniuocum prędicatum, & rationem aſſignat, *quia non eſt de ratione ſubiecti, & aduenit ſubiecto exiſtenti in actu completo, ita ut poſſit ab eo abeſſe*, & cõſequenter non prædicatur vniuocè, quod illud erit, *cuius ratio*, inquit Scotus litt. C. *eſt ita vna, vt prædicatur, quod ratio eius includitur in ratione ſubiecti*; at in ſecunda ly *homo* non aduenit Chriſto, tanquam in actu completo conſtituto, (loquendo de Chriſto reduplicatiuè, non autem vt ſupponit tantùm pro ſuppoſito Verbi) quia Chriſtus eſt vnum ſuppoſitum in duabus naturis ſubſiſtens, & conſequenter includit vtramq; naturam, vnde ipſe Scotus ſub litt. E. ait, hanc propoſitionem non eſſe omninò per accidens, quia ſubiectum includit prædicatum, ergo ſecundùm Scotum homo vniuocè prædicatur de Chriſto, & de nobis, ergo non denominatiuè; ſolùm addit Doctor, hanc propoſitionem non eſſe omninò per ſe, quia ſubiectũ non eſt vnum per ſe, logicè loquendo, de quo dixi ſupra n. 37. cum de illa propoſitione diſſerui, *homo eſt Deus*. vide Scotum d. 12. q. 3. D.

57 Prob. etiam cõcluſio, quia ex 5. Synodo can. 8. & in 6. Syn. act. 11. & in Concil. Later. ſub Martino 1. can. 4. definitur, Chriſtum eſſe ſecundùm diuinitatem conſubſtantialem Patri, & ſecundùm humanitatem conſubſtantialem nobis; ergo Chriſtus quidditatiuè eſt Deus, & homo. Nec valet, quod ait Vulpes, Chriſtum dici conſubſtantialem ſecundùm prædicatum vniuocum. Non valet, quia prædicatum vniuocum eſt ſolùm denominatiuum reſpectu ſubiecti, non autem conſubſtantiale; Tùm quia ad hòc vt propoſitio ſit per ſe propter incluſionẽ prædicati in ratione ſubiecti, non ſufficit, quòd prædicatum ſit incluſum, vt denominatiuum in re denominata, ſed adhùc requiritur, quòd ſit de quidditate ipſius, aliter omnis propoſitio denominatiua eſſet per ſe; ſed iſta propoſitio ſecùndùm Scotum eſt per ſe propter incluſionem prædicati in ſubiecto, ergo &c. Tùm quia hęc propoſitio, inquit Doctor, ſe habet vt iſta alia, *homo albus eſt coloratus*, ſed in iſta prædicatũ nõ denominatiuè, ſed quidditatiuè ſuo modo dicitur de ſubiecto (licèt ſubiectũ in ſe nõ ſit vnũ per ſe) aliter poſſet adeſſe, & abeſſe ly *coloratum* ab homine albo, quod eſt falſum, ergo &c. Tũ quia Chriſtus ſine humanitate nõ eſſet Chriſtus, vnde ante incarnationem Verbũ nõ dicebat Chriſtus, ergo humanitas nõ dr̃ ſolũ denominatiuè de Chriſto.

58 Quapropter cõcludendum eſt, has propoſitiones *Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo* eſſe veras, & quidditatiuas, quia naturæ prædicantur de ſuppoſito in tali eſſe Chriſti per ipſas conſtituto, & hominẽ vniuocè dici de Chriſto, & de nobis, cum hac tamen differentia, quòd iſta propoſitio v.g. *Petrus eſt homo*, nõ ſolùm eſt per ſe, quia prędicatũ includitur in ratione ſubiecti, ſed etiam quia ſubiectũ eſt vnum per ſe, tàm logicè, quàm metaphyſicè; at iſta propoſitio, *Chriſtus eſt homo*, eſt per ſe ex parte prędicati incluſi in ſubiecto, non tamen ex parte ſubiecti, quia Chriſtus non eſt vnum per ſe, logicè loquendo ex dictis ſuprà, ſed tantùm metaphyſicè. E conuersò illæ aliæ propoſitiones, *Deus eſt Chriſtus, homo eſt Chriſtus*, non erunt per ſe, quia poſſunt eſſe falſæ nec ſemper fuerunt veræ ſcilicet ante incarnationem; tùm quia quod ſe habet ad modũ ſuperioris, in his propoſitionibus ſubijcitur, qualis eſt Deus, & homo, & prædicatur, quod habet rationem inferioris, ſicut eſt ſuppoſitum.

59 Dices, Chriſtus nõ eſt ens per ſe vnũ, ergo nihil poteſt dici de Chriſto per ſe. Tùm quia in hac propoſitione, *Chriſtus eſt Deus*, prædicatũ eſſentialiter cõſtituit ſubiectũ, & dicit primum eſſe ſubiecti, & formã totius diuini ſuppoſiti, quæ nõ conueniunt prædicato huius propoſitionis *Chriſtus eſt homo*, ergo licèt prima ſit eſſentialis, non tamen ſecunda. *Reſp.* Chriſtus eſt ens per ſe vnum metaphyſicè, nõ logicè, de quo nihil poteſt per ſe dici, perſeitate ſubiecti cõcedo, perſeitate cõuenientiæ prædicati, & nego, vnde Doctor abſolutè nõ negat, hãc propoſitionem eſſe per ſe, ſed ſolùm ex hoc, quòd ſubiectũ nõ eſt logicè vnũ per ſe. Ad 2. verum eſt, Deum eſſe formã totius diuini ſuppoſiti, at reſpectu Chriſti non eſt adæquata forma, quia Chriſtus etiã ex humanitate cõſtituitur modo ineffabili, & cõſequẽter vtraq; propoſitio eſt p ſe, & quidditatiua.

60 Idem quòq; dicendum de illis propoſitionibus, *Emanuel eſt Deus, Emanuel eſt homo, Deꝰ eſt Emanuel, homo eſt Emanuel*, ratio eſt, quia *Emanuel* ſignificat Deũ nobiſcũ habitantem in forma hominis, quare habebit idem ſignificatum cũ Chriſto, ideoq; idem iudicium ferendum eſt de iſtis propoſitionibus, ac de illis.

61 Sed de illa alia, *Iesus est Deus*, *Iesus est homo*, & *Deus est Iesus*, *homo est Iesus*, est difficultas, nam Vasq. cit. ait, quòd *Iesus* est nomen significans suppositum diuinum in duabus naturis subsistens, eòquia Iesus idem est, ac Saluator, nequit autem pura creatura esse Saluator, sed debet quoq; esse Deus, ideòq; Iesus videtur significare hominem Deum, vnde sequitur, nomen Iesus esse nomen synonimum cùm Christo, & eiusdem significati, & consequenter istas propositiones esse eiusdem rationis cum illis de Christo. At Ioan. de Lugo disp. 23. sect. 8. docet, nomen *Iesus*, quamuis sit desumptum ab officio Saluatoris, quò ad significatum tamen esse impositum ad denotandum indiuiduum hominis, seù hunc hominem, cuius fundamentum est, quia nomina propria imponuntur ad significandum indiuiduum naturæ, non autem suppositum, Petrus enim significat hunc hominem, non suppositum, vnde si Petrus assumeretur à Verbo, adhùc permaneret idem homo singularis, & vocaretur Petrus, & si Verbum modò dimitteret naturam humanam, maneret idem homo, & vocaretur Iesus, vt anteà, sicut Iudæi, quando appellabant Christum nomine Iesus, non intendebant significare suppositum diuinum, sed illum hominem singularem; sic dixit cæcus ille Ioan. 9. *Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, &c.* Ex hac doctrina infert, hanc propositionem, *Iesus est homo*, esse vtiq; per se, sed hanc, *Iesus est Deus*, non esse per se, quia Iesus non necessario est Deus, sed ex libera Dei voluntate.

62 Sed quamuis verum sit, nomen *Iesus* esse impositum ad significandum indiuiduum humanitatis, & consequenter hanc propositionem, *Iesus est homo*, esse per se, & necessariam; attamen in illa alia propositione, *Iesus est Deus*, ly *Iesus* non potest supponere pro indiuiduo humanitatis, sed pro supposito diuino; ratio est sæpiùs adducta, quia videlicet adhòc vt propositiones sint veræ, non debent termini præscindere ab vnione, quæ est radix veritatis, qualis in proposito est vnio hypostatica; quapropter idem iudicium faciendum est de ista propositione, *Iesus est Deus*, ac de ista alia, *homo est Deus*, vel *hic homo est Deus*, de quibus dixi supra num. 36. & seq.

63 Deinde circà illas propositiones, *Christus factus est Deus*, *Christus factus est homo*, est dissidium inter Doctores; nam quamuis Thomistæ admitterent secundam, non tamen primam, eòquia putant, æquiualere secundam illi propositioni, *Deus factus est homo*, nam Christus dicit suppositum Verbi; ex quo capite inferunt falsitatem primæ, *Christus factus est Deus*, quia suppositum Verbi semper fuit Deus, qua ratione istam negabant, *homo factus est Deus*.

64 Sicut autem dissentimus in illis, ità quoq; in istis propositionibus, nam Christus non dicit tantùm personam Verbi, aliter fuisset ab æterno, sed personam Verbi subsistentem in duabus naturis diuina, & humana, quas in se quidditatiuè includit, metaphysicè loquendo, & ex illis constituitur in suo esse, ergo verè dici potest, *Christus factus est Deus*, *factus est homo*, prob. conseq. quia ad veritatem factionis simpliciter non requiritur præcessio temporis, imò nec natura, nam solemus dicere, *homo fuit factus à Deo rationalis*, & tamen homo non præsupponitur rationalitati. Verum est, quòd aliqui Patres videntur negare istam propositionem, *Christus factus est Deus*, sicut etiam illam, *homo factus est Deus*; attamen non loquuntur absolutè, sed contrà Nestorianos docentes, Christum esse suppositum humanum, quod fuit posteà factum Deus per affectum, aut per aliam accidentalem vnionem, at in nostro sensu, vt scilicet dat intelligere suppositum diuinum subsistens in duabus naturis, non ab æterno, sed in tempore, est vera propositio; eadem ratione dici poterit, *Deus factus est Christus*, & *homo factus est Christus*; idem quoq; iudicium faciendum de illis, *Emanuel factus est Deus*, *factus est homo*, & è conuerso; magis tamen propriè hoc totum asseri debet de istis, *Iesus factus est Deus*, *factus est homo*, quia in prima propositione ly *Iesus* potest supponere pro indiuiduo humanæ naturæ, vt de homine dixi quæst. præced. & in secunda potest tàm pro supposito, quàm pro indiuiduo supponere; cui propositioni æquiualet ista alia, *hic homo factus est Deus*.

65 Dices, quod dicitur fieri, fundat relationem ad facientem, Christus, vt dicit suppositum subsistens in duabus naturis, non potest fundare talem relationem. Resp. assumptum esse verum in supposito creato, quod est totalis terminus resultãs ex actione agentis, estq; secundùm omnes partes creatum ens, & dependens, in proposito autem Christus vt sic non est ens totaliter creatum, & dependens, sed secundùm humanitatem, & consequenter sufficit, vt per humanitatem fundet passiuam factionem ad agens; quod clariùs apparebit ex seq. art.

Articulus Secundus.

An istæ propositiones sint veræ, Christus incepit esse, est creatura, Christus in quantùm homo incepit esse, est creatura.

66 PRima opinio negat, hanc propositionem, *Christus est creatura*, esse veram; ità multi ex Thomistis, cum quibus consentit Centinus disp. 10. c. 4. & Vulpes disp. 58. art. 2. Secunda sententia illam concedit esse veram de rigore sermonis, licèt propter errorem Arij ponentis, Christum secundùm totum esse dici creaturam, ait, esse vitandam istam locutionem; ità Caiet. Vualdẽsis, Gabr. Vasq. Ioan. de Lugo, Hurt. & alij. Scotus verò in 3. d. 11. q. 1. videtur problematicus, non enim est verum, ipsum absolutè negare hanc propositionem, vt aiunt Centinus, & Vulpes, quod quidem intuendo textum cuiq; manifestum fiet. Circà aliam propositionem, *Christus incepit esse*, idem Vulpes art. 5. de mente Scoti docet esse falsam, & erroneam, quæ priùs fuit opinio Thomistarum, quos sequuntur Suarez, & Ioan. de Lugo. Scotus tamen illam admittit d. cit. q. 3. & sequuntur Vasq. & Bernal.

67 Pro resolutione not. ex Scoto cit. quòd hoc nomen creatura significat duo, & respectum ad efficiens primum, id enim solum creari dicitur, quod respicit immediatè Deum, vnde nullum ens, etiam largo modo, dicitur creari ab agente creato; secundò dicit respectum ad non esse immediate præcedens, quod potest esse, vel negatio, quæ omne subiectum præcedens excludit, & sic strictè sumitur creatura, quo sensu clarum est, Christum non esse creaturam, quia non solum presupponit esse diuinum, sed etiam quò ad esse humanum præsupponit materiam, qua ratione in Phys. disp. 2. q. 7. art. 2. docui, nullum compo-

sitiom

ſtrum poſſe propriè, & rigorosè creari, quia quodlibet præſupponit materiam; alio modo non eſſe poteſt eſſe priuatio, quæ dicit carentiam formę in ſubiecto, & in hoc ſenſu creari large ſumitur, & omnem rem creatam denominat creaturam; & in hoc ſenſu quæritur, an Chriſtus poſſit dici creatura.

68 Dico primò, *Chriſtus eſt creatura*, de rigore ſermonis eſt vera propoſitio, ità Scotus d. 11. q. 1. vbi referens opinionem Varronis concedentis hanc propoſitionem, ſubiungit, *Cui iſta opinio non placet, poteſt dicere ipſam eſſe falſam propter iſtam rationem*, &c. & q. 3. C. diſtinguens ſenſum illius propoſitionis, *Chriſtus incepit eſſe*, ait, poſſe intelligi, vel de primo eſſe, vel de quocunq; eſſe ſimpliciter, *Quòd ſi primo modo, iſta propoſitio eſt falſa*, inquit, *ſicut illa, Chriſtus creatura*; ergo per Scotum idem iudicium faciendum eſt de vtraq; propoſitione, ergo ſi hæc ſecunda de rigore ſermonis in ſententia Scoti eſt vera, vt dicam concluſ. ſeq. idem de prima dicendum; quarè magis cõſequenter locutus eſt Vulpes, qui vtramq; negauit eſſe veram, quàm Centinus, qui ſolùm primam negauit, & conceſſit ſecundam.

69 Prob. ergo concluſio authoritate Patrum, & primò ex Hier. ſuper epiſt. ad Epheſ. c. 2. in illa verba, *Ipſius enim factura ſumus*, ait, *Multi timore trepidant, nè Chriſtum creaturam dicere compellantur, nos autem liberè proclamamus, non eſſe periculum, eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum confitemur*. quibus verbis exploditur etiam reſponſio Vulpes dicentis, Patres exponi debere in ſenſu materiali, ſcilicet *Chriſtus ſibi vniuit creaturam*; nam Hier. eiuſdem rationis eſſe iudicat hanc propoſitionem, *Chriſtus eſt creatura*, ac iſtas alias, *Chriſtus eſt homo, crucifixus*, ergo ſicut iſtæ ſunt veræ in ſenſu formali, etiam illa; idem quòq; colligitur ex Aug. Vigilio, Leone 1. Fulgent. Nazian. Niſſ. Cyrillo, Greg. Magno, vt eſt videre apud Vaſq. cit. probatur etiam ratione, eòquia omnia prædicata, quæ de natura humana dicuntur, tribuuntur Chriſto ex vi vnionis, niſi adſit aliqua ſpecialis repugnantia manifeſta, ſed hoc prædicatum dicitur de natura humana aſſumpta à Verbo, nec adeſt implicantia manifeſta, ergo de rigore ſermonis iſta propoſitio eſt concedenda; maior patet, minor etiam quò ad primam partem, quò ad ſecundam verò probari poteſt, ſoluendo rationes, quibus aduerſarij conantur oſtendere ipſius falſitatem, & implicantiam, eorumq; fundamenta impugnando.

70 Primò igitur adducunt multas Sanctorum Patrum authoritates, negantium, Chriſtum eſſe creaturam. Sed ipſi quòq; aduerſarij fatentur, in alio ſenſu Patres negaſſe, Chriſtum eſſe creaturam; nam aliqui loquuntur de Chriſto, vt Deo, contrà Arium aſſerentem, Chriſtum ſecundùm totum ſuum eſſe dici creaturam, imò & ipſum Verbum; alij verò loquuntur contrà Neſtorium dicentem, Chriſtum eſſe puram creaturam, & ſolùm accidẽtaliter Verbo vnitum; hinc monet Doctor, hac propoſitione debere nos vti cum aliqua determinatione, vt neq; in vocabulis communicemus cum Hæreticis.

71 Secundò mouentur ex hoc, quòd communicatio idiomatum non fit in his, in quibus eſt repugnantia proprietatis vnius naturæ ad aliam naturam, modò creatura includit inceptionem in eſſe, quæ repugnat æternitati, quæ eſt proprietas Filij Dei, pro quo Chriſtus ſupponit. Hæc tamen ratio, ait Doctor, non concludit, quia æternitati Chriſti non tantùm repugnat incipere eſſe, quàm deſinere, vtrumq; enim inuoluit carentiam eſſe, primum in ratione termini à quo, ſecundum in ratione termini ad quem, & conſequenter carentiam æternitatis; & tamen hoc non obſtante, adhùc in rigore ſermonis verum eſt dicere, *Chriſtus eſt mortuus, Deus eſt mortuus*, ergo poterit etiam dici, *Chriſtus eſt creatura*, nam tunc Chriſtus non ſupponet pro ſuppoſito, ſed pro indiuiduo humanitatis; vel ſi pro ſuppoſito ſupponet, Verbum poterit dici creatura per communicationem idiomatum, ſicut dicitur homo, quatenùs ſcilicet terminat aliquã creaturam; ex hoc autem non ſequitur, ergo Chriſtus, vel Verbum non fuiſſet, ſicut nec ſequitur ex hoc, quòd dicatur mortuus, ſed ſolùm, quòd non fuiſſet ſecundùm illud eſſe creatum, fuiſſet verò ſecundùm eſſe increatum.

72 Tertiò mouentur alij ex hoc, quòd communicatio idiomatum non poteſt fieri in illis prædicatis, quæ dicunt, vel reſpectum mutuum inter naturas, quale eſt iſtud, nam creatura dicit ordinem ad Deum creatorem, vel dicunt negationes, & affirmationes oppoſitas, nè contradictoria de eodem verificarentur. Hæc quòq; ratio nihil valet, quia inquit Doctor, Chriſtus non poſſet dici creator, & Dominus, quæ prædicata dicunt reſpectum ad creaturas; nec poſſet etiam dici mortalis, & immortalis, paſſibilis, & impaſſibilis, finitus, & infinitus, quod eſt falſum; neq; contradictoria verificantur, quia non prædicantur de eodem reſpectu eiuſdem, & ſecundùm idem; imò ait Scotus q. 2. in fine, quòd nunquam contradictoria verificantur de Chriſto, nam licèt concedantur propoſitiones affirmatiuæ de Chriſto, in quibus prędicentur proprietates oppoſitæ, non tamen concedũtur propoſitiones negatiuæ illarum affirmatiuarum, vnde dicimus, *Chriſtus eſt paſſibilis, & impaſſibilis*, non tamen concedimus, *Chriſtus non eſt paſſibilis, non eſt impaſſibilis*; vt dixi num. 10.

73 Quartò Doctor ipſe §. *Cui iſta opinio non placet*, aliam aſſignat rationem, qua vtitur Centinus; nam illud dicitur propriè creari, quod à Deo accipit primum eſſe poſt non eſſe, hoc autem primum eſſe eſt duplex, vel totale, & adæquatum, vt eſt tertia entitas, vel eſt eſſe partiale primæ partis illius totius; Chriſtus autem nullo horum modorum accepit primum eſſe poſt non eſſe, quia neq; primum eſſe totale, quia nullum tale reſultat ex natura diuina, & humana, quia ſicut in Chriſto remanſerunt diſtinctæ, ità & duo eſſe quòq; remanſerunt; neq; accepit primum eſſe partiale, vt eſt eſſe Verbi, quia illud eſt æternum. Hæc tamen ratio probabiliter fuit à Doctore aſſignata, non autem quòd euidenter concludat; etenim quod ait, creaturam debere accipere primum eſſe poſt non eſſe, patet, quòd hoc nõ eſt de ratione creaturæ, vt docet ipſe Scotus in 2. d. 1. q. 3. vbi concedit, dari poſſe creaturam ab ęterno; imò in fine explicando definitionem creaturæ traditam à D. Aug. ad Fælicianum, ſcilicet *creatura eſt ex eo, quòd omnipotentis Dei voluntate ex non eſſe ad eſſe producta eſt eius ſubſtantia*, ait Doctor, hanc non eſſe veram definitionem creaturæ, ſed deſcriptionem quandam ab Ario conceſſam, cõtrà quem diſputabat, quia de ratione creaturæ eſt, quòd accipiat eſſe à Deo, non autem, quòd accipiat eſſe poſt non eſſe; & ſi ordo iſte ad non eſſe ſit de ratione creaturæ, patet, quòd ly accipere primum eſſe eſt prorsùs volũtariè dictum, ſufficit enim,

quòd

quòd accipiat aliquod esse simpliciter post non esse, & tale in Christo fuit esse humanū. Tùm quia Christus secundùm Scotum est vnum per se ex dictis disp. 2. q. 2. & 3. quamuis non resultet per veram compositionem, ergo habet suo modo esse totale, & vnum, non ab æterno, sed in tempore, ergo poterit secundùm istud esse incipere post non esse; non igitur conuincit hæc ratio, etiam in doctrina Scoti.

74 Quintò ipsemet Scotus aliam subdit rationem, quam magni faciunt Centinus, & Lorca disp. 69. n. 6. illud denominatiuum, quod natum est denominare generaliter multa, scilicet totum, & partem, subiectum, & accidens, non denominat totum per partem, aut subiectum per accidens, sed indifferenter vtrumq; denominat, & non vnum ratione alterius; modò creatura est quoddam denominatiuum, quod generaliter natum est denominare tàm suppositum, quàm naturam; quare non denominabit suppositum per naturam, nisi conueniat supposito sub propria ratione, at esse creaturam omninò repugnat supposito Christi, ergo quamuis conueniat naturæ, non tamen poterit de supposito dici ratione naturæ; alia verò prædicata, vt esse genitum, conueniunt naturæ, & mediante natura denominant suppositum, & ideò possunt dici de Christo; at *Creatura*, ait Scotus, *nata est denominare vtrumq; propria denominatione, & ita neutrum est ibi ratio qua respectu alterius*. Hac ratione vtitur P. Vulpes cit. sed aliquantulùm alterata, ait enim; quod hoc nomen creatura, cum sit substantiuum, aptum est primò, & per se denominare suppositum substantiale, at naturam solùm mediatè, quatenùs intelligitur contracta ad esse indiuiduale, & per se subsistens; adiectiua verò nomina possunt immediatè denominare naturam, suppositum verò mediante natura. Hoc tamen non asserit Doctor, vt patet ex verbis allatis.

75 Hæc quoq; ratio tanquam probabilis adducitur à Scoto, non vt conuincens; Nam ista prædicata, quæ nata sunt denominare suppositum, & naturam indifferenter, illa erunt, quæ tàm naturæ, quam subsistentiæ conueniunt secundùm proprias rationes formales, & non vni propter aliam, non enim apparet alia ratio, per quam possint dignosci ista prædicata; & sic quia subsistentiæ humanæ conuenit ex sua ratione formali esse corruptibilem, materialem, quæ etiam conueniunt naturæ humanæ, sequitur, hæc prædicata non posse dici de Christo, quia denominarent immediatè subsistentiam Christi, cui tamen repugnant, hoc autem est falsum, quia ab omnibus istæ propositiones conceduntur, *Christus est materialis, est corruptibilis*, ratione naturæ humanæ. Neque discrimen à Vulpes assignatum de nomine substantiuo, & adiectiuo aliquid valet; nam apparet, quòd materiale, & corruptibile sunt adiectiua, & tamen immediatè etiā supposito, vt suppositum est, conueniunt, scilicet ratione subsistentiæ. Tùm quia causa, subiectum, agēs, &c. sunt nomina substantiua, & tamen supposito conueniunt ratione naturæ ex dictis disp. 1. n. 29.

76 Sextò arguit Vulpes, creatura in sua ratione formali includit esse ens dependens, finitum, limitatum, participatum, ergo nequeunt de Christo dici, quia intrinsecè enunciarentur de Christo ratione personæ, & suppositi diuini, quod implicat. Resp. non solùm creatura, sed etiam homo in sua ratione formali includit illa omnia prædicata, quia essentialiter est ens finitum, limitatum, dependens, & participatum, hinc si ratio valeret, neq; homo dici posset de Christo; eadem quoq; prædicata infert hoc, quod est, esse crucifixum, passum, & mortuum; quapropter concedo, illa prædicata dici de Christo ratione humanæ naturæ, & secundùm etiam idiomatum cōmunicationem; quod autem ait, hoc, quod est, esse passum, crucifixum, &c. extrinsecè denominare personam Verbi, at esse creaturam intrinsecè; est prorsùs voluntariè dictum, & sine fundamento.

77 Septimò alij arguunt; Æthiops licèt sit albus secundùm dentes, non tamen valet inferre, ergo est albus, ergo licèt humanitas Christi sit creatura, non sequitur, ergo Christus est creatura. Confirmant primò, quia creatura opponitur creatori, sed creator ille dicitur, qui ex nihilo producit, ergo creatura est, quæ producitur ex nihilo, ergo Christus nullo modo est creatura, cum non fuerit ex nihilo productus. Confirmant 2. quia si humanitas Christi fuisset annihilata, Christus posset dici annihilatus eadem ratione, qua diceretur creatura. Tertiò, quia creatura est, quæ secundùm totum esse pendet à Deo, talis non est Christus.

78 Resp. neg. paritatem, quia esse album absolutè non dicitur de aliquo, nisi illi conueniat, saltim secundùm aliquam partem principalem, imò & secundùm plures partes, vnde Scotus d. 11. q. 2. ait, quòd si scutum esset in vna medietate album, in alia nigrum, non diceretur absolutè album, & nigrum; at humanitas in Christo est pars principalis (licèt in ordine ad diuinitatem sit minùs principalis) & cum sit natura integra, & completa, verè Christus dicetur creatura ratione humanitatis. Dices, anima est pars principalior hominis, estq; creatura strictè sumpta, & tamen homo non dicitur ab anima creatura strictè sumpta, ergo neq; Christus vllo modo dicetur creatura ratione humanitatis, quæ est pars minùs principalis. Resp. adhùc negando paritatem, quia anima est vera pars hominis, & non dicitur in recto de ipso homine; at natura humana est natura completa, habens modum partis, non verò est entitas partialis, vnde in recto sub termino concreto dicitur de Christo, ideòq; potest fieri idiomatum communicatio. Ad primam confirm. resp. ex Scoto hic, creatorem non solùm dici, qui ex nihilo producit, sed etiam, qui producit tanquàm primum efficiens, & independenter; creatura strictè sumpta opponitur creatori primo modo, creatura largè sumpta opponitur creatori secundo modo. Ad 2. annihilatio opponitur creationi strictè sumptæ, quapropter sicut Christus nequit dici creatura strictè sumpta, etiam si humanitas ipsius fuisset creata, strictè accipiendo creationem, eòquia præcessisset esse Verbi, & creatio strictè sumpta dicit ordinem ad nihil præcedens, vt dicit negationem cuiuscunq; esse; ità quamuis humanitas Christi fuisset annihilata, nun tamen Christus diceretur annihilatus, quia annihilatio respicit pro termino ad quem negationem cuiuscunq; esse. Vel posset tutum concedi secundùm idiomatum communicationem; attamen cautè debemus vti his propositionibus propter sensus ambiguitatem, & ne demus occasionem suspicandi aliquem errorem. Ad 3. posset concedi assumptum de creatura strictè accepta, non largè sumpta; Vel dicendum, quòd sufficit, vt dependeat secundùm aliquod esse integrum, & totale.

79 Ex his patet, quomodò nulla potest assignari ratio, qua demonstretur aliqua implicantia, & absurditas

ditas proueniens ex concessione huius propositionis, *Christus est creatura*, sed solùm abstinere debemus, nè in vocabulis communicemus cum hæseticis, qui hoc nomen *creatura* de ipsa persona Verbi enunciare solebant; & quamuis Scotus sit problematicus, imò conetur tàm in 1. quàm in 2. quæst. ostendere improbabilitatem huius propositionis, malui tamen sequi oppositam partem, quia conformior est doctrinæ, quam tradit in tertia quæst. vt mox ostendam.

80 Circa secundam propositionem, *Christus incepit esse*, est not. ex Scoto d.11. q.3. quòd quandò aliquod subiectum plura includit, tunc potest sumi in aliqua propositione respectu prædicati, vel secundùm suam totalitatem, idest vt est quoddam totum ex illis integratum, quod esse ipsi est adæquatum, vel secundùm aliquam ex partibus, & hoc dupliciter, vel secundùm partem principaliorem, vel secundùm minùs principalem, & consequenter prædicatum potest ipsi conuenire secundùm istam triplicem acceptionem, vel disconuenire; si prædicatum ipsi conuenit secundùm partem, siuè principalem, siuè minùs principalem, potest de ipso absolutè enunciari absq; aliqua determinatione; exemplum, *homo albus est coloratus*, hoc prædicatum conuenit subiecto secundùm aliquam sui partem, scilicet ratione albedinis, quæ est minùs principalia, & tamen non necessariò dici debet, *homo albus secundùm albedinem est coloratus*. Hoc autem non est verum, quando sunt aliqua prædicata, quæ si debent conuenire, hoc erit ratione partis principalis, cui tamen repugnent, licèt parti minùs principali conueniant, vt dicunt aduersarij in proposito; nam hoc prædicatum *incipere esse* potest Christo conuenire secundùm suam totalitatem, vel secundùm partem principalem, scilicet diuinitatem, vel minùs principalem, scilicet humanitatem; modò humanitati potest quidem conuenire, attamen aiunt, quòd hoc prædicatum natum est denominare subiectum secundùm partem principalem, & quia ipsi, scilicet diuinitati repugnat, non poterit de Christo absolutè dici, licèt secundùm partem minùs principalem conueniat Christo; quapropter videndum est, nùm hoc sit verum, an scilicet hoc prædicatum natum sit denominare subiectum secũdùm partem principalem.

81 Dico secundò, *Christus incepit esse* de rigore sermonis est vera propositio; ità ex professo docet Scotus d.11.q.3. & miror, quo pacto Vulpes citet Doctorem pro opinione opposita, cum neq; problematicè in hac quæstione procedat, vt fecerat circà præcedentem propositionem. Prob. primò authoritatibus, nam Aug. tract.105. in Ioan. habet hæc verba, *Antequàm mundus fieret, nec nos eramus, nec ipse mediator Christus*; Fulg. lib. de Incarnat. c.10. *Verbum incepit esse Christus, Verbum tamen mãsit æternum; & caro in ipso sumpsit initium*, Nazian. orat.35. n.72. dicit, Christum esse factum, & Leo Papa serm.3. Pent. c.2. vocat Christum temporalem; quæ omnia indicant, Christum incepisse. Prob. etiam ratione, quando aliquod subiectum habet plura esse simpliciter, quæ sũt ipsi substantialia, non solùm ly *esse* dicitur de esse totali subiecti, & de esse ipsius primario, sed etiam de esse secundario, & minùs principali, vt homo habet esse simpliciter ratione totalitatis, habet esse simpliciter ratione animæ, quæ est principalior pars. & etiã ratione corporis, quæ est pars minùs principalis, quia quodlibet istorum est esse substantiale, ergo incipere esse non tantùm significat inceptionem in esse primario, & principaliori, sed etiam in esse secundariò, & minùs principali; ergo Christus absolutè dici potest incepisse esse simpliciter ratione humanitatis; licèt diuinitati repugnet.

82 Resp. quòd incipere esse tunc de aliquo dicitur, quandò acquirit esse simpliciter, non tamen esse secũdùm quid, esse verò simpliciter est esse primarium, esse secundarium est esse secundùm quid, hinc nequit dici de Christo. Addit Ioan. de Lugo, quòd licèt Christus de nouo habuerit aliquod esse simpliciter, non tamen dici potest incipere esse simpliciter, quia in hac propositione ly *simpliciter*, non solùm cadit supra ly *esse*, sed etiam supra ly *incipere*, illud autem dicitur simpliciter incipere, quod totaliter accipit de nouo esse, itaut anteà non fuerit, quod est falsum de Christo.

83 Prima tamen responsio non soluit argumentũ, falsum enim est, esse simpliciter significare solùm esse principale, quia esse simpliciter dicit quodcunq; esse de secundo adiacente, idest omne ens, quod simpliciter existit, dummodo illud esse, non sit aduentitium, & extraneum subiecto, sed ipsi substantiale, ergo sicut tale esse dicitur esse simpliciter, sic cum incipit, tunc subiectum dicetur, acquirere esse simpliciter; Nec quod additur, aliquid iuuat, etenim inceptio, cum sit quædam mutatio, seù potiùs factio quædam passiua de nouo, specificatur à termino ad quem, itàut illa erit inceptio simpliciter, quæ terminatur ad esse simpliciter, illa erit inceptio secundùm quid, quæ ad esse secundùm quid terminatur, ergo quia esse humanum in Christo est esse simpliciter, Christus nõ solùm dicetur acquirere esse simpliciter, sed etiam simpliciter incipere. Tùm quia eodem modo de subiecto dicitur hoc prædicatum *incipit esse*, ac istud *desinit esse*, quia illud esse, quod ponit ly *incipit*, destruit ly *desinit*, sed hoc prædicatum *desinit esse* dicitur absolutè de Christo, & verè, quia intelligitur de humano esse, vt cum dicitur, *Christus est mortuus*, idest amisit esse humanum, ergo &c.

84 Resp. Ioan. de Lugo non esse idem, *Christus est mortuus*, & *Christus desinit esse*, nam prima propositio est vera, & facit hunc sensum, *Christus amisit aliquod esse substantiale*, secunda vero est falsa, quia illud dicitur desinere esse, quod omninò desinit, sicut illud dr̃ incipere, quod omninò incipit, patet autem, quòd Christus nec omninò incepit, nec omninò desijt. Sed contrà, rectè dicimus, aliquid desinere esse, si secundùm esse totale desinit esse, quamuis secundùm nullum esse partiale desinat esse, sic in morte Petri, Petrus, eòquia moritur, dicitur desinere esse; & è contrà illud dicitur absolutè incipere esse, quod secundùm esse totale incipit esse, licèt secundùm nullum esse partiale incipiat esse, vt si post mortem Petri anima, & corpus denuò vnirentur, rectè, & absolutè Petrus diceretur incipere esse; sed Christus est quoddam totum substantiale, imò compositum per aduersarios ex humanitate, & diuinitate, ergo non solùm secundùm humanitatem, sed etiam secundùm suam totalitatem in morte desijt esse, & conceptu incepit esse, quia hoc esse totale, nec ante conceptionem, nec in triduo fuit, ergo maximè propriè Christus diceretur incipere, & desinere esse, quia Christus propriè, & formaliter pro isto toto supponit.

85 Ex hac doctrina infert etiam Scotus, idem iudicium faciendum esse de ista propositione, *Iste homo incepit esse*, demonstrato Christo, dummodo non ostẽ-

datur

datur suppositum Christi nudè, quia illud vt sic est diuinum; hinc non est eadem ratio de ista alia propositione; *Verbum incepit esse*; etenim esse humanum est aduentitium Verbo, at Christo est substantiale, & essentiale, & consequenter respectu Christi dicitur esse simpliciter, respectu verò Verbi vt sic non erit esse simpliciter Verbi, licèt in se sit esse simpliciter, sed erit aduentitium, & vt accidens prædicabile; quapropter sicut si homo fit albus, non sequitur, ergo homo incipit esse, sed est fallacia à secundùm quid ad simpliciter, sed benè sequitur, ergo homo albus incipit esse, & si albus diceret esse simpliciter, valeret dicere, ergo homo albus incipit esse simpliciter, quoniam quando de aliquo dicitur *incipere* vt determinatum per aliquod prædicatum, tunc de illo toto, putà de aggregato ex subiecto, & illo predicato dicitur *incipere*, vt corpus incipit esse animatum, ergo corpus animatum incipit esse; sic in proposito verum est, *Verbum incipit esse homo*, non tamen rectè infertur, *ergo Verbum incipit esse*, sed, *ergo Verbum homo incipit esse*, quod idem est, ac *Christus incipit esse*, quia Christus est Verbum homo.

86 Dices, saltim per communicationem idiomatum verum erit dicere, *Verbum incepit esse*, nam valet, *hic homo incepit esse*, *Verbum est hic homo*, *ergo Verbum incepit esse*; & idem de illa propositione; *Verbum desijt esse*, quas tamen propositiones nullus admittit, ergo debemus dicere, maiorem esse falsam. Resp. primò, has propositiones per communicationem idiomatum posse admitti, sicut diximus supra de illa propositione, *Verbum est creatura*, semper enim intelligi debent de esse humano; vbi est aduertenda differentia inter istas propositiones, *Christus incepit esse*, & *Verbum incepit esse*, nam secunda est vera per communicationem idiomatum, prima est vera formaliter. Secundò dico, neg. conseq quia communicatio idiomatum fit propter vnionem hypostaticam, quæ debet implicari, & concerni ab aliquo ex extremis propositionis, at in illa propositione, *Verbum incepit esse* abstrahitur ab ista vnione, quia non est idem esse, quod enunciatur de Verbo absolutè, & in ordine ad hominem, nam cum dicimus, *Verbum incepit esse homo*, hoc esse est aduentitium Verbo, cum sit de tertio adiacente, & determinatur à prædicato, quod respectu Verbi se habet vt accidens prædicabile, & consequenter dat intelligere vnionem, at in hac propositione, *Verbum incepit esse*, significat esse simpliciter Verbi, & existentiam ipsius, vnde non concernit vnionem.

87 Suadet insuper Scotus, quòd licèt hæc propositio de rigore sermonis sit vera, non debemus tamē illa absolutè vti, propter opiniones hæreticorum ponentium, Christum secundùm nullum esse semper fuisse, vt diximus de prima propositione, *Christus est creatura*.

88 Contrà istam conclus. arguitur primò authoritate; nam Ioan. 8. habetur, *Antequam Abraham fieret, ego sum*, ad Hæbr. 13. *Iesus Christus heri, & hodie ipse, & in sæcula*, ergo si semper fuit, nunquam incepit esse Tùm 2. esse simpliciter illud dicitur, quod significat esse sine additione, iuxtà illud 2. Top. *simpliciter dico, quod nullo addito dico*, tale autem est esse quid ad omnem partem, & totū, sed tale esse non incipit in Christo, ergo &c. Tùm 3. ista propositio claudit alias duas, vnam affirmatiuam, *Christus aliquando fuit*, alteram negatiuam, *Christus immediatè ante non fuit*, quæ cum sit negatiua de secundo adiacente, negat à subiecto omne esse simpliciter; & consequenter est falsa. Tum 4. ex Scoto d. 11. q. 2. propositiones negatiuæ de Christo non sunt veræ, vt *Christus non est æternus*, sed hæc propositio includit negatiuam, scilicet *Christus non semper fuit*, ergo &c. Tùm 5. id dicitur incipere esse, quod anteà non fuit, & nullum habuit esse, vnde dicimus vtiq; *Petrus hoc anno incipit esse Episcopus*, non tamen dicimus ex hoc, *Petrus hoc anno incepit esse*, sed Christus ante conceptionem habuit esse, ergo &c. Tùm 6. Christus à parte subiecti semper supponit materialiter, scilicet pro supposito, & non pro supposito naturæ humanæ, ergo non potest dici incipere esse. Tùm 7. falsum est dicere, *Christus habuit ex matre suum esse*, eò quia ly *esse* supponit pro esse simpliciter, quod est esse diuinum, ergo falsum quòq; erit dicere, *Christus incepit esse*. Tandem hæc propositio fuit damnata Parisijs, quæ damnatio ab Alexandro 6. fuit approbata, ergo &c.

89 Resp. ad 1. intelligi authoritates illas de Christo secundùm esse diuinum, quomodò etiam intelliguntur Patres, cum docent, Christum semper fuisse. Ad 2. sensum illius propositionis esse, quòd illud est esse simpliciter, quod sine addito, id est sine aliqua determinatione ponitur in propositione, quomodò est de secundo adiacente, & contradistinguitur ab esse de tertio adiacente, nam cum dico, *Petrus est albus*, non dico, Petrum habere esse simpliciter, sed habere albedinem, ex hoc autem nihil sequitur, quia cum dicitur, *Christus incepit esse*, ly *esse* sumitur pro esse simpliciter, scilicet pro aliquo habente verum esse reale à parte rei. Ad 3. dico, propositiones illas intelligi debere de illo esse, quod de Christo enunciatur, quo sensu ambæ sunt veræ, nam Christus aliquando non fuit secundùm esse humanum; vnde in propositione negatiua non negatur à Christo omne esse, etiam secundùm partes, nam in resurrectione Petri, valet dicere *Petrus incepit esse*, *& immediatè ante non erat*, quæ negatio non negat à Petro omne esse, quia anima existebat, sed esse totale, & cathegorematicè sumptum, non partiale, & syncathegorematicè acceptum. Vel dicendum, quòd est eadem difficultas, ac de omnibus alijs attributis, nam quodlibet attributum virtualiter infert negationē sui oppositi, vt immortale negationem mortalis, impassibile negationem passibilis, & è contrà, quare nulla propositio de Christo, in qua prædicatur aliquod attributum, esset vera; idcircò peculiare est in Christo, quòd affirmatiua sit vera, & negatiua sit falsa, quod etiam dicendum de his propositionibus virtualiter inclusis in ista, *Christus incepit esse*. Per hoc patet ad 4. Ad 5. neg. assumptum, nec exemplum est ad propositum, quia esse Episcopum est esse accidentale Petro, at esse humanum est esse simpliciter Christo, vt dictum est. Ad 6. neg. assumptum ex Scoto hic, quia aliquando potest supponere, vel pro indiuiduo humanitatis, vt cum dicitur, *Christus est creatura*, aliquādo pro supposito Verbi nudè sumpto, vt cum dicitur, *Christus semper fuit*, aliquando pro suppposito Verbi, vt in natura humana subsistit, vt *Christus est Deus*, & *homo*, quo sensu hic sumitur. Ad 7. neg. assumptum, quia cum Christus sit verè filius Virginis, necessariò debuit à Virgine accipere aliquod esse simpliciter. Ad vlt. non est certum, an illa damnatio sit vera, nullibi enim reperitur, & si est vera, solùm fuit vsus

prohi-

prohibitus propter æquiuocationem, quam habet cum opinione hæreticorum, vt etiam Scotus adnotauit.

100 Quærit adhùc Scotus in d. 11. q. 2. an ista propositio sit vera, *Christus in quantùm homo est creatura*, & ait, quòd si reduplicatiuè sumatur ly *in quantùm*, eodem modo dicendũ, sicut de absoluta, vnde si hæc *Christus est creatura*, est vera, etiam illa, & si est falsa, vtraq; est falsa. At quoniam ostendi, istam propositionem, *Christus est creatura*, esse veram, idem quòq; de ista alia dicendũ, *Christus in quantùm homo est creatura, incepit esse*. Solùm posset esse dissensio sustinendo aliam opinionem; iure ergo poterunt omitti difficultates ex hoc capite prouenientes, nam aliqui Thomistæ negant istas propositiones, *Christus est creatura, incepit esse*, concedunt tamen istas alias, *Christus secundùm quòd homo est creatura, incepit esse*, sumendo particulam illam reduplicatiuè.

Articulus Tertius.

Aliæ propositiones de Christo examinantur.

MVltæ supersunt propositiones declarandæ, quæ non habent tantam difficultatem, ideoquè sub vno articulo comprehenduntur.

101 Prima propositio est ista, *Christus in quantùm homo est Deus*; pro cuius intelligentia not. est, vt dixi in Log. p. 1. Instit. tract. 1. c. 11. ly *in quantùm* sumi vel reduplicatiuè, vel specificatiuè, ex Scoto 3. d. 11. q. 2. & quol. 3. H. primo modo sumitur, quando particula, cui additur, est causa, vel conditio inhærentiæ prædicati cum subiecto, vt cũ prædicatum est de conceptu quidditatiuo reduplicati, vt *homo in quantùm animal est sensibilis*, vel prædicatum est effectus reduplicati, vt *Petrus quatenùs rationalis est risibilis*. Secundo modo sumitur propriè, quando dat intelligere rationem accipiendi, secundùm quam prædicatum peculiariter conuenit subiecto, quod per reduplicationem determinatur; quando enim in aliquo subiecto sunt plures rationes, potest aliquod prædicatum conuenire subiecto secundùm vnam rationem, quæ specificatur à particula reduplicatiua, & non secundùm aliam, vt *Motus est actus entis in potentia pro vt in potentia*, ly *pro vt* solùm dat intelligere rationem, secundùm quam motus conuenit mobili sine vlla causalitate. Est etiam alius sensus, sed minùs proprius, quando scilicet dat intelligere non repugnantiã prædicati cum subiecto, vt *Petrus vt albus ædificat*, est sensus, *Petrus, qui est albus*, vel *dum habet albedinem, etiam ædificat*. Et hæc distinctio est valde notanda, quia variè à Recentioribus explicatur, & multùm inseruit in præsenti.

102 Dico ergo, quòd si homo supponit pro humanitate, illa propositio non est vera reduplicatiuè, quia humanitas non est ratio, cur Christus sit Deus, sed est vera specificatiuè in sensu minùs proprio, quia Christo vt homini non repugnat esse Deum; & malè hoc negatur à Ioan. de Lugo disp. 23. sect. 6. sicut neque ista est falsa, *Christus in quantùm Deus est homo, est passus*, &c. specificatiuè loquendo, quia sua exponens est vera, *Christo habenti Deitatem non repugnat esse hominem, esse passum*, &c. sed in sensu specificatiuo proprio est falsa. At si homo supponeret pro supposito diuino, sic esset vera reduplicatiuè, nam esse personam Verbi est ratio, cur Christus sit Deus; sed ista propositio in hoc sensu non propriè accipitur, quia habet sensum aliqualiter ambiguum, vnde rectiùs dicetur, *Christus in quantùm hic homo est Deus*, quia sic clariùs datur intelligi suppositum diuinum.

103 Secunda propositio est ista, *Christus secundùm quòd homo est hypostasis, est persona*; quam P. Vulpes disp. 18. art. 12. ait esse falsam, quia homo in Christo est actualiter communicatus, & dependens, ergo non potest esse ratio, cur Christo cõueniat esse personam, nam de ratione personæ est incommunicabilitas, & independentia; quare potiùs ista erit vera, *Christus in quantùm homo est personatus, est hypostasiatus*, adiectiuè, non substantiuè, nam homo in Christo non habet propriam subsistentiam, idcircò non est persona, sed subsistentiam alienam, hinc personatus dici debet.

104 Verùm hæc doctrina non est consequenter asserta ad ea, quæ articulo præced. docuerat, ibi enim admisit istam propositionem, *Christus in quantùm homo est Deus* in sensu reduplicatiuo, quia homo potest supponere pro supposito diuino, ergo si in ista alia propositione, *Christus in quantùm homo est persona*, ly *homo* supponit pro supposito Verbi, erit vera reduplicatiuè; Inquit, alio modo homo supponit nudè acceptus, & alio modo sumptus cum reduplicatione, nam primò modo potest pro supposito diuino supponere, secundo modo supponit solùm pro cõceptu formali naturæ, in quo non includitur personalitas, nec illam exigit. En quomodò hæc doctrina non cohæret præcedenti, nam priùs concessit, hominem sumptum cum reduplicatione posse supponere pro supposito. Tùm quia, etiam vt pro humanitate supponit, potest hæc propositio habere aliquẽ sensum verum, si persona accipiatur vagè pro personalitate propria, vel aliena, quia humanitas ex se petit aliquam personalitatem, vel propriam, vel alienam, ergo Christus vt homo necessariò erit persona; imò illa propositio, *Christus vt homo est personatus*, est prorsus impropria, sicut ista, *Petrus vt homo est personatus*, non enim supposito conuenit personari, sed naturæ, & suppositum ratione naturæ non personatur, sed est persona, personari enim est communicari, & terminari à supposito, quod nullo modo potest dici de persona.

105 Quapropter ista propositio est vera, si ly *homo* supponit pro supposito diuino in sensu reduplicatiuo, & si supponit pro natura humana, etiam reduplicatiuè, est vera, dummodò ly *persona* supponat vagè, & indeterminatè; at si supponit pro persona Verbi, erit vera specificatiuè, sicut ista alia, *Christus in quantùm homo est Deus*. Nec fundamentum Vulpes vrget, quia, vt dixi in Sũmulis loc. cit. particulæ reduplicatiuæ iunguntur terminis, vt supponunt absolutè, non autem, vt supponunt simpliciter, idest vt supponunt pro suo significato formali; modò communicatio actualis non est de conceptu naturæ. Tùm quia *homo* ibi supponit pro supposito, & vt supponit pro natura, adhùc non sequitur, Christum dici personatum, sicut natura dicitur personata; quia ex hoc, quòd est communicabilis natura supposito, non infertur, suppositum esse communicabile, sed potiùs, quòd sit incommunicabile, quatenùs natura ex sua ratione formali petit habere aliquam subsistentiam, & consequenter petit esse in aliquo supposito.

Vnum est not. circa has duas propositiones, quòd non tàm propriè ly *homo* supponit pro supposito, quia particula reduplicatiua videtur in rigore condistinguere terminum, cui adiungitur, à subiecto, ideóq; potius videtur *homo* supponere pro natura humana, quomodò est à Christo distinctus, quàm pro supposito, quomodò facit sensum identicum.

106 Aliæ sunt propositiones, in quibus dicuntur de Christo quædam denominatiua substantialia, videlicet *Christus est homo dominicus*, *Deificus*, *diuinus*, & è conuersò, *Christus est Deus humanus*, *homificus*, *terrenus*, *terrificus*; de quibus videndum, an sint veræ. Pro intelligentia not. ex Scoto 3.d. 7. q. 1. ad 2. princ. quòd inter concreta denominatiua desumpta ex substantijs, & concreta denominatiua desumpta ex accideotalibus formis, adest vt plurimùm hęc differentia, quòd concreta accidentalia denominant subiectum, seu suppositum propter informationem, quia scilicet formæ denominantes informant subiectum, vt patet de albo, de dulci, &c. sed denominatiua substantialia vt plurimùm nō denominant propter informationē, quia scilicet informant, sed vel propter possessionem, quia scilicet subiectum, cui tribuuntur, possidetur à re, à qua sumitur denominatiuum, sic seruus dicitur dominicus, quia à domino possidetur, vnde explicatur per genitiuum possessionis, vel propter aliam habitudinem alicuius extrinseci ad talem substantiam, qua ratione actio nostræ voluntatis dici solet humana, quia est ab homine, actio Dei dici solet diuina, quia est à Deo, vt à principio, hinc dici solet communiter, quòd non potest de eodem aliquod prædicatum dici in quid, & denominatiuè, quia si prędicatur in quid, essentialiter conuenit subiecto, si verò prædicatur denominatiuè, vel erit propter informationem, si est concretum accidentale, & sic non erit denominans prædicatum in quid, vel erit propter extrinsecam habitudinem subiecti ad talem substantiam, si est denominatiuum substantiale, & consequenter illa substantia non prædicaretur in quid de illo subiecto, vnde si actio dicitur denominatiuè humana, non erit in quid homo, & si Petrus est homo in quid, non potest dici humanus, quia vt sic datur intelligi, Petrum dicere extrinsecam habitudinem ad hominem, sicut actio, quod est falsum.

107 Dixi vt in plurimùm, quia vt notat. Ioan. de Lugo disp.23. sect.1. ex D. Tho.3.p. q.16. art. 3.ad 3. dantur aliqua denominatiua substantialia, quæ ex vsu consueuerunt tribui non illis solùm, quæ dicunt extrinsecam habitudinem ad talem substantiam, sed etiam, quæ intrinsecè, & verè sunt talis substantia,& de quibus illa substantia prædicatur in quid, talia sunt *reale*, *substantiale*, *diuinum*, nam homo dicitur res, & realis, dicitur substantia, & substantialis, Verbum dicitur Deus,& diuinum, imò hæc denominatiua nec solent tribui omnibus, qui extrinsecam habitudinem dicunt ad substantiam, nam licèt B. Virgo sit mater Dei, non ob id dicitur diuina, licèt Apostoli, & Sancti sint serui Dei, non tamen dicuntur diuini, & hoc ex vsu loquentium; his accedit *humanum*, quod de persona dici solet, nam dicimus, *Petrus est persona humana, suppositum humanum*, *filius humanus*, quia persona, suppositum, & filius dicunt habitudinem ad hominem, eòquia significant munus aliquod, & officium in ordine ad hominem.

108 Insuper est not. quòd propositiones, in quibus prædicata de Christo denominatiuè dicuntur, vt sint veræ, debemus attendere, nè significent, vel denotent distinctionem suppositorum in Christo, & quia denominatiua desumpta à naturis substantialibus diuina, & humana, eòquia dant intelligere, subiectum dicere extrinsecam habitudinem ad illas naturas, & consequenter subiectum esse suppositum distinctum à supposito illius naturæ, idcirco vt plurimùm tales propositiones sunt falsæ. Quapropter falsum erit dicere, *Christus est homo Dominicus*, quia faceret hunc sensum, quod Christus sit homo Domini, seu Dei, & non vere Dominus; hinc quamuis D. Aug. lib.83. quæst. q. 36. appellarit Christum hominem dominicum, hoc tamen retractauit in lib. 1. retract. c. 19. tanquàm nō rectè assertum; Verum est tamen, quòd quia Pater diuinus est dominus, & Christus dicit ordinem ad Patrem, in hoc sensu posset dici *homo dominicus*, idest *Domini*, sicut sępè dici solet, *Verbum Domini* per habitudinem ad Patrem.

109 Similem sensum habent *Deifer*, *Deificus*, nam *Deifer* est denominatiuum verbale proueniens à *ferre Deum*, quod potest significare distinctionem suppositorum, nam Sancti dicuntur gestare, & ferre Deum, & Christum in corde, vnde dici possunt Deiferi, & Christiferi, vt habet Cyrillus Ierosol. in sua Catachesi Mystag. 4. *Efficimur Christiferi, hoc est Christum in cordibus nostris ferentes*; hinc falsum est dicere, *Christus est homo deifer*, vt dicebat Nestorius. *Deificus* significat agens vniens aliquam naturam Deo, & idem sonat, ac *Deum faciens*, modò homo factus est Deus, non fecit Deum, idest vnius est Deo, non vniuit naturam Deo, ideoq; rectè dicitur *deificatus*, non *deificus* & consequenter hæc est vera propositio, *Christus est homo deificatus*, hæc est falsa, *Christus est homo deificus*; Et quoniam *hominificus* significat *faciens hominem*, *humanatum* verò *esse factum hominem*, seu *vnitum homini*; hinc Christus dicitur *Deus humanatus*, non autem *hominificus*; idem quoq; dicendum de *terrificus*, & *terreus*, nulla enim potest assignari differentia.

110 Remanet difficultas, an Christus possit dici *homo diuinus*, & *Deus humanus*; aliqui vniuersaliter negant, ita Vasq. disp. 63. c.2. & Vulpes disp. 18. art. 13. Attamen licèt quò ad secundum prædicatum hoc sit verum, nam dicere, *Christus est Deus humanus* (sumendo humanum vt denominatiuum hominis, non tamen vt idem significet, ac *benignus*) faceret hunc sensum, *Christus est Deus hominis*, quod est falsum, quia datur intelligi distinctio suppositorum, nā Deus hominis non est homo, sicut nec seruus Domini est Dominus; quò ad primum verò prædicatum propositio videtur admittenda, eòquia hoc denominatiuū *diuinum* consueuit tribui, non solùm illis, quæ sunt Dei, sed etiam illis, quæ sunt Deus. Neq; contrà hoc vrgent authoritates Concil. Francoford. in epist. ad Episc. Hispaniæ, & Constantinop. c.7. adductæ à Vasq. quia loquuntur de hoc prædicato *Deifico*, vel *Dominifico*, non de *diuino*; ità Ioan. de Lugo; Sed ego addo, quòd idem iudicium videtur faciendum de hoc prædicato *humanum*, quod etiam non solùm dicitur de illis, quæ sunt hominis, sed etiam, quæ sunt homo, vt dixi; quarè vtrobiq; est eadem ratio; idcircò negari debent ista prædicata de Christo quò ad primam acceptionem, vt scilicet significant habitudinem possessionis, aut aliam extrinsecam habitudinem, non autem vt innuunt identitatem essentialem naturæ cum subiecto, scilicet Christo.

Solet

Solet etiam quæri, an hæc propositio sit vera, *Christus est seruus secundum quòd homo; est Filius Dei*; sed commodius dicetur in disp. de prædest. Christi.

Disputatio Sexta.

De causa effectiua Incarnationis, tàm physica, quàm meritoria.

ENS omne creatum habere causas sui esse, inconfessum est apud omnes, incarnatio, cum sit ens creatum, habebit proprias causas, quarum aliquas huc vsq; explicuimus, præcipuè formalem intrinsecam, dum ostendimus ipsius formalitatem, insuper materialem, in qua fundatur hæc vnio, ac etiam formalem extrinsecam, cum egimus de termino ipsius, quæ omnia sunt de conceptu quietatiuo ipsius incarnationis, sicut extrema ingrediuntur definitionem cuiosq; relationis; remanet igitur, vt ad causas magis extrinsecas accedamus, quales sunt efficiens, & finalis, in præsenti disput. solùm de efficienti agemus; quę in proposito duplex est, physica, & meritoria, seù moralis, de vtraq; erit sermo, & occasione causæ meritoriæ, proponemus aliqua de merito in communi scitu necessarias causa quòq; physica duplex est, principalis, & instrumentalis, vtramq. considerabimus.

Quæstio Prima.

Quæ fuerit causa efficiens physica Incarnationis.

1 CArolus Franciscus Abra de Raconis hic disp. 1. c. 3. q. 3. duplex operum genus assignat, alterum prouenien à Deo, vt vnus est in tribus personis, & vt operans per essentiam, & de isto, ait, intelligi debere cōmune illud axioma, *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa*; alterum actionum genus prouentens à proprijs, & peculiaribus personalitatibus diuinarum personarum; eòquia habent vim productiuam ad extra de sua ratione formali dicit perfectionem, & consequenter conuenire debet proprietatibus personalibus. Hoc supposito, asserit, Verbum propria personalitate actiuè produxisse vnionem hypostaticam, & influxu proprio, toti Trinitati minimè communi.

2 P. Vulpes disp. 3. art. 2. cum commoni docet, caosam effectiuā physicam vnionis hypostaticæ fuisse solum Deum, itàut nulla creatura, nec etiam B. Virgo cooperata fuerit ad hanc vnionem efficiendam immediatè, neq; per modum instrumenti, neq; per modum principalis causæ. Attamen disp. 11. art. 2. quærens, an incarnatio actiua sit actio tantùm vnitiua hominis cum Verbo Dei, vel etiam sit productiua eiusdem hominis vniti Verbo Dei hypostaticè, videtur oppositum asserere, ait enim, incarnationem esse actionem diuinæ omnipotentiæ cum solo concursu potentiæ generatiuæ B. Virginis supernaturaliter eleuato simul productiuam simpliciter assumpti hominis vsq; ad hypostaticam vnionem cum Verbo Dei inclusiuè, itaut terminus adæquatus huius actionis fuerit homo vnitus, nec priùs fuerit homo, quàm fuerit etiam Verbo vnitus, & consequenter videtur docere, concursum B. Virginis fuisse terminatum ad hominem assumptum; qua ratione saluat, B. Virginem verè fuisse matrem Dei; hunc dicendi modum docent Bernal disp. 19. sect. 3. & Granadus tract. 4. disp. vlt. sect. 1.

3 Soarez disp. 10. sect. 1. docet, de facto nullam fuisse causam creatam cooperatam Sanctissimæ Trinitati ad producendam vnionem hypostaticam, neq; principalem, neq; instrumentalem; de possibili verò concedit, posse Deum assumere aliquam creaturam, tanquam instrumentum ad producendam hanc vnionem. Addit quòq; hoc totum intelligi debere de prima effectione huius vnionis; nam si est sermo de secunda effectione, putat, de facto dari talem instrumentalem causam in duobus casibus, primus est in nutritione corporis Christi, qua nouæ partes carnis acquirebantur, & Verbo de nouo partialiter vniebantur, quo casu putat, humanitatem Christi vt instrumentum concurrisse ad illam vnionem, quod etiam sustinet Bernal disp. 19. sect. 3. secundus est in consecratione Eucharistiæ, nam probabile est, verba consecrationis habere vim productiuam corporis Christi sub speciebus instrumentalem, non principalem, & consequenter videntur instrumētaliter producere totum corpus Christi vnitum Verbo, quæ est secunda effectio corporis Christi.

4 Non quærimus in præsenti causam effectiuam physicam humanitatis Christi, ad hanc enim clarum est concurrisse B. Virginem, vt suo loco dicetur, sed causam effectiuam vnionis hypostaticæ, nam vt dictum est disp. 2. q. 4. actio vnitiua Sanctissimæ Trinitatis habuit pro termino formali vnionis relationem, non humanitatem.

5 Dico igitur primò, causam efficientem huius vnionis fuisse totam Trinitatem; colligitur euidenter ex sacra Scriptura, nam de Patre dicitur ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*, & Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, mittere autem Filium ad Patrem spectat, à quo procedit; de Filio dicitur ad Hæbr. 2. *Semen Abrahæ apprehendit*; de Spiritu Sancto Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*, & in Symb. *qui conceptus est de Spiritu Sancto*. imò nec poterat produci, nisi à tota simul Trinitate, nam vt habet Scot. in 3. d. 1. q. 1. §. *Contrà hoc*, & nunc suppono ex materia de creatione, opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, quia principium productiuum, quæ est diuina voluntas, est necessariò in tribus personis, hæc vnio autem est quoddam factibile ad extra.

6 Distinctio autem ab illo Carolo assignata, tùm propter sui nouitatem, & singularitatem, tùm propter improbabilitatē de se ruit; nullus enim Theologorum est ausus, opera Trinitatis ad extrà diuidere, nam oppositum euidenter habetur Ioan. 5. *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrē facientē; quæcunq; enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit*. Tùm quia quatuor darētur in Deo ōnipotentiæ vna cōmunis, & tres personales, nam si filiatio v.g. potens est aliquid producere, certè omnia poterit producere, aliter haberet potentiam limitatā, & cōsequenter imperfectam; ergo haberet omnipotentiam eiusdem rationis cū illa essentiali; imò multiplicanda essent omnia attributa, nam si per ipsum id quò filiatio est potens producere, quia vis actiua dicit perfectionē, ergò quia scire omnia dicit quòque formaliter perfectionem simpliciter, deberet in proprietatibus perso-

 nalibus

nalibus reperiri, & idem de alijs perfectionibus simpliciter erit dicendum; quę omnia sunt falsa. nō enim est necesse, quòd perfectio simpliciter simplex includatur in qualibet formalitatę diuina, aliter vna perfectio in se contineret aliàs, & mutuò se continerent ad inuicem, sed sufficit, quòd includatur, & sit melior ipsa, quàm non ipsa in supposito entis in communi, vt explicat Scotus 1. d. 8. q. 1. ad 1. & quol. 5. M. Accedit, quòd Concilia ex illo axiomate inferunt euidenter nostram conclusionem, nam Concil. Tolet. 6. c. 1. sic ait. *Et cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ*; & Tolet. 11. in confess. fidei, *Incarnationem quoq; huius Filij tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen Filius formam serui accepit in singularitate personæ*; idem quoq; habetur in Cōcil. Lateran. sub Innocent. III. adducto in c. *firmiter* de summa Trin. & fide Cathol. *A tota Trinitate communiter incarnatus*. Ex quibus sequitur, distinctionem illam contrariam esse cōmuni consensui Concil., Patrum, & Doctorum tùm in se spectatam, tùm etiam huic misterio applicatam.

7 Verum est tamen, quòd incarnatio quandoq; soli Patri attribuitur, quod est intelligendum authoritatiuè, quatenùs Pater cum sit productiuus Filij, missio ipsi tribuitur; Filio verò solùm terminatiuè; sed specialiter tribuitur Spiritui Sancto appropriatè; ratio est, quia opus hoc incarnationis processit ex nimia charitate, qua Deus nos dilexit, vt habetur ex Scriptura, & Sanctis Patribus, fuit opus sanctissimum ex parte termini, *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. Luc. 1. fuit summa gratia hominibus collata, *In rebus per tempus ortis summa gratia est, hominem fieri Deum*, ex Aug., amor autem, sanctitas, & gratia appropriantur Spiritui Sancto ex vi suæ processionis, quæ est per modum voluntatis, quę est principium amoris, gratiæ, & sanctitatis.

8 Dico secundò; nullam creaturam neq; de facto, neq; de possibili potuisse cooperari ad producendam hanc vnionem, neq; vt principalem causam, neq; vt instrumentalem, neq; in prima, neq; in secunda effectione. Conclusio ista pendet ex illa quæst. an detur potentia obedientialis actiua in quolibet ad quodlibet producendum, quam determinaui in Phys. disp. 7. q. 6. art. 5. vbi ostendi, hanc actiuam potentiam dari solùm in ordine ad effectus habentes quandam analogiam, & proportionem cū effectibus naturaliter producibilibus ab illa causa; ex quo principio, sic arguitur; nulla creatura est ex se productiua alicuius vnionis hypostaticę, ergo nulla creatura habet vim innatam, & inchoatam, quæ possit eleuari ad producendam istam vnionem hypostaticam, conseq. patet ex illo principio; antec. difficulter posset probari ab admittentibus, subsistentiam quid positiuum dicere, nam ex hoc deduci posset, quòd sicut natura vnitur proprio supposito, vel ex se ipsa, vel à sua causa effectiua, videtur, vel natura, vel causa ipsius habere quoddam principium actiuum efficiendi vnionem hypostaticam naturalem, & consequenter habere principium inchoatum ad productionem vnionis hypostaticæ supernaturalis; quod posset etiam confirmari exemplo visionis beatificæ, ad quam, arguimus, dari in homine potentiam actiuam obedientialem, quia datur in eodem potentia actiua completa visionis naturalis. Attamen à nobis illud antec. faciliter prob. dum sustinemus; subsistentiam dicere quid negatiuum; nec posse suppositum creatum terminare alienam naturam. Accedit principaliter, quòd vnio hypostatica, cum sit relatio extrinsecùs adueniens, habet propriam nouitatem, & efficientiam, vnde solùm potest illam causare, quod habet in sua potestate terminum, qui est Verbum diuinum, nulla autem creatura est talis, ergo &c. Tùm quia idcircò vnio animæ cum corpore à solo Deo fit, vt dixi disp. 8. de Gen. num. 33. eòquia homo non habet actionem suprà animam rationalem, ergo multò magis idem est dicendum de vnione hypostatica.

9 Ex his infertur, neq; B. Virginem fuisse immediatè cooperatā productioni huius vnionis, sed solùm mediatè, quatenùs produxit humanitatem, quæ fuit immediate vnita, quo sensu intelligendi sunt Patres, dum asserunt, B. Virginem fuisse causam incarnationis, non tamen fuisse verum instrumentum, quia non produxit dispositionem aliquam, ad quam naturaliter consequebatur vnio hypostatica. Neq; humanitatē Christi fuisse causam illius partialis vnionis in nutritione, vt optimè docet Scotus 3. d. 26. q. 2. D. vbi ait, quòd licèt humanitas Christi naturaliter se nutrierit, & aggenerauerit nouam carnem præcedenti, attamen miraculosè noua illa caro erat Verbo vnita vi antiqui miraculi in Incarnatione effecti à tota Trinitate. Neque Sacramenta effectiuè instrumentaliter producere sub speciebus corpus Christi hypostaticè vnitum; nam in primis falsum est, conuersionem panis in corpus Christi ex vi verborū esse productiuam, sed solùm adductiuam, vt docet Scotus in 4. d. 10. q. 2. & d. 11. q. 3. N. falsum etiam est, sacramenta esse physica instrumenta, sed tantùm moralia, ex eodē Scoto in 4. d. 1. q. 5. Tandem fundamentū Bernal, quod scilicèt productio humanitatis Christi sit formaliter vnio hypostatica, iam fuit impugnatum disp. 2. q. 4.

Quæstio Secunda.

Quid, & quotuplex sit meritum.

10 PRO intelligentia not. quòd in humanis datur simplex assertio, promissio, & obligatio ex iustitia; simplex assertio est quædam explicatio propositi faciundi id, quod asseritur, quæ respicit duo, scilicet propositum præsens, & effectum futurum ex vi talis propositi, & ad hoc vt sit vera, sufficit, vt habeatur actualiter illud propositum, non requiritur autem vt necessariò fiat ille effectus, quia non adest iuramentum aliquod, vel voluntas obligandi se, vt in tali proposito maneat, hinc simplex assertio non inducit obligationem, cum possit voluntas mutare propositum, neq; ad non mutandum propositum se obligauit. Promissio est actus, quo quis spontè, & liberaliter pollicetur alteri, aliquid dare, vel facere, vnde promissio addit suprà simplicem assertionem obligationem manendi in tali proposito, & explicatur per hoc, *promitto me facturum, vel daturum aliquid tali tempore*, vbi simplex assertio explicatur per hoc, quod est, *faciam hoc, dabo hoc*, &c. In Deo verò hæc duo coincidunt, quia non potest dari simplex assertio, quin sit etiam voluntas manendi in tali proposito propter suam immutabilitatem.

Hæc promissio est duplex, alia simplex, & absoluta, & est, qua aliquid promittitur absq; aliqua conditio-

ne

ne; alia est conditionalis, & onerosa, & est, qua Petro v. g. aliquid promittitur, si talem rem perficiat; prima absolutè inducit obligationem, statim ac fit, secunda non nisi expleta conditione per promissionem imposita.

11 Hæc autem est duplex, vel enim est sub conditione, & onere alicuius operis requisiti solùm ex quadam decentia, vel dispositione, & non quia in eo sit valor æquiualens ad rem promissam, & hæc, sicut & promissio simplex, solùm inducit obligationem fidelitatis, quia adimplens illam conditionem non acquirit ius, propter paruitatem valoris in illo opere ad rem promissam; Vel est sub onere alicuius operis habentis valorem æquiualentem ad rem promissam, seù mercedem, aut præmium, & talis promissio inducit obligationem ex iustitia, quia adimplens illam conditionem acquirit ius, vt possit iustè expetere mercedem, & præmium, ita quòd obligatio ex fidelitate, & ex iustitia differunt in hoc, quòd illa non supponit ius ad rem promissam in persona, cui promittitur, quod patet, quia ista persona ante promissionem non habebat ius ad illam rem, aliter fuisset obligatio ante promissionem, nec per promissionem acquirit aliquod ius, quia promissio non dicit donationem, sed puram obligationem in futurum, ergo per promissionem non acquirit ius, aliter esset donatio, si non rei, saltim iuris, quod apud Iuristas pro re pretio æstimabili habetur; at ista promissio connotat ius ad rem promissam in persona, cui fit promissio. Et hæc est præcipua differentia, ex qua aliæ oriuntur, quia obligatus ex fidelitate, si non reddet, non tenetur ad restitutionem, neq; ille, cui facta est promissio, si denegetur, potest in conscientia rem authoritate propria sibi vendicare; item talis obligatio non transit ad hæredes. Contrarium autem euenit in obligato ex iustitia propter ius præsuppositum in eo, cui fit promissio; Insuper, quod facit ad propositum, debitum ex fidelitate non excludit, quin donum sic datum sit gratuitum, aliter Incarnatio non fuisset gratuitè facta, quia fuerat antè promissa, neque Deus liberaliter concederet gratias in orationibus petitas, quia promisit illas tribuere, Iac. 1. *Si quis indiget, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*; at debitum iustitiæ excludit rationem gratiæ, ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*, quod intelligitur de operibus habentibus ius ad præmium, quæ solent dici merita de condigno; an autem iste valor operis æquiualens debeat prouenire ex ipsamet entitate actus, an possit etiam ab extrinseco prouenire, putà ab acceptatione remunerantis, ostendetur infrà.

12 Secundò not. quòd meritum ex communi consensu Theologorum cum Scoto p. d. 17. q. 2. KK. est duplex, de congruo, & de condigno; meritum de condigno est id, cui ex iustitia, & operis dignitate debetur præmium, vt si Dominus vineæ alterum locet, vt per diem in vinea sua laboret, si laborauerit, conuentione facta, de iustitia merebitur statutum præmium; meritum de congruo est, cui de rigore iustitiæ non debetur præmium, vel merces propter sui exiguitatem, & inæqualitatem ad præmium, habet tamen aliquam congruitatem, ob quam congruum videtur, illi aliquod præmium dari; vt si quis auxilio Dei præuentus bona moraliter facit extrà charitatem, congruitatem habet respectu alicuius præmij, & se disponit, quantùm est ex se, ad gratiam. D. Bon. in p. d. 41. addit meritum de digno, vt quando iustus orat pro peccatore, tunc non impetrat de condigno illi gratiam, quia peccator indignus est omni bono, non tamen est de congruo, quia iustus dignus est exaudiri, sed de digno, quod mediat inter vtrumq;. Sed potest hoc meritum ad alterum illorum reduci; nam vel inducit obligationem ex iustitia, vel non, si secundum, erit meritum de congruo, si primum, erit meritum de condigno, quod simpliciter habet rationem meriti; & de isto quærimus in præsenti, quot requirantur conditiones, nam ex cognitione istius facilè cognoscetur meritum de congruo.

13 De isto igitur merito de condigno in ordine ad Deum secundùm Scotum cit. & quol. 19. & 3. d. 18. A. plures assignantur conditiones. Prima est, quòd sit actus liber, quia meritum, sicut & demeritum, est actus voluntatis elicitus, vel imperatus, & consequenter est liber, sub nomine autem actus comprehenditur quoquè pura omissio libera, quam esse dabilem, ostendi in lib. de An. disp. 7. q. 4. art. 2. ratio est, quia in naturalibus iuxtà commune axioma Moralium neq; meremur, neq; demeremur; hinc dicebat Apost. 2. Corint. 9. *Si volens hoc facio, mercedem habeo, si inuitus, dispensatio mihi est*. Secunda, quòd sit hominis viatoris, quia de lege Dei ordinaria homines merentur solùm pro hoc statu viæ, non in alio statu, & hæc via est tempus certaminis, pugnæ, & laboris. Tertia, quòd sit ab homine existente in gratia, quia principium meriti est gratia gratum faciens, sine qua actiones nostræ nequeunt esse meritoriæ. Quarta, quòd sit iuxtà inclinationem gratiæ, idest moraliter bonus, quia vt probat Scotus cit. si hæc conditio non requireretur, sequeretur, quemlibet actum hominis iusti, etiam peccatum veniale, actum indifferentem, & indeliberatum esse meritorios de condigno vita æterna, quod est falsum; patet conseq. quia posita causa per se, ponitur effectus, ergo si causa per se actus meritorij est, quòd sit ab homine iusto, & viatore, iam omnis actus ab eo dimanans esset meritorius. Hùc vsq; conueniunt Doctores; cæterùm est dissensio, an aliquid aliud requiratur.

14 Aliqui ex Thomistis cum D. Tho. p. 2. q. 114. art. 3. negant, aliquid aliud exigi, sed eò ipso, quòd actus exoritur ex gratia, est de condigno meritorius vita æterna, itàut si non retribuatur gloria, committeretur iniustitia. Alij distinguunt, eòquia dignitatem operis, & valorem, inquiunt, oriri ex gratia; sed quòd ipsi ex iustitia debeatur merces, oriri ex pacto, & obligatione diuina de compensatione retribuenda; ità Suarez 3. p. disp. 39. sect. 1. Vasq. p. 2. disput. 124. Beccanus 2. p. suæ summæ tract. 4. c. 5. q. 1. Ex aduerso alij ità exigunt hoc pactum, & acceptationem diuinam ad opus meritorium, vt asserant, omne aliud nihil valere ad rationem operis meritorij, itaùt opus ideò meritorium, quia taliter à Deo acceptatum; solet pro hac sententia citari Scotus.

15 Dico primò, opus meritorium de condigno non semper debet habere valorem intrinsecum æquiualentem præmio, sed quandoq; hunc prouenire ab extrinseco, scilicet ab acceptatione alicuius habentis authoritatem; licèt ex se de potentia ordinaria Dei habeat aliquam congruitatem, & dignitatem secundùm quid respectu præmij. ita Doctor cit. Prob. prima

ma

ma pars; quandoq; præmium excedit opus meritorium de condigno secundùm suam entitatem consideratum, & solùm ex acceptatione retribuentis æstimatur æquiualens, ergo nõ semper opus meritorium habet cõdignitatem æquiualentem ab intrinseco, nec necessariò; conseq. patet, antec. prob. primò in humanis; nam si Princeps statueret in suo regno monetam ex corio, & pelliceam, certè si quis aurifici talem monetam erogaret, ipsi ex iustitia deberetur annulus, vel gemma; & tamen erogatio illius monetæ ab intrinseco non æquiualeret annulo, vel gemmæ, sed solùm ex ordinatione, & determinatione Principis. Secundò ex sacra Scriptura; nam Matt. 20. in illa parabola patrisfamilias conducentis operarios in vineam suam, habetur, quòd facta conuentione cum operarijs ex denario diurno, misit eos primo mane in vineam ad laborandum, quòd cum fecisset hoc idem circà tertiam, sextam, & nonam horam, tandem vltimos misit circà vndecimam; volens posteà satisfacere, incepit à nouissimis, quibus dedit pro labore patrato denarium, sicut & primis; certè denarius iste excedebat laborem à nouissimis exhibitum in vinea, aliter primi non fuissent ad æqualitatem satisfacti, & tamen respectu illius exigui laboris denarius habuit rationem mercedis, vnde dixit procuratori suo, *Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsq; ad primos*, quod contigit ex acceptatione patrisfamilias acceptantis, & æstimantis laborem nouissimorum, ac si fuisset æqualis labori illorum, qui portauerunt pondus diei, & æstus.

16 Tandem Scotus in p. cit. probat idem antec. Deus præmiat vltrà dignitatem intrinsecam actus, qui dicitur meritorius de condigno, vt habetur ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, ergo si præmium, scilicet vita æterna excedit in ratione præmij actum meritorium, non necessariò actus ille habere debet æquiualentem dignitatem ad illud præmium. Quod etiam confirmari potest authorit. Concil. Colon. tit. de iustificat. *Neq; vereatur Scriptura vitã æternam bonorum operum mercedem appellare, non vt putemus, benefacta nostra digna esse vitæ æternæ, seù debere illis vitam æternam propter operum ipsorum dignitatem, quis enim tàm stupidus est, qui sic sentiat? sed magis, quòd Deus fidei nostræ, quam per huiusmodi opera in nobis exercet, vitam æternam gratuitè sit pollicitus*; item Concil. Senonensis. c. 16. *Facietq; tandem misericordia locum vnicuiq; iuxtà meritum operum suorum, non absoluta condignitate quidem, neq; enim condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, sed gratuita magis, & liberali repromissione.*

17 Resp. Caiet. huic vltimæ rationi, antec. esse verum in hoc sensu, vt scilicet actus non habeat intrinsecum valorem ad quantitatem præmij, quam retribuit Deus pro illo actu, quia semper Deus præmiat vltra quàm merentur homines, nõ tamen est verum, quòd scilicet non habeat valorem æquiualentem ad præmiũ in se, quia liberalitas Dei non debet minuere rationem meriti in actu.

18 Contrà, præmium essentiale est idem omnibus correspondens, quia consistit in Dei visione, & fruitione, sed Deus etiam secundùm tale præmium præmiat vltrà condignum, ergo actus ex gratia elicitus, non solùm est inæqualis respectù quantitatis præmij, sed etiam respectù præmij in se. Tùm quia actus charitatis ex gratiâ elicitus ab aliquo non habente libertatem, vt sunt Beati, vel aliquis alius, cui Deus denegaret concursum ad oppositum, ex sua entitate non habet talem valorem æquiualentem, ergo nec actus idem cum libertate, prob. conseq. nam antec. patet, quia libertas moralis in actu est solùm quædã extrinseca denominatio ex indifferentia voluntatis, & omnibus prærequisitis ad agendum proueniens, vt dixi in lib. de An. disp. 7. q. 4. art. 1. denominatio autem extrinseca non potest tribuere actui realem, & intrinsecum valorem, vt visioni beatificæ æquiualeat, quia est non ens simpliciter. Tùm quia nulla est comparatio inter actus ex gratia elicitos in hac vita, & inter visionem beatificam, loquendo de ipsis secũdùm proprias naturas, & quidditates, non solùm secundùm intensionem; nam beatitudo longè excedit in perfectione nostros actus hic elicitos, nam est circà Deum summum ens, ad ipsam concurrit charitas consummata, lumen gloriæ, omnem excludit imperfectionem, & miseriam, vnde nec aure auditur, nec oculis videtur, nec in cor hominis ascendit, qua ratione dicitur finis vltimus noster, ergo non solùm valor intrinsecus operis de condigno meritorij non æquiualet, sed longè exceditur à dignitate, & perfectione quidditatiua præmij. Tùm quia Concilia adducta loquuntur de entitatibus nostrorum operum, & gloriæ, non de intensione.

19 Recentiores respondent, concedendo totum argum. in genere physico, non autem in genere moris. Sed hæc responsio fusiùs examinabitur disp. seq. pro nunc tantùm sufficiat, quòd Deus præmiat illos actus vltrà condignum, etiam vt considerantur in genere moris secũdùm entitatem moralem à principijs intrinsecis prouenientem, quia ratio meritorij, & tributio mercedis spectant ad genus moris, ergo si retributio est vltrà cõdignũ, iam excedit in genere moris. Tùm quia ista moralis dignitas, vel prouenit à principijs ipsius actus effectiuis, & constitutiuis, vel ab aliquo alio extrinseco, putà à Deo acceptante; si secundum, habetur intentum; si primùm, ergo reperiretur etiam in actibus Beatorum, quod est falsum; cui accedit, quòd principia effectiua, & constitutiua beatitudinis longè superant principia effectiua, & constitutiua actus meritorij huius vitæ, vt dixi, ergo dignitas moralis illius absq; comparatione excedit dignitatem moralem istius. Concilia quoq; loquuntur in genere moris.

20. Dixi, nõ necessariò opus meritorium ex se habere condignitatem ab intrinseco, quia non debet hoc vniuersaliter de omni merito negari, nam in humanis multi dantur actus æquiualentes præmio; imò quandoq; meritũ ex dignitate intrinseca excedit præmiũ; quia hoc non ab intrinseco, sed ex hominum æstimatione, & acceptatione habet condignitatem ad meritum æquiualentem, vt sunt omnes dignitates. Dixi etiam, talem acceptationem debere prouenire ab aliquo authoritatem habente, quia licet quilibet priuatus, posset seipsum obligare ex conuentione, & ex iustitia, acceptando exiguum laborem ad retribuendum maximum præmium, tamen talis acceptatio nõ haberet vim legis, nec in omnibus induceret obligationem ex iustitia; requiritur igitur, vt talis acceptatio fiat ab aliquo habente authoritatem condendi leges, vt est Princeps, Respublica, & communis hominum consuetudo, quæ est altera lex.

21 Secunda pars, quòd de potentia ordinaria ex

parte

parte actus exigatur aliqua congruitas, & dignitas in ordine ad præmium, est cōtrà tertiam sent. estq; Scoti in p. cit. GG. vbi habet, quòd actus elicitus ex eo, quòd est secundùm inclinationem gratiæ, habet, vnde acceptabilis sit à Deo, & gratia est ratio acceptandi ipsum; & infrà LL. respondens ad vnum dubium, videlicet quòd actus meritorius ante acceptationem est dignus acceptari, ait, quòd tunc est solùm ratio meriti secundùm quid, & secundùm aliquam congruitatem, non simpliciter, & de condigno, quia ex sua natura actus non est ordinatus ad vitam æternam ipsi reddendam, vt mercedem; vnde postea explicat, quomodò gratia respectu acceptabilitatis actus se habeat vt causa principalis, voluntas verò vt minùs principalis. Idem clariùs habet in 3.d.19. q. vn. B. vbi cōcedit, quòd actus Christi de propria ratione formali non erant acceptabiles pro infinitis, sed pro finitis, licèt à Deo pro infinitis fuerint acceptati; immeritò igitur à Recentioribus citatur Scotus pro ista tertia opin. Dixi tamen, supposita potentia Dei ordinaria, quia de potentia absoluta posset Deus acceptare actū non elicitum ex gratia, vt docet Scotus in p.cit. de quo alibi. Prob. cōclusio ratione ipsius Scoti; ad hoc vt aliquis actus sit meritorius, & acceptatus à Deo, requiritur, vt sit bonus moraliter, & secundùm gratiæ inclinationem ex dictis, imò ex hoc, & acceptatione diuina integratur tota ratio meriti, vt dicam conclus. seq. ergo actus ex gratia elicitus habet quandam congruentiam, vnde acceptetur; prob. conseq. aliter quilibet actus acceptaretur à Deo de potentia ordinaria, quod est falsum. Confirm. magis congruum est, vt acceptetur actus tendens in Deum, vt finem supernaturalem, quàm actus circa obiectum creatum, & inter illos, minùs congruum est, vt acceptetur actus absq; gratia elicitus à potentia libera, quæ non ità determinatè tendit in obiectum, & in Deum, licèt sit moraliter bonus, quàm actus ille, qui à potentia libera elicitur cum gratia, quę determinatè respicit ipsum Deum, quam determinationem participant ab ipsa gratia potentia, & actus; ità Doctor in p.cit. infra LL. & quol. 17. art.2.

22 Dico secundò, & si actus ex gratia elicitus esset intrinsecè proportionatus, & æqualis valoris cū præmio, nō tamen dicitur completè, & perfectè meritorius, sed requiritur acceptatio diuina (loquendo de merito in ordine ad Deum) qua Deus vult acceptare illum actum, & ordinare ad vitam æternam, tanquā præmium sibi iustè debitum, itàut seclusa tali acceptatione nullo modo esset de condigno meritorius vitæ æternæ; talis autem diuina acceptatio est æterna, & antecedens actum, non subsequens, & temporalis. Conclusio est Scoti sæpè cit. quem omnes ferè Recétiores sequūtur, & prob. ab ipso; si actus esset ex principijs intrinsecis de condigno meritorius vitæ æternæ, seclusa acceptatione diuina; sequeretur, quòd Deus non præmiaret ex mera liberalitate, & non posset nō retribuere sine iniustitia beatitudinem ei, qui sic operatur, consequens est falsum, nam Deus est absolutus, & supremus Dominus omnium, & à nullo potest per se obligari ex iustitia, seclusa sua promissione; seq. prob. meritū de cōdigno secundùm omnes est actus, cui ex debito iustitiæ, & ex condignitate operis debetur merces, ergo si independenter ab acceptatione, & Dei promissione meritum de condigno esset completum, vim haberet inducēdi obligationem ex iustitia in Deo de reddendo præmio, & per consequens ex necessitate præmiaret, quia nequit esse iniustus.

23 Resp. Caiet. Deus eo ipso, quo dedit gratiam operanti, per eandem gratiam acceptauit actum, vt meritorium de condigno vitæ æternæ, non per superadditam acceptationem, & sic iniustè non retribueret taliter operanti, sed supposita gratia.

Contrà, vel gratia habet ex sua natura, vt constituat actum meritorium de condigno, vel ex ordinatione diuina, si secundum, ergo non per gratiam formaliter, sed per illam acceptationem acceptat, quæ est opinio Scoti; si primum, quod admittitur à Caiet. Contrà, ergo etiam gratia actum necessarium constituet in ratione meritorij de condigno, patet conseq. quia forma, quæ est de sua ratione formali talis, vbicunq; ponatur, semper tribuet suo subiecto eundem effectum formalem, & negatio libertatis non impedit, vt probatum est suprà. Tùm quia gratia est ens creatum, ergo daretur aliquod ens creatum, quod posset ex sua intrinseca natura inducere obligationem in Deo, quod est falsum. Tùm quia & si gratia esset talis naturæ, non per hoc secluso pacto, & acceptatione tenetur Deus reddere ex iustitia præmium, ergo neque tunc ille actus esset de cōdigno meritorius; antec. prob. exemplo; si quis sponté laboraret in prædio alieno absq; conuentione, & pacto cum Domino, facit quidem opus mercede dignum, non tamen ex dignitate iustitiæ inducente obligationem, quia potest Dominus acceptare illud opus beneficij gratia, vel aliquo alio titulo, ergo multò magis id est verum inter nos, & Deum, vt opera nostra, licèt ex gratia essent retributione digna, absq; tamen pacto & acceptatione non erunt ex iustitia digna, & de condigno meritoria, nam multis titulis tenemur nos seruire Deo. Tandem confirmari potest authoritat. adductis num. 16. ac etiam Concil. Trid. sess. 6. c. 16. illis verbis, *Benè operantibus vsq; in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna per Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.*

24 Quòd autem talis acceptatio sit æterna & antecedens, non tēporalis, & subsequens actum, probat Doctor, quia Deus nihil vult de nouo, quod ab æterno non voluit, ergo nihil de nouo acceptat, quod ab æterno non acceptauit; acceptatio ergo, seù ordinatio, qua Deus ab æterno ordinauit, & voluit actum elicitum à talibus principijs, & cum talibus circumstantijs esse dignum æterna vita vt mercede, est, quæ constituit actum in ratione meritorij de cōdigno formaliter. Hinc malè Vulpes 3.p. disp.25.art.3.& 4. negauit hanc acceptationem, malè quoq; addidit, hanc acceptationem ab omnibus Scotistis poni subsequentem ad actum.

25 Ex quibus colligo primò acceptationem istam, quam ponit Scotus vt completiuam meriti de condigno, non esse diuersam à promissione, qua promisit ex iustitia reddere gloriam, vt mercedem illius actus acceptati; non enim est verum, quod ait Suarez, acceptationem respicere actum tanquàm obiectum, quod supponit, ideòq; illum moraliter non mutare, neq; physicè, sed talem acceptare, qualis est in se; promissionem verò sub conditione operis antecedere opus ipsum, & consequenter ipsi conferre efficaciam, & valorem moralem. Non, inquam, est verum, imò potius è contrà res se habet; nam promissio formaliter videtur solùm significare obligationem ex parte retribuentis sub conditione onerosa, & videtur supponere

ponere

ponere in actu condignitatem ad præmium, ideóq; non eleuat actum illum quoad valorem intrinsecum, at acceptatio, non solùm significat obligationem retributionis, sed etiam voluntatem eleuandi actum illum ad gradum valoris sublimiorem, vnde dat intelligere quandam liberalitatem in retribuente, quòd velit retribuere vltrà condignum; & quoniam Deus nos præmiat vltrà condignum, vt dixi, rectiùs promissio ista diuina à Scoto vocatur acceptatio, vt detur intelligi, non solùm retributionis obligatio, sed ipsius actus liberalis eleuatio in genere moris ad maiorem gradum valoris; nam eo ipso, quòd se obligat ex iustitia, & promittit retribuere gloriam tanquam mercedem, eleuat actum illum ad valorem æquiualētem, quem ex se, & intrinsecè non habet; quod non euenit in promissione onerosa alicuius operis, solùm ex quadam decentia requisiti, quia tale opus, nec intrinsecè, nec extrinsecè habet æquiualentem valorem.

26 Colligo secundò, meritorium addere supra actū bonum ex gratia elicitum duas relationes rationis, vnam ad voluntatem acceptantem, aliam ad illud præmium, ad quod voluntas acceptans illum ordinat, quę relationes sunt rationis, quia non competunt actui ex natura rei, sed per actum collatiuum voluntatis; ità Scotus quol. 17. B. an verò habeant esse formale rationis per istum actum, vel solùm esse fundamentale, & per actum intellectus accipiant esse formale, pendet ex illa quæst. an voluntas possit efficere ens rationis, de qua dictum est in Logica disp. 3. q. 4. art. 1.

27 Colligo tertiò, definitionē meriti allatā à Scoto in 3. d. 18. q. vn. A. optimam esse, cum ait, *meritum est aliquid acceptatum, vel acceptandum in alio, pro quo ab acceptante est aliquid illi retribuendum, in quo est quasi debitum pro suo merito illi, vel alteri, pro quo meruit*; vbi nota, quòd per ly *aliquid acceptatum* intelligit Scotus actum liberum, bonum, ex gratia factum; notat etiam Scotus, quòd si loquamur de merito nostro respectu Dei, non debbet addi ly *acceptandum*, quia nihil est in Deo, quod non fuerit ab æterno; & tandem addidit ly *alteri*, quia potest quis non solùm sibi, sed etiam alijs mereri, vt dicitur in tract. de merito; hinc patet, optimam esse istam definitionem, quia explicat totam naturam meriti de condigno.

Soluuntur obiectiones.

28 Contrà primam conclus. instatur primò, quia extrinseca acceptatio nō potest facere, vt opus sit dignum pœna, nisi tale in se sit opus, ergo neq; vt opus sit dignum beatitudine, nisi sit in se tale, contrariorum enim eadem est ratio. Tùm 2. hoc dictum sapit errorem quorundam nostri temporis hæreticorum dicentium, opera bona esse quidem necessaria ad vitam æternam, non qua digna, & meritoria vitæ æternæ, sed quia Deus sua benignitate, & liberalitate, vult illa opera tali præmio remunerare. Tùm 3. si per acceptationem Dei habetur valor, & meritum, ergo non attenditur æqualitas operum bonorum ad mercedem, sed solùm quia Deus stat suis promissis, estq; fidelis, quod est falsum; seq. patet, nam hoc modo etiam opus exiguum, & minimum stante pacto Dei posset dici meritorium de condigno præmij; falsitas prob. quia in casu esset obligatio retributionis, non ex iustitia, & compensatione operis, sed propter fidelitatem seruādam; sicut si quis promitteret equum pro pecunia exigui valoris, oblata pecunia, teneretur reddere equum ob promissionem illam, nec promissio augeret valorem oblationis pecuniæ, & potiùs esset donatio equi, quàm compensatio ex iustitia. Tùm 4. nulla esset distinctio allata n. 11. de duplici promissione onerosa, quia possent coincidere, vt patet. Tùm 5. pactum, & conuentio supponit in operibus condignitatem respectu præmij, quod colligitur ex illa parabola Matt. 20. vbi paterfamilias dicit operarijs cōductis hora sexta, *Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis*, ergo pactum de restitutione supponit opus cum iusto valore, & merito respectu præmij. Tùm 6. si ex pacto opera fierent condigna, ergo opera moraliter bona, & si non essent facta in statu gratiæ, essent de condigno meritoria vitæ æternæ, quod est erroneum; seq. prob. quia Deus obediētiæ legis, remissioni iniuriarum, & similibus promisit vitam æternam.

29 Resp. ad 2. retorqueri posse, quia sicut peccatum, ideò tale formaliter, quia contrà legem Dei, nec ex se habet condignitatem ad pœnam infinitā, sed ex diuina ordinatione, vt tangam disp. seq. idem de actu meritorio dicendum, quòd ex diuina ordinatione sit condignus vitæ æternæ. Ad 2. neg. assumptum, nam Caluinistæ nunquàm pactum diuinum admiserunt, quo iustorum opera redderentur condigna vitæ æternæ, sed omnia opera iustorum dixerunt esse damnabilia, peccata mortalia, inuisa Deo, & si strictè iudicarentur, æterna potiùs damnatione digna, quàm æterna vita; hinc docuerunt, opera non requiri ad salutem, sed esse inutilia, & gloriam dari ex sola benignitate, & liberalitate Dei, solamq; fidem sufficere ad salutem; videat modò Vasquez, cuius est argumentum, quantùm distet Scoti opinio ab hæreticorum falsitatibus, nec sit tàm facilis ad censurandā piorum Doctorum sententias, & maximè Scoti, de quo Antonius Posseuinus eiusdem Societatis in suo apparatu mirandum protulit encomium, dicens, *Cuius* (idest Scoti) *doctrinæ graue illud extat testimonium, quòd eius libri absq; vllo erroris næuo vsq; in hanc diem 300. circiter annos in Oecomenicis Concilijs inuiolati permanserint*. *Ad* 3. distinguo conseq. non attenditur necessariò æqualitas operum, vt stant sub acceptatione, nego, vt ab acceptatione præscindunt, concedo, & nego falsitatem, non enim est mirum, quòd quodlibet opus, etiam minimum, ex gratia factum sit de condigno meritorium, quia in Euangelio promittitur merces, etiam poculo aquæ frigidæ propter Deū dato; ad probat. nego, esse tantùm obligationem fidelitatis in casu, quia acceptatio auget valorem operis, cum sit antecedens, & consequenter inducit iura in operante, & obligationem in retribuente; nec exēplum de equo vrget, eòquia non quælibet priuata acceptatio auget valorem operis, vt dixi, sed illius tantùm, qui habet authoritatem; vnde si Princeps determinaret, pretium equi esse denarium, vtiq; denarius æquiualeret equo, & ille ex iustitia teneretur, equum retribuere oblata pecunia; multò magis id est dicendum de Deo, qui est supremus omnium Dominus, quòd possit taxare, & augere pretium cuiuscunq; rei; hinc D. Aug. serm. 16. de verbis Apost. ait, *Debitor nobis factus est, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo*; & in hoc sensu explicari debent Cōcilia adducta num. 16.

30 Ad 4. neg. seq. quia promissio onerosa, si est admixta cum acceptatione illius operis, tanquā æquiualens præmio, verè constituit meritum de condigno,

gno; & obligationem ex iustitia inducit, quia auget valorem operis, at si non adest talis acceptatio, sed solùm attenditur valor intrinsecus operis, tunc constituit meritum de congruo, & inducit obligationem fidelitatis; solùm est differentia, quòd quando valor totaliter est ab intrinseco, inducit obligationem ex rigorosa iustitia in retribuente, at quando valor prouenit etiam ab extrinsecò, scilicèt ab acceptatione, tunc non inducit obligationem ex rigorosa iustitia; qua ratione ostendam disp. seq. satisfactionem Christi non fuisse de toto rigore iustitiæ. Ad 5. verum est assumptum aliquando, non semper, attamen etiam in eo casu requiritur promissio, & pactum, vt illud opus sit de condigno meritorium; imò ex illa parabola deducitur nostra conclusio, nã dum dicit; *Et quod iustum fuerit, dabo vobis*, iam innuit æstimationem, & consuetudinem communitatis, nam si ex natura rei labor operariorum esset condignus mercede, vbiq; quando labor est eiusdem rationis, corresponderet eadem determinata merces, quod est falsum, quia alia est merces correspondens in vno loco, alia in alio loco, quæ varietas prouenit ex varia hominum, & locorum cõsuetudine, & acceptatione, ad quam consuetudinem refertur ly *iustum*. Ad 6. hac ratione Michael Baius damnatus à Pio V. negabat necessitatem gratiæ habitualis ex hoc, quòd scriptura ait, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*, non dicit, vt simus in statu gratiæ; quare nego seq. de potentia ordinaria, concedo de potentia absoluta.

31 Secundò ad idem; meritum de congruo solùm differt à condigno, eòquia istud ex se habet intrinsecum valorem æquiualentem, illud verò ex acceptatione diuina, ergo &c. antec. prob. quia nulla alia differentia potest assignari; nam quod cõmuniter dicitur, quòd meritum de congruo non inducit obligationem ex iustitia, sicut meritum de cõdigno, falsum est, quod prob. quia ad iustificationem impij solum præcedit meritum de cõgruo, & tamen Deus ad tale meritum ex iustitia remittit peccata, & infundit gratiam, vt colligitur ex illo Ioan. epist. 1. c. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt dimittat nobis peccata nostra*; vbi loquitur vel de attritione, vel de contritione, vt præcedunt gratiam, quomodò nequeunt esse merita de condigno, & tamen ait Ioannes, quòd Deus vt fidelis, & iustus remittet peccata.

32 Resp. neg. assumptum, & ad probat. nego antec. nam patet ex dictis, qualiter meritum de condigno inducit obligationem ex iustitia, non autem meritum de congruo, & licèt vtrumque meritum conueniant in acceptatione in communi, attamen primò differunt, vt àb acceptatione præscindunt, nam actus meritorius de condigno maiorem habet congruitatem, & proportionem cum præmio propter gratiam habitualem, quàm actus meritorius de congruo, qui solùm ex auxilio actualis gratiæ excitantis causatur; & consequenter quamuis vterque sit acceptatus, alia tamen est acceptatio huius, & illius, & alij suot fines, ad quos ordinantur, nam meritum de congruo acceptatur tanquàm præuia quædam, & congrua dispositio ad gratiam, at meritum de condigno tanquàm æqu ualens ad gloriam in ratione præmij; ad illud Ioannis respondeo ex Scoto 4. d. 2. q. 1. ad 3. vbi docet, quòd dempta gratia capitis, scilicet Christi, quæ merè liberaliter fuit data Christo absq; merito aliquo de condigno, vt dicemus suo loco, omnem aliam gratiam, & deletionem peccati Deus confert ex merito de condigno præcedente, non quidem in suscipiente, sed in Christo, qui de condigno nobis talem gratiam meruit, & tale meritum respexit ibi Ioãnes, non nostrum, vnde ibidem infert efficiam sanguinis Christi.

33 Dices, si gratia præsupponit meritum de condigno, ergo non est gratia, sed merces. Tùm quia gloria in Scripturis vocatur gratia, & corona misericordiæ; & Isa. 55. *Venite, emite absq; argento vinum, & lac*; Lucæ 17. *Cum hæc omnia feceritis, dicite, quia serui inutiles sumus*, ergo nulla est differentia assignata inter meritum de congruo, & de condigno, si etiam gloria, quæ datur propter meritum de condigno, vocatur gratia, quæ non stat cum ratione iustitiæ; quod etiam deduci potest ex Concilijs adductis num. 11.

34 Resp. dici gratiam, quia & si præsupponit meritum de condigno, hoc tamen est suppositi alieni, scilicèt Christi, non proprij; tùm quia tale meritum liberaliter, & gratuitè est applicatum illi, cui gratia confertur; tùm quia & si nõ præcesserit aliquod meritum de congruo in suscipiente, adhùc Deus propter efficaciam Sacramentorum confert illi gratiam, vt patet, cum pœnitens accedit cum sola attritione ad confessionem, quæ attritio, licèt sit actus supernaturalis, quia ex auxilio speciali, non tamen est meritum de congruo respectu gratiæ, hinc nequit dici merces; benè tamen gloria merces appellatur, quia supponit meritum de condigno in proprio supposito, vt in adultis, merces enim datur propter proprium meritum, non propter alienum; vnde male Lich. commentando Scotum in p. cit. concedit, dari meritum de condigno respectu gratiæ præter meritum Christi; nam hoc est expressè contrà Scotum in 4. distinct. 2. quæst. 1. ad 3. & distinct. 14. quæst. 4. D. E. & distinct. 17. quæst. 1. G. Ad 2. gloria vocatur gratia ex eo, quòd non est merces secundùm omnem rigorem iustitiæ, sed acceptationem creditoris supponit, & in hoc sensu intelliguntur Concilia; per vinum verò, & lac intelligitur gratia, non gloria, sicut Christus dixit Ioan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ*; sumus verò serui inutiles, vel considerando vires nostras; vel quia nihil vtilitatis afferimus Deo, vel quia nisi adesset liberalis conuentio ex parte Dei, non acquireremus ex nostris operibus, etiam ex gratia factis, aliquod ius ad vitã æternam. Neq; ex hoc inferri debet, etiam meritum Christi esse insufficiens; nam requiritur nostrum meritum, non quidem ob insufficientiam, sed quia Deus sic ordinauit. Neq; hoc est detrahere meritũ Christi; quia quicquid valoris est in nostris operibus, prouenit ex merito Christi, & consequenter nostrum meritum redundat in gloriam ipsius, sicut gloria est vitis, quòd palmites fructum afferant; hæc obiter sint dicta ad maiorem declarationem formalitatum meriti de congruo, & de condigno.

35 Contra 2. conclus. arguit primò ipsemet Scotus contrà se; quia meritum est in merente, acceptatio diuina est in Deo, ergo non complet rationem meriti. Tùm 2. meritum est in potestate merentis, acceptatio diuina non est huiusmodi. Tùm 3. si hoc esset, ergo principaliùs esset Dei mereri, quàm mei, quia præcipuum in merito esset ex Deo.

Resp. ad 1. minorem esse veram de acceptatione actiua, non de passiua, quæ est in ipso actu. Ad 2. actus meritorius est in potestate merentis absolutè, at

acceptatio est solùm dispositiuè in potestate merentis, quatenùs supposito pacto, & promissione Dei de reddendo præmio tali actui, semper sequitur illud complementum meriti, statim àc ponitur actus, sicut animatio semper sequitur corporis organizationem. Ad 3. neg. seq. quia ad merendum non exigitur acceptare actum, sed illum elicere, qui fit à Deo acceptatus; cum dicitur, quòd præcipuum in merito, & principalius esset ex Deo, resp. si principalius dicit vltimum complementum, concedo, si dicit idem, àc realius, nego, quia tale est actus, qui ab homine elicitur.

36 Secundò arguit Thomistæ: gratia absq; acceptatione facit hominem Dei filium adoptiuum, sed filio operanti debetur strictò iure hæreditas, & merces, ergo gratia satis est ad meritum. Tùm 2. vilescit gratia, si ei proprium munus aufertur, scilicet meritum. Tùm 3. gratia non est, nisi acceptatio ad gloriam, argo si homo per gratiam est acceptus Deo, superflua est alia acceptatio. Tùm 4. repugnat, personam esse acceptatam Deo, & non opus, sed homo per gratiam est acceptus Deo, ergo & opus. Tùm 5. Christus non solùm deberet rogare Patrem, vt nobis det gratiam ad opera meritoria facienda, sed etiam vt ea acceptet, hoc enim complet rationem merti.

37 Resp. ad 1. quòd gratia faciat hominem filium Dei, & operantè per eam hæredem, acceptationem, ordinationem Dei supponit, non ex intrinseca natura illius qualitatis, vt nunc suppono. Ad 2. non vilificatur, sed explicatur magis gratia, quæ non vt qualitas, & habitus est, & ex natura sua intrinseca facit ex iustitia nostros actus meritorios de condigno vitæ æternæ, sed quia Deus ab æterno promisit acceptare, & condignitas sine pacto esse nequit. Ad 3. nego, gratiam esse acceptationem ad gloriam, sed principium acceptationis, nam gratia est qualitas, acceptatio passiua est relatio rationis ad Deum acceptantem. Ad 4. gratia facit personam gratam Deo ex ordinatione diuina, & sicut persona distinguitur ab actu, ità acceptatio personæ ab acceptatione actus. Tùm quia acceptatio personæ non constituit personam merentem ex proprijs meritis de condigno vita æterna, vt patet in paruulis baptizatis, at acceptatio actus constituit ipsum in tali esse meritorij, quarè non est superflua acceptatio actus. Ad 5. id verum esset, si acceptatio esset consequens operationem, & temporalis, sed est præcedens, & æterna.

Quæstio Tertia.

An fuerit aliqua causa meritoria Incarnationis quò ad substantiam.

38 Incarnatio potest dupliciter considerari, vel quò ad substantiam, vel quò ad circumstantias, & modum, in primo sensu cõsideratur quò ad propriam quidditatem, & essentiam, præscindendo à prædicatis extrinsecis, in secundo sensu consideratur quò ad prædicata extrinseca, nam circumstantiæ dicuntur tales, quia essentiam circumstant, tales sunt v.g. locus, tempus, quòd fuerit à tali, vel tali causa generatus Christus, quod venerit in carne passibili, & similia; in præsenti de incarnatione in primo sensu est sermo: duæ autem causæ possent assignari, tàm de facto, quàm de possibili, scilicet Christus, & quælibet alia pura creatura, idcircò in duos articulos præsens quæstio diuiditur.

Articulus Primus.

An Christus fuerit, vel potuerit esse causa incarnationis meritoria quò ad substantiam.

39 Præsens difficultas vnum quærit, & aliud supponit, supponit ex dicendis infrà in disp. de merito Christi, Christum meruisse, ac habuisse omnes conditiones meriti, & quærit, an aliquo pacto fuerit, siuè de congruo, siuè de condigno causa meritoria executionis incarnationis; quod adhùc potest duplicem sensum habere, vel quòd meruerit per merita præcedentia vnionem hypostaticam, vel per merita subsequentia ipsam vnionem, præuisa tamen à Deo, itàut propter illa merita tribuerit Deus humanitati Christi gratiam vnionis, & capitis per modum anticipatæ solutionis, & hoc vel de potentia ordinaria, vel de absoluta.

40 Supponendum est etiam ex dictis in disp. 4. humanitatem Christi, nõ priùs tempore extitisse, quàm fuerit Verbo vnita, sed solùm priùs natura fuisse existentem, posteà subsistentem; in quo instanti non habuit de facto gratiam aliquam, vt ibi ostendi q. 3. & consequenter nõ potuit habere congruitatem aliquã, seù meritum aliquod de congruo saltum ad vnionem, vt dicebant illi, qui talem gratiam præsupponebant; & quia nec operationem aliquam elicuit, clarè sequitur, quòd non meruit de facto incarnationis executionem per merita præcedentia, quod communiter concedunt Theologi; solùm ergo potest quæri, an de facto meruerit per opera succedentia, & an de possibili potuerit mereri per opera præcedantia, vel subsequẽtia.

41 Quò ad primum omnes Theologi negatiuè respondent; quò ad secundum discrepant; nam aliqui, vt Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. & ex Nostris Rada tom. 3. contr. 12. art. 3. dub. 2. putant, potuisse facere Deum, vt in illo priori instanti naturæ, in quo intelligitur natura vt existens, priusquàm personata, elicuisset aliquem actum, & talem gratiam illi tribuere, vt per illum meruisset incarnationem, non enim implicat, ait Caiet. quòd Deus peruertat ordinem naturæ, itàut priùs competat naturæ aliqua operatio, quàm subsistentia; quam opinionem sequuntur Hurt. disp. 27. sect. 3. & Beccanus 3. p. summæ c. 14. q 6. qui posteà sustinent, nec de potentia Dei absoluta fieri potuisse, vt Christus per merita succedentia meruerit incarnationem, quod etiam docetur à Vasq. 3. p. disp. 21. c. 5. Ioan. de Lugo disp. 8. sect. 2. Bernal disp. 17. sect. 1. Auersa q. 6. sect. 7. & ex Nostris sustinent Faber in 3. disp. 44. c. 5. Centinus disp. 7. c. 1. Alij, vt Suarez disp. 10. sect. 3. & 4. sustinent, nec de potentia Dei fieri posse, vt in illo instanti naturæ priori potuerit humanitas Christi elicere aliquem actum meritorium, itàut ordo naturæ in subsistendo, & operando possit à Deo transmutari; & quò ad hanc partem cum ipso sunt Faber, ac Centinus cit. concedunt tamen, posse de potẽtia Dei absoluta illam mereri per opera succedẽtia.

Dico

42 Dico primò, de facto, & de potentia Dei ordinaria Christum non meruisse per opera succedentia executionem incarnationis; ità Scotus 3. d. 2. q. 2. in fine, & in 4. d. 2. q. 1. ad 3. princ. & in 2. d. 5. q. 1. vbi idem asserit de Angelis; probari solet multis authoritatibus sacræ Scripturæ, in quibus hoc misterium tribuitur diuinæ misericordiæ, & benignitati; verùm vt notat Vasq. non euidenter conuincunt, quia possent explicari respectu nostri, non autem Christi, sicut gratia respectu nostri habet rationem doni gratuiti, at respectu Christi habet rationem mercedis, quia cadit sub meritum ipsius Christi; docetur tamen apertè à D. Aug. in lib. de concept. & gratia c. 11. & de pradest. Sanctorum c. 15. & 13. de Trin. c. 17. & alijs in locis; probatur etiam ratione, quia gratia vnionis, & Christi de facto fuit radix, & primum principium omnis meriti, ergo non potuit cadere sub meritum, aliter idem esset causa, & effectus, vt patebit infra arguendo contrà tertiam conclus. nam illæ rationes solùm confirmant hanc primam; Tùm quia de facto, & de potentia Dei ordinaria meritum præcedit præmium, non subsequitur.

43 Contrà, ex scripturis, Apoc. 5 *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere gloriam, & diuinitatem*; ad Philipp. 2. *Propter quòd & Deus exaltauit illum*; psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, quam vnctionem Aug. Ansel. Beda, & alij exponunt de vnione ad diuinitatem, ergo Chistus ideò accepit humanitatem, quia dilexit iustitiam, & odio habuit iniquitatẽ. Tùm 2. meritum Christi fuit infinitum, ergo præmium correspondens debet esse infinitum, sed omnia alia merita præter vnionem hypostaticam sunt finita, ergo &c. Tùm 3. Christus satisfecit pro omnibus beneficijs acceptis, quorum vnum, & præcipuum fuit incarnatio. Tùm 4. Christus meruit nobis prędestinationem ad gloriam, & alios prędestinationis effectus, quorum vnus est incarnatio. Tùm 5. Beata Virgo de condigno meruit incarnationem, ergo etiam Christus. Tùm 6. S. Epiphanius hæresi 77. ait, Verbum suscepisse animam media mente, per mentem autem intelligit energiam, seù operationem, ergo mediante operatione meritoria.

44 Resp. ex primis duabus authoritatibus tantùm probari, Christum meruisse sui exaltationem, vt ab hominibus, & Angelis cognosceretur, & adoraretur vt Deus; illa particula in psal. *propterea*, non dicit caussam meritoriam, sed finalem, & est sensus, est tibi gratia, siuè vnionis, siuè habitualis concessa, vt perfectissimè diligeres iustitiam; vel nõ est particula caussalis, sed confirmatiua, vt idem sit, quòd *verè*, quo sensu Matt. 13. dicitur, *Ideò omnis Scriba doctus*, &c. Addo, quòd mos est scripturę, quòd tunc res fieri dicitur, quando apparet, vel in se, vel in suis effectibus, vt dicit Christus, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, & tamen anteà ei data fuerat, sed quia tunc eius manifestatio incipiebat, ideò dixit, tunc sibi dari, sic in Apoc. *Dignus est Agnus*, idest vt manifestetur diuinitas, & nota esset, & similiter tunc potuit dici vngi, cum eius vnctio diuinitatis ad carnem innotuit, quam manifestationem Christus meruit, vt suo loco dicetur. Ad 2. admisso antec. de quo in seq. disp. nego conseq. si de infinito cathegorematico sit sermo, concedo de syncathegorematico, quia sicut ad infinitatem diuinæ naturæ satis est, vt effectus, quem producere potest, sit infinitus syncathegorematicè, idem de merito Chrsti dicendum, itaut non pro tot, quin pro pluribus satisfecerit. Tùm quia vnio hypostatica non est intrinsecè infinita. Ad 3. satisfecit pro omnibus beneficijs, quæ sub merito cadere possunt de potentia ordinaria, at principium meriti, qualis est hæc vnio, non potest cadere sub meritum. Per idem ad 4. Ad 5. patebit in seq. art. Ad Epiph. dico, ibi solùm asserere, in Christo fuisse animam cum mente, & operatione, non autem dicere ly mediante operatione.

45 Dico 2. quamuis tenendo, quòd subsistentia quid positiuum dicat, possit fortè sustineri, humanitatem Christi potuisse elicere in illo priori instanti aliquam operationem meritoriam, loquendo de potentia absoluta Dei, quia cum ponatur subsistentia realiter, vel modaliter à natura distincta, posset Deus impedire illam caussalitatem; tamen sustinendo quid negatiuum dicere, nequit asseri, posse, absq; eo quòd natura in se, vel in alio subsistat, elicere operationem aliquam, quæ sit antecedens, & meritoria incarnationis; cõclusio sequitur ex dictis disp. 4. q. 3. & prob. quia talis est ordo naturæ, vt priùs in aliquo instanti naturæ intelligatur natura existens, posteà vel subsistens in alio, si in ipsa adueniat aliqua vnio ad subsistentiam alienam, vel in se, si talis vnio non adueniat, ergo si posset natura elicere aliquam operationem, necessariò priùs natura intelligetur existens, quàm eliciens, quia causa præcedit causatum per instans naturæ, & operatio erit in secundo instanti naturæ; tunc quæro, vel in isto secundo instanti intelligitur natura personata in alio, vel non, si primum, ergo operatio non præcedit personationem, & sic non poterit esse præcedens meritum illius personationis, si secundum, ergo est personata in se, & sic neq; præcedet personationem; prob. conseq. quia hoc est personari in se, ac non esse in alio personata; & ex hoc, quòd Deus non vnit naturam supposito diuino, iam relinquit naturam in seipsa personatam, quia negatio nequit tolli etiam à Deo, nisi per positionem affirmationis oppositæ. Ex quo fundamento diluuntur rationes Beccani, quę supponunt, subsistentiam dicere quid positiuum formaliter à natura causatum, non enim ex hoc capite probatur conclusio.

46 Dico 3. de potentia Dei absoluta potuit humanitas Christi mereri incarnationem per merita tẽpore pręcedentia vnionem; loquẽdo autem de meritis subsequentibus, probabilius est in nostra schola asserere, potuisse Christum per merita subsequẽtia, pręuisa tamen à Deo, mereri suam incarnationem. Prima pars conclus. est vera in principijs Scoti, nam nõ implicat, quòd Deus crearit humanitatem Christi absq; vnione, & deinde post aliquem actum elicitum, per quem propter acceptationem ipsius, & pactum à Deo factum posset mereri de condigno incarnationem; præcipuè quia secundùm Scotum ratio meriti formaliter consistit, seù completur ab acceptatione diuina ex quæst. præced. & potuerit Deus simpliciter acceptare quemcumq; actum purè naturalẽ ad quodcumq; præmium de condigno promerendum, vt habet præcipuè in 1. distinct. 17. q. 2. MM. & in 3. d. 19. q. vnica.

47 Secunda pars, licèt expressè nõ habeatur à Scoto, euidẽter tamen colligitur ex principijs ipsius, præcipuè in 2. d. 5. q. 1. vbi probans, Angelos nõ meruisse beatitudinem per merita succedentia contra Magistrum, adducit quasdam rationes, quæ vel non concludunt

cludunt de Christo, vel si concludunt, solùm probant de potentia ordinaria, in quo sensu ibi loquebatur; nam primò ait, quòd Angeli non meruerunt beatitudinem propter obsequia hominibus præstita, quia si homines non fuissent, nulla obsequia fuissent hominibus ab Angelis præstita, & tamen fuissent beati, tùm quia actus interior est meritorius absque exteriori, & consequenter absque illis obsequijs potuissent mereri. Sic dici posset de Christo, quòd meruerit suam incarnationem, non per obsequia hominibus præstita, sed per alios actus. Secundò arguit, quia tunc posset quis mereri primam gratiam per opera subsequentia præuisa, quod est falsum, quia principium meriti non cadit sub meritum. Hæc tamen solùm concludit de potentia ordinaria, non de absoluta, quia ipse in p.d.17. cit. docet, gratiam non ex sua natura, sed ex ordinatione diuina esse principium meriti, & posse actum aliquem purè naturalem de potentia absoluta acceptari à Deo tanquam de condigno meritorium aliquo præmio, ergo licèt sequeretur ex ista positione, gratiam capitis in Christo non esse principium meriti, neque esse gratiam, sed mercedem, hoc tamen secundùm Scotum non implicat; per quod diluitur præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ, vt infrà.

48 Tertiò arguit, quia status beatitudinis non esset certus, quia illa obsequia possent multiplicari in infinitum, si mundus in infinitum duraret. Quæ ratio ferè coincidit cum prima, & eodem modo respondetur, non valere de Christo. Quartò ait, quòd voluntas nequit velle idem obiectum simul mutabiliter, & immutabiliter, quod sequeretur ex ista positione, quia beatus vult necessariò, & consequenter immutabiliter, ad præmium autem requiritur actus liber, & contingens. Hæc etiam ratio non concludit de Christo, nam etiam de facto Christus erat beatus, & tamen meruit, vt suo loco dicetur. Accedit, quòd vnio hypostatica potest secundùm Scotum à beatifica separari, ergo potest stare cum contingentia voluntatis circà obiectū. Tandem addit: *Ad hoc etiam adducitur congruentia, quia dispositio debet præcedere id, ad quod est, & via terminum, meritum est dispositio, seu via respectu beatitudinis, quare &c.* Sed ex ista ratione magis deducitur oppositum, quia si Scotus ait, quod illæ rationes sunt congruentiæ, clarè patet, quòd simpliciter non concludunt, sed supposita ordinatione diuina; non enim necessariò meritum est via ad præmium, sed potest aliquando ipsum præmium antecedere per modum anticipatæ solutionis, vt passim experimur in humanis.

49 Ex quibus omnibus deducitur, quo pacto Scotus non sit contrarius, imò potiùs faueat huic opinioni, quia si actus purè naturalis potest per Scotum acceptari à Deo eodem modo, ac fuit acceptatus de facto actus passionis Christi, non implicat, quòd actus elicitus post incarnationem, non quidem vt prouenit à gratia capitis, vt ait Suarez, nam sic difficile saluatur, quomodò gratia Christi esset principium meriti, & valoris illius actus, & præmium eiusdem, quia idem esset causa sui ipsius, vt in obiectionibus dicetur, sed vt est purè naturalis præuisus à Deo, sit causa, cur Deus det illi vnionem hypostaticam, & quamlibet gratiam tanquam præmium de condigno; sicut cum aliquis Rex tribuit militi pecuniam, vel equum, aut arma in stipendium futuri laboris, ità Deus det Christo gratiam vnionis, non absolutè, sed quasi sub conditione futuri operis, & in præmium ipsius, vt facit cum Beatis, quos liberè, & gratis eligit ad gloriam, sed non gratis adipiscendam, sed medijs operibus, vnde opera illa dicuntur meritoria executionis, & adeptionis vitæ æternæ. Et confirmat. quia meritis Christi præuisis Deus dedit antiquis Patribus tanquā præmium gratiam, & dona supernaturalia, ergo non implicat, præmium antecedere meritum.

50 Multipliciter respondent; nam P. Faber ait, anticipatam solutionem nō habere rationem præmij, sed potiùs adesse ibi aliquam liberalitatem, nam ad pactionem, & acceptationem, quæ est de ratione meriti, requiritur etiam, quòd meritum sit aliquo modo dignum præmio, quod non conuenirent illis actibus, qui in tantùm sunt digni, in quantùm à gratia, & vnione proueniunt; hinc ad confirmat. negat paritatem, quia actus Christi respectu gratiæ Sanctorum Patrum comparatur alicui gratiæ, quæ non est radix, & principium omnis meriti, imò se habet vt effectus; at respectu vnionis cōparatur alicui principio, à quo omnem rationem, & valorem meriti accepit, hinc non potest esse meritū respectu ipsius. Addunt Ioan. de Lugo, & cæteri Recentiores ad exemplum de Rege, & milite, equum, & arma non fuisse primò data in præmium, sed gratis sub cōditione operum futurorum medio contractu innominato *Do, vt facias*; itavt ijs factis essent sub dominio militis, ijs verò non factis, redderentur Regi. Tandem P. Vulpes disp. 3. art. 4. (qui non satis se declarat, videtur tamen esse pro opposita sententia) nō valere exemplum de Beatis, quia electio ad gloriam, licèt sit prima in ordine intentionis, at in ordine executionis est vltima, & potest se habere vt effectus finalis, cui possunt merita anteire, at vnio hypostatica nō solùm est prima in ordine intentionis, sed etiam in ordine executionis, ideoque nequit habere rationem effectus respectu actuum Christi, qui necessariò subsequuntur vnionem.

51 Istæ tamen solutiones ex dictis facilè refelluntur; nam quod ait P. Faber, est contrà Scotū loquendo de potentia absoluta, iam enim Scotus concedit, de potentia absoluta Dei ad meritum sufficere acceptationem diuinam absque eo, quòd opus illud ex gratia prouenjat, & cōsequenter potest vt præuisum præcedere executionem vnionis, & respectu illius qualitatis supernaturalis, quæ modò appellatur gratia, non se habebit, vt ad principium omnis valoris, & meriti, sed vt ad effectum, & præmium adeptum per ipsum, vnde currit paritas hic, & ibi; verùm est, quòd contrà Suarez, & ad hominem est optima responsio, non autem in principijs Scoti. Additum à Ioan. de Lugo, & ab alijs, est falsum, non enim datio equi, & armorum habet rationem gratuitæ donationis, aliter non posset exigere Rex ex iustitia laborem à milite, sed solùm titulo fidelitatis, vnde miles non solùm tenetur restituere, si non pugnat, imò tenetur pugnare, & suprà laborem huius militis Rex habet ius vigore dationis equi, vel pecuniæ, ergo non fuit donatio, sed vera solutio anticipata, per quam fuit translatum dominium, & acquisitū ius ex vtraque parte, quod etiam currit in alijs contractibus humanis, vt cum aliquis erogat anticipato tempore pecuniā, vel aliquid aliud operarijs, vel fabris, propter aliquod opus postea exequendum, ex qua pactione operarij, si non adimplent conditionem, nō solùm debent restituere pecuniam, sed etiam tenentur ex iustitia ad omnia damna; quod non esset verum, si erogatio pecuniæ fuisset sola donatio conditionata; nam tunc miles, vel operarius teneretur

retur ad simplicem restitutionem donari. Tandem quod subdit Vulpes, solùm concludit, non posse Christum vnionem hypastaticam mereri per merita præcedentia, non tamen infert, non posse mereri per merita subsequentia, quibus correspondeat ipsa vnio per modum anticipatæ solutionis.

52 Præter obiectiones ex Scoto adductas in probat. conclus. arguit adhùc Ioan. de Lugo; non potest per meritum adipisci tanquam præmium id, quod habet necessariam connexionem cum ipso merito, qualis est valor ipsius, quia valor constituit meritum in ratione meriti, ergo neq; per meritum potest acquiri vt præmium causam illius valoris, nam hoc esset mereri valorem ipsum, quo opus meritorium meretur; sed totus valor meritorum Christi prouenit ab vnione, & gratia capitis tanquam à causa, ergo &c. Tùm 2. diuersitas ordinis intentionis, & executionis sufficeret, vt aliquid visum in vno ordine mereatur seipsum in alio ordine, ergo posset iustus per præuisũ meritum, scilicet per actum contritionis, mereri gratiam primam, imò & ipsum primum esse naturale; quod est falsum. Tùm 3. meritum vt meritum est causa præmij, ergo est priùs natura præmio, ergo nõ potest à præmio dependere in esse, prob. conseq. quia prioritas causalitatis est prioritas independentiæ, idest causa in illo priori habet esse indepẽdenter ab effectu, sed meritum Christi habet esse dependens ab vnione, ergo nullo modo potest esse causa meritoria vnionis; aliter causæ essent sibi inuicem causæ, & in eodem genere, quod esse falsum ostendi in Phys. disp. 8. q. 1. Tùm 4. D. Aug. cit. vt ostenderet, Christum nõ meruisse suam vnionem, solùm exclusit merita præcedentia, ergo putauit impossibile, potuisse mereri per merita subsequentia, aliter ratio Aug. non esset efficax. Tandem quia perfectius est, habere rem ex meritis, quàm sine illis, certè si potuisset Christus mereri per merita subsequentia vnionẽ, deberemus hoc asserere de facto.

53 Hæc argumenta, vt dixi, valde vrgent opinionem Suarez, qua ratione illa apposuimus, non autem nostram opinionem, quia non ponimus, vnionem tanquam radicem, & causam valoris meritorũ Christi, loquendo de potentia absoluta, per quod patet ad primum. Ad 2. per idem neg. seq. quia contritionis actus, prima gratia, & esse naturale hominis sunt causa valoris in merito, idcircò nõ possunt modò habere rationem præmij; at vnio non esset de possibili causa valoris meritorum Christi. Idem quòq; diluit tertiam obiectionem; cui addo, quòd ex hoc, quòd meritum est causa præmij, non sequitur, absolutè nõ posse subsequi ipsum præmium, quia cum sit causa, non physica, sed moralis, non requirit, quòd habeat necessariò existentiam physicam, sed sufficiet moralis, scilicet in præuisione, vt patet in gratia collata antiquis Patribus, & B. Virgini virtute meritorum Christi. Ad 4. D. Aug. loquitur de facto, quia gratia Christi est prima radix omnis meriti, non de possibili. Ad 5. dicetur fusiùs in disp. de merito Christi, pro nunc sufficit dicere, quòd non est possibile, stante determinatione diuina, quòd gratia vnionis, & capitis sit radix cuiuscunq; meriti, & cadet sub meritum.

54 Dices, meritum vt meritum dicit ordinem ad suppositum tanquam ad causam, quia actiones necessariò sunt suppositorum, ergo sicut non potest meritũ esse causam propriæ entitatis, neq; primi esse hominis iusti, quia ab ipso vt à causa dependet, ità neq; poterit esse causa vnionis hypostaticæ; prob. conseq. quia sicut non potest esse causa subsistentiæ naturæ, eò quia ab illa dependet, & supponit, ità neq; erit causa vnionis hypostaticæ, per quam natura suppositatur. Resp. negando paritatem, quia actio licèt tribuatur supposito tanquam vltimo denominato, non tamen tanquã causæ, vt dixi disp. 1. n. 29. & disp. seq. etiam dicetur, at valor operis respicit naturam humanam, & entitatem actus tanquam causas; neq; paritas de subsistentia creata vrget, quia ista à principijs intrinsecis naturæ emanat (dato, quòd sit quid positiuum) ideòq; meritum non potest dici causa ipsius, sicut neq; causa passionis fluentis à natura, & vnio hypostatica ad Verbum est extrinseca humanitati, & à Deo immediatè causatur, ideoq; meritũ Christi potuit esse motiuum, cur exequatur à Deo in tempore talis vnio.

55 Secundò ex Centino; D. Aug. de Ecclesiæ moribus ait; *Nec præmium potest præcedere meritum, & priùs homini dari, quàm dignus, quid enim hoc iniustius, & quid iustius Deo? non ergo debemus poscere præmium, antequàm mereamur accipere*; vbi D. Aug. loquitur etiam de possibili, ergo nunquam præmium potest præcedere meritum. Tùm 2. anticipata solutio non potest habere rationem præmij, prob. quia præmium est retributio meritorũ, at qui anticipatè dat, non retrò tribuit, sed antecedenter dat; hinc in humanis, quod anticipatè datur, accomodatio, vel mutuũ appellatur; & præcipuè in exemplo militis vrget hæc ratio, quia si equus haberet rationem præmij; iam idem esset causa, & effectus respectu eiusdem, & in eodem genere causæ, equus enim effectiuè concurrit ad actum pugnæ, ergo si esset præmium, esset quoq; effectus ipsius pugnæ; quod esse falsum nos etiam cõcedimus. Tùm 3. ex alijs, meritum ità est causa præmij, vt si meritum non erit, præmium non detur, ergo semper præire debet; patet conseq. quia si præmiũ antecederet, & meritum deinde non esset, non posset exequi negatio præmij, quod anteà iàm fuerat exhibitum. Tùm 4. opera Christi præuisa pendent, etiam spectata Dei potentia absoluta, à supposito, saltim in genere naturæ, ergo nequeunt esse causa meritoria vnionis hypostaticæ; conseq. patet, quia ideò nequeũt esse causa meritoria primi esse hominis iusti, quia ab illo pendent in esse naturæ; antec. prob. actiones nequeunt prouenire à natura, vt principio Quod, quis dixerit petreitatem generare, negotiari, &c? sed solùm vt à principio Quo, principium verò Quod erit suppositum ipsum, quod naturali necessitate præsupponitur actionibus, sed in Christo nullum suppositũ fuit, etiam in intentione Dei præter diuinum, ergo necessariò actiones Christi pendent à tali supposito, vt principio Quod. Tùm 5. in Deo volitio efficax meritorum Christi necessariò præsupponit volitionem efficacem existentiæ Christi, & consequenter vnionis hypostaticæ, ergo merita Christi nequeunt esse causa vnionis hypostaticæ quò ad substantiam, conseq. prob. quia causa debet præcedere effectum; antec. prob. volitio actionis necessariò præsupponit volitionem agentis, à quo essentialiter pendet, & sine quo nequit esse. Neq; recurras ad diuersum ordinem intentionis & executionis; Etenim hi ordines nõ distinguuntur inter se; nam ordo intentionis est etiam executiuus, quod prob. quia posito actu intentionis, quo Deus efficaciter intendat Christum, & ipsius merita, vel per scientiam visionis videtur Christus futurus, & meriturus, vel non ità videtur; si primum, ergo videtur

detur talis vt in executione, quia esse nequit talis, scilicet futurus, & meriturus, nisi existens videatur, & nequit videri existens, nisi executioni mandatus, & consequenter ordo intentionis erit etiam executionis, si secundum, ergo per illam voluntatem nec Christus, nec ipsius merita extraherentur à statu possibilitatis, aut conditionatæ futuritionis, & consequenter nec illa voluntas esset efficax, nèq; actus illi essent meritorij, quia vt sint tales, debent esse existentes, vel saltim præuideri vt determinatè existentes in determinata temporis differentia.

56 Resp. ad 1. D. Aug. loqui supposita Dei potentia, & lege ordinaria, qua supposita, rectè ait, non debere nos poscere præmium, antequàm mereamur accipere, non autem loqui simpliciter, & absolutè, vnde ly *potest* refertur ad legem diuinā ordinariam. Ad 2. neg. assumptum, ad probat. respondeo, præmiū antecedens potest dici retributio, quatenùs præsupponit meritum in præuisione; vel si nequit dici retributio, quia hoc conueniat præmio subsequenti, sufficit, vt dicatur anticipata solutio, vnde falsum est, solùm dici, etiam in humanis, mutuum, aut accomodationem; hæc enim nomina interueniunt in contractibus donationis, at in contractibus obligatorijs ex iustitia dicitur solutio, quod est nomen mercedis, & præmij. Quod additur de illo exemplo militis, respondeo, equum posse considerari dupliciter, vel vt est concausa pugnæ, & vt sic concedo, non cadere sub meritum, vel vt est merces æquiualens pecuniæ, aut alteri præmio, & vt sic poterit cadere sub meritum; vnde solùm cogit ipsum Suarez concedentem, principium meriti posse aliquo modo cadere sub meritū. Ad 3. solùm probare, meritum debere præire à parte rei, vel certò præuideri vt futurum, hinc si meritum non præuideretur certò futurum, præmium non daretur. Ad 4. ex dictis disp. 1. q. 1. distingo assumptum, pendent à supposito, vt principio, Quod influit, nego, vt principio, Quod vltimò denominatur propter illam naturalem præsuppositionem, concedo, sed nego conseq. & ad probat. dico, disparitatem esse, quia à primo esse hominis actus essentialiter pendet, vt illo variato, varietur actus, non sic respectu suppositi, nam variato supposito, manente eadem natura, manet eadem actio, vnde si calor separatus calefaciens vniretur subiecto, vel de vno in aliud migraret subiectum per potentiam Dei, variaretur suppositum, sed eadem actio semper esset.

57 Ad 5. quod fusè prosequitur Hurt. cit. & disp. 13. à § 167. respōdeo, volitionem meritorum Christi præsupponere volitionem existentiæ vnionis hypostaticæ, distingo, de possibili, & in casu potiùs præsupponit volitionem vnionis hypostaticæ in ratione doni tantùm humanitati conferendæ, nego, in ratione præmij, & mercedis, concedo, sicut volitio gratiæ, & meritorum præsupponit electionem Beatorum ad gloriam vt coronam, & præmium conferendam, eòquia vt ait Scotus 1. d. 41. A. & 3. d. 7. q. 3. ordinatè volens priùs vult finem, quàm media ad finem, verum est, quòd dum vult finem, virtualiter, & implicitè vult etiam media, quia intentio est virtualiter electio; tunc distingo consequens, non possunt esse causa vnionis hypostaticæ ordine intentionis, concedo, nam in tali ordine potiùs vnio hypostatica est causa finalis meritorum, ordine executionis, nego, quia media, quæ sunt effectus finis in intentione, sunt causa eiusdem finis, vt exhibiti à parte rei, & quoniam merita essent causæ morales vnionis hypostaticæ, sufficiet, vt sint præuisa, quia stante certitudine diuinæ scientiæ futuritionis meritorum, se habent moraliter, ac si essent exhibita. Impugnatio allata nil officit, eòquia supponit, opinionem asserentium, ordines illos esse inter actus diuinę voluntatis, itaut alij sint actus intentionales, vt ità dicam, & alij actus executiui, quod non asserimus, sed ordo intentionis est inter volitiones diuinæ voluntatis, ordo verò executionis est inter res ipsas, vt existentes actu à parte rei, quod quidem patet in causa finali, nam finis in intentione est prior, in executione posterior mediis; quapropter posito actu intentionis, per scientiam visionis videtur humanitas vnita Verbo, & cum vnione hypostatica in tali differentia temporis, non gratis obtinenda, sed in ratione præmij per merita exhibenda ab illa humanitate per modum anticipatæ solutionis, quæ merita videntur extitura; sicut si in potestate Regis esset perfectè subdita voluntas militis, itaut certò Rex sciat militem pugnaturum, poterit Rex velle militi pecuniam, non gratis erogādam, sed propter pugnam à milite exhibendam, & talem voluntatem poterit executioni mandare.

Articulus Secundus.

An aliqua pura creatura fuerit causa meritoria Incarnationis quò ad substātiam.

58 QVamuis quæstio vniuersaliter de quacūq; pura creatura rationali loquatur, præcipuè tamen de antiquis Patribus, & de B. Virgine solet agitari; vbi primò certum est ex dictis, de potentia Dei absoluta potuisse aliquam puram creaturam, non solùm Christo, sed etiam sibi de condigno mereri vnionem hypostaticam, quia ad tale meritum, absolute loquēdo, sufficit acceptatio Dei, nec est necesse aliqua habitualis gratia, imò nec actualis, vel saltim nō necessariò omnis gratia pendet à Christo; attamen de potentia Dei ordinaria, & de facto est aliqua dubitatio, non quidem quò ad meritum de condigno, quia communiter Theologi negant, creaturam aliquam, etiam comprehendendo B. Virginem, meruisse de condigno incarnationem, tàm quò ad intentionem, quàm quò ad executionem, ità Scotus in 4. d. 2. q. 1. ad 3. quod patet iisdem rationibus, quibus in art. præced. idem ostensum fuit de Christo, nam si tale opus fuit omninò gratuitum ex sacra Scriptura, ac principium, radix, & origo omnis meriti, non potuit sub meritum cadere, aliter esset causa sui ipsius. Solùm ergo dubitatur de merito de congruo; & quidem Suarez disp. 10. sect. 6. quem sequitur Ragusa disp. 44. affirmat, antiquos Patres meruisse de congruo incarnationem quò ad substantiam, non quidem quò ad electionem, & prædestinationem, sed tantùm quò ad executionem; idem absolutè docent Caiet. Medina, Valent. Cabrera, Aluarez, & Nazarius, cum cæteris Thomistis.

59 Dico tamen, incarnationem quò ad substantiam neq; in intentione, nèq; in executione fuisse sub meritum de congruo antiquorum Patrum, aut B. Virginis; ità Scotus in 4. cit. estq; communior tùm apud Veteres, tùm apud Recentiores; & probatur iisdem

ijſdem ferè rationibus in præced. art. adductis; nam incarnatio quò ad ſubſtantiam non ſolùm eſt radix, & origo omnis meriti de condigno antiquorum Patrum, ſed etiam omnis meriti de congruo, quia eſt cauſa omnis gratiæ collatæ Patribus à Deo, vt nunc ſuppono ex dicendis ſuo loco, ergo nullo modo poteſt cadere ſub meritum de cógruo antiquorum Patrum; prob. conſeq. quia tunc incarnatio eſſet ſimul cauſa, & effectus reſpectu eiuſdem, imò ſui ipſius cauſa; nec ſolùm antiqui Patres meruiſſent incarnationem de congruo, ſed quicquid incarnatio Chriſti fuit cauſa, & conſequenter primam gratiam ipſorum.

60 Reſp. Suarez, principium meriti non poſſe cadere ſub meritum, ſi eſt iam exhibitum, at ſi tantòm præuiſum, & hoc modo ponatur principium meriti, poſſe cadere ſub idem meritum, vt executioni mandatur, nam meritum illud eſt quædam diſpoſitio, & via ad principium exhibendum; nec implicare, idem eſſe cauſam, & effectum reſpectu eiuſdem, quādo variatur modus cauſandi, nam incarnatio eſt cauſa meriti Sanctorum vt præuiſa, at dicitur effectus ſecundùm realem exhibitionem; nec merita Sanctorum fuerunt veræ cauſæ, ſed ſolùm diſpoſitiones antecedentes incarnationem ſecūdùm exhibitionem. Hinc poſteà negat, Chriſtum mereri propriam vnionem, quia ipſius merita non præceſſerunt; negat quoq; Patres meruiſſe primam gratiam, quia hæc præſupponitur ipſorum meritis, non enim eſt neceſſe, ait, Patres meruiſſe omnia, quæ Chriſtus meruit. Addit Raguſa, diſpoſitiones poſſe cauſare formam, à qua dimanant, eòquiaſunt ſolùm inſtrumenta, non cauſæ principales, idem dicendum de meritis Patrum reſpectu incarnationis.

61 Sed hæc reſponſio ex rationibus adductis n. 52. refellitur. Accedit, quòd incarnatio eſt cauſa meriti Sanctorum quò ad ſubſtantiam, nō quia præuiſa, itaut præuiſio ſit ratio formalis cauſandi, imò non quò ad ſubſtantiam vt ſic, ſed quòad ſubſtantiam, vt exiſtet à parte rei, ergo hæc ſubſtantia incarnationis exiſtens à parte rei non poteſt dici effectus meriti de congruo Sanctorum Patrum, aliter idem eſſet cauſa, & effectus reſpectu eiuſdem, nam eadem omninò quò ad entitatem eſt incarnatio vt intenta, & vt exhibita. Quod fallit Suarez, eſt, quia in hac materia eodem modo philoſophatur, ſicut ſit in cauſa finali reſpectu mediorum, quia finis præuiſus eſt cauſa mediorum, & media ſunt cauſæ finis exhibiti, ſeù acquiſiti; attamen magnum adeſt diſcrimen, quia incarnatio ſecundùm ſubſtantiam eſt cauſa de facto omnis meriti Sanctorum Patrum in genere cauſæ efficientis, licèt non phyſicæ, ſed moralis, & merita etiam de congruo reducuntur ad idem genus cauſæ efficientis, nō principalis, ſed inſtrumentalis, ſicut ergo nequit dari cauſa inſtrumentalis reſpectu alicuius, quod ſit cauſa effectiua illius inſtrumenti, vt voluerfaliter docui in Phyſ. diſp. 8. q. 1. art. 1. ita nequit dari cauſa meritoria de cōgruo reſpectu Incarnationis quò ad ſubſtantiam, quæ eſt cauſa principalis effectiua omnis meriti. Tùm quia quod in tēpore exequitur à Deo, præuidetur ab ipſo in æternitate, ergo in præuiſione incarnatio quò ad ſubſtantiam eſſet prior, & poſterior in eodem genere cauſæ efficientis, prob. conſeq. quia primò incarnatio, & merita Chriſti futura præuidentur vt cauſa meritorum Sanctorum Patrum, poſteà præuidentur merita Sanctorum Patrum fore cauſam ſubſtantiæ incarnationis futuræ, ergo eadem incarnatio futura in præuiſione Dei eſſet prior, & poſterior, dependens, & independens reſpectu eiuſdem, & in eodem genere cauſæ eadem ratio fieri poteſt de Incarnatione vt exhibita, quia ſimul eſſet cauſa, & effectus reſpectu eiuſdem.

62 Dices, non ob aliam rationem finis poteſt eſſe ſimul cauſa, & effectus reſpectu eiuſdem, licèt in diuerſo genere, niſi quia ad hòc vt ſit cauſa, ſufficit habere exiſtentiam obiectiuam, & præuiſam, at eſt effectus ſecundùm eſſe reale exiſtens, ex qua diuerſitate in eſſendo tollitur contradictio, nè idem dicatur dependens, & independens, prius, & poſterius, ergo quia ad cauſalitatem moralem ſufficit exiſtentia obiectiua, & præuiſa, ſequitur, quòd incarnatio poſſet dici cauſa, & effectus reſpectu eiuſdem, ſed nō ſecundùm eundem modum eſſendi. Similiter, ſicut finis cauſat ſecundùm eſſe reale futurum, ſed cognitum, ità incarnatio eſt cauſa ſecundùm eſſe reale futurum, ſed præuiſum; quapropter hæc argumenta vel æquè concludunt de fine, & de Incarnatione, vel nullo modo concludunt.

63 Reſp. diſparem eſſe rationem de cauſa morali in genere finis, & de cauſa morali meritoria, quæ ſe habet vt efficiens, quia licèt finis ſit cauſa ſecundum eſſe reale futurum, tamen futuritio eſt conditio ſine qua non, vnde quando non eſt futurus finis, ſed præſens, non eſt ampliùs cauſa, ſed effectus, at cauſa moralis meritoria per accidēs habet, quòd cauſet vt præuiſa, quia per ſe cauſat, vt exhibetur à parte rei, & quando exiſtit tunc verè habet rationem cauſæ, ergo vt ſic nō poteſt dici effectus reſpectu eiuſdē. Hinc impugnantur aliæ particulæ reſponſionis, nam quod additur, merita Patrum nō eſſe cauſam incarnationis, ſed diſpoſitiones, ex hoc deducitur, nec eſſe cauſam meritoriam incarnationis ſecundùm ſubſtantiam, nam hæc cauſa reduci debet ad genus cauſæ efficientis. Falsò quoq; negatur cōſeq. ſcilicet quòd ſi Patres fuerunt cauſæ incarnationis, nō ſequi, neceſſario fuiſſe cauſas omnium effectuum Incarnationis, quia vulgaris illa propoſitio, *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati* communiter acceptatur, præcipue in eodē genere cauſæ, & de cauſalitate mediata, & ratio eſt, quia quod dependet ab alio, dependet quòq; ab omni eo, quod præexigitur vt cauſa ad illud aliud. Nec quia prima gratia in Patribus præſupponitur omni merito ipſorum, infertur, non poſſe dependere à ſeipſa, quia licèt ex iſto capite rectè hoc inferatur, tamen ex alio capite, ſcilicet ex mutua cauſalitate in exiſtendo, deducitur oppoſitum, & conſequenter contradictoria ex hac poſitione inferuntur.

64 Contrà inſtat Suarez, congruum eſt, vt amicus amicum exaudiat, cum petit, quæ iuſta ſunt, & bona, ſed Sancti Patres erant amici Dei, & aſſiduis clamoribus, & orationibus deprecabantur Deum, non ſolùm vt tempus incarnationis acceleraret, ſed vt ipſam incarnationem adimpleret: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant Iuſtum*, Iſa. c. 45. *Salutare tuum da nobis*: Pſal. 84. *Viſita nos in ſalutari tuo*, Pſal. 105. ergo &c. Tum 2. quod eſt prædeſtinatum à Deo, poteſt executioni mandari, etiam propter meritum, vt patet de prædeſtinatione Sanctorum, ergo idem de incarnatione dicendum. Tùm 3. gratia antiquorum Patrum fuit in ipſis diſpoſitio quædam, qua ſe diſponerent ad ſuſcipiendam incarnationem, ſed bona diſpoſitio ſupernaturalis ad effectum ſupernaturalē meretur illum, ſaltim de congruo. Tùm 4. non eſt minus

nis efficax, & perfecta gratia Sanctorum Patrum, & opera ex illa procedentia, si omninò gratis data esset, & nõ ex meritis Christi præuisis, sed si talis esset gratia, posset homo de congruo mereri incarnationem, ergo &c.

65 Resp. ad 1. antiquos Patres solùm postulasse circumstantias incarnationis, & præcipuè accelerationem, non incarnationem ipsam, quam esse certò futuram firmiter credebant; eòquia habebant fidem, Christum vt mediatorem venturum, & consequenter vt principium omnis meriti, quare iam credebant, incarnationem futuram non pendere à proprijs meritis. Ad 2. verum est assumptum, si illud prædestinatum non est principium, & radix omnis meriti, vt est incarnatio. Ad 3. gratia illa propriè non erat dispositio ad incarnationem secundùm substantiam, sed potiùs ad circumstantiam incarnationis, quòd scilicet ex tali progenie Christus nasceretur, vt infrà. Ad 4. sicut in illo casu gratia esset magis indepẽdens, quàm nunc se habeat, ità quoq; in illo casu aliqualiter esset efficacior, vt possit à Deo ordinari ad incarnationem vt ad præmium.

66 Secundò arguitur ex merito B. Virginis, nam B. Virgo meruit siuè de condigno, siuè de congruo dignitatem maternitatis, ergo saltim de congruo meruit incarnationem quò ad substantiam, antec. patebit in propria disp. conseq. prob. mereri maternitatem est mereri generare Christum, & per consequẽs esse causam Christi, ergo est mereri esse causam ipsius incarnationis quò ad substantiam. Tùm quia nõ implicat, principium meriti aliqualiter posse cadere sub meritum, ergo non implicat, B. Virginem, & Sanctos Patres potuisse mereri incarnationem de cõgruo; conseq. prob. quia ex opposito antecedentis hucusq; deductum est oppositum consequentis; antec. prob. B. Virgo, & progenitores Christi fuerunt causa ipsius Christi, & per consequens Christus, & omnia ipsius opera dicebant dependentiam ad B. Virginem, & progenitores quò ad existentiam; sed hanc dignitatem B. Virgo, & progenitores Christi non nisi ex meritis Christi habuerunt, quæ fuerunt principia cuiuscunq; meriti, ergo merita Christi meruerũt id, à quo pendebant in sua entitate, ergo aliquo modo potuerunt cadere sub meritum.

67 Hanc difficultatem fusè prosequitur Ioan. de Lugo disp. 8. sect. 5. & seq. varias adducendo responsiones. Aliqui, vt saluent independentiam meritorum Christi à B. Virgine, docent, humanitatem Christi fuisse productam duplici actione adæquata, quarum altera erat à solo Deo, & tunc præuidetur existentia Christi, & meritorum independenter ab omni creatura, hisq; meritis meruit Christus B. Virgini, & progenitoribus suis illam gratiam, vt concurrerent physicè, vel immediatè, vt B. Virgo, vel mediatè, vt alij progenitores, ad productionem humanitatis Christi; quapropter deinde per secundam actionem concurrit ad eandem Christi generationem; ità Hurt. disp. 28. q. 2. à quo dicendi modo parùm distat Herize 1. p. disp. 29. n. 44. & 45. nam loco duarum actionum ipse ponit duo decreta diuina, quorum quodlibet sit sufficiens ad producendam Christi humanitatem, sed vno Deus voluit, habere rationem causæ primæ, & secundæ, seù se solo producere Christum, altero verò solo rationem causæ primæ admittendo secum B. Virginem ad productionem Christi, merita, ait, pendere à primo decreto, non à secundo.

68 Hæc responsio rectè impugnatur à Ioan. de Lugo; tùm quia ponit, eundem effectum pendere à duabus actionibus adæquatis, quod esse falsum ostendi in Phys. disp. 8. q. 3. art. 2. Tùm quia si Christus est causa secundæ actionis, qua à Deo, & B. Virgine producitur, iam esset causa sui ipsius, saltim moralis; nec refert, quòd Christus præsupponitur existere per primam actionem, quia iam etiam secũdò ponitur physicè produci per secundam actionem, aliter B. Virgo non fuisset mater Christi vera, & terminus secundæ productionis ponitur substantia eiusdem Christi, ergo verè, & propriè Christus, si est causa secũdæ actionis, est causa sui ipsius; vide ipsum.

69 Ipse Ioan. de Lugo respondet, quòd meritum Christi nõ tàm debet cõsiderari in primo instanti suæ conceptionis, quàm in tempore passionis, per quam potissimè meruit sanctitatem, & dignitatem Christi; sed eo tempore Christus præuidetur independens à B. Virgine, posteà Patres, & B. Virgo præuidentur mereri fieri genitores Christi, nam non repugnat, id, quod nunc est causa, esse posteà pro alio tempore effectum respectu eiusdem, dummodò non detur mutua dependentia pro eodem instanti. Ab hac responsione non longè abest Bernal disp. 17. num. 75. & 76.

70 Hæc quoq; responsio in nostris principijs non habet locum, nam ponimus Christum futurum, etiã si Adam non peccasset, & consequenter meritũ Christi non consisteret tunc in passione; quare idem argumentum fieri posset in eo casu. Tùm quia Christus meruit præcipuè in primo instanti suæ conceptionis, vt suo loco dicetur, & actus ille habuit æquiualentem valorem ad præmium infinitum, ergo tunc meruit gratiam omnibus hominibus, vt euidenter colligitur ex D. Paulo ad Hæbr. 10. vbi loquens de prima voluntate, quam habuit Christus in primo ingressu in hũc mundum, ait, *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel*; quòd si per voluntatem intelligatur diuina voluntas, vt ipse exponit saltim habetur, Deum voluisse nos sanctificare propter voluntatem, quam habuit Christus in primo instanti, de qua priùs dixerat, *Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam*. Tùm quia rationes, quas adducit contrà veram responsionem, quam subiungam, retorqueri possunt contrà istam responsionem. Tùm quia ex hoc sequitur, Deũ priùs præuidisse Christum virum, quàm puerum, patientem, & mortuum, quàm cõceptum, & natum. Tùm quia argumentum vrget de illo tempore, quo Christus dependebat in esse à Virgine, à quo etiam esse, quod habebat in passione, pendebat, ergo hoc esse in passione saltim mediatè pendebat à Virgine, & sic redit argumentum.

71 Ad 1. igitur respondeo, neg. conseq. ad probat. dico, maternitatem, seù causalitatem B. Virginis ergà Christi humanitatem posse dupliciter considerari; primò simpliciter, sine vlla suppositione, quòd Christus existet, secundò cum tali suppositione futuritionis Christi, idest supposito, quòd Christus erit in rerum natura, potest B. Virgo mereri, quòd carnem sumat ex suis purissimis sanguinibus; si B. Virgo meruisset maternitatem in primo sensu, vtique sequeretur, meruisse ipsum Christum, & substantiam incarnationis, attamen prior fuit in voluntate Dei intentio existentiæ Christi, quàm electio B. Virginis ad dignitatem maternitatis, idcircò non sequitur, B. Virginem meruisse ipsam Incarnationem, sed solùm circumstan-

cumstantiam, scilicet quòd ex suis sanguinibus Christus sumeret carnem; afferatur à Suarez sect. 7. optimum exemplum, nam si Princeps statueret venire ad ciuitatem, & aliquis ciuis impetraret, vt in propriam domum diuerteret, certè ciuis iste non diceretur mereri simpliciter aduentum Principis, sed solùm circumstantiam habitationis.

72 Dices, B. Virgo fuit simpliciter mater Christi, ergo fuit simpliciter causa Christi, quò ad substantiam, ergo meruit simpliciter incarnationem quò ad substantiam. Resp. neg. vltimam conseq. ratio est; quia vt notat Ioan. de Lugo num. 66. causa physica illa dicitur simpliciter talis, quę producit primum esse Physicum effectus, causa verò illa dicitur moralis simpliciter, quę causat primum esse intentionale effectus, seu quæ ponit primò in voluntate effectum; ratio est, quia causalitas causæ moralis est intentionalis; & secundùm motionem metaphoricam, at causalitas causæ physicæ est realis, & quoniam illa dicitur causa simpliciter, quæ dat primum esse effectui, idcircò causa simpliciter physica est, quæ dat primum esse reale, moralis verò simpliciter, quæ dat primum esse intentionale; quapropter causa simpliciter physica, si supponit esse effectus in intentione, non dicetur simpliciter moralis, seu causa moralis quò ad substantiam effectus, sed potiùs causa moralis quò ad circumstantiam durationis, & extensionis effectus, quia illud esse physicum primum, quod effectus recipit à causa physica, in genere moris se habet vt esse secundarium, cum supponat primum esse intentionale; Sic in proposito, quia voluntas producendi Christum præcessit voluntatem in Deo eligendi B. Virginem in matrem, quamuis B. Virgo fuerit vera, & simpliciter mater Christi in genere physico, non tamen fuit simpliciter causa moralis incarnationis, & Christi quò ad substantiam, sed potiùs quò ad durationem; idem de antiquis Patribus dicendum.

73 Ad 2. nego antec. ad probat. concedo, opera Christi dicere in genere physico dependentiam mediatam à B. Virgine, & antiquis Patribus, nego tamen in genere moris, sicut Christus in genere physico dicit dependentiam suo modo à B. Virgine, non tamen in genere moris; ratio est, quia opera imputantur solùm causę, quę per voluntatem concurrit, & habet connexionem moralem cum ipsis, aliter peccata filiorum imputarentur genitoribus, quod est falsum; modò B. Virgo non habebat moralem connexionem cum operibus Christi, itaut penderent à voluntate B. Virginis; sed independenter eliciebantur à Christo; independenter quoque à B. Virgine fuerunt à Deo præuisa, quia in primo signo Deus prædestinauit Christum absolutè, absque ordine aliquo ad progenitores, præuidit postea opera, & ex operibus ipsius voluit Sanctos consecuturos gloriam, & alia dona supernaturalia, prior ergo fuit præuisio Christi, & meritorum eius, quàm electio B. Virginis in matrem.

74 Contrà hoc vltimò additum arguit Ioan. de Lugo disp. 8. sect. 5. Christus ex dictis superiùs meruit per primum actum in instanti conceptionis elicitum, sed tunc nequit Christus videri præscindendo à matre, ergo &c. min. prob. quia ad elicitionem actus, seu ad infusionem animæ in conceptione prærequiritur corpus organizatum, & dispositum, & inter alias dispositiones requiritur, quòd corpus sit in vtero matris, & per venam vmbilicalem, per quam sugit alimentum, matri vnitum, ergo nequit vt sic videri, præscindendo à matre. Tùm 2. in præuisione meriti præuidetur Christus existens, ergo dependenter ab aliqua causa, vel prima, vel secunda, & consequenter cognoscetur B. Virgo, quæ est causa Christi, quia illa disiunctiua in tantùm est vera, in quantùm postea verificabitur ratione alicuius particularis determinate ex illis, quæ ibi concluduntur, cum igitur hoc, quod est, Christum pendere, vel à causa prima tantùm, vel etiam à secunda, & tunc vel ab ista, vel ab illa, fuerit verificatum in B. Virgine, & progenitoribus Patribus, necessariò omnes istæ causæ præuidebantur à Deo. Tùm 3. quando Deus decreuit Christum futurum, in tali decreto inuoluebantur omnes Christi progenitores, ergo &c. antec. prob. qui vult finem, quem scit, non posse acquiri, nisi per media, eòipso vult omnia media necessaria ad illum finem, ergo quia Christus necessariò debet existere medio aliquo principio, sequitur, quòd eoipso, quò Deus vult, Christum existere, vult etiam, quòd pendeat ab aliquo principio, & si hoc est creatum, redit idem argumentum, vsquequò perueniatur ad primum principium increatum. Quod potest etiam confirmari, ex hoc, quòd Christus fuit præuisus in indiuiduo, at effectus indiuiduatur ex concursu causarum, & circumstantiarum, ergo istæ quoq; fuerunt præuisæ.

75 Resp. hæc argumenta etiam concludere contrà modum illum, quo ipse ponebat, meritum passionis Christi fuisse à Deo præuisum independenter a B. Virgine, saltim secundum, & tertium, nam quia cum præuidetur meritum passionis, necessariò etiam præuidetur Christus existens, ergo vt dependens ab aliquo principio, non solùm increato, sed etiam creato, quia in præuisione meriti passionis inuoluitur decretū Dei de futuritione Christi, conceptione, natiuitate, & adolescentia, ergo etiā inuoluebantur omnes Christi progenitores. Quapropter respondeo, quòd licèt Deus vnico actu omnia futura simul velit, attamen assignari solent in voluntate diuina prius, & posterius ex parte obiectorum, quatenùs vnum obiectum est ad aliud ordinabile, & consequenter præsupponit illud, quia ordinatè volens, inquit Doctor 1.d. 41. A. & 3.d. 19. A. priùs vult finem, quàm media ad finem; hinc priùs voluit Christum, quàm aliam creaturam, neq; in hoc signo necessariò debebat præuideri B. Virgo, tùm quia nullus effectus essentialiter simpliciter pendet à causa efficiente creata, nam ab vna causa productus poterat ab alia produci, vt dixi in Phys. disp. 8. q. 3. art. 1. quapropter potest pro illo signo præscindi à causa extrinseca. Hinc ad 1. dico, meritum Christi in instanti conceptionis elicitum fuisse præuisum à Deo in se, vt dicebat ordinem ad ipsum Christum elicientē, non autem cum omnibus circumstantijs, nisi in signis posterioribus, Deus enim præuidit Christum, statim ac ingressurus esset mundum, eliciturum actum meritorium charitatis erga Deum, per quem Deus voluit elargiri hominibus omnem gratiam, & dona supernaturalia; deinde decreuit de medijs, an debebat produci immediatè à Deo, vel media causa secunda. Per idem ad 2. Ad 3. etiam dico, assumptum esse falsum, & probatio est ad oppositum, nam prior est intentio finis, quàm electio mediorum, ergo priùs fuit intentio futuritionis Christi, quàm decretum de progenitoribus ipsius; aliter, vt arguit Scotus 3. d. 20. q. 2. si

N

q.2. si in decreto v.g. cuiuslibet iusti ad gloriam inuoluerentur omnes progenitores ipsius, quia multi iusti à peccatoribus sunt procreati, etiamsi status innocentiæ permansisset, adhuc extitissent peccatores, quod est contra communem opinionem Theologorum; Tùm quia si in decreto efficaci de futuritione Christi inuolueretur efficax decretum omnium progenitorũ Christi, & actionum eorundem generatiuarum, quia aliqui Christi progenitores fuerunt ex peccato geniti, vt Phares ex incestu Iudæ cum Thamar, iam Deus efficaciter voluisset tale peccatum; quod est falsum. Quod tandem additur de indiuiduatione effectus à circumstantijs, & causis concurrentibus, patet falsitas ex dictis disp. 8. Phys. q. 2. art. 3. vbi docui, indiuiduationem effectus à Deo prouenire.

Quæstio Quarta.

An fuerit aliqua causa meritoria Incarnationis quò ad circumstantias.

76 Circumstantiæ incarnationis sũt in triplici differentia, quædam antecedunt, vt annunciatio angelica, consensus, dispositio, & cooperatio B. Virginis; quædam comitantur, vt quòd a tali causa, & progenie Christus sit productus, in tali loco, & tempore; quædam subsequuntur, vt conseruatio incarnationis, eiusq. reparatio in resurrectione, Angelorum laudes, Magorum adorationes, pastorum cantus, & similia. At in nostra schola inter circumstantias comitantes incarnationẽ à parte rei numerari debet etiam passibilitas carnis, quia vt dicetur disp. seq. priùs incarnatio fuit in se præuisa, & determinata quò ad substantiã, deinde post præuisionem peccati fuit determinata in carne passibili. Causa meritoria harum circũstantiarũ potuit esse vel Christus, vel aliqua pura creatura, vt de substãtia eiusdem incarnationis supra dixi.

77 Quod attinet ad Christum, Suarez disp. 10. sect. 4. docet, Christum meruisse vtique circumstantias subsequentes incarnationem, nõ tamen concomitantes, neque antecedentes, nisi quæ ad sanctificandos homines pertinebant, vt fuerunt gratia, & alia dona supernaturalia Sanctorum Patrum, quæ fuerunt aliquo modo dispositiones ad incarnationem; non tamen has circumstantias, subdit, meruisse Christum, vt circumstantiæ sunt, sed vt materialiter, & in se considerantur, vt scilicet sunt res pertinentes ad ordinem sanctificationis. De Sanctis Patribus sect. 6. ait, meruisse de congruo circumstantias concomitantes, non quidem quò ad prædefinitionem, sed quò ad executionem; quod etiam docet Auersa q. 6. sect. 10. At Ioannes de Lugo disp. 8. sect. 5. vt dubium proponit quò ad circumstantiam temporis, & durationis, an Sancti Patres illam meruerint, eòquia putat, meritum ex propria ratione includere durationem, & consequenter non potest hæc circumstantia meriti cadere sub meritum, quin etiam meritum ipsum cadat, quod est falsum ex dictis; pro quo citat Lorca disp. 22. circa finem, & Salmeron. to. 14. disp. 29. in c. 4. ad Gal.

78 P. Vulpes disp. 3. art. vlt. plura signa distinguit in voluntate diuina in ordine ad res extrà; in primo signo Deus voluit, Verbum humanari, & Christum prædestinauit ad summam gloriam, & gratiam; in secundo signo ordinauit omnia merita Christi nullã cum carne passibili habentia necessariam connexionẽ ad prædestinandos aliquot Angelos, & homines, per modum causæ meritoriæ de condigno, in quo etiam signo primò prædestinauit B. Virginem ad maternitatem, & plenitudinem gratiæ, & gloriæ; & similiter meritum Virginis fuit concomitanter ordinatum ad obtinendam in via dignitatem maternitatis, & etiam antecedenter per modum causæ principalis potuit ordinari à Deo ad obtinendam incarnationem sub circumstantia carnis passibilis pro redemptione humani generis, vt B. Virgo ponatur etiam causa secundaria sub Christo nostræ redemptionis (supponit enim B. Virginem non cecidisse in voluntate Adami, nec contraxisse debitum contrahendi peccatum originale) in tertio signo decreuit, prædestinatos ponere sub finali gratia cum merito proportionato ad consequendum gradum gloriæ; & in hoc signo ordinauit tale meritum per modum causæ principalis secũdariæ ad amouendum omnem obicem finalis gratiæ. In quarto signo decreuit, absolutè ponere omnes Angelos prædestinatos, & non prædestinatos in reali existentia, & sanctificare illos; in quinto signo decreuit omnes homines prædestinatos in statu innocentiæ creandos, & conseruandos; in sexto decreuit, alios homines non prædestinatos in secundo signo pariter futuros à parte rei cum permissione lapsus hominum, & Angelorum; in septimo præuidit, aliquos Angelos finaliter peccatores, & omnes homines præter B. Virginem in primis parentibus lapsos; in octauo tandem decreuit de remedio, Verbum scilicet in primo signo iam ordinatum ad suscipiendã humanitatem, quòd veniat in carne passibili, vt per passionẽ, & mortẽ, satisfaciat diuinæ iustitiæ pro peccatis totius generis humani.

79 Ex hac doctrina infert primò, Christum de cõdigno meruisse sibi incarnationem sub circumstãtijs extrinsecis, scilicet passibilitatis carnis, natiuitatis B. Virginis, redemptionis humani generis per passionẽ, & mortem, & hoc per merita in secundo signo præuisa. Secundò infert, B. Virginem per sua merita in eodem signo præuisa meruisse de condigno per modum causæ principalis incarnationem sub circumstantijs extrinsecis, præcipue passibilitatis carnis; & hoc quia decretum de passibilitate carnis fuit in octauo signo, præuisio tamen meritorium fuit in secundo, nec vnquam fuit in ordine intentionis absque gratia, quia non fuit comprehensa in peccato primi parentis. Tertiò infert, Sanctos Patres in ordine intentionis meruisse incarnationẽ sub circumstantia passibilitatis, & accelerationis, non quidem de condigno antecedenter, quia præsupponuntur iam cecidisse à gratia, & natura filij iræ, gratia verò est principium meriti de condigno, sed solùm de congruo, quia in tertio signo fuerunt prædestinati efficaciter ad gloriam cõcomitantibus meritis, ergo saltim eis erat debitum actuale auxilium, quod est principiũ merendi de congruo, ad impetrandam à Deo accelerationem misterij. Tandem addit in gratiã Suarez, quòd octauum signum potest obiectiuè diuidi in plura signa partialia, vt in eo priùs Deus decreuerit mortẽ Christi absolutè, nõ determinando circumstantias, in remediũ generis humani, in secundo decreuerit omnes electos in eum credituros, & viuificandos vsque ad finalẽ statũ gratiæ; in tertio Sãctos Patres sic viuificatos oraturos pro aduentu Messiæ meritoriè de cõdigno, saltim pro apertione ianuæ celestis; in quarto ex eorũ merito præuiso determinarit tẽpus incarnationis, & sic facilè defendit, Sãctos Patres meruisse de cõdigno circũstantias incarnationis.

Dico

80 Dico primò, Christus meruit sibi circumstantias illas, quæ cedebant in sui gloriam, si fuerunt subsequentes incarnationem, quæ verò cedebant in gloriam Matris, & antiquorum Patrum, non meruit sibi, sed illis, & consequenter nō vt circumstantiæ erant incarnationis, sed vt dona ipsorum Patrum. Hæc cōclusio explicatur, & probatur simul; nam circumstantiæ consequentes incarnationem, quæ redundabant in gloriam Christi, vt exaltatio sui corporis, manifestatio omnibus gentibus, resurrectio, & similia, fuerunt concessa Christo vt præmia suorum operum, vt habetur in sacra Scriptura, & infra in disp. de merito Christi ostendam, ergo verè Christus has circumstātias meruit, quia adfuit pactum ex parte Dei, & merita præcesserunt præmium. At si fuerunt concomitantes, vt v.g. quòd fuerit ex Spiritu Sancto conceptus, in instanti, ex immaculata Virgine, &c. quia regulariter meritum debet præcedere præmium, si præmium est proprium merētis (nam si aliquis meretur alteri, poterit præmium præcedere in rerum natura per modum anticipatæ solutionis) non videtur Christus meruisse sibi per merita succedentia à parte rei circumstantias illas, quamuis præuisa à Deo, sed potiùs fuerunt gratis à Deo concessæ Christo simul cum ipsa hypostatica vnione per modum vnius doni completi. Sed præcipue contrà Vulpes est, quòd Christus non videtur meruisse passibilitatem carnis, quia quod meretur, habet rationem præmij, non autem meriti; nec est aliquid necessariò requisitum ad meritum, cō quia meritum, & præmium necessariò distinguuntur; at passibilitas carnis nō habuit respectū Christi rationem præmij, sed potiùs fuit conditio necessariò requisita ad meritum passionis, & mortis Christi, per quā satisfecit Deo pro peccatis generis humani, ergo non cadit passibilitas carnis sub meritum Christi, alitet ipsa passio, & mors caderet sub meritum.

81 Secunda pars sequitur ex dictis; quia dignitates, & dona omnia supernaturalia Patribus concessa à Deo antecedenter ad incarnationem fuerunt dependentia à meritis Christi, vt suo loco dicetur, ergo Christus meruit illas circumstantias, non sibi, sed Patribus, ergo non meruit, vt erant circumstantiæ incarnationis, quia sic meruisset sibi, sed vt dona Patrum.

82 Dices: merita Christi nō habentia necessariam connexionem cum morte fuerunt præuisa in secundo signo, mors, & passibilitas carnis, in octauo; nec solùm in ordine intentionis illa merita præcesserunt, sed in ordine executionis, nam Christus priùs voluntariè acceptauit mortem, quàm fuerit mortuus, ergo non est, cur negetur, circumstantias in octauo signo determinatas cadere sub illa merita. Tùm quia si Christus meruit circumstantias consequentes, argo & resurrectionem, & per consequens nouam vnionem humanitatis cum Verbo, quod est falsum, quia tunc meruisset incarnationem secundùm substantiam.

83 Resp. ad 1. non sufficere ad rationem præmij, quòd subsequatur ad actionem meritoriam, sed requiri adhùc, quòd à Deo ordinetur meritum ad illud, vt ad præmium, modò falsum est, & prorsùs voluntariè, & absq; vllo fundamento asseritur, Deum ordinasse merita Christi in secundo signo præuisa ad passibilitatem carnis, vt ad præmium, sed potiùs ipsa passibilitas fuit Christo concessa, vt posset adhùc mereri, vnde communiter dicitur à Theologis, Christum meruisse gloriam corporis, & impassibilitatem animæ, non autem passibilitatem, vt dicetur suo loco. Ad 2. etiam ibi ostendetur, Christum non ex hoc, quòd meruerit resurrectionem, meruisse incarnationis substantiam, quia vt dixi num. 72. illa noua vnio non fuit simpliciter prima, quia præsupponebat seipsam, & in mente diuina, & à parte rei, & consequenter Christus non dicetur causa moralis Incarnationis simpliciter, sed potiùs circumstantiæ durationis.

84 Dico secundò, antiquos Patres meruisse circūstantias Incarnationis, scilicet quòd ex tali progenie, in tali loco, & tali tempore fieret, non de condigno, sed de congruo; ità Scotus in 4. d.2. q.1. ad 3. & prob. nam de Abraham Gen. 22. dicitur, *Benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ*, & de Dauide Psal. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & nō frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, & Lucæ 2. Simeoni fuerat promissum, quòd non videret mortem, nisi priùs videret Christum Domini, quod ad tempus pertinet, vnde in Scriptura talis etiam acceleratio promittitur, Isa. 51. *Cito veniet salus tua*; & Psal. 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*. Et D. Ambros. lib. 2. in Luc. de Anna vidua ait, *Talibus fuisse meritis, vt digna fuerit, Saluatorem omnibus nunciare*. Hoc autem dupliciter intelligi potest, vt notat Suarez, primò, quòd eorum meritis fuerit anticipata hora à Deo præfixa, & hoc est falsum, quia fuisset in Deo aliqua mutatio. Nec obstat illud ex Dan. 9. *Septuaginta Hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, vt vngatur Sanctus Sanctorum*, quasi quòd ex orationibus Danielis Deus anticipauerit incarnationis tempus anteà ab ipso præfixum. Non obstat, quia ly *abbreuiatæ* idem sonat, ac *statutæ, & definitæ sunt*, ac si dicat, iam tempus breue est. Secundò potest intelligi, quòd meruerint, vt non differretur hoc beneficium vltrà tempus præfixum à Deo, & sic est verū, quia Deus, nē dum voluit incarnationem pro tali tēpore, sed etiam propter orationes Sanctorum incarnationem iam decretatam vltrà non differre, sed executioni mandare. An autem solùm meruerint executionem, vel etiam prædefinitionem, patet solutio ex dictis num. 57.

85 Quòd autem hoc meritum non fuerit de condigno, prob. quia vt dixi, ad hoc meritum requiritur pactum, & promissio, non quidem consequens meritum, sed antecedens, nam debet esse promissio onerosa, talis autem promissio non interuenit in hoc casu, nam licèt promiserit Deus antiquis Patribus, vt Abrahamo, Dauidi, incarnationem ex ipsorū progenie, non tamen hęc promissio fuit antecedens ipsorum meritis, sed subsequens, vt patet; hinc ordo ille signorum in Deo assignatus à Vulpes apparet prorsùs voluntarius, vnde & in gratiam Suarez illum variauit, quasi quòd Deus in gratiam quoque opinionis Suarez respiciat, & determinet obiecta creata (licèt nunquam Suarez asseruerit, Patres de facto meruisse circumstantias incarnationis de condigno) præterquāquòd falsum quòq; est, Patres meruisse aperitionem ianuæ cęlestis, vt in disp. de merito Christi ostendam. An autem B. Virgo circumstantiam temporis, & maternitatis dignitatem meruerit de condigno, dicemus disp. vlt.

86 Dices; Patres nō meruerunt ipsam incarnationem, ergo nec circumstantiam temporis, prob. con-

seq; quia meritum est actio, & actio includit essentialiter durationem, & duratio dicit ordinem ad tempus, ergo Incarnatio in se includit duration. Tùm 2. quia eadem operatio voluntatis habens maiorem durationem censetur duplex meritum, ergo meritum in sua ratione non solùm includit entitatem actus, sed etiam durationem, ergo non potuerunt merita Christi præuideri, nisi cum hac duratione, & per consequens sicut ista merita non cadunt sub meritum Patrum, neq; circumstantia durationis cadet. Tùm 3. ex D. Aug. tom. 4. q. 83. in nou. Test. *Idcircò tunc venit, quando debuit venire, voluntatis suæ rationem sequutus, non meritorum, nam si merita perpendas, venire non debuit.* Tùm 4. magis distat ordo gratiæ creatæ ab vnione hypostatica, quam ordo naturæ ab ordine gratiæ, sed nequit homo de facto mereri gratiā, neq; de congruo ex solis naturæ viribus, ergo neq; per gratiam poterit mereri de congruo vnionem hypostaticam, vel eius circumstantias.

87 Resp. ad 1. neg. conseq. ad probat. patet ex dictis disp. 13. q. 1. in Phys. durationem secundùm connotatum dicere ordinem ad tempus, qui ordo non est de essentia rei durantis. Ad 2. ex tract. de actibus humanis respondeo, continuatam durationem addere suprà entitatem actus bonitatem circumstantialem, & accidentalem, non essentialem, & per consequens falsum est, eandem operationem censeri duplex meritum; tùm quia falsum est, meritum formaliter includere determinatam durationem. Ad 3. D. Aug. vrget opinionem Vulpes, ponentem meritum de condigno in Patribus ad circumstantiam temporis, de quo intelligitur authoritas illa. Ad 4. neg. assumptum, quia opera naturæ non sunt in ordine rerum supernaturalium, & consequenter non possunt esse de facto dispositiones ad res supernaturales, at opera gratiæ sunt in eodem ordine supernaturalium rerum cum vnione hypostatica, ideóq; possunt esse dispositiones ad ipsam; accedit, quòd vnio hypostatica potest etiam cōmunicari naturis irrationalibus, hine non apparet tàm magna improportio inter ipsam, & gratiam.

Disputatio Septima.

De causa finali Incarnationis.

AD vltimam tādem causam, scilicet finalem huius sacratissimi misterij deuenimus, quæ tamen ordine intentionis est prima, cum sit motiuum, quo mouetur agens ad operandum; & quoniam ex disp. præced patet, causam efficientem physicam huius hypostaticæ vnionis fuisse diuinam voluntatem, idcircò quia finis operis est finis ipsius agentis operantis propter finem, vt finem huius misterij cognoscamus, debemus inuestigare motiuum, vnde diuina voluntas voluit, hoc opus conficere. Attamen, quia vt videbimus, Thomistæ infinitatem satisfactionis Christi, & necessitatem ipsius, vt esset rigorosa, præcipuè deducunt ex infinitate peccati in ratione offensæ, hinc necessarium duximus, hanc quæstionem de infinitate peccati præmittere, tanquàm præludium totius disputationis.

Quæstio Prima.

An malitia peccati sit infinita simpliciter in genere mali.

1 VT innotescat sensus quæstionis, not. in quolibet peccato, præter rationes generales, primò considerari posse malitiam moralem, seù priuationem rectitudinis, secundò auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam, siuè ad bonum cōmutabile. Tertiò rationem offensæ, qui enim præsertim mortaliter peccat, vltimum finem sibi in creatura constituit, & sic iniuriam Deo facit, dum illi aufert honorem vltimi finis; vel vt alij explicant, ratio offensæ consistit in hoc, quòd peccatum sit contrà graue præceptum diuinum, & consequenter contrà Dei amicitiam, honorem, dignitatem, & maiestatem, in cuius oculis graue ipsius præceptum violatur, amicitia paruipenditur, ira prouocatur, iuxta illud Psal. 50. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*; qua ratione peccatum veniale non habet rationem offensæ simpliciter, sed secundùm quid, & æquiuocè, quia non grauiter opponitur voluntati Dei, nec eiusq; destruit amicitiam, sed leuiter opponitur, & minuit feruorem; ità Bernal. Aliter tamen explicat Hurt. cit. sect. 2. distinguit enim malitiæ rationem à ratione iniuriæ, & offensæ, eòquia malitia est absonantia à lege Dei, & à recta ratione, vnde peccata in ratione malitiæ, vel non attingunt Deum, vt furtum, intemperantia, &c. vel solùm extrinsecè, & obiectiuè, vt odium Dei, irreligio. At ratio iniuriæ attingit Deum, vt subiectum morale, quia recipiens iniuriam dicitur pati iniuriā, & consequenter est morale subiectum, iniuria enim se habet vt onus; hinc sicut subiecta physica grauantur oneribus, & malè afficiuntur, ità grauamur, & malè afficimur iniurijs; quapropter non dicimur pati amorem, aut honorem alicuius, benè tamen iniurias, & offensas; primam rationem vocat malitiam philosophicam, secundam verò malitiam theologicam.

2 Non quærimus hic, nùm peccatum ratione priuationis, quam importat, aliquam habeat infinitatem malitiæ, quia hoc modo non plùs habet mali peccatum, quàm sit bonum, quo priuat, sed rectitudo cuiuscunq; virtutis, qua priuat, in sua natura limitata est, ac finita, ergo finitam habet bonitatem. Certum est etiam, quòd conuersio ad bonum commutabile nullam habet infinitatem, quia neq; ex sua ratione, neq; ex subiecto, neq; ex creatura, ad quam tendit, neq; ex modo tendendi infinitatem habere potest. Certum est tertiò, neq; habere infinitatem ratione auersionis, quia obiectum infinitum, à quo peccator se auertit, non potest esse causa, cur auersionis grauitas sit infinita, nam obiectum infinitum non confert bono actui bonitatem infinitam, ergo nec actui malo infinitam malitiam, par enim ratio est de vtroq;. Tùm quia non videtur maior malitia in auersione à Deo, quàm sit bonitas in conuersione ad Deum, maximè si peccator tanto affectu ad Deum conuertitur, quanto ab ipso recessit, sed in conuersione perfecta peccatoris ad Deum nulla est bonitas infinita, ergo nec in auersione ab ipso, vt præcisè auersio est, erit malitiæ infinitas; & eodem modo dicendum est de quacunq; alia peccati acceptione, in qua non includitur ratio offensæ;

offensæ; verùm aliqui rationem auersionis confundût cum ratione offensæ, ideoq; eodem modo de vtraque locuntur.

3 Solùm igitur difficultas est, si peccatum consideretur, vt est offensa Dei, an scilicet vt sic includat aliquã malitiam infinitam, seù indignitatem; & quia infinitum aliud dicitur intrinsecè tale, & est, quod habet in se infinitatem in ratione entis, vel in certo genere; aliud extrinsecè, quod scilicet tendit in obiectũ infinitum, vt sunt visio, & fruitio beatifica, vel quia prouenit à principio infinito, quo sensu actiones meritoriæ Christi Domini dicuntur infinitæ; hic non est difficultas de infinitate secundo modo, omnes enim concedunt, peccatum hoc modo esse offensam infinitam, quia tendit in obiectum infinitum; quæritur ergo de infinitate in primo sensu; & quamuis difficultas possit esse, tàm de peccato veniali, quàm mortali, tamen examinari solet de mortali, nam de veniali omnes concedunt, nõ habere rationẽ offensæ infinitæ.

4 Prima opinio concedit, peccatum in ratione offensæ includere infinitam malitiam, citatur D. Tho. p. 2. q.87. art.4. & 3. p. q.1. art.2. vbi Caiet. Med. Aluarez, Nazar. & alij Thomistæ; item Coninch. de pœnit. disp.10. dub.2. Hurt. hic disp.9. sect.3. Bernal disput.4. sect.3. Cornejo disp.2 Auersa 1. 2. q. 88. sect.5. Quidam verò, licèt negent hanc infinitatem in omni peccato, concedunt tamen de aliquo speciali, v.g. occisionem Christi, quia est destructiua alicuius simpliciter infiniti, verè, aiunt, includere infinitam malitiam in ratione offensæ.

5 Dicendum, nullum peccatum in ratione offensæ includere infinitam malitiam intrinsecè, & formaliter; ità Scotus 2. d.37. q.1. §. *Ex ista*, vbi cum doceat vnum peccatum esse grauius alio, cõsequenter docet, malitiam peccati non esse simpliciter infinitam, tunc enim omnia peccata essent paria; clariùs hoc habet in 3. d.19. ad 2. & 4. d.15. q.1. B. & d.14. q.1. in fine, ipsum sequuntur Vasq. p. 2. disp.99. c.8. & disp.100. c.5. & 3. p. disp.2. c.2. Suarez 3.p. disp.4. sect.7. Ioan. de Lugo disp 5. sect.3. Ragusa disp. 3. Salas p. 2. tractat.11. disp.15. sect. 6. qui alios citat; & prob. malitia peccati in ratione malitiæ est finita, vt dictum est, ergo peccatum in ratione offensæ est finitum, prob. conseq. ratio offensæ consequitur ad malitiam, vt ad causam, quia si non esset in actu malitia, non esset offensa, ergo si malitia est finita, offensa erit finita, nam effectus nequit excedere suam causam.

6 Resp. neg. semper cõseq. quia offensa nõ tantùm sumitur ex malitia, sed etiam ex dignitate personæ offensæ, quæ cum sit in proposito infinita, offensa erit infinita. Contrà, offensa in ratione offensæ non crescit adæquatè ad dignitatem personæ offensæ, ergo &c. antec. prob. peccatum veniale est offensa in personam infinitam, quia est contrà Deum aliquo modo, & contrà ipsius legem, & tamen oon est infinitum in ratione offensæ, eòquia nõ est punibile pœna infinita, neq; intensiuè neq; extensiuè, at pęna debet proportionari offensæ, vt omnes concedunt, ergo ratio offensæ non crescit adæquatè secundùm dignitatem personæ offensæ. Conantur aduersarij, aliquod assignare discrimen inter mortale, & veniale, cur illud sit infinitæ malitiæ in ratione offensæ, & non istud; vnde variè respondent; & præcipuè quia veniale ex se est leue peccatum, ideoq; est leuis offensa.

7 Sed quodcunq; discrimen assignetur, non idcircò soluitur argumentum, nam ideò peccatum mortale per ipsos est infinitum in ratione offensæ, quia offensa crescit ex dignitate personæ offensæ, & quò dignior est persona, eò grauior est offensa, ergo quia per peccatum veniale offenditur persona infinita, quia veniale est simpliciter peccatum, erit infinitum in ratione offensæ, licèt cum aliquo discrimine offendatur Deus per veniale, quo non offenditur per mortale; prob. conseq. infinitas offensæ non prouenit in mortali ex diuerso modo offendendi Deum, sed solùm ex dignitate personæ offensæ, nam modus ille offendendi Deum intrinsecè est finitus, & se tenet ex parte actus, ergo nequit causare infinitatem offensæ, ergo quia hæc ratio reperitur quoq; in veniali, deberet esse infinitum in ratione offensæ; vide num. 10. & 11.

8 Secundò prob. de peccatis mortalibus, grauius peccatum mortale est maioris offensæ, quàm minùs graue, ergo peccatum mortale in ratione offensæ oon est simpliciter infinitum, prob. conseq. quia per minùs graue non offenditur Deus, quantùm offensibilis est; tùm quia nequit dari vnũ infinitum maius alio, ex dictis in Phys. disp.10. q.1. art.2 antec. prob. aliter Deus æqualiter offenderetur quolibet peccato, quod fuit error Stoicorum, & Iouiniani. Dices, peccata esse paria solùm in ratione offensæ, non verò quò ad malitiam. Contrà, magis offenditur persona grauiori peccato, quàm minùs graui, ergo peccata sunt inæqualia, etiam in ratione offensæ; prob. antec. qui lædit Regem percussione, supplicio est puniendus, non verò, qui tantùm verbis illum lædit, ista pęna non correspondet propter malitiam culpæ in se, quia si esset facta in aliam personam, non esset tali pęna digna, ergo correspondet ipsi, quatenùs est offensa Regis, quæ tamen nõ correspondet offensæ factæ solùm verbis, ergo maior est vna offensa, quàm alia etiam in ratione offensæ; ex grauitate autem pęnæ arguitur grauitas offensæ. Tùm quia grauior est offensa facta immediatè in Regem, quàm facta cõtrà edictum Regis, ergo grauius est peccatum immediatè contrà Deum, quàm aliud peccatum contra alia præcepta secundæ tabulæ, etiam in ratione offensæ; antec. patet, percussio cuiuscunque personæ est contrà Regem, quia contrà ipsius legem, & tamen grauior est percussio Regis in ratione offensæ, quàm alterius personæ.

9 Tertiò, nõ habemus cognitionem de infinita dignitate Dei, quantùm cognoscibilis est, ergo offensa in istam dignitatẽ nõ est infinita; prob. conseq. ignorantia dignitatis personæ minuit offensam in ratione offensæ, ergo offensa in Deum ex hoc capite minuitur, ergo non est infinita simpliciter, hæc conseq. prob. tùm quia vnum infinitum non est maius alio; tùm quia si ratio offensæ minuitur, & augetur secundùm perfectionem, vel imperfectionem cognitionis cum quælibet cognitio, quam de Deo habeamus, sit finita, offensa erit semper finita; antec. prob. si quis lædit magistratum habens ignorantiam vincibilem de tali dignitate, minùs offendit, quàm qui habet plenam cognitionem, & qui haberet ignorantiam inuincibilem, nullo modo offenderet, hinc offensæ puerorum paruipenduntur propter defectum cognitionis, & peccatum ex suo genere mortale potest propter semiplenam deliberationem fieri veniale, quo casu, etiã per aduersarios, nõ esset infinitum in ratione offensæ. Dices, saltim quia habemus cognitionem confusam de ista infinita dignitate Dei, sufficere ad contrahendam de facto malitiam infinitam. Contrà, carentia distinctæ cognitionis de Deo minuit voluntarium,

ergo

ergo minuit non solùm malitiam, sed etiam offensam; antec. patet, quia qualibet ignorantia minuit libertatem, vel secundum totum, si est inuincibilis, vel secundùm partem, si est vincibilis, sicut cognitio ex opposito auget voluntarium; maiori enim libertate offenderet Deum, qui haberet perfectiorem cognitionem de ipso, quàm nos; conseq. prob. offensa ideò est offensa, quia voluntaria, ergo quod minuit voluntarium, minuit offensam, sicut à pari, malitia ideò malitia, quia voluntaria, ergo quod minuit voluntarium, minuit malitiam.

10 Quartò, peccatum nō habet intrinsecè formam aliquam, quæ sit simpliciter infinita vt Quo, ergo non est simpliciter infinitum vt Quod; conseq. patet, quia vnicuiq; Quod correspondet suum Quo, & è cōtrà, vt notat Scotus 1.d.2. q.7. CC. antec. prob. quicquid est in peccato intrinsece, est finitum, & limitatum, quia creatum, ergo nihil est, quod sit infinitum vt Quo. Dices, hanc esse rationem offensæ, & iniuriæ in obiectum infinitum. Contrà, quia hoc est, quod quæritur, vnde scilicet offensa sumat hanc denominationem intrinsecam infinitatis simpliciter, non ex hoc, quia est contrà Deum, nam hæc est infinitas extrinseca, & obiectiua, aliquid aliud assignari debet intrinsecum ipsi offensæ, seù peccato. Dices cum Hurt. hanc denominationem sumi ab ipso Deo, qui intrinsece vt subiectum morale constituit offensam diuinam, vt explicui nu. 1. Contrà, si infinitas Dei talis esset, ergo esset infinitè odibilis vt Quo; patet sequela, quia offensa esset ab ipsa infinitate infinitè odibilis vt Quod. Tùm quia etiam peccatum veniale esset infinitum, quia sicut iniuria mortalis constituitur ex ipso actu peccaminoso, & ipso Deo vt subiecto morali malè affecto, ità veniale constituitur ex ipso actu, & Deo vt subiecto morali, ergo sicut quod infundit in mortale infinitatē simpliciter, est infinitas Dei, ergo idem de veniali dicēdum; Nec leuitas venialis obstat, quia ab hoc, quod est leuiter offendi, & grauiter offendi potest abstrahi conceptus communis offensæ, qui erit vniuocus, sicut vniuoca est ratio peccati ad veniale, & mortale in genere theologico, & in tali conceptu deberet in sententia Hurtadi includi Deus ipse vt subiectum morale offensæ in communi, & consequenter hæc offensa in communi erit simpliciter infinita. Quod etiam posset confirmari ex alio principio ab ipso cōcesso; nam inquit, quodlibet opus Christi (estq; communis doctrina apud aduersarios) quantumuis minimum, esse infiniti valoris, quia non attenditur hæc infinitas ex parte entitatis actus, sed ex infinitate suppositi operantis, quæ se habet vt forma informans moraliter illud opus, ergo licèt peccatū veniale sit leuissima offensa in se, adhuc tamen erit infinitum simpliciter, eòquia infinitas Dei se haberet vt subiectum moraliter informans. Ex hoc etiam deducas implicantiam huius locutionis Hurtadicæ, Deum scilicet esse simul subiectum, & formam, constituentem offensam in ratione offensæ infinitæ.

11 Dices cum Bernal, hanc infinitatem sumi ab infinita distantia offensoris ab offenso, eòquia quò vilior est persona offendens in ordine ad personā offensam, eò grauior est offensa, creatura autem verè, & realiter infinitè distat à diuina perfectione, & talis distantia infinita erit ratio, qua sumetur infinita magnitudo offensæ diuinæ, nam in se est realiter infinita. Contrà, hæc distantia etiam reperitur in peccato veniali, ergo veniale esset formaliter infinitum. Nec valet, quod ait num. 134. veniale æquiuocè dici offensam Dei, & consequenter æquiuocè participare de tantitate diuinæ offensæ, sicut homo pictus potest habere magnitudinē sexpalmarem, non tamen dici potest absolutè homo sexpalmaris, quia non est homo simpliciter, sed æquiuocè. Non valet, quia falsum est assumptum, vt modò ostendi contrà Hurtadum, possetq; ostendi rationibus illis, quibus nos Scotistæ solemus ostendere vniuocationem entis, & aliorum conceptuum communium; eòquia potest intellectus aliquis esse certus, quòd aliquis actus sit peccatum, & dubitare, an sit mortale, vel veniale, ergo habet conceptum cōmunem præcisum, & vniuocum, licèt secum admittat aliquam analogiam. Verè enim peccatum veniale non placet, imò displicet Deo, licèt leuiter, sed hæc leuitas non aufert infinitam distantiam offensoris. Dices cum alijs; hæc omnia probare, non dari in peccato aliquod infinitum in esse physico, non tamen ostendere, non dari in esse moris, & secundùm rectam æstimationem. Contrà, id dicitur moraliter tantæ magnitudinis, & non in esse physico, quod à magnitudine physica parùm recedit secundùm magnitudinem moralem, iuxtà illud parum pro nihilo reputatur, aliter non foret recta, & prudens æstimatio, si multùm excederet, sed infinitum non parùm, sed multùm, imò improportionaliter excedit finitum, ergo si peccatum in esse physico est finitæ entitatis, non poterit in esse moris æstimari secundùm regulas prudentiæ infinitæ entitatis.

12 Quintò, si hoc esset, non posset Deus propter vnum bonum permittere peccatū mortale, siquidem magis offenderetur peccato mortali permisso, quàm honoraretur bono inde sequuto, nam ex peccato mortali reciperet iniuriam infinitam simpliciter, ex bono autem, quantumcumq; fuerit excellens, cū esset simpliciter finitū, solùm haberet gloriam finitam, quod non videtur congruum rationi, nec conforme regulis prudentiæ. Accedit, estò opera Christi fuerint infiniti valoris ad satisfaciendum, non tamen fuissent sufficientia pro peccatis totius generis humani, si enim quodlibet peccatū mortale in ratione offensæ est simpliciter infinitum, singula peccata requirebant singula opera Christi, quibus compensarentur, plura enim infinita nequeunt vno infinito compensari adæquatè, sed si singula opera Christi fuissent singulis peccatis applicata, multa remansissent peccata, pro quibus nō fuisset facta satisfactio; nam certum est, peccata hominum, quæ fuerunt, sunt, & erunt, longè superare numerum operum Christi, ergo &c. Ais, plura infinita non posse adæquatè compensari vno infinito, si sunt eiusdem ordinis, posse tamen, quando illud vnū est altioris ordinis, vt in proposito, quia plùs est, Deū satisfacere, & obedire, quàm Deum offendi. Contrà, quia apud morales hæ duæ propositiones pari passu gradiuntur, *Satisfactio crescit ex dignitate personæ satisfacientis*, & *Offensa crescit ex dignitate personæ offensæ*, ergo quantùm meriti crescit in satisfactione ex dignitate personæ satisfacientis, tantùm demeriti crescit in offensa ex dignitate personæ offensæ, ergo demeritum duorum peccatorum adæquatè nō posset compensari ex infinito merito vnius actus Christi. Tandè posset probari ex implicantia infiniti, tàm in intensione, quàm in multitudine, quia necessariò essent in vno peccato infiniti gradus malitiæ, & in duobus peccatis duæ infinitates graduum, quod implicare fusè ostendi in Phys. disp. cit.

13 Hæ rationes vniuersaliter probāt de omni peccato, & consequenter etiā de occisione Christi; quod adhuc specialiùs ostenditur, quia occisio Christi potest habere maiorem, & minorem rationem offensæ, ergo nō erit simpliciter infinita; antec. prob. ex Ioan. 18. vbi Christus loquens Pilato de peccato propriæ necis, ait, *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*, & ratio huius est, quia Iudæi perfectiorem cognitionem habebant de Christo, quàm Pilatus, & ignorantia minuit, vt dicebamus; conseq. patet, quia nullum simpliciter infinitum potest suscipere magis, & minùs, nec vnum infinitum est maius alio. Tùm quia occisio Christi non priuat maiori bono, quàm quodlibet aliud peccatum mortale, ergo vel omnia erunt infinitæ malitiæ, vel nullum; antec. prob. sicut occisio Christi est destructiua Christi, ità quodlibet mortale peccatum, quantùm est ex affectu peccantis, est destructiuū Dei, & Christi, vt inquit D. Paulus ad Hebr. 6. vbi loquens de relapsis in peccata post baptismum, ait, *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes*; tum quia peccator ex proprio affectu nollet, Deum esse, aut iustum, aut vltimum finem; ergo occisio Christi non priuat maiori bono, quàm quodlibet aliud mortale peccatum; quod argumentum valdè prosequuntur aduersarij, vt videbimus.

14 Dices; disparem esse rationem, quia occisio Christi physicè priuat vita ipsius, alia peccata solùm moraliter. Contrà, ad contrahendam malitiam non requiritur actus exterior apud tribunal Dei, (quamuis apud homines requiratur, quia solùm iudicant de externis) nec volitio efficax, sed sufficit inefficax, interpretatiua, & virtualis volitio, sed quodlibet peccatum ex affectu peccantis est destructiuum Dei, & Christi, ergo licèt actu non destruat Deum, adhùc ex hoc capite deberent esse eiusdem malitiæ; maior patet, quia ex D. Bern. epist. 77. & D. Aug. de lib. arb. c. 3. *Voluntas pro facto reputatur, vbi factum excludit necessitas*; Dices; actum exteriorem saltim addere malitiam distinctam, & interiorē habere maiorem conatum, & intensionem. Contrà, hæc malitia per accidens se habet ad actum interiorem, & solùm numero, non specie differt, ergo quamuis non ponatur in esse actus exterior, interior semper habebit eandem malitiam; Nec circumstantia maioris conatus variat speciem, ergo nequit immutare naturam peccati; tùm quia hæc omnia sunt entia finita, ergo nō possunt causare malitiam infinitam; hoc argumentum est ad hominem. Vide infra q. 4. de satisfactione Christi, nam illa argumēta, quibus probatur, satisfactionem Christi non fuisse simpliciter infinitam, possunt ad propositum accomodari, & è conuerso.

Soluuntur obiectiones.

15 IN oppositum arguitur primò; grauitas offensæ crescit ex dignitate personæ offensæ, ex 5. Eth. c. 6. sed persona offensa per peccatum, scilicet Deus, est infinitæ dignitatis, ergo &c. Tùm 2. minima offensa facta Deo excedit quamcunq; iniuriam factam cuicunq; personæ, etiam grauiorem, & grauiorem in infinitùm, ergo est infinitæ grauitatis simpliciter; prob. conseq. ex hoc arguimus, Deum esse infinitæ perfectionis simpliciter, quia ex se excedit quodcūq; ens creatum perfectum, & perfectum in infinitum. Tùm 3. quò persona offendens est vilior, eò grauior est offensa, & iniuria, quam infert, sed creatura Deo collata, sicut ab eo infinitè distat, ità est infinitè vilis, & pro nihilo reputatur, vt dixit Isa. c. 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei*. Tùm 4. per peccatum infinitæ perfectiones Dei offendūtur, ergo &c. Tùm 5. quamuis bonitas actus non crescat ex dignitate obiecti, quia obiectum efficienter concurrit ad actum, ideoq; non communicat totam suam infinitatem in actum; attamen ad offensam concurrit in genere causæ quasi formalis, vnde moraliter quantificat, & dignificat offensam, & consequenter communicat totam suam infinitatem, ergo offensa crescit ex dignitate personæ offensæ.

16 Resp. hæc argumenta concludere, non solùm de peccato mortali, sed etiam veniali, de quo tamen negant aduersarij infinitatem; quapropter dico, argumenta calculatoria in multis deficere, nam si valerent semper, iam concluderent idem de actu amoris erga Deum, quod sit infinitæ perfectionis, eò quia quò perfectius est obiectum, eò perfectior est actus (etiam si obiectum ad actum concurrat efficienter, nec dignificet ipsum actum) item idem concluderent de volitione dandi elemosinam infinitis hominibus, vel occidendi infinitos homines; actus quoq; supernaturalis excedit quemcunq; actum naturalem perfectiorem, & perfectiorem in infinitum, & tamen non est simpliciter infinitus; substantia excedit quodcunq; accidens perfectius in infinitum, & homo quodcunq; animal irrationale perfectius in infinitum, Angelus quamcunq; creaturam corpoream, non tamen infertur infinitas simpliciter in istis rebus. Ratio est, quia dignitas personæ nō est causa præcisa grauitatis offensæ, alìter etiam si non cognosceretur dignitas personæ, sed inuincibiliter ignoraretur, adhùc contraheretur malitia offensæ, quod est falsum; concurrunt igitur aliæ causæ, præcipuè cognitio, & conatus potentiæ, quæ, cum sint finita, minuunt rationem offensæ, non ergo ex tali supputatione infertur infinitas simpliciter, & positiua, sed infinitas quædam secundùm quid, & negatiua, quæ potest dici summa, quatenùs per circumstantiam obiecti constituitur in tali specie, qua perfectior, & maior dari nequit, in se tamen, & intrinsecè est finitum ens; sic actus charitatis ex sua specie, quòd non possit perfectior reperiri ex parte obiecti, dicitur summus; in se tamen est finitus, & in eadem specie vnus est altero perfectior, ità peccatum in Deum in genere offensæ est maius, imò maximum obiectiuè, non tamen infinitum simpliciter, quia in tali genere vnum est grauius altero; & ratione istius infinitatis negatiuæ habet peccatum, quòd non possit satis explicari magnitudo grauitatis ipsius, sicut hac ratione nequit etiā explicari perfectio actus charitatis.

17 Ex alio etiam capite deficit ista calculatio, & supputatio vt dictum est in Phys. disp. 10. q. 2. art. 1. ad 3. quòd non ex quolibet excessu infinitarum rerum debet deduci infinitas simpliciter, & formaliter in excedente, nisi cum tali excessu adsit continentia formalis, vel eminentialis, vel virtualis minoris perfectionis, at quando non adest talis continentia, solùm arguitur excellentia gradus superioris respectu inferioris, qui sit alterius rationis, & ordinis, quem nunquam possunt res inferiores attingere; hinc dicebat Tatar. quol. 5. quòd non sequitur, hoc excedit illud in infinitum, ergo est infinitum, quia est arguere à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, sed oportet

ret addere, hoc excedit illud in infinitum infinitè. Accedit etiam, quòd cæteris paribus licèt vnus actus respiciat simul obiecta plurium actuum, non ob id æquiualet illis actibus intrinsecè, & formaliter, sed solùm obiectiuè, vt velle occidere centum homines nō æquiualet centum homicidijs, quia non continet virtualiter, aut eminenter illa homicidia, & quò plura respicit obiecta, cò decrescit æquiualentia, vnde velle occidere mille minùs æquiualet mille homicidijs, & consequenter decrescit etiam ratio offensæ; ex his

18 Resp. ad 1. distinguēdo maiorem, crescit ex dignitate personæ offensæ ad æqualitatem, nego, secundùm proportionem aliquam, concedo, sed nego conseq. quia solùm sequitur infinitas quædā negatiua, & secundùm quid, seù obiectiua, & extrinseca, non positiua, simpliciter, & intrinseca; ratio est, quia non est causa præcisa augmenti offensæ, nam ad augmentum dignitatis personæ deberet quoq; esse augmentum ex parte cognitionis, & conatus potentiæ, vt inferatur grauior offensa. Hinc non rectè aliqui Scotistæ absolutè negant, ex dignitate personæ augeri intrinsecè rationem offensæ, & malitiæ, sed solùm, aiūt, extrinsecè augeri; non rectè quidem, quia malitia, quæ ab obiecto sumitur, est intrinseca actui, similiter quæ sumitur ex circumstantijs, & prima est essentialis actui. Ad 2. distinguo antec. excedit propter excellentiam gradus superioris ordinis, cōcedo, propter contioentiam virtualem, eminentialem, vel formalem inferiorum offensarum, nego; seù excedit in infinitum infinitè, nego, finitè, concedo; & nego conseq. cum paritate, nam Deus non solùm excedit, sed etiam cōtinet eminenter omnes creaturas; aliter substantia, homo, Angelus, &c. essent formaliter infiniti. Ad 3. per idem, ex vilitate personæ crescit offensa proportionaliter, quia aliæ causæ adsunt, quæ minuunt offensam, scilicet Imperfectio cognitionis, procliuitas ad peccandum. Tùm quia creatura dicitur infinitè vilis, & nihil, non simpliciter, sed comparatiuè, propter excessum improportionatum, & indeterminatum ex parte Dei, in se tamen, sicut est ens, ita quoq; habet suam dignitatem, & æstimabilitatem. Ad 4. offenduntur infinitæ perfectiones modo finito, concedo, infinitè, nego. Ad 5. falsum est assumptum, quòd scilicet ad actum charitatis obiectum, vt terminat, non concurrat in genere causæ quasi formalis extrinsecæ, quapropter eodem modo in ratione terminatiui concurrit hic, & ibi, licèt etiam ad actum charitatis efficienter concurrat: vide num. 106. & seq.

19 Secundò, peccatum ex sua natura est destructiuum Dei, & causa tristitiæ ipsi Deo, ergo est infinitæ malitiæ; antec. prob. tùm ex Scripturis, & Patribus sæpè hoc asserentibus; tùm quia peccator, quantùm est ex se, nollet, Deum esse legislatorem, & iustum iudicem peccatorum, saltim quantùm est ex affectu peccantis. Tùm 2. si peccator per aliquem actum destrueret physicè Deum, actus ille esset infinitè malus simpliciter, ergo si destruit Deum, solùm ex affectu peccantis, adhùc erit infinitè malus, prob. conseq. quia vt dicebamus num. 14. non requiritur actus exterior ad cōtrahendam malitiam, sed sufficit interior, etiam inefficax. Tùm 3. saltim occisio Christi erit infinitè mala, quia priuat bono infinito, saltim in genere moris, nam Christus est infinitæ æstimabilitatis.

20 Resp. neg. antec. si propriè intelligatur, implicat enim, aliquid esse destructiuum illius, quod repugnat destrui, alioquin ignis posset dici calefactiuus Angeli, quamuis Angelus non sit calefactibilis; Deus autem neq; potest destrui, neq; tristari; tùm quia licèt esset destructibilis, adhùc peccatum ipsum nō destrueret, quia solùm extrinsecè aufert à Deo rationē vltimi finis, non intrinsecè, inferendo ei aliquod damnum; ad primam probat. dico, Scripturam, & Patres de peccato in hunc modum loqui, vt ostendant, malitiam peccati esse summam in genere mali, nec aliquid detestabilius reperiri posse in rerum natura; ad 2. probat. dico, non semper, qui peccat, explicitè habere affectum illum; & si adesset, non ob id arguitur infinita malitia, sicut qui vult occidere infinitos homines, non idcircò contrahit malitiam infinitorum homicidiorum intrinsecè, quia ex obiecto bonitas, & malitia non sumitur adæquatè, sed proportionaliter. Ad 2. concedo antec. quia tunc peccatum necessariò esset infinitæ entitatis physicæ, sed nego conseq. quia tunc affectus ille finito modo tenderet in Deum; quare non simpliciter negamus conseq. ex carentia actus exterioris, sed quia ex positione exterioris actus ponitur infinitas physica, & ex negatione remouetur hæc infinitas; ratio autem adducta num. 13. fuit ad hominem ex principijs concessis ab Aduersarijs, quia scilicet non curant de finitate actus in modo tendendi in Deum, sed solùm respiciunt infinitatem obiecti, quo admisso, rectè sequitur, omne peccatum esse infinitæ malitiæ; & hoc argumentum potest retorqueri de actu charitatis, qui ex se, vel ex affectu diligentis est constructiuus Dei. Ad 3. nego assumptum cum probatione, quia occisio Christi non abstulit aliquod ens infinitum, aliter occisores fuissent infinitæ virtutis, quod enim in morte Christi fuit destructum, fuit humanitas, vnio ipsius ad Verbum, & illud vnum, quod ex tali vnione resultabat, quæ omnia dicunt entitates finitas; an autem dicant infinitatem moralem, dicemus inferiùs; & licèt voluntas Hæbreorum fuisset occidendi Christum Deum, adhùc tale peccatum fuit intrinsecè finitum, quia finito modo tendebant in tale obiectum.

21 Tertiò, peccatum priuat nos Deo, qui est bonū infinitum, ergo est infinitæ malitiæ. Tùm 2. tàm malum, & tàm odibile est peccatum, quàm bonus, & amabilis est Deus, sed bonitas, & amabilitas in Deo est infinita, ergo &c. Tùm 3. peccatum est tàm dignum odio, quàm sint digna reliqua omnia mala pœnæ simul sumpta, sed inter omnia mala semper est aliquid odibilius in infinitum, ergo in peccato est infinita odibilitas actu infinita, quia quod in aliquo genere est syncathegorematicè infininitum, non potest superari, nisi ab infinito cathegorematico in illo genere. Tùm 4. peccatum est tantùm Deo exosum, & odibile, quantùm Deus desiderat nostram salutem, quia peccatum impedit nostram salutem, sed Deus infinitè desiderat nostram salutem, ergo peccatum infinitè est Deo exosum; min. prob. propter nostram salutem Deus carnem assumpsit, & mortuus est, ergo infinitè desiderat nostram salutem, antec. est verum, saltim in carne passibili; conseq. prob. incarnatio, & mors Christi est maximum donum, quo maius excogitari nequit, vt communiter asserūt Patres, præsertim Aug. de prædest. Sanctorum c. 15. ergo amor nostræ salutis est talis, vt maior excogitari nequit, ergo infinitè desiderat nostram salutem, prima conseq. prob. quia effectus non excedit in perfectione suam causam, sed passio est effectus amoris, & maximum donum, ergo &c. secunda conseq. prob. si no

infinitè,

infinitè, ergo finitè, ergo posset maius excogitari, quia quodcumq; finitum potest excedi per additionẽ alterius, vel intensionem etiam in infinitum ex dictis in Phys. disp. 10.

22 Resp. ad 1. priuat nos Deo extrinsecè, & obiectiuè, idest vt fine, & obiecto, formaliter autem priuat rectitudine, demeritoriè priuat gratia, & beatitudine, quæ omnia sunt entia finita. Ad 2. neg. maior, quia peccatum non est priuatio diuini esse; vnde tàm odibile est peccatum, quàm amabilis est rectitudo, qua priuat. Dices, qui occidit Regem, est maxime supplicio puniendus, qui non occidit Regem, non est maximo præmio remunerandus, ergo plùs est peccatum odibile, quàm bonitas opposita amabilis. Resp. aliud est loqui de amabilitate, & odibilitate, & aliud de imputabilitate ad præmium, & pœnam, nam de primo pari passu gradiũtur odibilitas peccati, & amabilitas rectitudinis oppositæ, ratio est, quia omne nolle præsupponit velle, ergo nolle peccati præsupponit velle rectitudinis oppositæ, vnde tantùm homini displicet ægritudo, quantùm amat sanitatem, at imputabilitas nõ solùm attenditur in ordine ad bonitatem, & malitiam actuum, sed præcipuè in ordine ad debitum, & obligationem, quò enim actus debetur maiori titulo, eò minùs est præmiabilis, & eius oppositum magis punibile, quo minori titulo debetur, eò est magis præmiabilis, & oppositum punibile cæteris paribus, quia ergo carentia occisionis Regis multis titulis, & iuribus debetur, non est tàm præmiabilis, è contrà occisio est maximè punibilis; at fortiter dimicare v.g. quia minori titulo debetur, hinc est maximè præmiabile, & oppositum est minùs punibile. Hoc autem propriè pertinet ad Tractatum de Actibus humanis.

23 Ad 3. ex dictis resp. ex illa calculatione solùm inferri infinitatem negatiuam, seù excellentiam superioris gradus, & ordinis, non verò infinitatem simpliciter, & positiuam; & ad probat. dico, si infinitum syncathegorematicum excederetur infinitè, & per continentiam eminentialem, concedo, excedi debere ab infinito cathegorematico, at si excederetur finitè, & solùm propter excellentiam gradus superioris, nego. Ad 4. aliud est loqui de infinitate se tenente ex parte actus diuini, aliud de infinitate ex parte obiectorum, Deus infinito amore nos amat, & nostram salutem, non tamen nostra salus, & nos habemus infinitam amabilitatem, sicut infinita cognitione nos intelligit, non tamen sumus infiniti; sic infinito odio odit peccatum, quia actus diuinæ voluntatis est infinitus, non tamen sequitur, peccatum in se habere infinitam odibilitatem.

24 Quartò, peccatum habuit vim intrinsecam se transfundendi ab Adamo in homines infinitos, ergo est infinitæ malitiæ. Tùm quia peccatum ex sui natura est punibile pœna infinita secũdùm durationem, ergo est infinitæ malitiæ. Tùm 3. quæcunque pœna sensus, etiam infinita, est minùs malum, quàm peccatum, nam quacunque posita, potest Deus acerbiorem pœnam exigere, ergo peccatum est infinitæ malitiæ, non solùm extrinsecè, & obiectiuè, sed etiam intrinsecè, & intensiuè.

25 Resp. ad 1. talem vim conuenisse peccato, non ex sui natura, sed ex ordinatione diuina, quatenùs omnes homines obligauit in Adam. Ad 2. dico, pœnam illam non esse infinitam intensiuè, sed extensiuè, quæ etiam peccato correspondet, non ex propria natura, sed ex ordinatione diuina ità disponente; cuius rationem assignat Scotus in 4. in fine, quia cum peccatum semper duret in damnatis, necessarium fuit, vt pœna etiam semper duraret; tùm quia hoc expediens fuit ad retrahendos homines à peccatis, quia si pœna non duraret, parùm, aut nihil timoris posset in homines incutere; Tùm quia probaretur etiam, actum meritorium esse infiniti valoris, quia præmium correspondens, scilicet beatitudo, est extensiuè infinita; quapropter proportio inter culpam, & pœnam, vel inter meritum, & præmium attendi debet penès intensionem, non penès extensionem. Ad 3. solùm sequitur, peccatum in ratione mali esse altioris ordinis, vnde id etiam verificatur de veniali, non autem sequitur, quòd pœna non possit proportionari culpæ, quia ad hanc proportionem non exigitur æqualitas in entitate, sed solùm, quód sit tanta, quantam exigit natura peccati secundùm regulas prudentiæ, & iustitiæ; quæ vtiq; potest esse finita, saltim secundùm intensionem.

26 Contrà insurgunt Coninch. & Hurt. cit. secundùm veritatem, & communem hominum extimationem pœna durans per duas horas, cæteris paribus, simpliciter in ratione pœnæ est duplò grauior ea, quæ solùm durat per horam, ergo quæ durat per horas infinitas, erit infinitè grauior ea, quæ durat per vnam horam, si cætera sint paria, ergo peccato correspondet pœna infinita simpliciter, ergo sicut si corresponderet pœna infinitè intensa, esset infinitæ malitiæ, ità à pari, quia correspondet pœna extensiuè infinita, erit infinitæ malitiæ, quia hæc pœna est simpliciter infinita in ratione pœnæ. Tùm 2. imputabilitas ad pœnam est passio sequens ipsum peccatum, ergo vel peccatum est imputabile ad pœnam infinitam, & habetur intentum, vel finitam, & hoc est falsum, quia tũc possent damnati finito tempore sufficienter puniri, & consequenter non citrà condignum, sed vltrà condignum, & iniustè per æternitatem detinerentur in cruciatibus inferni, quia Deus exigeret solutionẽ maiorem debito, & maiorem in infinitum. Tùm 3. ratio de perpetuitate malæ voluntatis non valet, quia damnati nõ puniuntur propter illam malam voluntatem, sed propter peccata in hac vita commissa. Tùm 4. si quis commisisset per impossibile infinita peccata venialia, quorum singula mererentur pœnam vnius horæ intensam vt vnum, iste talis, vt vna hora de condigno posset puniri, deberet pati pœnam infinitè intensam; sed peccatum mortale non est minoris malitiæ, neq; minorem pœnam meretur, quàm infinita peccata venialia, ergo &c. Neq; dicas, peccatum mortale esse alterius rationis à veniali, ideòque non posse fieri rectam comparationem. Non valet, quia si numerus aureus in perfectione materiæ cum infinitis argenteis comparetur, erit vtique semper melior; at si cõparetur in ratione pretij, sicut numm: argentei sunt pretij infiniti, ità si aureus excederet adhùc in ratione pretij, esset infiniti pretij; ergo licèt mortale in entitate non sit comparabile cum veniali, quia alterius rationis, attamen posset in valore comparari, & si valor mortalis excedit valorem infinitorum venialium, certè erit infinitus.

27 Resp. ad 1. distinguẽdo antec. est duplò grauior extensiuè, concedo; intensiuè, nego, non enim negatur, extensionem pœnæ addere ad rationem pœnæ, sed solùm, quòd per hoc non est simpliciter infinita in ratione pœnæ, cum possit ex parte intẽsionis intendi,

& remitti. Ad 2. dico, peccatum ex se esse imputabile ad pœnam finitam in intentione, & extensione, imputatur tamen ad pœnam finitè extensam ex ordinatione diuina; quarè concedo, damnatos posse sufficienter finito tempore puniri, spectata natura intrinseca peccati, non tamen diuina ordinatione inspecta; nec per hoc iniustè puniuntur; quia talis ordinatio nō subsequitur peccatum, sed antecedit, nam Deus ab æterno, sicut ordinauit, pro quolibet actu meritorio deberi præmium infinitum extensiuè, ità quoq; ordinauit, pro quolibet peccato mortali deberi pœnā æternam; neq; hoc fuit iniustum, sed maximè regulatum ab ipsa sapientia infinita Dei; nam prudentia docet, quòd in minimis, si spectant ad bonum Reipublicæ, & grauissimum timeatur damnum resultare, imponatur grauissima pœna; sic tempore pestis grauissimè punitur viator, etiam pœna capitali, si secum non defert chyrographum, aut cautionem sanitatis, vt dicitur in statu ecclesiastico sunt excōmunicati excōmunicatione Bullæ in Cœna Domini extrahentes victualia, vt frumentum, & legumina à statu ecclesiastico, & tamen si in se considerentur hæ transgressiones, nō sunt tam graues, sicut homicidium, v.g. adulterium, &c. quibus non sunt imposita tam atrocia pœnæ; non ob aliam causam, nisi quia transgressiones illæ cadunt in maximum damnum Reipublicæ.

28 Sic in proposito, quia maximè ad bonum Vniuersi pertinet, vt homines, & omnes creaturæ Deo omnimodè subijciantur, & obediant, hinc ad retrahendos homines à peccatis, debuit peccato æterna pœna infligi; etenim si modò difficulter ex tali motiuo æternæ pœnæ homines à peccatis abstinentur, quantò magis si pœna fuisset temporalis? supposita igitur tali ordinatione, iustè damnati æternaliter puniuntur; nec vltrà condignum puniuntur, sed condignè quò ad extensionem, vt citra condignum quò ad intensionem; hinc Scotus 4. d. 46. q. 1. K. docet, Deum posse iustum iustè damnare, quia non tenetur vllis legibus. Alia quoq; adest congruentia, nam peccator peccādo reddit se inhabilem, vt possit denuò in Dei amicitiam redire, ipsiq; satisfacere, quia neq; ex se, neq; per quodcunq; aliud, excepto Deo, potest aliquem actum meritorium, & supernaturalem elicere, & consequenter quantùm est ex se, priuat se bono extensiuè infinito, scilicet beatitudine; ità Scotus in 4. d. 46. q. 4. ad 4. quod explicat de seruo se proijciente in foueam, è qua non possit, nisi Domini auxilio exire, vnde quantum est ex se, habuit voluntatem interpretatiuam manendi semper in tali statu; quæ ratio præcipuè valet de pœna damni; & in hoc sensu intelligendus est Scotus, cum ait loc. cit. quòd pœna temporalis sufficeret pro culpa, scilicet, loquendo de peccato in se, & cum in 4. d. 49. q. 6. O. docet, infinitatem præmij, & pœnæ nō cadere sub meritum; quod etiam repetit in 4. in fine, idest præscindendo ab ordinatione diuina, & secundùm proprias rationes formales.

29 Ad 3. per idem resp. damnatos, verum esse, actu non puniri propter illam malam voluntatem, sed quia fuerunt in causa, vt quantum esset ex seipsis in tali statu semper permanerent. Ad 4. dico, peccatum mortale excedere in pœna veniale ex ordinatione diuina, non ex propria natura; & hac ratione dicitur maioris ordinis, etiam quò ad demeritum, quàm infinita peccata venialia, vnde differunt genere theologico, non in genere moris, vt in plurimum, idest secundùm magis, & minùs, quæ non variant speciem in genere moris, vt dicitur in tract. de peccatis, & colligitur ex Scoto 4. d. 21. q. 1. ad 2. Dices, ergo saltem in genere theologico, quia mortale excedit demeritum infinitorum venialium, erit demeriti infiniti. Resp. idem dici posse de actu supernaturali meritorio, cuius meritum excedit valorem infinitorum actuum naturalium; nego igitur conseq. quia non est excessus per continentiam virtualem, vt dixi num. 17.

30 Quintò, peccatū mortale pro nullis bonis mundi, tàm existentibus, quàm possibilibus faciendum est, itaut ipsius malitia superet omnem bonitatem, & vtilitatem istorum; & obligatio vitandi illud est infinita, quia est maior omni obligatione possibili, ergo ex his capitibus est simpliciter infinitum. Tùm 2. cū Patres dicunt, peccatum habere infinitatem, non significant tantùm, quòd sit malum infinitum, quia contrà obiectum infinitū, nam hoc modo etiam actus supernaturales, quibus in Deum tendimus, essent infinitè boni, quod nullus asserit, ergo aliam infinitatē præter obiectiuam, & extrinsecam adstruere volunt Patres in offensa Dei, & talis erit intrinseca, & simpliciter. Tùm 3. peccatum exigit satisfactionem infiniti valoris, nam pura creatura non potest satisfacere de condigno pro peccatis, ergo est infinitum simpliciter.

31 Resp. ad 1. idem verificari de veniali, quod tamen non est infinitum; quapropter ratio, cur peccatum non est faciendum pro omnibus mundi bonis, nō est infinitas, sed quia ex sua ratione nequit non esse malum, & illicitum; quod non infert infinitatem in malitia. Ad 2. Patres solùm intendunt explicare illā summitatem offensæ in peccato, quæ est infinitas negatiua; non verò infinitatem positiuam, & intrinsecam. Ad 3. patebit ex dicendis in hac disput. q. 4. & vlt.

32 Sextò, peccatum ex sui natura meretur carentiam omnium bonorum, etiam vnionis hypostaticæ, quæ est bonum infinitum, ergo est formaliter infinitum. Tùm 2. si Verbum dimisisset in hac vita humanitatem, quæ postea commisisset aliquod peccatum mortale, tale peccatum destruxisset omne meritum Christi, quod fuisset infinitum, ergo ex sui natura est malitiæ infinitæ. Resp. hæc omnia peccatum non habere ex se, sed ex ordinatione diuina, quia de potentia absoluta loquendo, peccatū potest stare cum vnione hypostatica, vt suo loco dicemus, & etiam cum gratia, cui non opponitur formaliter, sed solùm demeritoriè, vt nunc suppono ex tract. de peccatis; vnde solùm demeritoriè est destructiuum cuiuscunq; meriti.

Quæstio Secunda.

Quisnam fuerit finis diuinæ voluntatis, an excellentia huius vnionis, an verò remedium peccati, itaut si Adam non peccasset, Verbum non fuisset incarnatum.

33 DVæ extant in hac quæstione famosæ opiniones, prima, quòd voluntas diuina voluerit humanitatē assumi à Verbo solùm propter remedium peccati, & consequenter si tale peccatū nō fuisset, nec incarnatio quoq; fuisset executa; secūda, quòd finis præcipuus, & primarius fuerit excellentia huius mysterij,

secunda-

secundarius verò redemptio generis humani, ideóq; si defecisset hic finis, quia primus adhùc remansisset, Verbum quoque fuisset incarnatum; idcircò quæstio hæc coincidit cum illa, quæ in disp. de prædest. Christi ab alijs agitari solet, an scilicet prædestinatio Christi fuerit facta ante præuisionem peccati.

34 D. Tho. 3. p. q. 1. art. 3 vbi omnes Thomistæ, sustinet, finem primarium huius vnionis fuisse remedium peccati, atque adeò docet, prædestinationem Christi fuisse factam post præuisionem peccati; hanc opinionem amplectuntur etiam D. Bon. in 3. d. 1. art. 2. q. 2. Riccard. art. 2. q. 4. Argent. art. 4. Gabr. d. 2. dub. 3. & 6. Vasq. 3. p. disp. 10. Beccan. c. 1. q. 5. & seq. Ioan. de Lugo disp. 7. sect. 1. & seq. Bernal disp. 16. & alij quamplures. Verùm vt explicent ordinem, quo Deus præuidit peccatum, & Christum prædestinauit, discrepant inter se.

35 Caietanus enim distinguit tres ordines rerum, naturalem, supernaturalem, seù gratiæ, & vnionis hypostaticæ; primi ordinis sunt omnes res naturales, & defectus, qui vel sunt in purè naturalibus, vt monstra, vel in animalibus, vt ęgritudines, vel in rationalibus, vt ignorantia, & malum moris, scilicet peccatum. Secundi ordinis sunt omnia dona supernaturalia, præter vnionem hypostaticam, quæ est tertij ordinis, & isti ordines ità se habent, quòd tertius supponat secundum, & primum, secundus supponat primum; cumque in cognitione diuina ordo prioris, & posterioris debeat attendi penès obiecta, quæ offerũtur, sequitur, quòd antequam Deus prædestinauerit aliquem ad gloriam, quæ est secundi ordinis, debuit ipsum cognoscere quò ad omnia, quæ ad ordinem naturæ spectant, inter quæ sunt peccata, & cõsequenter priùs cognouit peccatum, quàm voluerit aliquẽ prædestinare, & quia ad hoc necessaria erat Christi incarnatio, ideò posteà elegit, Verbum carnem assumpturum.

36 Aliter alij distinguunt hæc signa, nam primò, inquiunt, Deus sua scientia cognouit varios ordines rerum possibilium, in quibus Adamum creare poterat, & præterea quid in quolibet ordine futurum esset, si Adamum creasset in tali, vel tali ordine; secundò fuit libera Dei voluntas creandi Adamum in eo rerum ordine, in quo creauit; tertiò fuit præscientia peccati Adæ cum necessitate contrahendi peccatum originale in posteris, & certo periculo perpetrãdi peccata actualia; quartò voluntas, seù decretum redimendi genus humanum per incarnationem, & cõdignam satisfactionem ex meritis Christi; quintò voluntas distribuendi dona gratiæ propter merita Christi, & hic incipit hominum prędestinatio; ità Beccanus q. 7. Addit Ioan. de Lugo sect. 2. Deum post præscientiam omnium rerum in primo signo, & ante voluntatem creandi mundum, habuisse affectum quẽdam simplicem erga Christum, & voluntatem quasi antecedentem, non tamen adhùc efficacem, ex quo affectu cætera voluisse, itaut post præuisionem habuerit deinde voluntatem efficacem aduentus Christi, qui affectus ponitur similis voluntati antecedenti, qua nobis vult beatitudinem, & auxilia præbet ad illius consecutionem, vnde Deus dicitur moueri ad danda nobis auxilia propter beatitudinem, tanquam propter finem, quam tamen Deus nõ vult semper voluntate efficaci, sed affectu simplici; & hoc addit, vt saluet, Christum esse finẽ omnium rerum. Alij alios ordines assignant, quos breuitatis causa omitto.

37 Scotus autem in 3. d. 7. q. 3. & d. 19. q. vn. A. docet, motiuum diuinum fuisse excellentiam huius misterij, itàut si Adam non peccasset, adhùc Verbum fuisset incarnatum; quam opinionem sustinent quoq; Alensis 3. p. q. 2. memb. 13. Alb. in 3. d. 10. art. 4. Cather. opusc. de eximia Christi prædest. Iacob. de Valent. in psal. 81. & Suarez disp. 5. qui tamen aliqualiter discrepat, nam sect. 3. & 4. concedit, Deum voluisse ex vtroq. motiuo incarnationẽ, quorum quodlibet sufficiẽs erat ad ponendã incarnationẽ, vnde deficiente secundo scilicet remedio peccati, si Adam non peccasset, adhùc fuisset incarnatio propter primum; sed sect. 5. addit non fuisse vi primi decreti, sed alterius, quia, inquit, Deus primo decreto, quod habuit de facto, determinauit incarnationẽ exequi cõgruentiori, & perfectiori modo; per præscientiam autem vidit peccatum Adæ, & incarnationem vt remedium fore perfectiorem, quàm si non fuisset remedium, Idcircò si Adam non peccasset, Christus non venisset vi illius decreti exequendi incarnationem perfectiori, & excellentiori modo, sed vi alterius diuersi, & in hoc sensu explicat Patres, asserentes, Adamo non peccante, Christum non venturum, scilicet ex vi decreti; quod habuit de facto.

38 Inter has opiniones extremas videntur mediare Auersa, & Hurtadus; nam Auersa q. 6. sect. 2. 3. & 4. docet, Deum in primo signo decreuisse ante prę uisionem peccati communicare se creaturæ rationali ob suam infinitam bonitatem, præscindendo à natura angelica, vel humana (sicut in sententia Scoti in primo signo Deus determinauit Christum venturum præscindendo à carne passibili, vel impassibili) post præuisionem verò peccati determinasse assumpturum naturam humanam in carne passibili, & hoc modo saluat omnes authoritates asserentes, remedium peccati fuisse motiuum aduentus Christi; hinc cõsequenter docet, Adamo non peccante, futuram incarnationem, an autem in natura humana, vel angelica, non posse nunc certò determinari, quia pendet ex alio decreto, quod stante nõ existentia peccati Deus habuisset. Hurtadus verò disp. 13. asserit, Christum hominem fuisse prædestinatum ante præuisionem peccati, & consequenter, si peccatum non fuisset, Christum extiturum in mundo; sed addit, in hoc signo Christũ fuisse electum ob suæ excellẽtiam, dignitatem, & alios fines à Scoto relatos, ac insuper in remedium peccati, si committeretur; & hoc docet, vt saluet authoritates Scripturæ, & Patrum, assignantes pro causa Incarnationis non solùm quò ad modum, sed etiam absolutè quò ad substantiam remedium, & subleuationem à peccato; Quapropter hæc est præcipua differentia inter Hurt. & Suarez, quòd ille hæc duo motiua simul ponit in eodem signo, vnum absolutum, alterum conditionatum, si scilicet peccatum committeretur, Suarez verò secundum motiuum, scilicet remedium peccati in ordine ad substantiam incarnationis ponit in posterioribus signis, & post præuisionem peccati.

39 Pro intelligentia not. quòd hic non loquimur de possibili, quia sic certum est, peccato non existente, potuisse Deum carnem assumere, & non assumere, pro vt vellet, sed de facto, ex vi decreti, quo de facto primò incarnationem facere constituit. Et quamuis Deus vnico, & simplicissimo actu intelligendi omnia intelligat, & vnico actu volendi omnia velit, & decernat; attamen dicere solemus, vnum obiectum priùs alio intelligi, vel esse volitum,

qui ordo prioris, & posterioris est obiectiuus, prout variè obiecta sunt inter se ordinata; Vt autem hic ordo explicetur, aduertendum, quòd hic ordo potest versari inter res vt scitas, & vt volitas, vel inter ipsas vt scitas tantùm, aut vt volitas solùm; primo modo res, quæ scitur scientia simplicis intelligentiæ, quę ad res omnes possibiles terminatur, dicitur antecedere seipsam vt volitam, quia intellectio præsupponitur voluntati, & eadem res vt volita à Deo dicitur pręcedere seipsam vt scitam scientia visionis, quæ ad res futuras terminatur, quia principium omnis actionis liberę ad extrà est ipsa diuina voluntas. At loquendo de rebus vt scitis tantùm per scientiam simplicis intelligentiæ, quia hæc est naturalis, terminatur ad essentias rerum, vt sunt in se, quare illæ res, quæ sunt inter se ordinatę, dicuntur etiam ordinatè intelligi, quæ scilicet pendet ab alia, posterius dicitur intelligi, illa verò, à qua alia pendet, dicitur priùs intelligi. Verùm loquendo de rebus, vt volitis, quia voluntas est libera, & potest vnam rem velle, prætermissa nobiliori, ordo inter res volitas nõ debet necessariò attendi penès res ipsas, sed prout ordinantur à voluntate in ratione mediorũ, & finis, nam priùs voluntas, inquit Scot. cit. ordinatè volens vult finem, quàm media, sicut prior est volitio propter se, quàm propter aliud, & inter media, priùs vult illa, quæ sunt fini propinquiora, quàm remotiora, ratio est, quia media, quæ sunt inter se subordinata, ità se habent, quòd proquinquiora habent rationem finis sub fine respectu remotiorum, & consequenter priùs sunt volita.

40 Ex hac doctrina Doctor cit. hæc signa distinguit inter obiecta scita, & volita à Deo; primò enim Deus intelligit se sub ratione summi boni secundò intelligit omnes creaturas possibiles, inter quas præsentatus etiam fuit mũdus iste tanquam possibilis, quem à principio condidit; tertiò volens suæ bonitatis manifestationem, prædestinauit electos homines, & Angelos; inter quos primus fuit Christus prædestinatus non solùm ad gloriam, sed etiam ad vnionem hypostaticam, sub quo tanquam sub capite, rectore, & duce omnes prædestinati regnarent, & circa alios habuit actum negatiuum, non prædestinando; quartò præuidit homines casuros in Adam; quintò præordinauit, & præuidit de remedio, quòd scilicet redimerentur per mortem, & passionem Christi; atque ità Christus priùs fuit volitus in se, scilicet in tertio signo, quàm fuerit præuisa, & determinata passio; & consequenter habetur, ex vi primi decreti, quo Deus Christum elegit ad gloriam, eum venturum etiam peccato non existente; ratio est, quia ordinatè volens priùs vult finẽ, quàm media ad finem, sicut medicus priùs vult ęgroto sanitatem, quàm ordinet medicinam; ergo Deus, qui est ordinatissimum agens, priùs voluit electos ad gloriam, & gratiam, quæ habent rationem finis, quàm præordinauerit Christi passionem tanquam medicinam. Inter hęc autem signa explicanda est discrimen quò ad tertium, nam Suarez sect. 2. conclus. 3. vult, Christum fuisse simul cum omnibus electis prædestinatum; quia fuit prædestinatus vt caput, & princeps, & auctor glorię omnium electorum, ergo simul cum illis fuit electus; at Lich. 3. d. 7. q. 3. & Vulper disp. 5. art. 3. docent, priùs Christum fuisse electum, & in posteriori signo fuisse propter se [illegible] electos ad gloriam prædestinatos, vnde tertium signum in alia partialia diuidunt, sed est discrimen parui momenti, & potius in modo loquendi; re vera tamen Scotus videtur locutus in priori sensu: quę omnia ex dicendis magis patebunt.

41 Dico primò; Deus, statim ac voluit se communicare creaturis, determinauit, & prędestinauit Christum Deum, & hominem, vt esset caput, & finis omnium creaturarũ; ità Scotus cit. prob. primò ex Prou. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*; quem locum, licèt multi Patres explicent de Sapientia increata, attamen multi alij intelligunt de Christo, vt homine, tùm quia ly *possedit* Septuaginta vertunt, *creauit*; tùm quia non diceret *Dominus*, quia Pater non dicitur Dominus Verbi, vt Deus est, sed vt homo; ità Athan. ser. 3. contrà Arrianos, Cyrill. Alex. lib. 5. thesaur. c. 4. & 8. imò Concil. Hyspalense II. c. 13. & Iustinianus in edicto fidei, & alij quamplures apud Suarez; per ly *viarum suarum*, non solùm intelliguntur opera redemptionis, vt asserunt aduersarij, sed etiam omnia alia opera Dei secundùm Athan. cit. tùm quia explicans Spiritus Sãctus ly *antequã quidquã faceret à principio*, subdit, *ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret*, &c. ecce quòd est sermo de mundi constitutione. At respondent, Christum hominem dici *initium viarum Dei*, non ordine causalitatis, sed excellentiæ, iuxtà illud, quòd de Behemoth Iob. 40. dicitur, *Ipse est principium viarũ Dei*, & de nobis dicitur Iac. 1. *Voluntariè nos genuit, vt simus initium aliquod creaturæ eius*, idest principatum habeamus inter creaturas visibiles. Sed contrà, quia Spiritus Sanctus non solùm loquitur de creaturis à Deo productis, quo sensu posset habere locum prædicta expositio, sed de productionibus ipsarum, & de ordine secundùm prius, & posterius, qui est ordo causalitatis, & ait, Christum omnia præcessisse, ergo fuit primò inter omnes creaturas electus tàm ordine excellentiæ, quàm causalitatis.

42 Secundò, ex D. Paulo ad Coloss. c. 1. Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, iuxtà illud Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*, & loquitur Apostolus de Christo vt homine, nam vt Deus dicitur vnigenitus, non primogenitus, & sic exponunt Ansel. & Hier. ibi, & Concil. Sardicense in epist. ad omnes fideles; & idem habetur ad Rom. 8. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, vbi Chrisost. eodem modo exponit. Aiunt, Christum dici primogenitum inter electos propter suam maximam excellentiam, & ordine dignitatis, sicut de populo Hæbreo dicitur Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israel*, non autem, quòd primò fuerit prædestinatus, & ordine intentionis. Contrà, quia textus ipse clarè loquitur de ordine intentionis, dum subdit, *Ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesię, qui est principium, primogenitus ex mortuis*, vbi nequit esse sermo de Christo vt Deo, sed vt homine, quia vt sic est caput corporis Ecclesiæ.

43 Tertiò, Christus est causa exemplaris prædestinationis nostræ, & electionis ad gloriam, ergo prior alijs fuit prædestinatus, prob. consequen. quia causa præcedit effectum, non subsequitur; anteced. prob. ex Apost. ad Roman. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, vbi ex dictis loquitur Apost. de Christo vt homine, cui prædestinati conformes esse debent, tàm secundùm animam, iuxtà illud 1. Corinth. 15. *Si portauimus imaginem terreni*,

terreni, portemus imaginem cælestis, tàm etiam secundùm corpus, vt habetur ad Philipp. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*; hanc autem conformitatem non habent Beati solùm, quia sic eam sunt habituri, aliter quilibet prædestinatus posset dici conformis Angelo, vel B. Virgini, ergo electi specialiter ad Christum dicuntur habere conformitatem tāquàm ad causam exemplarem, mensuram, & metrum omnium: vide disp. seq. q. 2.

44 Resp. Ioan. de Lugo his omnibus, Christum antè omnes creaturas fuisse volitum vt hominem, & vt causam omnium, tàm quò ad prædestinationem, quàm quò ad productionem, non quidem intentione efficaci, qua primò voluerit Christum producere, quia hæc subsecuta est præuisionem peccati, sed simplici affectu, & voluntate antecedenti, quo pacto dat omnibus Deus auxilia sufficientia propter beatitudinem, quam solùm voluntate antecedenti vult omnibus vniuersaliter, non efficaci, nisi electis tantùm. Contrà, quia textus ipse destruit hanc responsionem, dùm enim ait, *Dominus possedit me*, seù *creauit*, est sermo de voluntate efficaci, quia loquitur de decreto condendi omnia futura, quod spectat ad voluntatem efficacem, sicut etiam colligitur ex toto illo cap. Similiter dùm dicitur, Christum prodijsse primogenitum ante omnem creaturam, non est sermo de simplici affectu, sed de voluntate efficaci, nam prodire dicit voluntatem, & decretum productionis, idem clarius deducitur ex alio contextu, *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*; Et tandem, quo pacto dicetur Christus causa exemplaris nostræ prædestinationis propter illum simplicem affectum? si enim peccatum non fuisset, nec Christus vtiq; in sententia ipsius fuisset, & sic fuisset effectus, scilicet nostra prædestinatio sine causa; Tùm quià, quæ sunt volita à Deo voluntate antecedenti, quantùm spectat ex parte ipsius Dei, erunt à parte rei, si non aderit impedimentum ex alio capite, vt patet de beatitudine, quam omnes possemus obtinere, quantùm attinet ad ipsum Deum, & si non obtinetur, prouenit ex nobis, non ex Deo, ergo si Christus fuit volitus voluntate antecedenti, iam quantùm spectabat ad Deum, extitisset, qua ergo ratione Christus non fuisset? nō ob aliud, nisi propter carentiā peccati, ergo positio peccati fuisset per se volita à Deo, sicut positio meritorum est à Deo volita ad dandam beatitudinem hominibus, ratione cuius carentiæ posteà denegat reprobis beatitudinem. Tùm quia, quod est propter se volitum, est efficacius, & magis volitum, quàm quod est propter aliud volitum, iuxtà regulam posteriorristicam, *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*, ergo si Christus fuit à Deo per se volitus, & cætera omnia propter ipsum, si hæc omnia fuerunt efficaciter volita, multò magis ipse Christus, ergo non tantùm simplici affectu, sed voluntate efficaci fuit Christus primò volitus à Deo.

45 Dices; beatitudo est à Deo propter se volita omnibus hominibus, auxilia sufficientia propter beatitudinem, & tamen volitio auxiliorum adimpletur, quia præbentur actualiter omnibus, nō tamen volitio beatitudinis; idem in proposito de volitione Christi, & creaturarum. Contrà, quia beatitudo quò ad consecutionem non pendet solùm à voluntate diuina, sed etiam à nostra cooperatione tanquàm à causa, & medio, quæ etiam dicitur à Deo volita antecedenter, idcircò deficiente nostra cooperatione, deficit consecutio nostræ beatitudinis, non sic autem collatio auxiliorum sufficientium, quæ totaliter pendet à diuina voluntate; at in proposito peccatum non est causa executionis incarnationis, nec est volitum à Deo, idcircò si Deus voluit Christum vt finem omnis creaturæ, magis voluit Christum, quàm alias omnes creaturas.

46 Dico 2. ista prædestinatio fuit facta antè præuisionem peccati, & consequenter si Adam non peccasset, adhùc Verbum incarnatum fuisset; ita Scotus cit. estq; apertissimè Ruperti Abb. lib. 3. de gloria, & honore Filij hominis in Matt. & alijs in locis apud Suarez; prob. primò authoritate Cyrilli 5. thesau. c. 8. vbi ait, *Præfundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur, idq; antè initium mundi in præscientia Dei*, &c. quod explicat exemplo Architecti ponentis firmum fundamentum, vt si domus Regis aliquando rueret, posset faciliter reparari, quibus verbis clarè ostendit, Christum fuisse prædestinatum vt fundamentum totius fabricæ spiritualis ante præuisionem peccati in diuina præscientia, per quod exploditur responsio aduersariorum explicantium de præparatione huius fundamenti antè ruinam in tempore; nam vt patet, loquitur apertè de ordine in præscientia diuina.

47 D. Aug. de nat. & grat. c. 25. *Quid ergo dicemus, vt esset causa misericordia Dei alicuius boni operis, peccatum fuisse necessarium? absit*; maximum autem misericordiæ opus fuit incarnatio. Et lib. 1. de Nuptijs. c. 21. ait, sacramentum matrimonij in statu innocentiæ futurum, quia fuisset signum coniunctionis spiritualis Christi cum Ecclesia. Sed huic authoritati aduersarij respondent, D. Aug. solùm dicere, in statu innocentiæ futurum matrimonium, non tamen asserere, fore quòq; sacramentum. Alij; quòd solùm dicat, matrimonium institutum fuisse in signum cōiunctionis Christi, & Ecclesiæ, priusquàm reipsa committeretur peccatum. Alij, quòd voluerit tantùm explicare conuenientiam matrimonij independentem a peccato, quatenùs in statu innocentiæ fuisset adhùc aptū significare coniunctionem Christi cum Ecclesia, siuè daretur, siuè non. Has tamen responsiones textus ipse diluet; nam cum D. Aug. in c. 17. assignasset in nuptijs tria bona, quæ diligi debent, scilicet proles, fides, & sacramentū; volens posteà ostendere ex nullo horum deriuare peccatum in paruulos, ait in c. 21. *Iam nunc si quodammodò interrogemus bona illa nuptialia, vnde ab eis potuerit peccatum in paruulos propagari, respondebit nobis operatio propagandæ prolis; Ego in Paradiso magis felix essem, si peccatum non fuisset admissum, ad me namq; pertinet illa benedictio Dei, Crescite, & multiplicamini. Respondebit pudicitiæ fides; si peccatum non fuisset, quid me in Paradiso securius esse potuisset, vbi nec stimularet mea, nec alterius me libido tētaret. Respondebit etiam connubij sacramentum; De me ante peccatum dictum est in Paradiso, relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna; quod magnum sacramentum, dicit Apostolus, in Christo, & in Ecclesia; Quod ergo est in Christo, & in Ecclesia magnum, hoc in singulis, quibusq; viris, atq; vxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabile sacramentum. Quid horum est in nuptijs, vnde peccati vinculum transiret in posteros? Nihil. Et certè his tribus bonis perfectè se haberet bonitas nuptiarum, quibus bonis etiam nunc bonæ sunt nuptiæ.* Ex quibus patet, responsiones allatas non esse ad mentem Augustini; nam dū vltimò ait, *Et certè his tribus*, &c. clarè habetur falsi-

tas

tas primæ, nam ait, bonum sacramenti connubij fore in statu innocentiæ, ergo tunc non foret simplex matrimonium, sed etiam sacramentum; Exploditur etiam secunda, nam non solùm docet, bonum sacramenti fuisse in matrimonio, priusquàm re ipsa committeretur peccatum, sed addit, hoc bonum adhùc fore in nuptijs, si non fuisset peccatum. Tertia quoq; responsio est vana, quia loquitur de hoc bono sacramenti eodem modo, tàm in statu innocentiæ, quàm peccati, & sicut modò est signum actuale coniunctionis Christi cum Ecclesia, ità quoq; fuisset in statu innocentiæ, eòquia ante peccatum fuit dictum *relinquet homo*, &c. & hanc adhæsionem, inquit Apostolus, fuisse signum connubij Christi cum Ecclesia, & hoc independenter à peccato.

48 Secundò prob. ex D. Ansel. lib. 1. Cur Deus homo c. 18. vbi ait, homines futuros beatos, etiam si Angeli non peccassent, & rationem reddit, nam aliter gaudendum esset hominibus, quòd Angeli peccauerint, & concludit deinde vniuersaliter, nullam esse animam in cælo, quæ sibi persuadeat, se tali gloria non fruituram sine peccato alterius, ergo multo magis id erit dicendum de anima Christi, quòd scilicet si Adã non peccasset, adhùc habuisset talem gloriam, & dignitatem, aliter gaudere deberet de peccato Adæ, quæ est vltima ratio Scoti in hac quæst.

49 Resp. Caiet. neg. conseq. quia peccati præuisio non fuit sufficiens causa prædestinationis Christi, sed talis fuit misericordia Dei, de qua solùm est gaudendum. Contrà, adhùc si quis assereret, quòd si Angeli non peccassent, homines non fuissent beati, posset respondere D. Anselmo, non ob id debere homines lætari de Angelorum peccato, sed de misericordia Dei, ergo vt ratio D. Anselmi sit valida, dicendum in sententia ipsius, quòd non solùm aliquis posset lætari de causa præcipua, sed de qualibet circumstantia, & occasione, qua posita ponitur effectus, & qua ablata tolleretur; vt conspicuum etiam est in humanis, nam si Prorex aliquod delictum committeret, dignum priuatione illius dignitatis, qua de causa talis dignitas alteri conferretur à Rege, vtiq; interueniret liberalitas Regis, tamen nouus Prorex posset de peccato illius gaudere, quia si non fuisset commissum illud delictum, nunquam sibi talis dignitas fuisset collata. Nec credo, aliquos esse, qui dicerent, peccatum Angelorum fuisse causam præcipuam prædestinationis hominum, vt omninò misericordia Dei excludatur; alius ergo sensus intenditur ab Anselmo, scilicet, quòd nullo modo, neq; tanquam à conditione sine qua non, possit salus alicuius à peccato alterius pendere.

50 Tertiò prob. à Scoto, prædestinatio cuiuscunq; ad gloriam præcedit ex parte obiecti præscientiã peccati; quia vt dicebam, ordinatè volẽs priùs vult finem, quàm media, vnde dicitur in tract. de prædestinat. electionem ad gloriam fieri non præuisis meritis, ergo multò magis id est dicendum de prædestinatione Christi.

Resp. Caiet. neg. antec. quia priùs præuidentur à Deo, quæ spectant ad ordinem naturæ, quam ea, quæ spectãt ad ordinem gratiæ, vel hypostatica vnionis, & consequenter priùs præuidentur peccata. Contrà, nam illud antecedens est etiam verum in sententia D. Thomæ, vt dicitur in proprio tract. Tùm quia, falsus est, & insufficiẽs ordo assignatus à Caiet., nam humanitas Christi est ens positiuum naturale, & omne ens positiuum naturale per Caiet. priùs præuidetur, quàm defectus, vel peccatum, ergo humanitas Christi priùs fuit præuisa, quàm peccatum, sed ipsa nunquam fuit sine subsistentia Verbi, ergo &c. Item voluntas dandi gratiam Adæ priùs est, quàm voluntas permittendi peccatum, quia peccatum, & gratia se habent in genere moris vt priuatio, & habitus, ergo non potuit peccatum præuideri ante præuisionem gratiæ; item peccata crucifigentium Christum, & Tirannorum occidentium Sanctos Martires nõ poterant præuideri, nisi priùs præuideretur Christus, & Sancti Martires, qui ad secundum, & tertium ordinem attinent, ergo prorsus ille ordo est insufficiens, & sine fundamento.

51 Alij negant idem antec. quia prior fuit præsciẽtia meritorum, & peccati, postea voluntas redemptionis per incarnationem. Contrà, quia ordinatè volens priùs vult finem, quàm media, ergo prior fuit voluntas electionis ad gloriam, quæ est finis, ad quem Deus creauit homines, & Angelos, quàm dandi gratiam, & dona supernaturalia, seù constituendi Adamum in tali rerum ordine. Tùm quia quando fuit voluntas creandi Angelos, & homines, aut saltim Adamum, vel fuit etiam voluntas incarnationis, vel non, si primum, habetur intentum, si secũdum, ergo gratia Angelis, & Adamo concessa non fuit à Christo dependens, nec Christus meruisset Angelis illam gratiam, patet conseq. quia si ante incarnationem fuit præsciẽtia peccatorum, & omnium bonorum operum, iam præsupponitur voluntas dandi gratiam Angelis; & etiam ante determinationem incarnationis Deus præuideret, Angelos bonos nunquàm peccaturos, sed in propria innocentia permansuros, & consequenter essent omninò quò ad primam gratiam independentes à meritis Christi, sicut si Adam non peccasset, nullo modo à Christo penderet, quæ omnia esse falsa, ostẽdam infra disp. de merito Christi.

52 Alij negãt conseq. estò enim quòd prædestinatio Christi sit multò perfectior prædestinatione aliorum, & magis amabilis à Deo, non tamen sequitur, quòd fuerit de facto volita secundum se, secluso ordine ad reparationem generis humani, non enim sequitur, hoc est magis volibile, ergo est volitum, quia Deus est agens liberum. Contrà, incarnatio non fuit præcisè volita propter remedium peccati, sed etiam propter se, vt suprà ostendi, ergo priùs fuit volita in se, quàm propter remediũ peccati. Tùm quia Christus est maius bonum incomparabiliter, quàm gloria omnium Beatorum, ergo non est verisimile, tantùm propter gloriam conferendam Adæ, & posteris fuisse ordinatum Christum ad gloriam, & vnionem, tùm ex parte Dei, quia non est verisimile, quòd Rex velit proprio filio hæreditatem totius Regni, quia vult seruo partem hæreditatis, itàut si seruus posset aliunde acquirere partem hæreditatis, Rex nihil curaret de proprio filio; tùm etiam ex parte Christi, quia deberet de peccato gaudere, imò multò nobis deberet, sicut arguebat Cyrill. dia. c. 3. contrà Arrianos. *Si (vt hæretici dicunt) vt nos produceret Deus, Filium produxit, erit ipse propter nos factus, non nos propter ipsum, cur ergo nobis non agit gratias, qui propter nos est?* & infrà, *Si propter nos Filius factus est, primi nos erimus apud Deum, sic enim Deus nos primo, deinde Filium propter nos intendisse videbitur*; quæ omnia sequuntur ex ista positione de Christo vt homine, & à Cyrillo habentur vt absurda. Tùm quia status innocentiæ fuisset

mundo

mundo valde nociuus, quia abstulisset à nobis Christi humanitatem, & præcipuè B. Virgini, nam caruisset dignitate maternitatis, quæ est suprema inter omnes puræ creaturæ concessas, ob quam B. Virgo tot priuilegia, & supernaturalia dona obtinuit. Tùm quia Ecclesia tunc fuisset sine capite visibili, vnde fuisset corpus acephalum. Demùm fuissent eædem congruentiæ, si Adam non peccasset, incarnationis, quæ modò assignantur à Patribus, scilicet ostensio diuinæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis, misericordiæ, charitatis; item ad augendam in nobis fidem, spem, & charitatem, ad exaltationem humanæ naturæ super omnes creaturas, ad beandum hominem quò ad corpus, vt esset aliquis, qui pro nobis gratiam, & gloriam mereretur, & similia.

53 Ex hucusq; dictis in his duabus conclusionibus improbatur opinio Aduersæ; nam authoritates adductæ loquuntur de Christo homine, & consequenter decretum vnionis hypostaticæ in primo signo nō fuit terminatum ad naturam intellectualem in communi, sed ad hāc humanitatem in indiuiduo. Accedit, quòd intellectus diuinus non attingit res solùm in vniuersali, sed in indiuiduo quò ad conceptum proprium, & secundùm omnes formalitates realiter identificatas, aliter imperfectè cognosceret; Neq; voluntas diuina actu efficaci, & absoluto vult res in vniuersali, sed in particulari, aliter actus ille non esset efficax, quia ille actus dicitur efficax, qui ex se ponit rem volitam in rerum natura; & obiecta vniuersalia; vt à singularibus præscindunt, nequeunt produci. Hinc patet, disparitatem esse inter præcisionem passibilitatis, & impassibilitatis carnis, & differentiarum specificarum vnionis hypostaticæ in communi, nam illa et rerum realiter distinctarum à carne Christi, ideòq; potest in Deo admitti; ista est formalitatum realiter identificatarum.

54 Dico 3. in illo priori Christum non fuisse à Deo prædestinatum vt redemptorem, sed solùm vt caput omnium prædestinatorum, scilicet ad vnionem, & gloriam, vt redemptorem verò fuisse prædestinatum post præuisionem peccati. Sequitur ex dictis, quia redemptio dicit ordinem, & supponit peccatum, ergo ante præuisionem peccati Christus nō fuit electus vt redemptor. Tùm quia in hoc incarnatio differt à passione, quòd incarnatio est propter se amabilis, tanquàm finis aliorū operum Dei, passio verò, sed mors non propter se, sed in remedium peccati, & vt medicina, ergo incarnatio fuit ante præuisionem peccati, mors verò post præuisionem. Quod ait Hurt. de illo decreto conditionato, pendet ex diuersitate principiorum in materia de prædestinatione, & auxilijs, præcipue quò ad scientiam mediam; ideircò non est præsentis negotij ipsum refellere, sufficit, quòd in re principali nobiscum sentiat.

55 Ex his omnibus infertur, primum motiuum, & finem incarnationis secundùm substantiam fuisse excellentiam huius misterij, & omnia bona, quæ ipsum consequuntur, præscindendo à peccato; loquēdo verò de modo incarnationis, scilicet in carne passibili, fuisse remedium peccati. Non displicet tamen, quod ait Suarez, remedium peccati non solùm fuisse motiuum incarnationis quò ad modum, sed etiam quò ad substantiam, quatenùs Deus duplici quasi motiuo determinauerit incarnationem, & propter excellentiam misterij, & propter remedium peccati, quorum quodlibet fit sufficiens ad executionem incarnationis, itaut si Deus non determinasset ex priori motiuo incarnationem, adhùc secundum fuisset sufficiēs, sicut si medicus aliquis decerneret ire Romam visendi causa amicum, & postea sciret Romæ reperiri amicum ægrotantem, adhùc ex isto alio motiuo posset eligere ire Romam, non quòd sint ambo motiua causæ totales, quia hoc implicat ex dictis in Phys. disp. 8. sed causæ sufficientes, & subordinatæ; neq; hoc est cōtra Scotum, dum ait, remedium peccati fuisse motiuum incarnationis quò ad modum, non quò ad substantiam, quia solùm intēdebat excludere opinionem Thomistarum, negantium aliud præcedēs motiuum quò ad substantiam. Quæ verò congerit Hurt. §. 283. contrà Suarez facilè diluuntur; similiter, quæ obijcit Vasq.

56 Valde tamen displicet, quod addit, si non fuisset peccatum, Christum non venturum ex vi decreti, quo de facto venit, eòquia fuit decretum mittendi Christum perfectissimo modo; in quo virtualiter includebatur modus redemptionis. Hoc autem est falsum, quia si tale decretum virtualiter includeret modum passibilitatis, ergo etiam includeret virtualiter volitionem non solùm permissionis, sed etiam ipsius peccati, nam ex sola permissione sine peccato non sequitur, Christum venturum perfectissimo modo; vnde si Adam in hac rerum serie constitutus nō peccasset, sicut iam poterat non peccare, tunc Deus debuisset mutare decretum; quod tamen ponitur fuisse efficax, aut saltim tot occasiones Adamo præbere peccādi, donec peccaret, quæ omnia sunt falsa. Falsum igitur est, primum decretum fuisse de modo incarnationis, sed solùm de substantia, & si fuerit etiam de modo, sufficeret, quòd perfectissimo modo Deus mitteret Christum iuxtà occurrentes deinde occasiones, & varias rerum series; aliter de facto debuisset passio Christi esse intensior, & extensior, nam tunc fuisset perfectior; item alias perfectiores creaturas debuisset Deus producere ad augendam gloriam aduentus Christi.

Soluuntur obiectiones.

57 Contrà prædictas conclusiones, quæ ferè in idē incidunt, aut idem supponunt; arguitur primò authoritatibus; Matt. 18. & Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat*, Ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum, vt eos, qui sub lege erant, redimeret*; ex Symb. Nicæno, *Propter nos homines, & propter nostram salutem*; quod etiā habetur in multis alijs Concilijs; Ecclesia in Sabbato Sancto, *o verè necessarium Adæ peccatum*, item, *Nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset*, & rursus, *o fælix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem*; & ad B. Virginem canit Ecclesia, *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores, tanto digna filio*; & aliæ consimiles adducuntur, in quibus causa incarnationis assignatur redemptio à peccato, Et multo fortiùs vrgetur authoritatibus Sanctorum Patrum, qui non solùm assignant redemptionem pro causa, sed etiam eamem aliam excludunt, vt à D. Aug. serm. 8. de Verbis Apost. *Si homo non peccasset, filius hominis non venisset*; & serm. 9. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla erit causa medicinæ*, Leo 1. serm. 3. in Pentec. *Si homo in naturæ suæ perfectione, & honore, in quo creatus est, permansisset, Creator Dominus creatura non*

va non fieret; multos alios adducit. Vide eiusdem tonoris.

58 Multipliciter potest responderi, primò, has, & similes authoritates intelligi de incarnatione quò ad substantiam, & modum passibilitatis simul, & de toto ordine prædestinationis Christi, quatenùs includit primum propositum dandi gloriam, & omnia media volita in alijs signis Christi, vt sic enim propter nostram salutem venit, & si homo peccasset, & redemptio facienda esset, Verbum non venisset ad redimendum, nec vnitum fuisset corpori passibili; non autem intelligi de incarnatione quò ad substantiam tantùm, & quò ad primum propositum dandi gloriam, & assumendi naturam humanam; ad formam ergo, si homo non peccasset, Christus non venisset vt redemptor, & passibilis, prout prædestinatus fuit in omnibus signis, concedo, vt caput nostrum, dignificator nostræ naturæ, vt consequeretur summam gratiam, & gloriam, ad quam fuit in primo signo prædestinatus, nego. Vel dic, incarnationem ad duplicem ordinem spectare, intentionis, & executionis, Deus primò voluit, Verbum assumpturum carnem, vt esset caput Ecclesiæ, deinde ex occasione peccati decreuit modum passibilitatis; authoritates explicant incarnationem, prout in executione facta est in remedium peccati, hoc enim vtilius nobis erat, ad declarandum amorem Dei erga nos, & grauitatem peccati, non autem loquuntur de ordine intentionis.

59 Vel tertiò, authoritates supponunt lapsum Adę, quo supposito, assignant causam principalem veniendi Christum, quæ fuit generis humani redemptio; supposito igitur toto ordine prędestinationis Christi, & lapsu Adæ, peccatum dicitur necessarium, & culpa fælix, & nobis nihil nasci profuit, nisi redimi profuisset, si enim Verbum esset incarnatum, non soluisset reatum, nihil profuisset naturæ humanæ, quia nec beatificaretur, nec redimeretur; vnde peccatum fuit necessarium motiuum ad redemptionem, non ad incarnationem; huius solutionis veritas in eo magnum fundamentum habet, quòd Ecclesia, non statim àc facta fuit incarnatio, dicit peccatum necessarium, & culpam fælicem, sed statim àc perfecta fuit redemptio, vt ostenderet, peccatum fuisse motiuum redemptionis, non incarnationis; similiter B. Virgo ex peccato dicitur digno tanto filio, ly *tanto* circumscribit dignitatem redemptoris, non glorificatoris, idest tanto filio redemptore, non filio absolutè; quamuis prosa illa non faciat authoritatem. Authoritas Leonis vrget, sed dicimus eodem modo, non fieret Creator creatura passibilia, & mortalis, vel stante toto ordine prædestinationis Christi, quia præuisio peccati in illo clauditur.

60 Secundò, quæ pendent ex Dei voluntate, tantùm ex Scripturis, & oraculis nobis fiunt nota ex 1. Corint. c.2. *Quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei*; sed in Scripturis ratio incarnationis ex peccato hominis vbiq; assignatur, non quidem incarnationis quò ad modum, sed incarnationis simpliciter, ergo &c.

61 Resp. neg. min. nisi ly *vbiq;* explicetur pro frequenter; nam aliæ causæ assigantur quòq; in Scripturis præter redemptionem; nam habemus in Scripturis primò, Deum dedisse filium ad ostēsionem suæ claritatis, & bonitatis, 1. Corinth. 2. *Sapientiam loquimur in misterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriā nostram*, & ad Coloss. 1. & ad Rom. 8. dicitur Christus primogenitus omnis creaturæ, & in multis fratribus, vt sit caput corporis Ecclesiæ, & in omnibus primatum tenens; & vt sit quòq; causa exemplaris nostræ prædestinationis, meritoria, & finalis; imò Christus ipse Ioan. 17. præter redemptionem aliam sui aduentus causam assignat, vnde ad Patrem ait, *Ego te clarificaui super terram, opus consumaui, quod dedisti mihi, vt faciam*, explicans deinde, quomodò ipsum clarificauerit, & consumauerit opus impositum, subdit, *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*; ex quo constat, quod ad manifestandum diuina attributa, & Trinitatem personarum Verbum carnē induit; hæc quòq; diuersa motiua non obscurè insinuantur à Zacch. in suo Cant. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*, si peccatum non fuisset, non fecisset redemptionem, sed visitasset; item in Symb. *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*, si peccatum non fuisset, descendisset, non propter nostram salutem, sed propter nos homines, scilicet ad exaltādam, & glorificandam naturam nostram; Et 1. Corinth. 4. *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*; si Adam non peccasset, Christus non fuisset nostra redemptio, fuisset autem nostra iustitia, & sanctificatio, quatenùs ex meritis ipsius de condigno mereremur coronam gloriæ, & alia dona supernaturalia. Quod autē additur, redemptionem assignari pro causa simpliciter incarnationis, non autem modi passibilitatis, solùm ostēdit, redemptionem fuisse causam incarnationis tàm quò ad substātiam, quàm quò ad modum, vt dixi num. 55. Hinc patet, Patres, licèt absolutè videantur loqui, non sine fundamento à nobis explicari, cum Scriptura stet etiam pro nobis.

62 Tertiò, ordo naturę præcedit ordinem gratiæ, hæc enim non datur, nisi habenti existentiam, sed peccatum pertinet ad ordinem naturæ, quia priuat rectitudine naturali, prædestinatio ad ordinem gratiæ, ergo peccatum præcedit prædestinationē Christi, & sic in remedium peccati facta est. Tùm 2. si Adam non peccasset, vel Christus venisset in carne passibili, vel impassibili, non primum, quia ante peccatum Christus non fuisset passibilis, sicut nec alij homines; nec secundum, quia Deus nunquam decreuit, vt veniret impassibilis, aliter decretum Dei fuisset vanum, vel fuisset mutatum, nec modo medio abstrahendo à passibili, & impassibili, quia non potest dari, ergo &c. Tùm 3. prædestinatio est circà res singulares cū omnibus circumstantiis, vt futuræ sunt, sed futurus erat passibilis in remedium peccati, ergo &. Tùm 4. Christus est Iesus, idest Saluator, ergo ad saluandum fuit prædestinatus.

63 Resp. ad 1. maiorem esse veram quò ad executionem, & existentiam, non quò ad intentionem, quia sic prior est ordo ad gloriam, vt ad finem. Vel meliùs, falsa est maior de toto ordine naturæ, quia Deus prædestinat ad gloriam, & tamen operationes liberæ subsequuntur: deinde minor est falsa, si vniuersaliter intelligatur, vt patet ex dictis num. 50. Ad 2. si non fuisset peccatum, Christus venisset in carne impassibili, non quidem quòd primum decretum fuerit de impassibilitate, quia solùm fuit terminatum ad substātiam incarnationis, & ad carnem absolutè assumendam, attamen ex tali prædestinatione futurus erat impassibilis in sua causa, quia absq; vllo decreto bea-

titudo

titudo animę redundasset in corpus; nec ferendum decretum pugnat cum primo, nam in primo fuit prędestinatus impassibilis tantùm in causa, in secundo passibilis in se. Et hoc argumentum, in quo tantam vim facit Vasquez, potest etiam de Adamo formari, nam in illo signo antecedenti ad prœuisionem peccati, in quo Deus determinauit producere Adamum, vel decreuit illū producere mortalem, vel immortalem, non primum, quia si peccatum non fuisset, mors non intrasset in mundum, neq; secundum, aliter hoc decretum fuisset vanum, vel reuocatum; & eodem modo deberet Vasquez respondere. Multis insurgit Ragusa disp. 28. §. 13. contrà hanc responsionem, sed sunt facilis solutionis; vide Hurt. à §. 9. Ad 3. prædestinatio est circà res singulares, & secundùm circumstantias iotrinsecè comitantes naturam singularem, non tamen secundùm circumstantias extrinsecas, vt sunt passibilitas, & impassibilitas carnis; nisi de toto ordine prædestinationis sit sermo; vnde priùs Petrus fuit prædestinatus ad gloriam, deinde decretum fuit de morte, an scilicet per crucem, an verò per aliud martirij genus. Ad 4. vocatus est Iesus, quia de facto ad saluandum venit.

64 Quartò, in casu non assumpsisset naturam humanam ob eius dignitatem, quia sic potiùs angelicam assumpsisset, nèq; ob necessitatem, quia nulla culpa fuisset, neq; ob beatitudinem, quia anima est beata in visione Dei, & corpus fuisset beatum ex redundantia animæ. Tùm 2. hæc opinio est magis pia, auget misericordiam Dei erga nos, dum profuit inimicis, & bonitatem, quòd ex tanto malo tanti boni occasionem sumpsit; reddit rationem, cur potiùs nostram naturam assumpsit, non angelicam; & cum venerit hoc tempore lapsus, signum est, quòd tantùm ob peccatum venerit. Tùm 3. tantum opus non debuit ordinari, nisi ex magna necessitate orta ex peccato. Tùm 4. sic homo magis tenetur Deo gratias agere, cum in eo statu, in quo indignissimus erat, donum hoc suscepit. Tùm 5. non decet Regem, sine causa domum subditi adire, si tamen id facit, quando subditus ęgrotat, non modò non dedecet, sed honorificum ipsi est, sic non fuit inhonorificum Alexandro Macedoni de capite suo diadema detrahere, vt vulnus Lisimachi alligaret, quod tamen sine necessitate Alexander non fecisset; & Paterfamilias, ait D. Tho. aliquod pretiosius dat seruo ęgroto, quod non dat sano.

65 Resp. ad 1. assumpsisset in casu propter dignitatem, & indigentiam simul, quia & si non habuisset indigentiam culpæ, habuisset indigentiam beatitudinis, vt scilicet esset perfectè beatus in anima, & corpore, intùs, & foris, & licèt beatitudo animę redundat in corpus, hæc tamen non est corporis, sed animæ. Ad 2. sicur hæc opinio de facto, suppositio peccato, maximè exaltat diuinam misericordiam, charitatem, & bonitatem, ità è contrà supposita innocentia deprimit, & obscurat, vt ità dicam, eadem diuina attributa, nam tunc non relucerent charitas, & diuina bonitas erga nos; at nostra opinio in vtroq; statu exaltat diuina attributa, dum ponit aduentum Christi propter nostram exaltationem, & redemptionem. Ad 3. non sunt rationes leues, quas suprà assignauimus, ob quas Christus, nō existente peccato, adhùc venisset. Ad 4. vt ad secundum, quòd scilicet tenemur modò gratias agere, & etiam in statu innocentiæ alio titulo. Ad 5. decet etiam Regem, domum subditi adire, & diadema detrahere, non ex sola necessitate infirmitatis, & vulneris, sed etiam vt sit seruo decorum, & honorificum. Paterfamilias, si quod dat seruo ægroto, daret quoque sano, esset excessus charitatis erga seruum.

66 Ex his apparet, quomodo hæ duæ opiniones habent pro se authoritates tùm Scripturę, tùm Patrum, quæ vtriq; possunt explicari iuxtà propria principia, attamen quia nostra opinio magis redundat in gloriam Christi, dum absolutè ipsum ponit caput omnium electorum independentet à peccato, idcircò sola ista ratio sufficientissima erit ad amplectēdam nostram sententiam, pręcipuè quia nullum sequitur inconueniens, imò rōgruentiæ sint pro nobis; quilq; enim debet esse memor præcepti, quod tradidit Doctor in 3. d. 13. q. 2. dum inquit, *In commendando Christum malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere.*

67 Solet etiam quæri; nùm Christus venisset in carne passibili, si solùm Adam peccasset, & non cæteri homines, vel è contrà. Breuiter respondeo; certum esse, Christum venisse passibilem, tàm propter originale peccatum, quod fuit actuale in Adamo, quàm etiam propter nostra actualia, licèt principaliter propter originale, quatenùs fuit radix omnium peccatorum; & consequenter si solus Adam peccasset, vtiq; Christus venisset passibilis ad delendum tale peccatum, quia propter istud peccatum natura humana esset à beatitudine exclusa. Similiter idem dicendum, si Adam non peccasset, sed cæteri mortaliter peccassent, aut saltim in maiori parte (qualiscūq; sit ista hypothesis) Cæterùm si solùm alij homines venialiter peccassent, vel quidam pauci mortaliter, an venisset Christus in his casibus passibilis; nil certum determinari potest, eòquia pendet à diuina voluntate, & ex decretis, quæ tunc habuisset. Quidam affirmant, eòquia Christus, ità pro singulis est mortuus, ac si pro me solo, vt patet ex parabola ouis euangelicę dū quęsitæ relictis alijs in deserto, & ex Apost. ad Gal. 2. *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, vbi Chrisostomus tom. 4. ait, *Singulum quemq; hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuersum*, & hom. 6. super acta Apost. *Vnius animæ salus tanti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo, tantaq; pateretur*; imò D. Dion. in epist. ad Demophilum propè finem refert visionem quandam Christi factam Sācto Carpo dicentis, *Feri me, iam enim rursùs paratus sum, salutis hominum causa mortem perpeti, mihiq; hoc pergratum est, dùm alii homines non peccent.* Quidam verò negatiuè respondent; & quidem quo ad peccata venialia hæc opinio probabilis valde est, quia peccatum veniale nō reddit hominem inimicum Deo. Quo pacto autem potuerit satisfacere, pro peccato propriæ necis, dicetur in proprio loco de merito Christi.

Quæstio Tertia.

Vtrum ad reparandum genus humanum incarnatio fuerit medium necessarium, vel solùm conueniens.

68 Certum est, hominem peccando sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, & per offensam indignationem Dei incurrisse, ac sub

ac sub Dæmonis potestate, & captiuitate mansisse, vt determinatur in Concil. Trid. sess. 5. in Decreto de peccato originali, non quòd homo vnquàm fuerit extra iurisdictionem, & authoritatem Dei, sed dicebatur post peccatum sub potestate Dæmonis, quatenùs erat ei subditus, vt impulsori ad malum, & tortori, & executori diuinæ iustitiæ; mansit igitur homo post peccatum Deo debitor pro offensa, & iniuria ipsi lata cum obligatione ad pœnam, sub potestate Dæmonis, cum inclinatione ad malum, & denudatus gratia, & auxilijs; quapropter egebat satisfactione, redemptione, & merito; satisfacere est reddere debitum alteri; redimere est recuperare alicui libertatē amissam; mereri est constituere alium debitorem de reddendo præmio; Neq; inconuenit, quòd vnum, & idem opus sit satisfactorium, meritorium, & pretium redemptionis; satisfactorium, prout restituit honorem Deo à nobis sublatum; perfectum pretium, prout nos redimit à Dæmonis potestate; & meritorium, quatenùs applicatur ad merendum nobis; Nunc ergo quærimus, núm ad satisfactionem, redemptionem, & merendum pro nobis necessaria fuerit incarnatio, passio, & mors Christi; & qua necessitate, an simpliciter, & absoluta, an verò secundum quid, & ex suppositione, quæ stat cum conuenientia.

69 Prima opinio sustinet, incarnationem fuisse simpliciter necessariam, vt non potuerit à Deo non fieri, ità Raimundus Lullius apud Vasq. disp. 1. n. 10. Alij dicunt, fuisse necessariam ex suppositione, sed discrepant, nam quidam hanc suppositionem explicant de peccato, itaut supposito peccato non potuerit Deus non reparare genus humanum media incarnatione, citatur pro hac sent. D. Ansel. lib. 1. Cur Deus homo c. 4. & 25. & lib. 2. c. 12. & Richardus de S. Victore lib. de incarnat. Verbi c. 8. Alij verò hanc suppositionem explicant de reparatione, itaut supposito peccato, adhùc liberum erat Deo incarnari, & non incarnari, sed supposita voluntate reparandi genus humanum, necessarium fuisse Deum incarnari, itàut non potuerit aliud medium prudenter eligere; citantur Abulens. in prob. super Matt. q. 27. Alensis 3. p. q. 1. & D. Bon. 3. d. 20. art. 1. q. 1. sed isti duo loquuntur de necessitate immutabilitatis.

70 Iacobus Granado 1. p. de volunt. Dei tract. 2. disp. 3. apud Ioannem de Lugo hic disp. 2. sect. 1. & seq. accedit ad primam opinionem, etenim docet, incarnationē fuisse à Deo factam necessitate morali, vt non potuerit moraliter Deus eam non velle, quamuis habuerit potentiam physicam ad eam nō faciendam, quæ est causa, cur liberè fiat, pro quo distinguit de rebus, quod aliqua sunt, in quibus potest assignari optimum, vt sunt incarnatio, & eius carentia, prędestinatio, & eius carentia, creatio mundi, & eius carentia; alia sunt, in quibus est processus in infinitum, nec potest assignari optimum, vt est multitudo indiuiduorum, & specierum, nam quacunq; specie producta semper potest alia perfectior à Deo produci; tunc ait, Deū respectu rerū secundi generis nullo pacto necessitari, quia in his non potest facere id, quod optimum est, sed posse quamcumq; rem producere, & non producere, at respectu rerum primi generis, in quibus datur optimum, Deum semper facere, quod optimum est, imò ad hoc faciendum necessitari à sua natiua bonitate, inclinatione, & genio necessitate morali, vt moraliter non possit id non velle, licet habeat potentiam quamdam physicam ad oppositum.

71 Dico primò, potuisse Deum relinquere humanum genus in statu peccati absq; reparatione, & supposita voluntate reparationis, potuisse reparare non per viam satisfactionis, & redemptionis, sed alio modo; & supposita voluntate satisfactionis, potuisse satisfactionem accipere absq; eo, quòd Verbum fuerit incarnatum, & hoc tàm potentia physica, quàm morali. Conclusio est Scoti in 3. d. 20. Prima pars, quòd potuit Deus, hominem relinquere in statu perditionis, prob. ex Sap. 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* hinc reparatio humani generis in sacra Scriptura tribuitur diuinæ misericordiæ, non quia prçuidens Deus hominem peccaturum, determinarit adhùc illum creare, & se obligare ad reparationem, quasi misericordia fuierit in decreto creationis, ex quo necessariò deinde fuerit secuta reparatio, vt videtur asserere D. Ans. lib. 2. c. 5. sed diuinæ misericordiæ tribuitur immediatè ipsa reparatio, seu decretum reparationis post suppositum peccatum, ità clarè habetur Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhùc peccatores essemus*, Ecce suppositio peccati, *secundùm tēpus Christus pro nobis mortuus est*. Prob. etiam ratione, si aliqua necessitas esset ad separandum humanum genus, hæc esset, quia homines prædestinati sunt ad gloriam, & lapsi non possunt intrare, nisi per satisfactionem, sed prædestinatio est contingens, quia poterat Deus non prædestinare, ergo etiam si fuisset peccatum, si non fuisset facta prædestinatio, nulla fuisset necessitas reparationis. Tùm quia potuit Deus, & de facto non reparauit angelicam naturam, quæ nobilior erat natura humana, ergo multò magis potuit non reparare hominem. Tùm quia si Deus non reparasset hominem, sed puniuisset illum pœna æterna, nullam commisisset iniustitiam, imò egisset iuxtà infinitam suam iustitiam, ergo nulla necessitas in reparatione, aliter Deus necessitaretur ad non agendū conformiter propriæ iustitiæ. Tandem tunc aliqua actio necessariò sequitur ex aliquo præsupposito, quando terminus illius actionis habet necessariam cōnexionem cum supposito, vt si curro, ergo necessariò moueor, sed reparatio nullam habet connexionem cum peccato, ergo &c.

72 Secunda pars, quòd potuisset reparare non per viam satisfactionis, colligitur ex Sap. 12. *Nec timens aliquem veniam dabas peccatis*, quibus verbis Salomon ostendit libertatem, quam Deus exercere potest in remittendo peccata, quòd potest etiam remittere gratis absq; eo, quòd satisfactionem exigat, & ratio est, quia est supremus Dominus omnium, & consequenter posset proprio iuri cedere, & legem dispensare.

73 Tertia pars, quòd potuisset reparare per viam satisfactionis absq; assumptione humanitatis, aut alterius creatæ naturæ, probat Scotus cit. & in 4. d. 15. q. 1. B. ex D. Aug. lib. 13. de Trinit. c. 10. dicente; *Non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent*, & lib. de agone Christi c. 11. *Stulti sunt, qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem*; quod multi alij Patres asserunt, quos refert Suarez disp. 4. s. 2. præscindo tamen hic ab illa quæstione, an possit pura creatura satisfacere ad æqualitatem, de hac enim infra disceptabo; sufficit pro veritate conclusionis, quòd possit aliquam satisfactionem præbere pro

illam

illatæ iniuriæ, & hãc satisfactioné imperfectã potuisset Deus ab vnoquoq; hominum exigere, illaq; esse cõtẽtus, vel alicui puro homini concedere gratiã, eiq; obligationé imponẽdo, vt pro se, & pro alijs aliquid offerret per modũ satisfactionis. Tùm quia si potest gratis condonare, multò magis per aliqualem satisfactioné.

74 Quarta pars, quòd in his omnibus fuerit Deus liber, tàm physicè, quàm moraliter, colligitur ex Scoto in 1. d. 10. q. vn. G. N. O. & d. 39. §. *Quantum ad 2.* & 2. d. 1. q. 1. art. 2. & 3. d. 37. q. vn. §. *Sed istæ expositiones*, & d. 32. §. *Tertium patet*, quibus in locis aperte docet, Deum liberè velle creaturas, imò non solùm quò ad esse actuale, sed etiam videtur idem docere quò ad esse possibile, & solùm ait, voluntatem diuinam necessitari circà obiectum infinitum; estque contrà Iacobũ de Granado; & prob. primò ex relatis verbis Aug. *Cuius potestati cuncta æqualiter subiacent*, si enim omnia creata æqualiter sunt sub potestate diuina, clarè sequitur, non dari aliquas res, quæ solùm physicè, & non moraliter subsint diuinæ potestati. Prob. etiã ratione, quia vt docet Doctor in 1. d. 1. q. 4. in cuius potestate non est agere, & non agere, nec in eius potestate est modus agendi, vt patet de lapide, in cuius potestate nõ est nõ descendere deorsum, & consequenter nec in eius potestate est descendere magis, vel minùs velociter, sed descendet secundũ vltimũ suæ potentiæ; ergo similiter in cuius potestate morali non est agere, & nõ agere, nec in eius potestate morali est modus agendi, quare si Deus necessitatur moraliter ad creandum, incarnandum, & prædestinandum; necessitabitur quòq; moraliter ad modum creandi, incarnandi, & prædestinandi, & consequenter, quia poterat ab æterno incarnari, & creare mundum, ab æterno, aut saltim multo tempore ante debebat hæc omnia exequi, & in maiori perfectione insuper in æternũ à parte post necessariò hac ratione conseruabit. Tùm quia ratio optimi, quæ in his rebus potest assignari, vel attenditur comparatiuè ad negationes earundem rerũ, idest quòd prædestinatio dicatur optima, respectu negationis prædestinationis, & incarnatio respectu negationis incarnationis, & creatio respectu non creationis, vel attenditur in ordine ad alias res eiusdẽ generis, vel speciei, vt non possit v. g. reperiri perfectior incarnatio, perfectior creatio; si primum, ergo quælibet res habebit rationem optimi, quia quælibet res est melior, quàm ipsius negatio, & sic Deus esset moraliter necessitatus ad omnes creaturas; si secundum, ergo quia in quolibet genere dãtur infinitæ species sincathegorematicè quò ad perfectionem ex dictis in Phy. l. disp. 10. nulla res creata poterit habere rationem optimi, nam in genere actionis creatiuæ creatio huius mundi non fuit optima, vt alia melior non potuerit esse, sic etiam in genere incarnationis, seù vnionis hypostaticæ incarnatio facta non fuit totaliter perfectissima, nam poterat Deus naturam humanam perfectioribus donis supernaturalibus exornare, aut saltim assumere hypostaticè naturam angelicam, quę vnio esset perfectior; insuper aliæ personæ, imò essentia ipsa diuina poterant carnem assumere.

75 Dices, verum est, in speciebus creationis posse abiri in infinitum, similiter, & vnionis hypostaticæ, & quò ad hoc Deum esse etiam moraliter liberum, at loquendo de generibus harum actionum, est moraliter necessitatus. Sed contrà, quia sicut ad vnionem hypostaticam, ad creationem in communi est Deus moraliter necessitatus, non tamen ad species, idem quoq; dici posset de actione in cõmuni ad actionem vnitiuam, & creatiuam, quòd scilicet Deus sit solùm determinatus moraliter ad agendum, indeterminatus tamen ad species, & sic neq; incarnatio, neq; creatio habebunt rationem optimi; tùm quia quod est determinatũ ad aliquam speciem, est etiã determinatũ ad genus illius speciei, vt lapis est determinatus ad motũ deorsum, ergo & ad motũ localem in cõmuni, ergo si Deus est determinatus moraliter ad actioné creatiuã, erit etiam determinatus ad agendum in cõmuni; quapropter nõ rectè diceretur à Patribus, & Doctoribus, Deum ad extra simpliciter liberè, & absolutè agere.

76 Accedit, quòd oratio non fit de rebus, quas nõ euenire est moraliter impossibile, sed quæ possũt moraliter esse, & non esse, itàut in potestate Dei simpliciter sit illud, quod petitur, tribuere, vel non tribuere, ita colligitur ex Eccli. 39. vbi de homine iusto dicitur, *Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur*, & posteà, vt ostendat Dei libertatem ad concedendum petita, subdit, *Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum*; Sed Patres antiqui sæpissime precabantur Dominum pro executione incarnationis in tempore ex disp. præced. ergo &c. idem argumentum fieri potest, dum Christus orauit Patrem in horto, vt à morte liberaretur, *Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer a me calicem istum*. Tum quia ex hoc sequitur, solùm physicè potuisse non reparare genus humanum per incarnationé, quæ actio esset conformis diuinæ iustitiæ, vt dixi, ergo Deus ad agẽdum iuxtà suam propriam, & infinitam iustitiam esset moraliter impotens, aut saltim moraliter ad non agendum iuxtà iustitiam determinatus, quod est falsum, quia tàm est infinitè iustus, quàm infinitè misericors. Tùm quia quod est moraliter impossibile, simpliciter potest effici, sed cum maxima difficultate, ergo si negatio incarnationis, aut creationis est Deo moraliter impossibilis, difficillimè Deus abstinuisset ab æterno ab his actionibus, cur ergo sicut posteà hanc superauit difficultatem, multo anteà non superauerit, cum potuerit? & quænam difficultas erat ista? & à quo inferebatur? hæc omnia sunt falsa, & absurda; quapropter dicẽdũ, in qualibet actione ad extra Deum liberè agere tam physicè, quàm moraliter.

77 Cõtrà primã partem arguitur ex Athan. lib. de Incarnat. Verbi, parùm à principio; vbi ait, indecorum, indignum, & indecentissimum fuisse, si homo à Deo creatus per artem diaboli in interitum abijsset, sed quòd Deus siuè indecentia, siue indignitate prætermittere nequit; necessariò facit, quia repugnat, vt quicquam indecenter, & indignè faciat; ergo &c. Confirm. ex D. Ansel. 2. Cur Deus homo cap. 2. & 4. Deus, & natura nihil agunt frustra, sed finis, ad quem factus est homo, est, vt ad Deum perueniat, ergo frustrà factus esset, nisi ad hunc finem peruenire posset, ergo supposito lapsu, necessariò fuit, hominem reparare, vt ad suum finem perueniret.

78 Resp. Athanasium vel loqui supposita diuina ordinatione incarnationis, & p quãdã vim exageratiuã, vt ostenderet conuenientiã maximã huius incarnationis vel explicandus est negatiuè, vt indecens idem sonet, ac non ità decens, indignũ nõ ita dignũ, indecorũ nõ ità decorum, & hoc, quia, vt dicemus, modus iste reparationis cõgruentissimus fuit, quàm quilibet alius. Ad cõfir. ex D. Ansel. quatenus spectat ad authoritaté ipsius, Doctores ipsum quærũt exponere de necessitate immutabilitatis locutũ, vt colligitur ex varijs ipsius

dictis, præcipuè 2. cur Deus homo c. 16. & per quandam exaggerationem hanc necessitatem vocare impossibilitatem; licèt quandoque secundùm excessum loquatur, vt ad oppositam opinionem videatur inclinare; vide Vasq. disp. 8. ad rationem autem dico, valere, si carentia finis prouenisset ab ipso Deo, modò quòd homo proprio fine caruisset, fuisset ex propria malitia, & idem argumentum fieri posset de Dæmonibus, & damnatis.

79 Contrà 2. partem, nullus iniustus assumi debet ad Beatitudinem, peccator est iniustus, nam quantùm fuit ex se, abstulit à Deo honorem ipsi debitum, & consequenter quousq; satisfaciat, & reddat Deo, quod debet, est iniustus, ergo &c. Tùm 2. repugnat iustitiæ Dei, quòd delicta maneant impunita. Tùm 3. peccatum in deordinatione diuina consistit, ergo non potest in rectitudinem reduci, nisi per pœnam. Resp. peccator est iniustus, quousq; satisfaciat, vel à Deo fiat liberaliter remissio debiti. Ad 2. si liberaliter remittatur ab offenso, & supremo iudice, id iustitiæ non repugnat, præcipuè quando non est in præiudicium tertij exigentis satisfactionem, vel reipublicæ, cui incumbit delicta punire, nè similia accidant, Deus autem est supremus Dominus, & iudex. Ad 3. deordinatio tolleretur, & in rectum ordinem remitteretur per liberalem offensæ remissionem, nam cū Deus remittit peccatum, non solùm pœnas debitas condonat, sed extinguit maculas, tollit turpitudinem, deordinationem, & ad statum rectitudinis reducit, atque ità nihil manet impunitum, quia nihil manet deordinatum.

80 Contrà 3. partem instatur multis authoritatibus Scripturæ, & Patrum, asserentibus, necessariam fuisse nostræ saluti Christi mortem. Tùm quia nullus alius modus fuisset iustus, nisi per passionē Christi, ergo supposita volūtate satisfactionis, mors Christi fuit necessaria; antec. prob. ex D. Aug. 3. de Trin. c. *Placuit Deo, vt per eundem hominem non potentia diabolus, sed iustitia vinceretur*, sed iustitia non potest vinci, nisi per mortem Christi, ergo &c. Resp. authoritates debere intelligi in sensu composito, supposita diuina ordinatione, & necessitate consequentiæ, non simpliciter, & absolutè; Idem dici potest ad secundum; tùm quia ex dicendis infrà, etiam pura creatura potuit satisfacere ex iustitia, licèt non tàm perfectà.

81 Contrà 4. partem arguitur primò ex Patribus dicentibus, Deum semper velle, & facere, quod optimum est; sic Concil. Francford. in epist. ad Episc. Hisp. *Credamus, Deum omnia velle, quæ meliora sunt*; Basil. hom. 9. ex varijs, *Vnum quidem hoc habere in mentibus nostris oportet, quòd nihil eorum, quæ nobis accidunt, malum sit, aut tale, vt melius illo aliquid excogitare queamus*. Aug. lib. de quant. animæ c. 33. *Iustitia summi Dei factum esse, vt non modo sint omnia, sed etiam sic sint, vt omnino meliùs esse non possint*. & 3. de lib. arb. c. 5. *Quicquid tibi vera ratione meliùs occurrerit, scias, hoc fecisse Deum, tanquàm bonorum omnium conditorem*, & lib. 1. contrà aduers. legis, & Proph. c. 14 *Vsq; adeò desipiendum est, vt homo videat, meliùs aliquid fieri debuisse, & Deum, credat, facere noluisse?* Tum 2. Deus seipsum infinitè, & perfectissimè amat, ergo vult omnia, quæ ad suum perfectiorem statum perducunt, ergo vult omnes creaturas, quæ ad suam gloriam saltim extrinsecam spectant, inter quas præcipuè est Christus Dominus; prima conseq. prob. quisquis se, vel alium sūmo amore amat efficaciter, vult sibi, vel alij omnem perfectionem, quàm scit, & potest consequi, nam præcipuus amoris effectus est velle bonū rei amatæ. Tùm 3. si quis sciret, & posset in gratiam rei amatæ facere plura, & meliora, & non faceret, imperfectè diligeret, ergo si Deus posset facere meliora in gloriam suam, cum illa sciat, & possit producere, imperfectè se diligeret. Tùm 4. intellectus diuinus ostendit res voluntati diuinæ vti sunt, cui diuina voluntas, cum sit perfectissima, & habeat inclinationem naturalem ad bonum, perfectissimè se conformat, ergo producet, quæ dictat, meliora esse; aliter vel non esset sapientissimus artifex, si nesciret eligere meliora media, aut si sciret, saltem in actu secundo non esset sapientissimus artifex. Tùm 5. de facto quicquid Deus creauit, fecerunt optima, & ordinata, nam vniuersitas creaturarum cōstat ex omnibus gradibus rerum possibilium, naturalium, & supernaturalium, ergo &c. Tandem qui potest aptius medium eligere, & eligit minùs aptum, imprudenter moraliter agit, quodcunq; aliud medium non erat tàm aptum medium ad nostram reparationem, sicut fuit incarnatio, ergo si Deus non elegisset incarnationem, egisset imprudenter, quod implicat.

82 Resp. ista argumenta probare, etiam Deum debuisse alias creaturas perfectiores in infinitum producere, alias vniones hypostaticas, & omnes prædestinare; insuper non solùm ad hæc esse moraliter determinatum, sed etiam physicè, sicut physicè est determinatus ad amandam suam bonitatem intrinsecè, ac etiam ab intrinseco est determinatus ad agendum absq; errore, ignorantia, & imprudentia, vt optimè aduertit Ioan. de Lugo; quapropter ad Patres respondeo cum Scoto in reportatis 1. d. 44. q. 2. (si tamen opus illud est Scoticum) quòd ly *melius*, vel cadit suprà res à Deo creabiles, & sic illud tale dicitur, quod non habet suprà se perfectius ens creatum, & in hoc sensu non intelliguntur Patres; vel cadit suprà rectam rationem, seù suprà modum, quo res producuntur à Deo, quo sensu illud dicitur melius, quod est à diuina voluntate volitum, & productum, quatenùs diuina voluntas est prima regula rectissima omnium contingentium, nec potest operari defectuosè, vel cum ignorantia, aut imprudentia, & hoc pacto omne ens creatum dicetur melius, quàm ens possibile, & in hoc sensu intelliguntur Patres. Vel dicuntur res creatæ meliores ratione ordinationis, quam habent ad finem à Deo intentum, non enim possunt ad finem meliorem ordinari. Vel 3. si est sermo de ipsis rebus, non est sermo de perfectione possibili in genere entis creati, quia non datur summa perfectio, sed semper in infinitum progredi potest; sed est sermo de perfectione in propria specie, quatenùs quælibet res quò ad essentialia est ità perfectè constituta, vt perfectior fieri nequeat, & quò ad proprietates taliter etiam est constituta à Deo, vt nō potuerit habere conuenientiores proprietates, nam licèt habuisset perfectiores proprietates in entitate, non tamen haberent conuenientiam cum principijs intrinsecis constitutiuis. Et tandem noluit Deus meliores, & perfectiores creaturas producere propter Zelotypiam nostri amoris, inquit D. Aug. serm. 143. de tempore, *Amarus est mundus, & amatur mundus, putà si dulcis esset, qualiter amaretur? turbatur mundus, & amatur mundus, quid si tranquillus esset?* & inde concludit, *Quomodo rosas eius colligeres, qui à spinis non reuocas manus?* quare ex hoc capite

creaturæ

creaturæ imperfectiores possunt dici meliores perfectioribus respectu huius finis, ne scilicet cor nostrum auerterent, si maioris essent perfectionis, & pulchritudinis. Attamen quodcunque ex his dicatur, semper erit intelligendum cum libertate diuinæ voluntatis, vt mox patebit.

83 Ad 2. resp. ex Scot. cit. num. 74. adhoc vt aliqua voluntas necessitetur circa aliquod obiectum, non sufficere infinitatem potentiæ, vel obiecti, sed vtriusq; requiri, qua ratione Beati intrinsecè liberè fruuntur Deo, & solùm necessitantur ab extrinseco, quia scilicet potentia est finita, licèt obiectum sit infinitum, & è contra licèt voluntas diuina sit infinita, necessariò tamen solum Deum amat, at creaturas contingenter, eòquia cum sint finitæ, hæc ipsa finitudo, & limitatio potest esse ratio, cur à Deo vel sint nolitæ, vel saltim nõ sint nolitæ ex suo arbitratu, nam est quædam imperfectio; in forma igitur distinguo consequens, si intrinsecè spectant ad perfectiorem statum, concedo, si extrinsecè tantum, nego, & eodem modo distinguo probationem; modo creatæ res non adduunt Deo perfectionem aliquam intrinsecam, sed tantùm secũdùm extrinsecam denominationem, vnde in Psal. 15. dicitur, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, & 2. Mac. 14. *Tu Domine vniuersorum, qui nullius indiges*; nec est par ratio de nobis, nam cum simus finiti, & imperfecti, multùm indigemus, idcircò amor noster dignoscitur etiam ex perfectionibus extrinsecis, quas cupimus dilecto. Ad 3. verum est assumptum vniuersaliter de amante in ordine ad obiectũ distinctum, quia amor est perfecta voluntatum vnio, & consequenter voluntas amantis debet conformari cum voluntate amati, & quæ ipsi sunt placita, velle; vnde si non faceret pro amato meliora, quæ scit esse volita ab amato, non perfectè diligeret; hinc homo perfectiùs Deum amat, quò magis pro Deo laborat; at in ordine ad seipsum non est verum assumptum, nisi quando indiget illis rebus melioribus, & quæ augeant verè, & realiter perfectionem proprij status, vt est in creaturis; hæc autem ratio non militat de Deo in ordine ad creaturas.

84 Ad 4. voluntas diuina est prima regula contingentium ex Scoto 1. d. 38. & 39. nec est à diuino intellectu regulabilis, quia nec defectibilis, imò in 3. d. 32. I. ait, diuinam voluntatem non ideò velle hanc, & illam rem, *quia in ipsis sit ratio sic, vel sic volendi, sed ratio est in ipsa voluntate diuina, quia sicut ipsa acceptat alia in gradu, ita sunt bona in tali gradu, non è conuerso*, quod præcipuè est verum de illis, quæ à Deo acceptantur, & ordinãtur ad finem supernaturalem; at subdit Scotus, si in rebus ab intellectu ostensis est aliqua ratio, cur debeant rationabiliter complacere voluntati, *hoc saltem est certum, quòd cõplacentia eorum, quantùm ad actualem existentiam, est merè ex voluntate diuina, absq; alia ratione determinante ex parte eorum*, eòquia vilesceret diuina voluntas, si ab aliquo extrinseco moueretur; hinc solùm sequitur ad summum, voluntatem amare creaturas quò ad essentiam, non tamen quò ad existentiam; quare voluntas diuina ex se habet, vt non faciat contrà dictamen intellectus, non tamen necessariò habet, vt faciat semper iuxtà dictamen, quia non est ab intellectu regulabilis, & liberè se determinat ad hoc, vel illud obiectum, eò vel maximè quòd quodlibet obiectum creatum repræsentatur ab intellectu sub indifferentia, nam licèt non habeat rationem mali, habet tamen semper annexam carentiam alterius boni. Cum dicitur, habet inclinationem naturalem in bonum, concedo, nego tamen, necessariò debere agere iuxtà illam inclinationem, aliter physicè necessariò ageret, & quantùm posset in infinitum; & ratio est, quia hæc inclinatio subditur infinitæ libertati diuinæ. Neq; ex hoc sequitur, non esse sapientissimum artificem in actu secundo, quia licet non producat perfectissimum effectum, producit tamen perfectissimo modo, absq; defectu, & imperfectione ex parte actionis. Ad 5. negatur assumptum, nam Gen. 1. creata à Deo non dicuntur optima, sed valdè bona, & patet ex dictis in Phys. disp. 10. q. 2. art. 2. & in lib. de cælo disp. 1. q. 4. quo pacto vniuersum dicatur perfectum. Ad 6. sequeretur, si valeret, Deum debere omnibus dare auxilia efficacia, quæ sunt aptiora media ad consequendam nostram salutem; quare dico primò, quòd licet homo sit moraliter agens, eòquia tenetur obedire legi superioris, quæ per rectum dictamen conscientiæ ipsi manifestatur; attamen Deus, quia nulli legi est subiectus, nec ipsius scientia de contingentibus est practica, sed speculatiua ex Scot. q. 4. prol. & 1. d. 38. idcircò propriè non dicitur agere moraliter, neq; secũdùm dictamen prudentiæ, vnde quidquid vult, rectè vult, quia ex voluntate vult, quæ est prima regula factibilium; & consequenter eligat quodcunq; mediũ, semper rectè eligit. Secundò dico, Deum eligere semper aptiora media ad consequendum finem, quem intendit, quamuis à nobis quandoq; hæc maior aptitudo non cognoscatur, quia neq; scimos occulta Dei iudicia; hinc si elegisset ad nostram reparationem puri hominis satisfactionem, adhuc ista satisfactio fuisset aptius medium omnibus alijs ad consequendum finem, quem tunc Deus intendisset; semper tamen liberè simpliciter, & absolutè vult illa media, quia liberè vult finem, ad quem ordinantur; vide Ioan. de Lugo cit. & Hurt. disp. 2.

85 Dico 2. estò multis alijs modis Deus potuisset hominem saluare, nullum tamen fuisse conuenientiorem incarnatione, & passione Christi; ideòq; fuisse incarnationem necessariam necessitate immutabilitatis. ità Scot. cit. prima pars prob. quia per hunc modum resplendet primò diuina misericordia, quia sine meritis præcedentibus, imò cum demeritis tantám gratiam conferre dignatus est, vt isdem, qui hominem condiderat, eiusdem fieret redemptor; iustitia, dum innocentem Christum pro nostro peccato morti tradidit; charitas, quia profuit inimicis; bonitas, quia non despexit proprij plasmatis infirmitatem; sapientia, dum difficillimi vulneris, & pretij decentissimam curam, & solutionem reperit; Potentia, quia Deus infinitæ maiestatis factus est homo; Rursùs per hunc modum magis relucet hominis gloria, & dæmonum confusio, quia gloriosiùs fuit homini, reparari per satisfactionem, quàm sine, & quòd idem homo non numero, sed specie, perfectè satisfaceret; insuper quòd dæmon ab eadem natura, quam vicerat, vinceretur, & ligatus maneret. Secunda pars patet, quia Deus est immutabilis, & quicquid vult in tempore, ab æterno voluit; ergo supposito decreto, & ordinatione diuina, incarnatio fuit necessaria, quo sensu intelligi debent Scripturæ, & Patres, dum incarnationem astruunt necessariam.

86 Contrà primam partem arg. primò: non videtur iustum, nec rationi consonum, vt Christus innocens subiret supplicium debitum iniustis, & damno

suo

suo pro illis satisfacere. Tùm 2. est peruersitas, dum ad reparandum deterius, destruatur id, quod est melius, temporalis vita Christi, quia est simpliciter vita hominis Dei, præstantior erat, quàm totius mundi salus. Tùm 3. maius bonum nō conuenit ordinari ad minus bonum, vita Christi fuit maius bonum, quàm hominis redemptio. Tùm 4. nō est congruum, vt ad compensandam minorem offensam permittatur maior offensa, scilicet peccatum Iudæorum occidentium Christum, nam minima læsio Christi fuit grauior omnibus alijs peccatis.

87 Resp. ad 1. non videtur iustum, vt innocens subeat supplicium, si inuitè, & coactè persoluit debitum, & absq; vllo commodo; Christus autem oblatus est, quia ipse voluit, & ob hanc mortem fuit super omnia exaltatus. Ad 2. si destructio esset perpetua, & irreparabilis, concedo, si statim recuperanda, & perfectiùs restituenda, vt in proposito, nego. Ad 3. distinguo maiorem, vt ad finem vltimum, concedo, vt ad non vltimum, nec principaliter intentū, nego; modò passio Christi fuit ordinata, & ad hominis salutem, & ad Christi exaltationem, & gloriam, qui est finis vltimus. Ad 4. verum esset assumptum, si mors Christi non fuisset satisfactoria pro offensis Iudæorum occidentium Christum.

88 Secundò arguitur; quilibet actus Christi fuit ad redimendū hominem sufficiens, ergo nō debuit vitā, & sanguinem ponere. Tùm 2. per passionem Christi non potuit satisfieri peccato occisionis Christi, ergo non fuit omnium mediorum conueniens, antec. prob. meritum debet excedere culpam, sed meritum Christi non excessit culpam occidentium, quia occisio Christi tàm malum fuit, quàm bonum fuit vita Christi, qua priuabatur, ergo tanta inimicitia occidentis, quanta amicitia Christi reconciliantis, ergo &c. Tùm 3. non fuit conueniens, Angelum, qui est ens nobilius, reparari, ergo neq; hominem, qui est ignobilior. Tùm 4. cum pauci sint, qui saluantur, non videtur conueniens, tàm excellens meritum passionis Christi ordinari ad tam exiguum effectum, nulla enim proportio seruatur inter causam, & effectum.

89 Resp. verum esse assumptum, sed ait Doctor, *quòd ergo Christus voluit sic pati, processit ex amore intensa finis, & nostri, quo nos dilexit propter Deum.* Ad 2. neg. antec. probatio vrget ponentes, meritum ex se debere includere condignitatem ad præmium; at in nostra sententia non vrget, quia potuit Deus magis acceptare mortem Christi, quàm odio habere occisionem, vt in seq. quæst. dicetur. Ad 3. congruentiùs fuit hominem reparari, quàm Angelum, præcipuè, quia sic placuit diuinæ voluntati, quæ est prima regula; assignantur autem à Doctoribus plures rationes conuenientiæ; Doctor autem hic ait, congruentius fuisse, hominem reparari, quia per peccatum tota natura humana cecidit, non autem tota natura angelica, quia de qualibet specie multi Angeli remanserunt, & forte de aliqua nullus cecidit; Tùm quia natura humana est imbecillior. Ad 4. passio Christi fuit sufficiens pro infinitis hominibus, si tot essent, quòd autem omnibus non proficiat, non est ascribendum inefficaciæ passionis Christi, sed nostræ malitiæ.

Quæstio Quarta.

An satisfactio Christi fuerit infiniti valoris.

90 PRimò in hac quæst. accipiendum, quòd meritum, & satisfactio in præsenti propriè differunt, nam meritum formaliter respicit præmium, seu retributionem, satisfactio respicit peccata generis humani, pro quibus Christus satisfecit, valor verò est in vtroq; & ferè coincidit; verum est tamen, quòd distinctiùs loquendo, valor respicit opera, meritum respicit personam retribuentem, satisfactio verò personam offensam. Rursus satisfactio est duplex, alia, quæ est purè satisfactoria, & est, quæ per seipsam extinguit debitum, vt quando aliquis furatur, & posteà restituit ablatum in integrum, alia est simul meritoria, quæ per seipsam debitum non extinguit, sed meretur aliquid, per quod extinguitur debitum, talis fuit satisfactio Christi, quę meruit nobis gratiam sanctificantem, per quam formaliter extinguitur debitum, & peccatum.

Secundò certum est, opera Christi Domini habuisse sufficientem valorem ad satisfaciendum pro peccatis, & nedùm adæquasse, sed longiùs excessisse nostra delicta, imò fuisse sufficientia pro infinitis hominibus redimendis, si tot ab Adamo propagati fuissent, & consequenter habuisse infinitum quendam valorem, sic enim colligitur ex Scripturis, Concilijs, & Patribus infrà citandis; solùm difficultas est, an iste infinitus valor proueniat ab intrinseco, & ex propria ratione formali opera Christi sint condignitatis infinitæ, an verò ab extrinseco ex acceptatione diuina desumpta ex quadam congruitate diuini suppositi.

91 D. Tho. 3. p. q. 1. art. 2. vbi & Thomistæ omnes cum Recentioribus, sustinet, opera Christi habuisse infinitum valorem simpliciter ex sua ratione formali, & intrinsecè ante acceptationem diuinam propter diuinum suppositum cōcurrens ad illa opera. Scotus ex opposito in 3. d. 19. q. vn. B. & 4. d. 15. q. 2. C. docet, opera Christi non intrinsecè, sed extrinsecè fuisse infiniti valoris, scilicet ex acceptatione diuina, præter Scotistas sequuntur Dur. in 3. d. 20. q. 2. & in 4. d. 15. q. 1. Gabr. & Almaio. eisdem locis, Ioan. Medina de pœnit. tract. 3. de satisfact. q. 1. & alij. Mediam sententiam docet Ioan. de Lugo disp. 6. sect. 1. dicens, meritum Christi fuisse solùm infinitum secū dùm quid, valorem verò fuisse simpliciter infinitum, nam num. 14. ait, meritum esse simpliciter infinitum significat, meritum esse tale, vt non possit aliud maius meritum excogitari, modò vna Christi actio erat magis meritoria, quàm altera; at valorem esse simpliciter infinitum significat, meritum habere valorem ad quodcunq; præmium excogitabile, itàut nullum sit meritum maioris præmij, quàm istud.

92 Dico primò, opera Christi non fuisse intrinsecè meriti, satisfactionis, & valoris simpliciter infiniti; ità Doctor cit. prob. bonitas moralis actus Christi fuit simpliciter intrinsecè finita, ergo meritum, satisfactio, & valor illius actus fuerunt intrinsecè simpliciter finiti, antec. conceditur ab omnibus, & patet, quia fundatur in entitate actus, quæ est finita, cum sit effectiuè à voluntate, conseq. prob. meritum, satisfactio,

& valor

& valor consequuntur moralem bonitatem tanquàm passiones, nam sicut ad moralitatem in communi cõsequitur vt passio imputabilitas in communi ad præmium, vel pœnam, laudem, vel vituperium, itè ad bonitatem moralem vt passio consequitur imputabilitas ad laudem, & præmium, in quo consistit ratio meriti, & valoris, sicut ad malum consequitur vt passio imputabilitas ad vituperium, & pœnam, quæ est ratio demeriti, ergo si bonitas est finita, etiam meritum erit finitum, nam passio, quæ est effectus, nequit excedere in perfectione suam causam,

93 Resp. ex Suarez disp. 4. sect. 4. valorem non tãtùm ex bonitate actus prouenire, sed etiam ex omnibus circumstantijs, quarum vna, & præcipua est persona, cum ergo actiones Christi proueniant tanquam à principio vt *Quod* à supposito Verbi infinitæ dignitatis simpliciter, valor satisfactionis, & meriti Christi erit simpliciter infinitus, quia dignitas valoris crescit ex dignitate personæ satisfacientis, saltim in genere moris; dant exemplum de contritione, quæ, antequàm homo informetur gratia, non habet valorem aliquem ad gloriam, at post acceptionem gratiæ est de condigno meritoria, & habet æquiualentem valorem, & tamen est eadem bonitas, & entitas, solùm fit mutatio ex parte personæ, quatenùs priùs non habebat dignitatem gratiæ, ergo dignitas personæ auget valorem actus inuariata manente bonitate morali. Addit Hurt. disp. 63. §. 54. actum Christi duplicem habere bonitatem, vnam intrinsecam, desumptam ex propria entitate, alteram extrinsecam prouenientem à natura operante, & vnita diuino supposito, valorem, ait, sumi ex vtraq; bonitate, quia hoc totum conflatum ex vtraq; bonitate est obiectum diuinæ cõplacentiæ, qua Deus mouetur ad præmia, quod totum est simpliciter infinitum.

94 Verùm, vt ab hoc vltimo incipiamus, in præsenti non est quæstio, an totum conflatum ex actu, & Christo operante sit simpliciter, & intrinsecè infinitum, clarum enim est, esse simpliciter infinitum, non solùm in genere moris, sed etiam in genere entis, quia suppositum diuinum, quod in illo aggregato includitur, est simpliciter, saltim ratione diuinitatis, infinitum; sed loquimur de ipso actu in se, an scilicet ex hoc, quòd proueniat à supposito infinitæ dignitatis, sit intrinsecè valoris infiniti, an solùm extrinsecè; Et quidem dignitas personæ non solùm concurrit ad valorem actus, sed etiam ad bonitatem eiusdem, ergo si non causat in actu bonitatem, neq; infinitum valorem causabit; antec. prob. dignitas personæ est circũstantia actus in genere moris, & auget bonitatem, vel mutat speciem in genere moris, quod clariùs patet in malitia. Negant conseq. quia aliter dignitas personæ concurrit ad bonitatem actus, aliter ad valorem; ad bonitatem enim concurrit, vt aliquo modo redundat in obiectum, augendo, vel mutando ipsius bonitatem; at ad valorem, & meritum concurrit seipsam formaliter communicando secundùm totum, & quodammodò per se ipsam moraliter informando actionem, quia nõ tantùm operationem, sed seipsam quoq; persona operans submittit in obsequium eius, cum satisfacit; hinc operatio denominatur à persona, actus autem non denominatur ab obiecto, nam actio Christi dicitur diuina, theandrica, Deiuirilis, actio Angeli angelica, at cognitio de Deo, vel de Angelo non dicitur diuina, vel angelica; potest igitur dignitas personæ cõmunicare actioni infinitum valorem, & meritum, licèt non communicet infinitam bonitatem; quia ad hanc concurrit in ratione obiecti; sicut dignitas personæ Verbi communicat humanitati infinitam dignitatem in genere moris propter vnionem hypostaticam, & gratia dignificat hominem, vt sit dignus præmio supernaturali.

95 Contrà, dignitas personæ non communicat valorem actui, nisi ab eadem persona sit cognita, ergo licèt sit infinita dignitas personæ Christi, non poterit communicare actui infinitum valorem simpliciter; conseq. prob. quia si dependenter à cognitione communicat, ergo quò minor est cognitio, eò minùs valoris communicat, & quia cognitio humana Christi est finita, valor erit finitus simpliciter, vt supra num. 9. arguebamus de peccato; antec. prob. sit filius Regis nesciens se esse Regem, certè opera ab ipso facta in obsequium alterius Regis non erunt tanti meriti, & valoris, quanti essent, si ille cognosceret propriam conditionem, & dignitatem, etiam si esset ab altero Rege cognitus, ergo dignitas personæ communicat valorem iuxtà mensurã cognitionis, & non ad æqualitatem; assumptum patet, quia maiorem obligationem induceret, si sciens propriam dignitatem, adhùc submitteret se in obsequium alterius Regis; cum igitur Christus, vt homo, finitè noscat propriam dignitatem infinitam, valor operum ipsius erit formaliter, & intrinsecè finitus; hinc falsum est, dignitatem personæ communicare valori operis seipsam formaliter secundùm totum, sicut nec dignitas personæ offensæ communicat secundùm totum infinitatem peccato. Tùm quia hoc magis apparet falsum in nostra sententia sustinente, vnionem hypostaticam esse cum peccato compossibilem, vt suo loco dicemus, quomodò enim tunc dignitas personæ formaliter communicaret seipsam actui peccaminoso? Falsum quoq; est, humanitatem Christi esse intrinsecè infinitæ dignitatis simpliciter, nisi secundùm extrinsecam denominationem, & ratione suppositi. Nec exemplum sæpè adductum de gratia, vrget; nam sicut gratia non ex sua natura dignificat hominem, sed ex ordinatione diuina, nam etiam ex se est compossibilis cum peccato, vt nunc suppono ex tract. de peccatis; nec ex se habet condignitatem ad præmium beatitudinis, sed ab extrinseca acceptatione Dei ex dictis disp. præc. q. 1. idẽ dici potest de vnione hypostatica, quòd eleuet actum ad condignitatem cum præmio infinito ex diuina ordinatione.

96 Ioan. de Lugo concedit, meritum Christi non fuisse simpliciter infinitum, quia vna actio erat magis meritoria, quàm alia, at nequit dari vnum infinitum maius alio; sed adhùc concedit, valorem esse simpliciter infinitum, quod explicat hoc pacto, nam actus bonus antecedenter ad dignitatem personæ est dignus ex se magno præmio; vt cognoscatur autem, quod nam sit magnum præmium, attendi debet dignitas personæ, nam quod vni est magnum præmium, alteri digniori est minus, sic actui bono naturali facto ab homine non in gratia, correspondet magnum præmium, scilicet bonum temporale, eidem actui facto ab homine iusto debetur præmium magnum, quod quidem nequit esse aliquod temporale, sed æternum, & supernaturale, sicut dignitas filij adoptiui superat statum hominis in pura natura; deniq; respectu Christi nullum finitum potest dici magnũ præmium, quia status filij naturalis maximè excedit statũ filij adoptiui. Quapropter, quòd actui correspondeat magnũ

præmium,

præmium, habet ex se, quòd autem hoc, vel illud dicatur magnum præmium, prouenit præcisè ex dignitate personæ, hinc quia dignitas personæ Christi est infinita, idcircò illud dicitur magnum præmium de condigno, quod habet rationem infiniti; eò vel maximè quòd in reddendo præmio non solùm debet attendi dignitas personæ merentis, sed etiam retribuentis, qui est Deus, ad quem spectat liberaliter præmiare iuxtà propriam dignitatem, & potẽtiam infinitam; adest exemplum, nam hostis occisio facta à plebeio tanquàm magnum præmium meretur v.g. alimenta vitalitia, facta à Duce tanquam magnum præmium meretur præfecturam prouinciæ, facta à filio Regis meretur successionem in regno.

97 Hæc responsio ingeniosa quidem est, tamen displicet in hoc, quòd negat de valore, quod concedit de merito; nam si meritum esse simpliciter infinitum est, non posse aliud maius meritum excogitari, idem de valore dici posset, quòd ille sit simpliciter infinitus, quo maior valor nequeat excogitari, eodẽ enim modo meritum est intensibile, & remissibile, sicut valor; & si valorem esse simpliciter infinitum est, meritum habere valorem ad quodcunq; præmium excogitabile, itàut nullum sit meritum maioris præmij, quàm istud; idem de actu bono dici posset, quòd scilicet sit infiniti meriti, quatenùs habet meritum ad quodcũq; præmium excogitabile, itàut nullus sit actus bonus maioris præmij meritorius, aut maioris meriti, quàm iste; eò vel maximè, quòd meritum, & valor ferè coincidunt, imò clariùs meritum dicit ordinem ad præmium, vbi valor propriè respicit entitatem actus, ergo si infinitas simpliciter valoris attenditur, & explicatur in ordinem ad quodcunq; præmium excogitabile, multò magis id deberet dici de merito. Tùm quia non minùs meritum prouenit ex circumstantia personæ, & alijs circumstantijs actus, ac ipsius entitate, quàm ipse valor actus ex entitate actus, & circumstantijs omnibus pendet, ergo sicut meritum, quia potest decrescere ex parte actus, in sententia ipsius est infinitum secundùm quid, non simpliciter, idẽ de valore dicendum.

98 Accedit principaliter contrà respons. ex hoc, quòd absolutè ait, excessũ magnitudinis præmij prouenire à dignitate personæ secundùm æqualitatem, nam vt dicebam, dignitas personæ non refundit valorem, nisi proportionaliter ad cognitionem, qua cognoscitur, ergo quia cognitio animæ Christi, qua cognoscebatur Verbum, erat finita, valor relusus fuit finitus; quod adhùc magis probatur, quia valor consequitur meritum, hoc consequitur bonitatem, ergo quod dat bonitatem, dat meritum, & valorem, circumstantiæ autem obiectiuæ, qualis est circumstãtia personæ, non dant bonitatem, nisi sint per se intentæ, & volitæ, & consequenter nisi sint cognitæ, ergo refundunt bonitatem, meritum, & valorem secundùm proportionem ad cognitionem; minor subsumpta patet, quia meritum, & valor consequens meritum fundantur in voluntario, & libero, ergo quod dat meritum, debet esse volitum.

99 Dices cum Coninch. de Act. hum. disp. 3. nu. 183. circumstantiam personæ non esse circumstantiam obiectiuam, sed formalem, ad quam non requiritur, quòd cognoscatur, & sit volita, & refundet honestatem, & valorem, vt patet de gratia, quæ est circumstantia personæ merentis, & refundit meritum absq; præuia cognitione. Tùm quia diuersa est ratio de bonitate, & de valore, nam bonitas attenditur solùm ex parte actus, valor verò attenditur in ordine ad personam præmiantem, quæ non solùm debet attendere ad laudabilitatem operis, sed etiam ad conditionem personæ.

100 Sed admisso adhùc, circumstantiam personæ esse formalem, & consequenter non prærequiri cognitionem, vt est de intensione actus, nequit tamen negari, quin circumstãtia formalis, vt det bonitatem, & meritum, debeat esse volita, saltim vt *Quo*, & interpretatiuè, ad quod requiritur aliqua cognitio, saltim virtualis, vbi circũstantia obiectiua est volita vt *Quod*, & consequenter refundet bonitatem, & valorem iuxtà proportionem ad volitionem interpretatiuam, & cognitionem virtualiter præsuppositam, quia nil volitum, quin percognitum, sicut obiectiua iuxtà proportionem ad volitionem formalem, & consequenter finitam. Tùm quia omnis circumstantia formalis, si est volita vt *Quod*, auget bonitatem, & meritum, quia tunc erit per se cognita, & intenta, ergo licèt dignitas personæ sit circumstantia formalis, attamen si est cognita, & volita vt *Quod*, augebit bonitatem, & valorem desumptum ab ipsa vt circumstantia formali, & volita vt *Quo*, ergo valor priùs desumptus non fuit simpliciter infinitus; probo conseq. quia infinito non potest fieri additio, neq; vnum infinitum est maius alio, ex disp. 10. Phys. Quod autem additur, præmians debere attendere statum personæ operantis, & liberaliter etiam præmiare iuxtà propriam conditionem, & potentiam, hæc solùm inferunt quandam congruẽtiam, aut saltim condignitatem prouenientem ex ipsa acceptatione præmiantis, si status ille non est cognitus, & voluntarius operanti, vt dixi de gratia.

101 Cæterùm euidentior ratio, qua possit conclusio ista probari, sumi debet ex implicantia infiniti in actu, quia sequeretur, eundem valorem esse in vna Christi actione, ac in omnibus simul, imò eundem valorem esse in vna parte actionis successiuæ, ac in tota actione, & sic totum non esset maius sua parte, vel esset concedendum vnum infinitum esse maius alio, quæ esse valde absurda, ostẽsum est fusè in Phys. disp. 10. q. 3. 4. & 5. & præcipuè quia in isto valore infinitè intenso deberent dari infiniti gradus, & sic daretur non solùm infinitum in actu quò ad intensionem, sed etiam quò ad multitudinem, quod euidentiùs impugnatur, vt ibi adnotaui. Cui accedit, quòd si fuit infinitum simpliciter, de facto à Deo nec minima pars meriti Christi fuisset remunerata, quia sicut quod Deus produxit, cum sit finitum, nec minimam partem adæquat omnipotentiam Dei, quæ est formaliter infinita, quia finiti ad infinitũ nulla est proportio, idem de merito Christi esset dicendum; imò quòd nec de possibili posset Deus remunerare meritum Christi, quia quicquid producet tanquam prẽmium, etiam si foret altera vnio hypostatica, esset finitum.

102 Tandem arguit Doctor, si actus Christi habet intrinsecum valorem infinitum, itàut in genere moris sit infinitæ acceptabilitatis ex sua ratione formali, ergo etiam est infinitæ diligibilitatis in genere moris, patet conseq. quia esse Deo acceptum est esse à Deo amatum, & ipsi carum, ergo si est infinitè acceptabilis, erit infinitè amabilis in genere moris; subinfert Doctor, ergo eodem modo erit diligibilis, sicut velle diuinum, scilicet infinitè, quia vnum infinitum non est maius alio, Resp. Suarez neg. paritatem, quia velle diuinum est infinitum in genere entis, & placet

Deo

Deo non in ratione meriti, & satisfactionis, sed in ratione boni essentialiter infiniti, vnde est infinitum altioris ordinis, quod velle Christi non conuenit, quia est tantùm infinitum in genere meriti, & satisfactionis. Contrà, actus bonus non solùm est diligibilis in ratione meriti, sed etiam secundùm suam entitatem, quia si à Deo actus ille non ordinaretur ad aliud, vt ad præmium, non esset meritorius, esset tamen in se diligibilis à Deo, sicut actus amoris alicuius, & si non sit meritum, debet tamen æstimari à dilecto, & quò dignior est amans, eò plùs amor ille est in se æstimabilis, vt arguunt aduersarij; quæro ergo, vel actus amoris Christi est infinitè diligibilis ex se in genere moris, vel non, si secundum habeo intentum, si primum, ergo licèt in genere entis differat à velle diuino, est tamen æqualis illi in genere moris, quia vnum infinitum non est maius alio; quod tamen est falsum. Vlteriùs, sicut illa infinita diligibilitas in velle diuino arguit infinitam entitatem in ipso, ità infinita diligibilitas intrinseca in velle Christi argueret infinitatem in entitate; vide num. 50. quia eadem ratio fieri potest de satisfactione.

103 Dico 2. ex circumstantia suppositi diuini operantis opera Christi habuisse quandam rationem extrinsecam, & congruitatis, qua potuerunt acceptari in infinitum, & pro infinitis, quę congruitas non fuisset, si opera fuissent alterius creatæ personæ; ità Scotus cit. & patet, quia ratione soppositi infiniti merentis, & satisfacientis, acquisierunt actiones illæ infinitatem quandam negatiuam, & summam in genere meriti, ergo congruum erat, vt pro infinitis acceptarentur, quam congruitatem non habuissent, si suppositum fuisset creatum; accedunt authoritates mox adducendæ ex Patribus, & Sacra Scriptura, quæ verè nihil aliud demonstrant, quàm nostram conclusionem, vt dicemus.

Soluuntur Obiectiones.

104 Contra primam conclus. arguitur ex Scripturis dicentibus, meritum, & satisfactionem Christi, non solùm equasse demeritum, verùm etiam superasse, ac proinde loquuntur de pretio nostræ redemptionis, tanquàm de re infiniti valoris, Psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio*; 1. Corinth. 6. *Empti enim estis pretio magno*; Rom. 5. *Non sicut delictum, ita & donum*; & similibus. Patres etiam id clarè asserunt; Basil. in Psal. 48. in illum vers. *Frater non redimit*, ait, passionis Christi pretium superasse omnem valorem; Ansel. 2. Cur Deus homo c. 6. non posse fieri Deo condignam satisfactionem pro peccatis, nisi sit, qui soluat Deo aliquid maius, quàm omne id, quod non est Deus; & lib. 1. c. 14. & 19. sanguinem Christi infinitis interuallis distare à sanguine martirum; Dion. epist. 4. ad Caium ait, actiones Christi esse deificatas, Deiuiriles; idem colligitur ex alijs Patribus asserentibus, ad redemptionem generis humani fuisse necessarium Deū hominem fieri. Rursùs Clemēs VI. in extrauag. *Vnigenitus* de pœnit. & remiss. ait, Christum suis meritis acquisiuisse infinitum thesaurum hominibus, & guttam sanguinis sufficientem fuisse ad perfectam redemptionem, & hoc propter vnionē ad Verbum. Et confirm. nam cum Patres dicunt, meritum Christi fuisse infinitum, non intelligunt extrinsecè ratione suppositi, quia sic idem esset dicere, ac meritum Christi esse infiniti suppositi, quod, supposita fide, à nomine negaretur; sicut cum dicunt, peccatum esse infinitæ malitiæ, non loquuntur obiectiuè, & extrinsecè, hoc enim est clarum, & potest hic loquendi modus tribui omnibus actibus in Deum tendentibus; similiter cum Arist. ait, satisfactionem crescere ex dignitate personæ satisfacientis, & offensam ex dignitate personæ offensæ, non debet intelligi obiectiuè, quia sic etiam reuerentia, honor cresceret ex dignitate personæ, cui fieret, quod est falsum, quia quò dignior est persona, eo magis est illi debita reuerentia, & consequenter minus meritoria, ergo debent intelligi de valore intrinsecè infinito.

105 Resp. has omnes authoritates probare vtique, meritum Christi fuisse infinitum, non tamen intrinsecè, sed extrinsecè, ratione suppositi, & acceptationis; nam propter communicationem idiomatum illæ actiones rectè poterant dici deificatæ, quod non est aliquid intrinsecum ipsis, sed extrinseca denominatio; Et cum Patres dicunt, fuisse necessarium, Deum fieri hominem, debent intelligi de necessitate suppositionis, non simpliciter, vt dixi quæst. præced. similiter cum dicitur in Clementina, sanguinem propter hypostaticam vnionem fuisse sufficientem, non indicatur aliquis valor intrinsecus, sed solùm congruentia tàm excellens, vt potuerit inclinare diuinam clementiam ad nostram redemptionem, ex qua acceptatione posteà recepit completam sufficientiam, vnde ly *propter* circumscribit causam de congruo acceptationis, & sufficientiæ, non de condigno. Ad confirm. concedo, valorem, & offensam intrinsecè augeri secundùm proportionem, non secundùm equalitatem, propter rationes assignatas, præcipuè quia dignitas influit ex hoc, quòd quatenùs vt cognita auget voluntarium, quare crescit secundùm proportionem ad cognitionem, non ad dignitatem in se; & hoc modo intelligitur Arist. hinc maioris ęstimationis est persona Regis, quàm ipsius opera. Patres verò, concedo, quòd loquuntur de infinitate meriti, non vt prouenit simpliciter à supposito, & ab ipso extrinsecè denominatur, sed vt prouenit ab acceptatione diuina; peccatum autem dicitur infinitæ malitiæ negatiuè, quatenùs in toto genere offensæ illa est summa, quæ fit circà Deum, & maior ex hoc capite esse nequit, non tamen positiuè, quòd scilicet formaliter sit intrinsecè infinita, vt explicui q. 5. & in hoc sensu etiam meritum Christi dici potest infinitum, scilicet negatiuè, quatenùs in ratione meriti est summum, nec aliud excellentiùs reperitur.

106 Contrà instat Hurt. disp. 11. sect. 1. ex D. Paulo Hæbr. 5. vbi loquens de Christo, ait, *Cum clamore valido, & lacrimis exauditus est pro sua reuerentia*, quē locum expendens Chrisostomus to. 4. hom. 8. inquit *Et quanquam esset filius Dei, pro reuerentia, inquit, exauditus est: vult ostendere eius esse magis efficium, quam gratiæ Dei, tanta, inquit, erat eius reuerentia; vt etiam propterea eum reueretur Deus*; ex quibus primò deducitur, ante exauditionem, & acceptationem diuinam fuisse in Christi operibus propter dignitatem personæ valorem intrinsecum; hoc enim innuit ly *pro sua reuerentia*; secundò hunc valorem, & meritum non esse de congruo, sed de condigno, patet ex verbis Chrisostomi, nam negat, remissionem peccatorum propter Christi merita esse effectum gratiæ, sed

Q potiùs

potiùs operum Christi, concessamq; fuisse à Deo, quia Deus ipsum Christum sit reueritus; at si in operibus Christi esset solum quædam congruitas, tunc acceptatio, & exauditio fuissent effectus gratiæ Dei. Tùm quia licèt meritum ex dignitate personæ non crescat ad æqualitatem, & arithmeticè, sed secundùm proportionem, & geometricè, adhùc erit infinitum simpliciter, quod prob. quia assignetur talis proportio (certè cum detur à parte rei, erit assignabilis) sit v.g. proportio centecupla, itàut ad augmentum centum graduũ dignitatis personæ crescat vnus gradus meriti, & valoris in actu, & ad augmentum ducentorum graduum crescant duo gradus meriti; tunc sic, persona Christi est infinitæ dignitatis, seù dignitas ipsius habet infinitos gradus, ergo habebit infinitos centenarios graduum, sed ad quemlibet centenarium consequitur vnus gradus valoris in actu, ergo erunt infiniti gradus valoris, ergo valor erit simpliciter infinitus.

207 Resp. ad 1. ly *pro sua reuerentia* Lyranus, & multi Patres exponunt de actu secundo, seù de reuerentia erga Deum, quam Christus semper professus fuit; Chrisostomus verò cit. exponit de reuerentia in actu primo, seù de dignitate personæ, vtraq; expositio minimè officit; non enim sequitur, reperiri in actibus Christi infinitatem simpliciter, sed negatiuam, & extrinsecam; cum additur, gratiam tunc fuisse causam remissionis peccati, respondeo ex dictis disp. præced. num. 30. & ex dicendis infrà q. 6. non quamlibet gratiam excludere meritum de condigno (loquimur de gratia, pro vt significat gratuitam Dei volūtatem) sed illam, quæ non eleuat opus tanquam æquiualens ad præmium, & de hac intelligi debet Chrisostomus; nam licèt admittamus in Christi actibus valorem intrinsecè infinitum, non idcircò excluditur gratia creditoris Dei, vt infrà q. seq. Ad 2. potest idem argumentum fieri de dignitate, & perfectione actus charitatis Dei, vt ostendi num. 16. & de volitione dandi elemosinam infinitis hominibus; quapropter cum dico, valorem crescere secundùm proportionem, non est sensus, quòd verè detur aliqua proportio geometrica, aliter ex hac possemus posteà inferre proportionem arithmeticam, nam quæro, (vt arguo in Phys. disp. 10. contrà infinitum in actu) in illis gradibus infinitis valoris quot centenarij reperiuntur, certè erunt infiniti, ergo augumentum fuit secundùm proportionem arithmeticam, hinc Doctor in 4. d. 49. q. 11. C. ait, finiti ad infinitum non esse proportionem geometricam, quia proportio geometrica est, qua continens excedit contentum in aliquo certo gradu, & finito, itaquòd excessum aliquando replicatum reddit suum excedens, at finitum quotiescunq; sumptum nunquam reddit infinitum, quapropter concludit, inter finitum, & infinitum esse proportionem alterius generis, putà operationis ad suum terminum, siuè cognitionis ad suum terminum, siuè cognitionis ad suum obiectum, & his similem.

208 Vt autem intelligatur, quæ sit ista proportio, qua perfectio actus crescit ex perfectione obiecti, notandum, quòd duplex perfectio reperitur in actu, vna est essentialis, & quidditatiua, altera est secundùm gradus indiuiduales; vtraq; tamen est actui intrinseca, prima sumitur ab obiecto, à quo habet specificari, & sic quò perfectius est obiectum, eò actus est perfectior, non quidem in entitate arithmeticè, vel geometricè, vt falsò putat Hurt. sed solùm proportione, vt ità dicam obiectiua, vnde si obiectum est infinitè perfectum, proportionaliter actus est obiectiuè perfectus infinitate negatiua, & ex suo genere summa, non tamen est infinitas simpliciter, & positiua, vt dixi num. 50. de peccato, secunda perfectio attenditur penès intensionem actus, intentio autem non sumitur ab obiecto, sed ex maiori, vel minori conatu operantis, vnde actus remissior potest esse circà perfectius obiectum; Tunc ad argum. resp. negando assumptum, quia sicut perfectio crescit ex dignitate obiecti solùm proportione obiectiua, non arithmeticè, vel geometricè quò ad gradum essentialem, ità meritum, & satisfactio crescit ex dignitate personæ proportione consimili, itàut si persona est infinitè digna, meritum sit infinitum negatiuè, non autem positiuè, quia non excedit alia merita in infinitum infinitè ex sua ratione formali, sed solùm ex acceptatione diuina; pari passu namq; incedunt offensa in ordine ad personam offensam, & meritum respectu personæ merentis; præcipuè quia circumstantia personæ communicat valorem proportionaliter ad cognitionem, vt dixi num. 95.

209 Secundò, actiones sunt suppositorum, ergo si suppositum est infinitum, vt est in Christo, actiones Christi erunt infinitæ. Tùm 2. sicut se habet suppositum ad aliud suppositum, ità meritum vnius suppositi ad meritum alterius, sed suppositum Christi in infinitum excedit suppositum creatum, ergo meritum Christi in infinitum excedit meritum quodcunque. Tùm 3. non est opus, vt gradus valoris sequatur gradum bonitatis moralis, ergo estò quòd bonitas moralis operum Christi fuerit finita, non sequitur, valorem esse finitum; antec. prob. contritio præintellecta gratiæ habituali habet totam suam intrinsecam bonitatem moralem, non tamen habet sufficientem valorem ad meritum, & condignitatem, sed statim àc quis est in gratia, habet condignum valorem ad meritum, ergo valor operum Christi, estò supponat bonitatem moralem finitam, tamen potest consistere in æstimatione morali infinita, quæ prouenit ex dignitate personæ.

210 Resp. ad 1. ex dictis disp. 1. n. 59. actiones esse suppositorum, non quia supposita influant in actiones, sed secundùm vltimam denominationem. Dices, denominatio in esse moris se habet vt aliquid intrinsecum, & morale positiuum, ergo suppositum, licèt physicè non influat in actiones, influet in genere moris. Resp. concedendo moraliter influere, sed non ad æqualitatem, sed secundùm proportionem, vt dixi. Ad 2. nego paritatem, quia meritum non tantùm sumitur ex circumstantia suppositi, sed ex alijs, quæ cum sint finitæ, effectus inde proueniens erit finitus; tùm quia meritum non sumitur à dignitate suppositi secundùm æqualitatem, sed secundùm proportionem. Ad 3. distinguo antec. si in illo actu adsunt omnia requisita ad meritum, nego, si non adsunt, transeat, & quia gratia est vna ex præcipuis conditionibus, si deficit, non est illa contritio meritoria, sed quando adest, quò maior est bonitas, eò maior est valor; imò argumentum est pro nobis, quia sicut gratia non ex natura rei concurrit ad meritum, sed ex diuina ordinatione, sic valor proueniens ex gratia non proueniet ex natura rei, sed ex ordinatione diuina.

211 Tertiò totũ, quod obtulit Christus, fuit simpliciter infinitum, quia obtulit seipsum, ergo meritum

tum ipſius fuit ſimpliciter infinitum. Tùm 2. Chriſtus infinitè erat diligibilis à Deo, ergo etiam & ipſius opera; antec. prob. tùm propter ſuppoſitum diuinum, tùm propter infinitam ſanctitatem humanitatis, quæ infinitè ſubſtantialiter ſanctificatur à Verbo. Tùm 3. ſi per impoſſibile eſſent duo Dij eiuſdem maieſtatis, & infinitatis, ſicut eſt Deus noſter, & ad inuicem ſe vellent præmiare, certè nullum ens creatum, imò nec omnia entia creata eſſent præmium condignum alterius Dei, quia magnitudo doni menſuranda eſt iuxtà magnitudinem dantis, & accipientis; ergo cum Chriſtus ſit verè perſona diuina, eandemq; maieſtatem, & venerabilitatem habeat, quam habet Deus, vnde adoratio latriæ, oblatio ſacrificij, & ſimilia, quę tribuuntur Deo, etiam Chriſto tribuũtur, certè pręmium proportionatum Chriſto erit aliquod infinitum, ſeu entia omnia creata non erunt adæquata præmia meritis Chriſti, ergo valor erit ſimpliciter infinitus, aliter poſſet adæquari à pręmio finito.

112 Reſp. ad 1. ſi valeret, probaret etiam, Sacerdotem in ſacrificio miſſæ infinitè mereri, quia offert totum id, quod obtolit Chriſtus; quicquid igitur ſit de antecedenti, negatur conſequentia, quia oblatio, qua Chriſtus ſe ipſum offerebat, & in qua conſiſtebat meritum, fuit finita, licèt fuerit oblatio infiniti; quapropter ſolùm dici poterat infinita obiectiuè. Ad 2. antec. eſſe verum de Chriſto vt Deo, non vt homine; quia vt ſic, cum ſit quid creatum, non habet intrinſecè infinitam diligibilitatem; nec eſſe verum, humanitatem Chriſti infinitam ſimpliciter ſanctitatem accepiſſe, niſi loquatur de infinitate negatiua; ſed de ſãctitate infrà erit ſermo, cum de impeccabilitate Chriſti agemus. Ad 3. neg. paritas, quia ſi per impoſſibile eſſet alter Deus, qui præmiari deberet, eſſet intrinſecè infinitę maieſtatis, tàm ſpecificatiuè, quàm reduplicatiuè; modò Chriſtus licèt ratione ſuppoſiti, & diuinæ naturæ ſit infinitæ maieſtatis, non tamen ratione humanitatis, vt notat Scotus 3. d. 9. neq; vt ſic eſt adorabilis adoratione latriæ, vt ſuo loco dicemus, & tamen non eſt præmiabilis, niſi vt homo, quia vt homo meruit; idcircò quia vt ſic dicit quid finitum, intrinſecè loquendo, meritum erit finitum.

113 Contrà 2. concluſ. arg. ſi meritum Chriſti eſſet ex acceptatione infinitum, ſequeretur, quòd tantùm valeret vnum opus Chriſti, quantùm omnia alia opera, & ſic totum non eſſet maius ſua parte, vt in prima concluſ. arguebamus. Tùm quia ſequeretur etiam, quòd eiuſdem effectus darentur plures cauſæ totales, quod implicat; ſequela prob. quia quodlibet opus fuiſſet totalis, & completa cauſa noſtræ redemptionis. Tùm 3. acceptare eſt ordinare opus ad aliquod præmium, ſed totum præmium, quod nobis Chriſtus meruit, fuit finitum, nam meruit nobis gratiam, & gloriam vſq; ad certum gradum, nec meruit pro dæmonibus, ergo fuit acceptatum pro finitis, & ſic ratione acceptationis non dicitur infinitum, ergo vel nullo modo erit infinitum, vel ſi in aliquo ſenſu dici debet infinitum, hoc erit intrinſecè, & formaliter.

114 Reſp. opera Chriſti ità fuerunt à Deo acceptata, vt non ſolùm eſſent ſufficientia pro hominibus futuris, ſed etiam pro alijs in infinitùm, ſi forent; quò ad executionem verò talis acceptationis (quæ executio eſt ordinatio ad præmium) fuerunt acceptata ſolùm pro hominibus futuris, & pro determinato præmio. Inſuper not. quòd opera Chriſti ſunt in duplici differentia, alia quidem præuiſa ante peccatum, & fuiſſent, etiam ſi non fuiſſet peccatum, ità ſunt actus interni charitatis, & ſimilium virtutum, alia, quæ fuerunt determinata poſt peccati præuiſionem, ſcilicet quæ proueniunt ex paſſibilitate carnis, vt paſſio, & mors; modò per primos actus meruit nobis, & Angelis electionem ad gloriam in ſententia quorundam (de quo infrà) & primam gratiam Angelis, & primis parentibus, per ſecunda opera meruit nobis gratiam ſubleuantem, & aperitionem regni cæleſtis; Verùm loquendo de toto ordine incarnationis, opera Chriſti ità fuerunt acceptata, quòd quamuis quodlibet opus eſſet meritorium, non tamen per quodlibet ſingillatim, & diuiſiuè acceptum meruerit nobis, quicquid meruit, ſed per omnia ſimul adæquatè meruerit, & omnes actus fuerunt ad paſſionis actum ordinati, tanquàm ad perfectiſſimum, quibus per modum vnius adæquati, & perfecti meriti plenum ius ad præmium obtineret; hinc eſt, quòd noſtra redemptio paſſioni tribuitur, tanquàm illi, per quod meritum Chriſti fuit conſumatum; ſic ait Paulus ad Phylipp. 2. *factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Lucæ 24. *Nonnè oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*; & in Iſa. 53. eſt pactum expreſſum, *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*.

115 Ex hac doctrina ſequitur primò, quòd meritum Chriſti quò ad acceptationē in ſe fuit infinitum, tamen quò ad executionem, & actualem ordinationem talis acceptationis fuit ſolùm pro finitis exhibitum, & acceptatum. Sequitur 2. quòd meritum Chriſti fuit infinitum, loquendo de merito totali, perfecto, & adæquato, meritum verò partiale, ſcilicet quodlibet opus in particulari fuit infinitè acceptatum, quatenùs ad paſſionem, tanquam ad complementum totius meriti erat ordinatum, & vt ab ipſa dependebat, ex ſua tamen ratione formali ſolùm habebat congruitatem, qua poterat à Deo acceptari, eo modo, quo acceptauit paſſionem, quia ſcilicet erat à ſuppoſito diuino; at Aduerſarij ponunt ſufficientem valorem in quolibet actu, ſicut in paſſione licèt ſuppoſita acceptatione, ille valor non fuerit acceptatus, niſi in ordine ad paſſionem, & ſic ponunt, plùs Chriſtum meruiſſe, quàm Deus acceptauerit.

116 Ad argum. igitur nego primam ſequelam, quia non omnia opera fuerunt per ſe acceptata diuiſim ſumpta, ſed collectiuè, vt paſſioni ſubordinabantur, non enim per quodlibet opus meruit adæquatè noſtram redemptionem diuiſiuè, ſed omnibus collectiuè; argumentum verò vrget Aduerſarios, quia ponunt ante iſtam acceptationem infinitum valorem intrinſecum, quem nos non ponimus. Et cum Patres dicunt, quodlibet opus fuiſſe tanti valoris, vt potuiſſent per ipſum redimi infiniti mundi, intelligi debent de congruitate, quam quodlibet habet, vt poſſit taliter acceptari, non de infinito valore intrinſeco; vel loquuntur de acceptatione in actu primo, non de executione incarnationis, & in actu ſecundo, vnde ſemper loquuntur de poſſibili. Similiter ad 2. nego ſequelam, quia non quodlibet fuit cauſa totalis, & principalis, ſed ſubordinata, & dictum eſt. Ad 3. patet ex dictis, nam acceptatio fuit in actu primo infinita, ſed in executione fuit pro finitis.

117 Dices, ergo meritum exceſſit pręmium, nam Chriſtus acquiſiuit ius ad infinitum præmium, ſaltem ſyncathegorematicè, & tamen habuit præmiũ omni-

nõ finitum, quod non videtur verum. Resp. hoc non esse incõueniens in nostra sententia, quia illud ius operibus Christi fuit ex liberalitate Dei, scilicet ex libera Dei acceptatione; tùm quia fuit quædam acceptatio conditionata, & ius conditionatum, si scilicet tot essent homines, inconueniens fuisset, si propagarentur homines in infinitum, & Christus non esset pro omnibus causa meritoria; at contrà Aduersarios currit difficultas, quia ponunt valorem infinitum ante diuinam acceptationem.

Quæstio Sexta.

An satisfactio Christi fuerit de toto rigore iustitiæ.

118 QVæstio hæc celebris est tùm apud Antiquos, tùm apud Recentiores, soletq; sub alijs terminis exagitari, an scilicet inter Christum, & Deum intercesserit vera, & rigorosa iustitia, hoc est, an fuerint obseruatę omnes leges perfectæ, & propriæ iustitiæ; & quidem ex dictis in præced. quæst. faciliter ex nostris principijs posset solui hæc difficultas; etenim si satisfactio Christi ab intrinseco fuit valoris finiti, & solùm à diuina acceptatione habuit infinitatem, non potuit esse secundùm leges rigorosæ iustitię, quarum vna est, vt dicemus, quòd non fiat ex gratia creditoris, quę in nostra sententia iam interuenit, cum Deus ex sua liberalitate acceptarit Christi satisfactionem fere pro infinitis. Cæterùm quia admissa adhùc opposita sentẽtia de intrinseca infinitate satisfactionis, & valoris operum Christi, poterit esse dubium, an ista satisfactio fuerit secundùm omnes leges iustitiæ rigorosæ, & perfectæ, idcircò quærimus, an supposito valore infinito simpliciter in Christi satisfactione, fuerit adhuc rigorosa, & secundùm leges perfectę iustitiæ.

119 Quoniam autem satisfactio duo dicit, vnum præsuppositiuè, alterum formaliter; primum est obligatio ex iustitia in debitore fundata respectu creditoris, non enim quis satisfacere dicitur alicui, nisi præcedat obligatio, vel propria, si principaliter satisfacit, vel aliena, & alterius, si satisfacit tanquam fideiussor; secundum est ipsamet satisfactio, & solutio, per quam extinguitur debitum, & obligatio; hinc ex duplici capite aliqua satisfactio potest à rigorosa satisfactione deficere, primò, quia non præsupponit obligationem rigorosam, & quæ habeat omnes conditiones requisitas ad obligationem ex perfecta iustitia, si enim obligatio non est de toto rigore iustitiæ, neq; satisfactio erit de toto rigore; secundò, quia licèt rigorosam præsupponat obligationem ex iustitia, in se tamen nõ habeat deinde conditiones ad rigorosam, & iustam satisfactionem exigitas; potest enim aliquis esse rigorosè obligatus, non tamen rigorosè satisfacere, vt si iustè ratione mutui debeat centum, & soluat solùm quinquaginta.

Quapropter pro exacta huius difficultatis intelligẽtia, hanc quæstionem in plures articulos diuidimus; in primo inuestigabimus conditiones obligationis ex perfecta iustitia, necnon satisfactionis rigorosæ, vbi & de iustitiæ formalitate, iuris, obligationis, & ipsius satisfactionis quoq; agemus; deinde in reliquis articulis videbimus, an omnes istæ conditiones intercesserint inter Deum, & Christum.

Articulus Primus.

Quæ sint conditiones obligationis, & satisfactionis ex rigorosa iustitia; vbi an detur dominium in solidum penès duos.

120 IVstitia in sua generalitate definitur à Scoto in 4. d. 14. q. 2. D. & d. 49. q. 1. quòd sit *habitus electiuus inclinans voluntatem, vt ordinatè se habeat circà alterum, vel circà se quasi alterum*; specialiùs autem accepta definitur à Iuristis, quòd sit *constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuiq; tribuens*, & de ista loquimur in præsenti; vbi ly *voluntas* non sumitur in actu primo, scilicet pro potentia animæ, sed in actu secundo, seù habitualiter, quod innuitur per ly *constans, & perpetua*, quia virtutes, & habitus morales ex proprijs naturis habent, quòd inclinent in suos actus, & obiecta; hinc oportet explicare ipsum ius, quod materia circà quam, & obiectum iustitiæ assignatur.

121 Ius multipliciter sumitur, præcipuè tamen duobus modis solet accipi, primò pro lege, quæ est iustum, seù iussio superioris, de quo Scotus 4. d. 37. q. 1. quo pacto diuidi solet in naturale, & positiuum, & humanum, in canonicum, & ciuile; secundò sumitur pro dominio, & in hoc sensu in præsenti consideratur. Dominium autem à Iureconsultis definitur vitiosè, eòquia formalitates rerum pingui Mynerua cõtemplantur, nam inquiunt, dominium esse facultatem vtendi re aliqua citrà iniuriam alterius, vnde explicant dominium, & ius in ordine ad iniuriam, at explicando iniuriam aiunt, esse vsum rei contrà ius, & voluntatem domini; ecce circulus in his definitionibus damnatus ab Arist. 5. met. cap. 15. illis verbis, *Non est autem intellectus ad illud, cuius intellectus est, idem enim profectò bis esset dictum*; & ratio est, quia definitio debet tradi per priora, & notiora, hinc in istis definitionibus circularibus idem esset prius, & posterius, notius, & ignotius respectu eiusdem; quapropter exactiùs est res ista examinanda.

122 Cardinalis de Lugo disp. 3. sect. 2. num. 42. subtiliter explicat iuris formalitatem, dicens, *Ius est prælatio quædam moralis, qua hic homo præfertur alijs in vsu huius rei, ratione peculiaris connexionis, quam res ipsa habet cum eo*; exponit exemplo feræ, quæ est primò occupantis, nam ratione capturæ factæ à Petro v.g. fera habet ex se maiorem connexionem, & vnionem cum Petro, ratione cuius Petrus moraliter præfertur alijs hominibus in vsu feræ; idem dicas, si posteà Petrus donaret Francisco feram illam, nam tunc haberet maiorem connexionem cum Francisco ex titulo donationis. Notanter dixit, hanc connexionem oriri debere ex re ipsa, nam si ex alio titulo prouenirer, non esset ius iustitiæ, si v.g. Ecclesia præciperet Petro dare elemosinam Paulo indigenti, Paulus haberet ius ad bona Petri, quia præfertur alijs hominibus, non tamen esset ius iustitiæ, neq; Petrus ex iustitia teneretur, sed ex obedientia, vel charitate. Cum igitur Petrus habet talem prælationem circà rem determinatam, si re illa vtitur, iam neminem lædit, nec aliquam cõmittit iniuriam, quia nemo est Petro præferendus; at si quilibet alius re illa vteretur iniuria Petro,

tro, committeret iniuriam, quia offenderet ius Petri: iniuria ergo est *violatio, & offensio talis iuris*.

123 Ab hâc doctrina non multùm recedit definitio iuris tradita ab Hurt. disp. 12. sect. 3. *Ius, seù dominium est facultas vtendi re pro libito absq; peccato, eò præcisè quia vtor*; imò hæc definitio potest esse prioris explicatio, & est quasi à posteriori, in tantùm enim Petrus vtitur equo pro libito, & absq; peccato, quia habet circa equum prælationem maiorem ex connexione, quam habet equus; Addidit, *eò præcisè quia vtor*, quia potest quandoq; in vsu rei propriæ adesse peccatum; non reduplicatiuè, sed specificatiuè, nec per se, sed per accidens, idest tale peccatum non prouenire ex ipso vsu, quatenùs vsus est, sed ex aliquo annexo, vt qui vino proprio inæbriatur committit peccatum, non quia vtitur vino, sed quia intemperatè vtitur, vnde committit peccatum intemperantiæ, & qui propriam gallinam die veneris comedit, peccat, non quia vtitur gallina, sed quia in tali tempore vtitur, hinc peccat, non contrà iustitiam, sed contrà Religionem. Ex quo sequitur, iniuriam esse *vsum rei cum peccato, eò præcisè quia vsus*, vt qui temperatè vtitur vino alieno inuito domino, peccat præcisè, quia vtitur illo vino, non contrà temperantiam, sed contrà iustitiam. Ex his sequitur, ius, & iniuriam esse inter se opposita, vnde frequenter vnum per aliud solet explicari, vt faciunt Iuristæ.

124 Dices, si Petrus furetur equum Pauli, equus tunc maiorem connexionem habet cum Petro, quàm cum Paulo, eòquia Petrus potest illum occidere, & distrahere, & tamen Petrus non habet ius suprà illum equum, sed Paulus, ergo nulla definitio iuris assignata. Item si in casu necessitatis Petrus comederet panem Pauli, quamuis Paulus haberet ius suprà panem, non tamen Petrus committeret iniuriam, ergo iniuria non consistit in violatione iuris. Resp. duplicem esse connexionem, aliam physicam, qua pro libito possumus vti equo, aliam moralem, qua non solùm pro libito, sed secundùm rectam rationis dictamen possumus vti equo, prima infert potestatem, & dominium physicum, secunda potestatem, & dominiũ morale; prima præcisè sumpta non est ius, secunda verè est ius, & præsupponit primam, vt sit vtilis, aut saltim præsupponit vt possibilem, in casu ergo equus haberet maiorem connexionem physicam cum Petro, cum Paulo autem haberet maiorem connexionem moralem, hinc verus dominus esset Paulus, non Petrus. Ad 2. in illo casu extremè egens secundùm aliquos habet quoq; ius in panem Pauli, quia de lege naturæ in casu necessitatis omnia sunt communia; ex qua doctrina sequitur, Paulum, si negaret panem Petro, committere peccatum contrà iustitiam. Vel dic, Petrum habere ius, non quidem titulo iustitiæ, sed necessitatis, quod præponderat iuri iustitiæ, quod Paulus habet, hinc Paulus, si denegaret panem, peccaret contrà charitatem, non contrà iustitiam.

125 Aduertendum insuper, dominium duplex esse, aliud iurisdictionis, aliud proprietatis, primum est potestas illa, quam habet superior erga subditos imperandi ea, quæ spectant ad bonum politicum, & cõmune, qua ratione ab aliquibus appellatur dominium politicum; secundùm est potestas, quam habet dominus erga rem propriam vtendo illa pro libito, & in propriam vtilitatem, non verò in vtilitatem communitatis, & hac ratione vocari solet dominium despoticum; possuntq; hęc duo dominia separari quo ad actũ secundum, quamuis essent in eodem vnita, vt Prorex erga seruum vtrumq; dominium habet, sed quando imperat operationes aliquas in propriam vtilitatem resultantes, exercet dominium proprietatis; quando verò imperat actiones ad vtilitatem subditorum spectantes, vt v.g. nè quisquam noctu cum armis vagetur, exercet cum seruo dominium iurisdictionis. Dominium, & ius pertinens ad iustitiam, de qua loquimur, est dominium proprietatis, nam dominium iurisdictionis attinet ad virtutem obedientię, quæ etiam est species quædam iustitiæ moralis in communi.

126 Rursùs, quia dominium istud, & ius proprietatis potest esse multiplex iuxtà diuersitatem rerum, quæ tanquam propriæ possunt haberi; hinc dubitari solet, an istud ius attinens ad iustitiam sit solùm circà pecuniam, & res pecunia extimabiles, an verò extendatur quoq; ad res superioris ordinis, vt sunt res spirituales. Et quidem Vasq. 1. p. disp. 85. & 2.2. disp. 223. & 3. p. disp. 7. primam sustinet partem, eòquia Aristoteles definiendo iustitiam, solùm exemplificauit de illis rebus ad humana commercia spectantibus. Cæterùm licèt hæc videatur dubitatio de nomine, non videtur tamen deneganda iustitia etiam circà res spirituales, ità colligitur ex Scoto in 4. d. 46. q. 1. & probatur, nam sicut dominiũ proprietatis potest cadere, non solùm circà pecuniis estimabilia, sed etiam circà res spirituales, & ab his duobus dominijs potest abstrahi dominium proprietatis in communi, ità à iustitia, vt ità dicam, pecuniaria, & spirituali potest abstrahi iustitia in communi tanquam genus. Tùm quia si duo Sacerdotes paciscerentur ad inuicem, vt mutuò quisq; celebret pro alio, v.g. vt Petrus celebret hodie pro Paulo, cras verò Paulus celebret pro Petro, adimpleto sacrificio à Petro, teneretur ex iustitia Paulus crastina die celebrare pro Petro, & non solùm impendere laborem illum corporalem in celebrando, sed etiam applicationem sacrificij, quæ est res purè spiritualis. Neq; obstat definitio Aristotelis, quia Aristoteles, & Philosophi pauca dixere de Deo, & Intelligentijs, quæ etiam varijs erroribus scatent, vnde libertatem, & consequenter prouidentiam negarunt à Deo, vt notat Scotus in p. d. 8. q. 5. idcircò solùm de iustitia humana sunt locuti, & præcipuè de illa trita, & vulgari, quæ circà commercia versatur; at Theologi superno ducti lumine ex his corporalibus ad spiritualia eleuari debent, præcipuè quia, vt dicemus in seq. art. non est hæc iustitia in Deo deneganda.

127 Cæterùm pro exacta cognitione iuris, & dominij vidẽdum est, num duo simul possint habere dominium eiusdem rei, nec est sermo de dominio partiali, & inadæquato, quod à Iuristis vocatur dominium pro indiuiso, sed de totali, & adæquato, quod appellatur dominium in solidum.

Hurt. disp. 12. sect. 5. quem sequitur Lugus disp. 3. sect. 1. affirmat, in creatis pro vno instanti posse eiusdem rei reperiri dominium in solidum in duobus, nõ tamen pro tempore sequenti, ponit casum præcipuè in Angelis, qui instantaneè loquuntur ad inuicem, & possunt etiam separari, sit v.g. Michael dominus equi constitutus à Deo, quem equum posteà donet Gabrieli, certè potest velle donare in instanti, & in eodem instanti Gabriel potest acceptare, in hoc instanti vterq; est dominus, Michael, quia donat, & consequẽter exercet dominium, quod habet suprà equum, Gabriel quòq; est dominus, quia acceptat; in tempore verò sequenti solus Gabriel est dominus; hinc illud

instans

instans erit simul vltimum esse dominij Michaelis, & primum esse dominij Gabrielis. Ex quo sequitur à fortiori, idem dicendum de Deo, & creatura, quod possint habere dominium in solidum eiusdem rei, cum hac tamen differentia, quòd Deus non retinet dominium solùm pro primo instanti; sed etiam toto tempore sequenti, vbi Michael pro primo instanti tantùm est dominus, cuius discriminis ratio assignatur diuersimodè.

128 Hurtadus enim ait, posse quidem Michaelem pro primo instanti esse dominum equi, quia licèt tunc habeat in actu primo posse velle donare, & non velle, ratione cuius potestatis est verus dominus, tamen in actu secundo, supposito, quòd velit donare, nequit habere actum oppositum libito Gabrielis, & consequenter dominium Michaelis est compossibile pro illo instanti cum dominio Gabrielis, quia in sensu composito non potest discordare à libito Gabrielis; at in tempore sequenti, quia propter sui mutabilitatem potest Michael mutare sententiam, consequenter repugnat, habere dominium in solidum cum Gabriele, quia potest habere actum contrarium libito Gabrielis; at Deus propter sui immutabilitatem, quicquid ab æterno voluit, semper vult, nec potest in sensu composito mutare sententiam, & consequenter si dominium Dei est pro vno instanti compossibile cum dominio creaturæ, erit etiam pro toto tempore compossibile, quia non potest habere actum oppositum de nouo.

129 Hæc tamen ratio non placet Ioanni de Lugo in totum, eòquia sustinet, etiam pro primo instanti Michaelem posse habere actum oppositum libito Gabrielis, scilicet velle constituere Gabrielem dominũ equi, & simul velle retinere apud se physicè equũ inuito Gabriele, nam hæc duo differunt inter se, vt patet, cum Paulus v.g. contrahit matrimonium cum Agatha, tribuendo Agathæ ius supra suum corpus, & simul habet voluntatem retinendi concubinam, qua ratione peccat peccato iniustitiæ adulterij. Quapropter ait, ideò Michaelem esse dominum pro illo primo instanti, quia verè habet facultatẽ vtendi equo, quam tamen non habet pro tempore sequenti, quia non potest vti sine iniuria Pauli; at Deus, quia talem facultatem retinet toto tempore, idcircò semper est Dominus.

130 Sed in primis vt à rationibus incipiamus; ratio Hurtadi non solùm vrgetur ex hoc, quòd in primo instanti Michael potest habere actum oppositum libito Gabrielis, vt optimè ostendit Lugus, sed etiam quia Deus, sicut ab æterno potuit velle donationem equi in instanti A, potuit quoq; velle pro instanti B reuocare donationem, sicut ab æterno vult Petro, & nõ vult gratiam pro diuersis temporum differentijs, ergo ex hoc præcisè, quòd Deus in tempore non mutatur, non sequitur, conseruare dominium in tempore sequenti ad instans donationis; quia in sensu diuiso potest non velle donare. Tùm quia licèt Michael possit habere in tempore sequenti actum oppositum, tamẽ potest continuare actum donationis, ergo si continuaret, esset adhùc dominus in solidum cum Gabriele; prob. conseq. ideo per Hurt. Michael pro primo instanti est dominus, quia licèt possit, & habeat facultatem donandi æquum, & non donandi Gabrieli, tamen in sensu composito quòd velit donare, non potest habere actum repugnantem dominio Gabrielis, ergo à pari, si actus donationis continuaretur à Michaele, iam in sensu composito non posset elicere actũ repugnantem dominio Gabrielis, licèt possit in sensu diuiso, & consequenter continuaretur dominium in solidum in vtroq; Ratio verò Lugi est insufficiens, oporteret enim ostendere, cur Michael non habeat facultatem in tempore sequenti vtendi equo citrà iniuriam Gabrielis, nam si ratio est, quia Gabriel est tunc verus dominus, ergo quia etiam in primo instãti est verus dominus in ipsius sententia, non habebit Michael talem facultatem. Vel saltim si Michael continuaret actum donationis, non erit in tali casu denegandum dominium in Michaele, quia vteretur equo, sicut in primo instanti. Tùm quia idem esset de Deo dicendum, nam supposito dominio in Gabriele, non posset Deus vti equo sine iniuria Gabrielis, solùm posset reuocare donationem, & auferre ius à Gabriele, quam reuocationem posset quoq; facere Michael; ergo assignari debet ratio, cur ex ista reuocationis potestate continuetur dominium in Deo, non autem in Michaele.

131 Deinde contrà opinionem ipsam instari potest omnibus illis rationibus, quibus in Phys. disp. 8. q. 3. art. 2. ostendimus, non posse eundem effectum, etiam spectata absoluta Dei potentia, simul pendere à pluribus causis totalibus, quia sequeretur, quod penderet essentialiter, & non penderet, quod implicat; Tùm quia sequeretur, Michaelem in illo instanti esse, & nõ esse dominum equi, esset quidem dominus, vt supponitur, non esset dominus, quia Gabriel pro libito posset vti equo independenter à Michaele; conseq. prob. quia in eodem instanti Gabriel est absolutus dominus per acceptationem.

Resp. Hurt. neg. sequelam, & ad probat. ait; solùm sequi, in illo instanti Michaelem nõ posse simul habere opposita exercitia dominij supposita voluntate donandi, nam si donat, in sensu composito non potest simul velle non donare; non tamen sequi, non habere dominium in actu primo, quia verè donando exercet tale dominium, vnde arguitur à negatione actus secundi ad negationem actus primi.

132 Contrà; considero actum primum in se, scilicet facultatem illam vtendi equo ad libitum, implicat, hanc facultatem in duobus in solidum reperiri, ergo implicat dominium in solidum in duabus personis; antec. prob. esse absolutè dominum, & adæquatè, est habere facultatem vtendi re independenter à quocunq; alio, ergo implicat, hanc facultatem in duobus reperiri in solidum, antec. patet ex definitione dominij, conseq. prob. quia in casu nec Michael haberet dominium independens à Gabriele, nec è cõtrà, quia vterque ponitur absolutè dominus. Tùm quia ad hominem, ius in sententia Lugi est prælatio moralis, qua hic homo præfertur alijs in vsu huius rei ratione peculiaris connexionis, quam res ipsa habet cum eo; at nequit eadem res simul habere æqualem connexionem cum duobus adæquatam, itàut quilibet seorsim præferatur cuilibet alteri, aliter esset connexa, & non cõnexa, sicut nequit Petrus v.g. esse ità coniunctus cum pariete, vt verum sit dicere, non habere Petrum aliam coniunctionem cum alio pariete, & ex altera parte esse quoq; coniunctus cum altero pariete; non enim verificaretur ly *non habere aliam coniunctionem*, non enim vnus paries in vnione posset cæteris præferri, quia haberet alterum parietem æqualiter vnitum, ergo nequit idem ius in duobus adæquatè simul reperiri. In sententia verò Hurt. ius est facultas vtendi re pro libito absq; peccato, eò præcisè, quia vtor; hoc

est

est citrà iniuriam alterius, at Gabriel non habet talem potestatem, supposito dominio in Michaele, prob. quia hoc, quod est, posse vti citrà iniuriam Michaelis, significat, Michaelem non esse dominum, sicut posse vti citrà iniuriam Raphaelis significat, Raphaelem non esse dominum equi, ergo non solùm repugnant actus secundi, sed etiam actus primi in duobus suppositis.

133 Accedit principaliter; non repugnat, soluere debitum ex bonis creditoris aliàs debitori donatis ab ipso creditore, quia non sunt ampliùs bona creditoris, sed acquisita debitori per donationem, repugnat autem ex vera iustitia soluere debitum ex bonis, quæ sunt in dominio creditoris; at dato, quòd Gabriel deberet Michaeli triginta nummos aureos, posset ex vno capite iustè huic debito satisfacere, tribuendo Michaeli equum in eodem instanti, in quo acceptat (non enim sunt istæ actiones incompossibiles pro eodem instanti in Angelis) quia verè satisfacit ex bonis proprijs, de quibus habet dominium, qualis esset equus; ex alio capite non potest satisfacere, quia cum in illo instanti etiam Michael ponatur dominus, talis satisfactio fieret ex bonis creditoris, ergo satisfaceret, & non satisfaceret ex iustitia. Firmari quoq; potest conclusio ex cōmuni Iuristarum consensu tanquam axioma, & regulam iuris habentium *Vnius, eiusdemq; rei nec dominium, nec possessionem penès duos in solidum esse posse*, quod deducunt ex l. *de hæreditate* §. 2. *ff. de cast. pecul.* l. *Maenius* §. 1. ff. *de legat.* 2. explicantq; exemplo loci, in quo duo corpora simul reperiri minimè possunt. Quamuis Lelius Mancinus differt. 9. cap. 9. nu. 7. quosdam Iuristas suppresso nomine citat docentes, non implicare in incorporalibus, siuè intellectualibus rebus posse simul duos, & in solidum possidere, iux. not. ad *l. si vt certo*, §. *si duobus vehiculum*, *ff. commoda.* rationes tamen pro nostra sententia vniuersaliter concludunt.

134 Contrà insurgit Hurt. cum Michael donat Gabrieli proprium equum, & in eodem instanti Gabriel acceptat, vterque est dominus; ergo saltim pro instanti potest perfectum, & adæquatum dominium esse penès duos, & insolidum; antec. prob. de Michaele, si in illo instanti non esset dominus, non posset donare, nemo enim donat, quod non habet; tùm quia verè exercet actum dominij, ergo est verus dominus; Gabriel quoq; est dominus, quia ex donatione donatoris, & acceptatione donatarij transfertur dominiū; tùm quia donare infert recipere, sicut donator infert donatarium, se habent enim vt relatiua, quorum proprietas est esse simul tempore, natura, & cognitione, ergo cum Michael donat Gabrieli, Gabriel quoq; simul recipere debet, ergo est simul dominus cum Michaele eiusdem equi. Hoc argumentum vrgere etiam potest in humanis, quamuis enim regulariter inter donationem, & acceptationem mediet tempus, attamen tunc verè fit dominij translatio, quando donatarius acceptat, & vsq; ad acceptationem donator semper est dominus, vnde vendere, & alienare potest, in tempore acceptationis etiam donator est dominus, aliter donatarius acceptaret, & reciperet rem à non domino, ipse quoq; est dominus, quia acceptat, ergo &c. & magis vrget in illis casibus, in quibus acceptatio donatarij non exigitur, vt cum donatio fit pupillis, & locis pijs, nam tunc dominium transfertur in donatario, cum primò fit donatio, & tamen adhùc donator est dominus.

135 Respondet Bernal disp. 7. num. 48. in casu Michaelem absolutè, & simpliciter esse dominum, quia vt consideratur in priori instanti naturæ, potest de equo disponere, at ex suppositione, quòd illum donet Gabrieli, non esse dominum, quia vt sic nec potest disponere, nec alteri donare citra iniuriam Gabrielis, sicut voluntas eliciendo actum simpliciter est libera, quia in priori instanti naturæ poterat non elicere, ex suppositione tamen elicitionis est necessaria secundùm quid.

136 Non soluit; nam absolutè, & simpliciter concedit in vtroq; dominium in solidum eiusdem equi. Tùm quia falsum est, donationem illam tollere dominium in Michaele, nam illa donatio est exercitium, & actus secundus dominij, quod est actus primus, at actus secundus non solùm non aufert, imò supponit actum primum, ergo Michael donando est dominus; quòd etiam fusè ostendi de volūtate disp. 7. de Anima q. 2. art. 2. esse scilicet liberam in eo instanti, in quo operatur, & dum operatur; eòquia dum operatur, retinet indifferentiam, in qua attenditur libertas, non amittit; vide ibi.

137 Alij respondent, in casu Gabrielem non esse dominum, quia vt dominium acquirat, debent præcedere donatio, & acceptatio, & consequenter quia causa præcedit effectum, io illo instanti, in quo est donatio cum acceptatione, non est causatum adhùc dominium in Gabriele, sed in tempore sequenti. Cōtrà, quia argumentum vrget in casibus illis, in quibus non requiritur acceptatio. Tùm quia siuè acceptatio requiratur ad translationem dominij, vt causa principalis, sed partialis, siuè vt conditio sine qua non, falsum est, posita acceptatione, non causari in eodem instanti effectum, scilicet dominium in Gabriele, non enim causa præcedere necessariò debet tempore effectum, imò, vt ostendi disp. 8. Phys. q. 2. art. 2. sufficit prioritas naturæ, ergo cum dominium in Gabriele sit effectus donationis, & acceptationis, his positis, non in tempore sequenti, sed in eodem instanti temporis erit in Gabriele.

138 Alij docent, dominium esse in Michaele in vno priori natura, in quo non est in Gabriele, in posteriori verò esse in Gabriele, non in Michaele; & sic non sequitur dominium in solidum in vtroq;, neq; implicare hoc modo dominium in vtroq;, quia est veluti in fieri, in fluxu, & transeunter. Contrà; hæc responsio admittit in eodem instanti temporis, licèt in diuersis instantibus naturæ, priuationem, & formam simul in eodem subiecto, scilicet dominium; & priuationem eiusdem, quod implicare demonstraui in Phys. disp. 4. q. 4. tàm permanenter, quàm transeunter, & in fluxu; quia tunc contradictoria verificarentur de eodem, nam prioritas, & posterioritas naturæ nō saluant contradictionem ex dictis in Log. disp. 10. q. 2. art. 1. præcipuè quia quod est posterius natura, scilicet dominium Gabrielis, vel coexistit toti instanti temporis, & sic esset simul cum dominio Michaelis, & priuatione ipsius, vel non coexistit, sed parti tantùm, ergo instans temporis esset diuisibile, quod est falsum; vide ibi.

139 Pro responsione not. in quolibet domino perfecto, & adæquato duplex dominium reperitur, dominium rei, & dominium iuris eiusdem rei; primum est facultas vtendi re, secundum est facultas vtendi illa facultate, quæ duo valde inter se differunt, sicut diuersa sunt obiecta, circà quæ versantur, nam possum rem

aliquam

aliquam alienare, retinendo tamen ius in illam rem, & consequenter sicut duplex datur facultas, & actus primus, duplex quoq; datur vsus, & actus secundus, cum enim vtor equo, exerceo facultatem, & ius, quod immediatè habeo in equum, at quando dono equum, propriè, & immediatè exerceo dominium iuris, quia immediatè non dono equum, sed ius, quod habeo in equum, per quod donatarius fit dominus equi, donatio enim est translatio præcipuè dominij, & iuris rei; Tunc ad argum. respondeo, in instanti donationis, & acceptationis non esse idem ius in donatore, & donatario, nam in donatario est quidem ius rei, quod in donatore non adest, quia hoc ius à se donator abdicat, & ponit in donatario, est tamen non ipso dominium iuris, quia hæc abdicatio est exercitium talis dominij; quod dominium statim perit, eòquia ius quasi actione transeunte productum per donationem in donatario nō est ampliùs in potestate donatoris, sicut anteà, tunc enim quasi actione immanenti in seipso conseruabat illud ius per volitionem saltim interpretatiuam retentionis illius iuris.

140 Dices; Michael si in eo instanti est dominus iuris, ergo etiam erit dominus rei, quod enim est causa causæ, est etiam causati causa. Tum quia Gabriel si habet ius equi, ergo est dominus equi, ergo potest illum donare, & in eodem instanti, & consequenter habet dominium iuris, ergo saltim dominium eiusdem iuris erit in solidum penes duos simul, & sic redit argumentum principale. Tùm 3. Michael dicitur donare equum, ergo est dominus equi, aliter daret, quod non habet.

Resp. ad primum, tunc dominium iuris infert dominium rei in eodem domino, quādo dominus actione quasi immanenti conseruat in se ius rei, non verò quando actione transeunti in alia persona illud producit; exemplum: beneficium est facultas vtendi redditum alicuius Ecclesiæ, & potest dici ius rei, potestas conferendi beneficium potest dici dominium iuris, habens autem potestatem conferendi non idcircò dicitur dominus reddituum, nisi actione quasi immanenti sibi ipsi conferat tale beneficium, at si actione transeunte alteri confert, dicitur vtiq; dominus beneficij, quia potest conferre, non tamen reddituum, nisi mediatè, & remotè, quomodò intelligitur propositio illa de causis. Ad 2. nego, in eodem instanti Gabrielem habere dominium iuris, quia adhuc vt Gabriel habeat ius equi, requiritur acceptatio ipsius, quæ est quædam volitio illius iuris, & facultatis tanquam propriæ, stante autem tali acceptatione nequit in eodem instanti Gabriel donare equum Raphaeli, quia simul vellet habere, & non habere illud ius, vel, let habere, quia illud acceptat, non vellet habere, quia alteri confert, & à se repellit; sicut igitur voluntas, vt stat sub actu volitionis, nequit coniunctim nolle idem obiectum, licèt possit diuisim, ità donatarius, dum est sub acceptatione, nequit alteri donare coniunctim, licèt possit non acceptare, sed tunc non esset dominus, in illo ergo instanti est dominus rei, non autem iuris, immediatè post est dominus vtriusq; quia consequitur quasi per quandam sequelam, & emanationem in donatario ad positionem donationis, & acceptationis. Ad 3. propriè, & formaliter donatio immediatè cadit supra ius, solùm mediatè circà rem, & in hoc sensu saluatur communis locutio Iuristarum in donationibus, quod etiam sufficit, nè dicatur donare, quod non habet.

141 Dices; sit Petrus seruus Pauli; & Paulus non solum manumittat Petrum, sed etiam simul se constituat seruum Petri, dicendo, ego facio Petrum liberum, & dominum mei, iam in eodem instanti vterq; respectu eiusdem esset dominus, & seruus, & consequenter liber, & non liber, quod implicat, ergo nullo pacto dominiū potest simul reperiri in duobus, quamuis in vno sit dominium iuris, in altero dominium rei. Tùm quia si Paulus occideret equum, in instanti occisionis adhùc Paulus est dominus equi, quia exercet dominium supra equum, & tamen tunc non est equus, ergo daretur dominium sine re subiecta, & relatiuum sine termino, quod est falsum, ergo falsum quoq; erit, Paulum in illo instanti esse dominum; idem eueniret, si quis cederet proprio iuri, nam illa cessio est destructio dominij.

142 Resp. in casu vtrumq; esse dominum, sed non sub eadem ratione; Paulus esset dominus dominio iuris, quia liberè donat Petro ius in Petrum, & in seipsum, Petrus esset dominus sui ipsius, & etiam Pauli, nullo tamen modo esset seruus, nisi quatenùs in sensu diuiso Paulus potest retinere ius in Petrum, & remotè; Paulus autem esset seruus Petri, quatenùs caret dominio rei, quod ponit in Petro, vnde esset dominus dominio iuris, & esset seruus seruitute correspondente dominio rei existente in Petro. Ad 2. sicut dominium actiuum respicit existentiam, & destructionem rei, quæ est in nostra potestate secundùm vtramq; contradictionis partem, ita dominium, vt ita dicam, passiuum non solum respicit rem existentem, sed etiam vt non existentem; quapropter cum Paulus occidit equum, aut destruit palliū, est dominus equi, aut pallij non existentis; quia hoc quod est non existere equum, aut pallium est exercitium dominij actiui Pauli; exemplum est in voluntate, quæ vt libera actiuè respicit actum, & omissionem eiusdem, & vt est sub pura omissione, dicitur libera in actu secundo, non positiuo, sed priuatiuo, hinc negatur, dari relatiuum sine termino, & dominium sine re subiecta, nā equus non existens est terminus huius dominij, sicut actus non existens, vel omissio actus est terminus voluntatis liberè operantis; vide disp. 7. de anima q. 4. art. 2.

143 Secūdò argui potest ad idem; potest dari obligatio in solidum penès duos ad soluendum idem debitum, ergo & ius in solidum penès duos erga eandem rem. Tum 2. sint duo extremè egētes, & adsit vnicus panis, certè quilibet adæquatè, & in solidum haberet ius in illum panem, ergo &c. Tùm 3. datur in creaturis verum ius adæquatum, & perfectum in aliquam rem, datur quoq; ius in Deo respectu eiusdem rei, ergo duo domini simul, & in solidum eiusdem rei.

Resp. neg. paritatem, quia obligatio in solidum nihil aliud dicit, nisi debitum soluendi v.g. decem aureos nummos in duobus, vnde sunt quasi duo actus primi erga eundem effectum, non coniunctim producendum, sed diuisim, nam si ambo soluerent, quilibet solùm quinque solueret, non decem, quapropter se habent vt duæ causæ sufficiētes, quas dari respectu eiusdem effectus diuisim minimè repugnat, hinc si alter illorum solueret totum debitum, totaliter cessaret in ambobus obligatio; at dominium in solidum penes duos se haberet vt duæ causæ totales respectu eiusdē effectus, quas dari repugnat, vt ostendi in Phys. loc. cit. Ad 2. ex dictis num. 124. in extremè egentibus non dari ius titulo iustitiæ, sed necessitatis, quod verè

verè nō constituit egentes dominos panis, quia necessitas constituit panem tanquam rem communem, quæ sit primò occupantis. Ad 3. patebit ex artic. 3. ad 2.

144 Ex hucusq; dictis patet definitio iustitiæ assignata num. 120. iustitia enim significat æqualitatem, quæ saltim est inter duos, vnde si Petrus v.g. haberet apud se equum Pauli, non esset inter ipsos æqualitas; sed inæqualitas, quia in Paulo esset ius, & actio aduersùs Petrum, & in Petro esset debitum ad restituendum equum Paulo, hinc iustitia facit, vt Petrus restituat equum, & consequenter reddit æqualitatem inter ipsos, & hoc significat ly *ius suum vnicuiq; tribuens*; idest reddens vnicuiq;, quod suum est, & illi debetur.

145 Hæc autem iustitia diuidi solet in commutatiuam, & distributiuam; prima ex Scoto in 4. d. 14. q. 2. D. & d. 46. q. 1. respicit æqualitatem rerum cōmutatarum, itaut res, quæ commutatur, valeat, quātùm illa, cum qua commutatur; hinc dicitur, quòd iustitia commutatiua, si est pura, ideſt non admixta cum distributiua, præcisè innitatur æqualitati arithmeticæ, quæ fit secundùm ęqualitatem dati, & accepti, nam sicut arithmetici attendunt ęqualitatem rigorosam duarum quantitatum, scilicet duorum cū duobus, trium cum tribus, ità hæc iustitia respicit æqualitatem valoris dati cū accepto; verum est, quòd nō necessariò attendit exactam, & metaphysicā ęqualitatem, sed moralem, scilicet iuxtà diligentiam, quā prudenti æstimatione adhibere possumus, vnde eiusdem rei plura pretia assignari solent, rigorosum, medium, & infimum. Iustitia distributiua est, quæ respicit æqualitatem geometricam, quæ versatur inter proportiones, non enim simpliciter attendit ęqualitatem dati, & accepti, sed conditiones, & naturas personarum considerat, vt qualis proportio est inter status, & conditiones duarum, talis sit inter præmia vtriusq;, vnde personæ digniori digniora dantur; qua ratione dicitur, quòd iustitia distributiua respicit bona Reipublicæ, & Communitatis, commutatiua verò bona particularium. Vtraq; tamen est duplex, alia præmiatiua, quæ pro meritis reddit præmia, alia punitiua, & vindicatiua, quæ pro delictis reddit pœnas.

146 Ex quibus patet etiam, quid sit obligatio ex iustitia, nam quando aliquis aufert, vel retinet rem, supra quam alter habet ius, & dominium, committit inæqualitatem, & iniustitiam, & consequenter manet obligatus restitutioni, vel satisfactioni, hinc obligatio est onus ad restituendam rem alienam, per rem alienam intelligitur omne id, quod potest esse obiectum, & materia iuris, & dominij iuxtà dicta n. 129.

147 Obligationi compensatur per satisfactionem, satisfactio, vt colligitur ex Scoto 4. d. 15. q. 1. A. definitur in sua generalitate, quòd sit *redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti*; dicitur *redditio*, quia non est absoluta donatio, sed debita per ordinem ad id, quod resarciri debet, nam hoc, quod est *satis* dicit ordinem ad præcedens, cui debet commensurari; dicitur *voluntaria*, quia vt ad præsens spectat, inuoluntaria redditio, vt est in damnatis, non est satisfactio, sed satispassio; dicitur *æquiualentis*, quia satisfactio debet esse ęqualis debito, vnde si quis debeat centum, & soluat quinquaginta, non est satisfactio perfecta, & hoc importat etiam ly *satis*; dicitur *aliàs indebiti*, quia si quod redditur, est aliàs debitum, non fit satis, vt si Petrus debeat centum Paulo ratione mutui, & iterùm alia centum titulo venditionis, non satisfacit adæquatè, si soluat tantùm illa centum debita titulo mutui. Attamen loquendo de satisfactione in subiecta materia, addi debet ista particula *pro illata iniuria*, quia in præsenti loquimur de satisfactione, non quidem vt conuertitur cum restitutione in communi, sed vt compensat iniuriam, & damnum honoris, & dignitatis.

148 Huius autem satisfactionis plures assignari solent conditiones, vt sit perfecta, & rigorosa; Prima est, quòd sit ad alterum; addit Scotus in 4. d. 14. q. 2. D. vel ad se quasi alterum, vt patet, cum quis iustè in seipso vindicat culpam à se commissam, hic enim actus est ad se quasi ad alterum, nam punit se vt minister Dei, & punitur vt reus; similiter si Petrus titulo hæreditatis debeat Paulo centum, deinde Paulus constituat Petrum donatarium omnium suorum bonorum, potest Petrus vt hæres sibi ipsi vt donatario soluere centum, quia & si non sit ad se, vt ad alterum re, est ad se, vt ad alterum iure, & dominio. Secunda, quòd sit ab ipso debitore personaliter. Tertia, quòd non possit non acceptari. Quarta, quòd non fiat ex bonis creditoris; Quinta, quod fiat ex aliàs indebitis; Sexta, quòd non sit ex acceptis ab ipso creditore; seù vt alij dicunt, non præsupponat gratiam creditoris; quas conditiones examinabimus art. seq.

Articulus Secundus.

An satisfactio Christi fuerit ex rigorosa iustitia.

149 AFfirmatiuam partem sustinent Alensis 3. p. q. 1. mem. 7. D. Tho. q. 1. art. 2. vbi Thomistæ, Cabrera disp. 7. & 8. Aluarez disp. 4. Curiel dub. 3. Raguta disp. 20. Suarez disp. 4. sect. 5. Valentia q. 1. punc. 5. Tannerus disp. 1. q. 2. dub. 5. Hurt. disp. 12. Bellarm. lib. 5. de Christo c. 2. Albertin. coroll. 18. ex 2. princ. philos. dub. 3. & alij. Negatiuam partem docet Scotus in 3. d. 19. & 20. & 4. d. 15. q. 1. quem sequuntur Dur. & Gab. ibid. Auersa 3. p. q. 19. sect. 14. Vasq. disp. 7. Beccan. c. 15. Puteanus q. 1. art. 2. dub. 3. Bonacina disp. 2. q. 13. puncto 3. Lugus disp. 3. Bernal disp. 7. & alij. Verum est tamen, quòd quamuis isti Doctores conueniant in hoc, quod in satisfactione Christi non interuenerit rigorosa iustitia secundùm omnes leges, differunt tamen circa conditiones in particulari, nam aliqui quasdam conditiones admittunt, alij verò negant, idcircò pro dilucidatione huius difficultatis singulas conditiones nu. 148. assignatas examinare debemus.

150 Prima conditio est, quòd sit ad alterum, quæ non videtur fuisse in satisfactione Christi; nam licèt Christus quatenùs homo satisfecerit, tamen negari nequit, quin Verbum incarnatum fuerit principium, Quod satisfaciebat, & merebatur; tunc sic: Christus primò, & per se Deo satisfecit, sicut Deus fuit primò offensus, cum ipse sit supremus legislator, & vltimus finis, à quo per peccatum auertitur creatura, vnde 1. Tim. 5. dicitur, *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi*, & c. 2. vocatur Christus mediator Dei, & hominum; ergo etiam satisfecit sibi ipsi, sicut & alijs personis diuinis, ergo non fuit hæc satisfactio ad alterum.

151 Respondent aliqui, Christum satisfecisse Patri, & Spiritui Sancto, non sibi, vnde ad Ephes. 2. dicitur, *Per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem*, & 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem*. Sed falsò, vt patet ex authoritatibus adductis num. 150. Tùm quia diuidunt opera Trinitatis ad extra. Tùm quia si pura creatura satisfecisset, talis satisfactio competisset ipsi Verbo, ergo etiam modò in satisfactione Christi; quamuis autem satisfactio quandoq; Patri tribuatur, hoc intelligi debet appropriatè. Bernal ait ex Vasq; satisfactionem Christi verè fuisse ad alterum simpliciter; quia principium Quod non fuit suppositum Verbi, sed humanitas, suppositum autem solùm remotè, & per communicationem idiomatum. Vera vtiq; doctrina, si intendit solùm asserere, suppositum non concurrere ad actiones, nisi secundùm vltimam denominationem; sed non deberet postea illam respuere, cum loquitur de infinitate valoris satisfactionis, nam ex hoc, quòd suppositum Verbi satisfecit, infert infinitatem valoris, quia dignitas personæ satisfacientis se habet, inquit, vt forma in genere moris informans actiones, ergo in sententia ipsius principium Quod non erit sola humanitas, sed ipsum suppositum.

152 Faciliter respondetur ex doctrina tradita num. 148. non requiri necessariò ad iustitiam esse ad alterum simpliciter, sed sufficere quandoq; esse ad se quasi alterum, vt patet in exemplis adductis ibi; quòd clariùs apparet in Christo, in quo non solùm erat diuersitas titulorum, vt est in pœnitente, qui vt reus satisfacit sibi, vt ministro Dei secundùm eandem naturam, & personam, sed etiam adest diuersitas naturarum, quapropter eadem persona Verbi, vt erat persona humanitatis, satisfaciebat sibi, vt personæ diuinæ; & consequenter ex hoc capite non defecit satisfactio Christi à iustitia rigorosa.

153 Dices, si posset dari iusta satisfactio ad se quasi ad alterum, ergo posset aliquis iustè seipsum occidere ob crimen commissum, vt minister, sicut potest ab altero simpliciter iustè occidi, quod est falsum. Tùm quia iustitia præfesert æqualitatem in rebus, æqualitas autem est relatio realis, quæ exigit extrema realiter distincta. Resp. neg. seq. quia actum iustitiæ in seipsum quis debet exercere secundùm rectam rationem, & quatenùs à lege sibi permissum, vel commissum, occisio autem propria non solùm non est permissa, sed est à lege prohibita. Ad 2. æqualitatem iustitiæ, cum sit quoddam ens morale, non esse relationem realem, etiam inter extrema realiter distincta, sed relationem rationis, sicut est totum genus moris; hinc neg. conseq.

154 Secunda conditio est, quòd fiat ab ipso debitore; circa quam Suarez disp. cit. sect. 6. ait, nō requiri ad iustitiam commutatiuam, hæc enim solùm respicit æqualitatem ablati, & oblati, siuè ab eadem persona fiat, siuè ab alia, vt patet in latrone auferente centum Petro, cui satisfiat à Paulo soluendo centum, tunc enim latro ad nihil aliud teneretur; Verùm addit, quòd loquendo de iustitia punitiua, vltra hanc restitutionem potest iudex satispassionem exigere, seù pœnam ab eodem latrone; attamen potest etiam iudex ita pœnam imponere, vt per alium satisfieri possit, si ad satisfaciendum reipublicæ id sufficere censeatur; quod euenisse putat in satisfactione Christi, quæ rationabiliter fuit à Christo expetita, quamuis distinctus à peccatoribus, nam erat indiuiduum eiusdem naturæ, & sicut Adam peccauit, vt omnium caput, ita Christus satisfecit, vt caput omnium, & hominum fideiussor; vnde sicut si Paulus ex legitima conuentione partium se obligaret Petro ad perfectam satisfactionem pro illata iniuria ab Antonio, iustè puniretur, & perfectè satisfaceret, idem de satisfactione Christi dicendum; sequitur Bernal cit. & fundatur hæc doctrina in illo communi adagio, *Id possumus, quod per amicos possumus*.

155 Verùm si res diligentiùs attendatur, in quolibet peccato, & offensa duo considerari possunt, scilicet ratio iniuriæ, & offensæ, & damnum illatum in bonis proprijs, siuè in pecunia, fama, vel honore; satisfactio pro secundo vtiq; non exigit identitatem personæ offendentis, & satisfacientis, sed statim ac resarcitur damnum illatum, cessat inæqualitas; nec ampliùs adest ius in creditore ad expolcendam aliam satisfactionem, vt patet in exemplo adducto de latrone per alium restituente pecuniam ablatam; Non tamen est vndequaq; satisfactio perfecta, quia adhùc remanet in creditore offenso ius ad expetendam satisfactionem pro illata offensa, vnde restituta pecunia, potest adhùc Petrus contrà latronem apud iudicem instare, vt puniatur latro propter iniuriam illatam, eo quia ex læsione honoris, & ex offensa habet offensus ius in offendentem, vt ipsemet offendens satisfaciat; nam honor est testificatio nostræ opinionis de aliena excellentia, & consequenter quando læditur honor, non potest perfectè satisfieri à persona distincta ab offendente, quia talis satisfactio non erit testificatio, seù reuocatio opinionis malæ personæ offendentis.

156 Tota hæc doctrina iam implicitè conceditur à Suarez, nunc ostendo, non interuenire rigorosam iustitiam, cum iudex ab alio exigit satisfactionem; quia si offensus non cedit suo iuri, & conuenit de acceptanda satisfactione ab alio, qui vt fideiussor substituitur, nunquam dicitur perfectè satisfactus, ergo ad satisfactionem factam ab alio requiritur cessio proprij iuris facta ab offenso, & liberalis quædam admissio talis fideiussionis, ergo satisfactio facta ab offenso est perfectior, quàm facta à fideiussore, hæc enim præsupponit liberalitatem offensæ personæ, non illa, ergo ad rigorosam satisfactionem exigitur, vt fiat ab ipso debitore. Nec refert, Christum satisfecisse, vt caput omnium, quia cōstitutio Christi, vt sit omnium caput, est ex Dei liberalitate. Tùm quia vt notat Lugus, non eodem modo Adam fuit nostrum caput, & Christus, nam Adam fuit caput per alligationem nostrarum voluntatum in voluntate Adami, vnde & peccante Adamo, dicimur nos peccasse, at Christus non est in hoc sensu caput, quia nec opera Christi dicuntur nostra, nec satisfaciente Christo, dicimur nos satisfacere, sed est caput, quatenùs est radix omnis spiritualis influxus; ideircò semper remanet ius in Deo ad exigendam à nobis satisfactionem, nisi proprio cedat iuri. Displicet tamen, quod ait num. 9. disp. 4. hanc satisfactionem iniuriæ non esse actum iustitiæ, sed alterius virtutis. Verè enim per hunc actum voluntas reddit æqualitatem in iniuria, & rectè se habet ad alterum, quæ est definitio iustitiæ. Ex hoc igitur capite satisfactio Christi defecit à rigorosa iustitia, quod magis patebit ex sequenti conditione.

157 Tertia conditio est, quòd non possit non acceptari à creditore, hoc est, quòd ita extinguatur ius in creditore,

creditore, vt creditor, velit, nolit, non habeat vlteriorem facultatem aduersùs debitorem, & hoc prouenit, quando satisfaciens, per satisfactionem, tollit omnem inæqualitatem, nam si aliqua remanet inæqualitas, remanet etiam aliquod ius in creditore. Hęc tamen conditio non adfuit in satisfactione Christi, quia ex dictis in præcedenti conditione per læsionem honoris duplex ius oritur in offenso, quod nonnisi ab offenso tolli potest, & si est ab alio, requiritur cessio ipsius offensi, ergo licèt satisfactio Christi fuerit excedens, poterat tamen Deus illam non acceptare pro peccatis hominum. Tùm quia Deus ad extrà liberè agit.

158 Dices; Ansel. 2. Cur Deus homo c. 19. ait, *Eum autem, qui tantum donum spontè dat Deo, sine retributione esse non iudicabis; imò necesse esse video, vt Pater Filio retribuat; alioquin aut iniustus esse videretur, si nollet, aut impotens, si non posset, quæ aliena sunt à Deo*, ergo per D. Anselmum oblata satisfactione à Christo, nó potuit Deus nó acceptare. Tùm quia in hac oblatione offerens est Deus, oblatum est ipse Deus, offertur pro hominibus einsdem naturæ cum Deo vt homine, ergo posita hac oblatione contra rectam rationem respueretur à Deo. Resp. D. Anselmum loqui ex suppositione pacti initi inter Deum, & Christum, quod est eiusdem acceptatio, nó tamen absolutè. Ad 2. solùm inferre, opera Christi ex se fore Deo grata, nó autem necessariò acceptari debere pro satisfactione peccati, eò vel maximè, quia erant alio titulo debita, vt dicemus.

159 Quarta cōditio, quòd non fiat ex bonis creditoris idest ex bonis, quæ sint in pleno, & perfecto dominio creditoris; pro cuius intelligentia not. quòd duplex ius reperitur, ius ad rem, & ius in re, primum est ad acquirendam possessionem, & dominium, tàm morale, quàm physicum, secundum est, cum moraliter, & physicè possidemus rem; quando ergo dicitur, satisfactionem non debere fieri ex bonis creditoris, debet intelligi de bonis, super quæ creditor habeat ius in re, si autem haberet ius ad rem, oon impediret hoc ius rigorosam satisfactionem, vt cum restituo librum furatum, hæc restitutio est perfecta, & tamen creditor in librum habebat ius ad rem.

160 Hæc conditio non fuit in satisfactione Christi; prob. omnia opera Christi erant bona ipsius Dei, iuxtà illud *Dominus vniuersorum tu es*; tùm quia ios Dei fundatur in essentiali dependentia creaturæ ad Deum, sed opera Christi erant entia creata, ergo erant dependentia à Deo, & ipsius Dei. Dices, opera Christi erāt specialiter ipsius Christi, non Dei, quatenùs prouenie-bant persona diuina in natura humana subsistente. Contra, etiam vt sic considerata erant ipsius Dei, quia quicquid reperiebatur in illis operibus, vt à supposito diuino prouenientibus, erat substantia actus, & valor infinitus, substantia actus est bonum Dei, quia ad illam concurrit per gratiam, & omnipotentiam; valor quoq; est bonum Dei, quia vel loquimur de valore creato, & hic, cum sit quid creatum, est Dei titulo dominij, vel loquimur de valore increato, scilicet Verbo diuino, & hic quoq; est Dei titulo identitatis, quia est suppositum diuinæ naturæ.

161 Resp. Suarez, ad restitutionem requiri hanc conditionem, quia ad restitutionem requiritur contrapassum, seù repassio, quæ consistit in hoc, vt ille, qui reddit aliquid ex iustitia, patiatur aliquod incommodum, scilicet priuationem rei redditæ, quę ex cōsequenti debet in vtilitatem accipientis redundare, quod contrapassum non adesset, si restitutio fieret ex bonis creditoris; at ad satisfactionem non requiritur hæc conditio, sed sufficit, vt fiat ex bonis, quæ sint aliquo titulo ipsius debitoris, quamuis fiot sub perfecto dominio creditoris; nam satisfactio pro iniuria est quædam compensatio pro illata iniuria, ad quam non requiritur translatio dominij, sed exhibitio reuerentiæ æquiualentis.

162 Contra, satisfactio est in materia iustitiæ, & est quædam restitutio honoris, & ablati, ergo quod redditur, non debet esse sub dominio creditoris perfecto. Tùm quia satisfactio meritoria, quæ scilicet aliquid exigit à creditore, requirit contrapassum, nam debet fieri cōtractus, *do, vt des*, quidquid sit de simplici satisfactione, sed satisfactio Christi fuit meritoria, meruit namq; nobis à Deo gratiam, per quam formaliter extinguitur nostrum debitum, quod habemus cum Deo, ergo vt sit rigorosa, non debet fieri ex bonis creditoris. Per quod impugnatur responsio Lugi asserentis, satisfactionem hoc solum intendere, vt læsus nihil minùs habeat in bonis suis, quàm haberet, si læsus non fuisset; hoc autem præstari potest etiam per opera, quæ sint in dominio creditoris, scilicet si seruus læsisset dominum in fama, vel honore, potest per laudes, vel retractationem constituere dominum in priori statu, vt nihil minùs habeat de fama, vel honore, quàm ante læsionem habebat, licèt omnes actiones serui sint sub dominio perfecto domini. Impugnatur quidem, quoniam satisfactio Christi non fuit pura, & simplex satisfactio, sed adhùc meritoria. Tùm quia exemplum allatum est ad oppositum, nam dominus etiam post laudes à seruo exhibitas minùs habet, quia honor potius per illas laudes est ipsius domini, vnde si non fuisset læsus, haberet pristinum honorem, & præsentem per istas laudes, vbi per læsionem solùm habet præsentem, ergo non est perfecta æqualitas; quod quidē non interuenit, quando offensor non est seruus, quia honor exhibitus à lædente non est bonum offensi; quod clarescet magis ex seq. conditione.

163 Alij resp. opera Christi fuisse specialiter ipsius Christi, tùm quia erat persona specialiter dignificans illa opera; tùm quia liberè absq; præcepto præcipiente titulo iustitiæ ab ipso eliciebantur; tùm quia quòd opera illa sint Dei, non aufert, quin fiot etiam sub dominio Christi, & consequenter interuenit contrapassum, quatenùs Christus dabat aliquid Dei ipsi Deo, quod tamen erat ipsius Christi, & ad illud non tenebatur, sed liberè se obstrinxerat ad reddendum. Contrà, non nego, opera Christi fuisse sub ipsius dominio, vt in seq. art. ostendam; sed nego, hoc tantùm sufficere ad rigorosam iustitiam, quia licèt opera illis titulis sint Christi, adhùc tamen sunt ipsius Dei, ergo per ipsa satisfactio fieret ex bonis creditoris. Tùm quia Christus non solùm satisfecit illis operibus, ad quæ non tenebatur, sed etiam, quæ erant sub præcepto, vt suo loco dicemus, ergo saltim in his ratio, & titulum libertatis non militaret. Tùm quia etiam opera non præcepta, licèt poterant non elici à Christo, postquam tamen erant elicita, non poterant non esse sub dominio Dei, sicut ancilla potest non concipere, sed postquam concepit, partus est ipsius domini, & per hunc non potest rigorosè satisfacere domino, maiorem autem subiectionem habemus nos, & nostra opera in ordine ad Deum, quàm ancilla, & partus eius respectu domini, ergo &c.

164 Quinta conditio est, quòd fiat ex bonis, non quidem simpliciter indebitis, quia eo ipso, quòd in creditore est ius ad illa ex iustitia, iam sunt debita, sed indebitis ex alio titulo, nam si debeo Petro titulo mutui decem; deinde titulo emptionis alia decem, non satisfacio ad æqualitatem, si reddo decem, quia simpliciter debeo viginti, sed omnia Christi opera erant multiplici titulo Deo debita, scilicet gratitudinis, obedientiæ, religionis, imò & iustitiæ, ergo &c.

165 Resp. Suarez, maiorem esse veram, quando illa sunt debita alio titulo iustitiæ, non verò, quando sunt debita diuerso titulo, vt in proposito, quia non implicat idem opus à diuersis virtutibus prouenire. Addit quoq; maiorem esse veram in creatis, vbi datum, & acceptum sunt finite res, ideoq; quia ad multiplicationem rationum obligationis multiplicatur, & augetur res, quæ debetur, non potest per eadem ad æqualitatem satisfieri; at quoniam Christi opera erant infiniti valoris, poterat Christus vno opere satisfacere pro omnibus beneficijs, alio pro peccatis hominum.

166 Hæ responsiones vt insufficientes ab omnibus reijciuntur; prima quidem est vana, non enim ideo satisfactio per opera aliàs debita est perfecta, quia sunt debita titulo diuerso à iustitia, & est imperfecta, quia sunt debita alio titulo iustitiæ oppositum enim potest in vtroq; casu contingere, nam Petrus, si sponderet cum Paulo de matrimonio eius filiæ, titulo iustitiæ tenetur ducere filiam Pauli, cui si propter stuprum promisisset etiam ducere in vxorem, alio titulo iustitiæ teneretur, & tamẽ vnico matrimonio vtriq; titulo iustitiæ satisfaceret; similiter si duplex beneficium haberem, tenerer duplici titulo ad recitationem officij, vnica tamen recitatione satisfacerem. Ex opposito, si ex voto debeo Ecclesiæ centum, teneor dare centum titulo religionis, si verò ex emptione debeo alia centum, teneor dare centum titulo iustitiæ; vtriq; tamen titulo non satisfacerem, si soluerem solùm centum. Quòd si dicas, religionem esse speciem iustitiæ. Verum quidem est in nostra sententia, sed iam sequitur, opera Christi esse debita alio titulo iustitiæ. Quapropter tunc non fit satis per rem aliàs debitam, quando nouus titulus exigit aliquid aliud vltra id, quod antea debebatur, at quando exigit eandem rem, satisfit illa re, siuè illi tituli sint iustitiæ ambo, siuè alterius virtutis, vt patet in exemplis adductis. Modò opera Christi erant Deo debita multis titulis, etiam si Adam non peccasset; post peccatum verò aduenit in Deo nouum ius, cui, vt fiat satis, debet aliquid aliud tribui pro illata iniuria, ergo si fit satis eisdem operibus antea debitis, non erit rigorosa satisfactio.

167 Secunda responsio quòq; est eneruis, nam quantumcumq; intendatur valor operum Christi in infinitum infinitiès, adhùc Deus poterat illa opera exigere titulo dominij, aut obedientiæ, quia ius habet, vt infinitis actibus tàm intensiuè, quàm extensiuè, si essent possibiles, seruiamus, & amemus ipsum propter infinitam perfectionem in essentia, quam habet, ergo licèt opere Infinito potest satisfieri debito finito, non tamen infinito, non enim Deus accepit à Christo supra id, quod iustè poterat exigere.

168 Hurt. respondet (quam etiam responsionem non improbat Lugus) duplex esse debitum, remotum, seù radicale, & proximum, seù actuale, primum est, quod habet creatura secundùm se considerata ad Deum, etiam in se spectatum, & est veluti obligatio in actu primo; secundum est debitum actuale, quando scilicet opus debitum actu exigitur à Deo, quod potest dupliciter contingere, vel titulo, & dominio iurisdictionis, vel dominij; tunc ait, ex operibus debitis remotè, & non proximè, idest actu à Deo non petitis, posse fieri perfectam satisfactionem, at ex operibus proximè debitis, & actu à Deo petitis, minimè posse, nisi exigantur titulo iurisdictionis; quia tunc potest duabus virtutibus satisfieri, scilicet iustitiæ, & obedientiæ; affert exemplum de domino non exigente à seruo opus diurnum, quo postea potest domino satisfacere, quia est solùm remotè, non proximè debitum.

169 Sed insurgo, eò quia Christus multa opera habuit à Deo præcepta, & consequenter proximè debita, vt suo loco dicemus, & tamen illis quòq; satisfecit, ergo vana hæc distinctio. Quod addit de titulo iurisdictionis, coincidit cum responsione Suarez iam impugnata. Tùm quia exemplum, quod affert, est ad oppositum, nam dominus, ideò potest cum seruo pacisci de labore diurno, dum illum non exigit, quia non exigendo videtur cedere proprio iuri, & quasi manumittere illum laborem à dominio proprio; at Deus nunquam potest cedere suo iuri, nec potest facere, quin res existens sit sub proprio dominio, cum sit essentialiter dominus, & opera nostra essentialiter à Deo dependentia, & consequenter semper debita. Tùm quia iustior, & perfectior est satisfactio, quando est ex omninò indebitis. Tùm quia hæc negatio exactionis in Deo est ex ipsius liberalitate, & gratia, quæ non stat cum rigorosa iustitia, vt mox ostendam.

170 Vltima conditio est, quòd non fiat ex acceptis gratis à creditore, seù vt alij dicunt, quòd non præsupponat gratiam creditoris; cuius ratio est, quia iustitia, & gratia opponuntur, iuxta illud Apost. ad Rom. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia*, nam iustitia tendit ad æqualitatem, gratia verò ad remissionem debiti. Hac conditione caruit satisfactio Christi, quia totus valor pendebat ex gratia vnionis, & auxiliorum Dei.

Resp. Suarez, & Hurt. gratiam creditoris tunc excludere perfectam iustitiam, quando ordinatur ad remissionem debiti, quia tunc est imbibita in ipsamet solutione, non verò, quando est antecedens, & absoluta donatio; vt si quis debeat centum Paulo, à quo recipiat centum ad lucrandum, vt possit satisfacere, ista donatio non excludit rationem perfectæ iustitiæ, si postea ex illo lucro satisfaciat, quia satisfacit ex proprijs industria acquisitis; in proposito gratia vnionis non fuit data Christo propter solutionem debiti, quia si Adam non peccasset, adhùc fuisset ista vnio; neq; per istam vnionem Christus satisfecit, sed per labores, & fructus, quos ipse sibi comparauit. Addit Lugus, hanc conditionem tunc minuere perfectam iustitiam, quando gratia condonat totum, vel partẽ debiti; modò Deus per dona collata Christo non cõdonauit totum, vel partem debiti, quod homo debebat soluere.

171 Contrà, iustior, & perfectior est illa satisfactio, quæ totaliter omnem gratiam excludit, quàm quæ necessariò aliquam præsupponit, etsi non sit ad satisfactionem ordinata, quia hæc à gratia dependet, saltim vt à conditione sine qua nõ, vbi illa nullo modo respicit gratiam, ergo ad satisfactionem perfectæ, & rigorosæ iustitiæ nulla gratia debet præsupponi; patet

patet illa conseq. quia talis illa dicitur, qua maior nequit excogitari; antec. patet, quia dependentia à gratia creditoris, quæ tunq; illa sit, inducit obligationem aliquam in debitore ad creditorem. Deinde etiam admissa hac doctrina, sic arguo; sed gratia vnionis, etsi non adæquatè; saltim inadæquatè fuit ordinata ad peccati solutionem, quia Christus etiam venit in mundum propter redemptionem generis humani ex dictis q. 2. ergo &c. Quod insuper dicitur, Christum non satisfecisse per vnionem, parùm refert; tùm quia vnio fuit causa valoris operum Christi, ergo etiam fuit causa satisfactionis, quod enim est causa causæ, est etiam causati causa; tùm quia etiam ipsa opera Christi satisfactoria erant dona Dei concurrentis per gratiam habitualem, & supernaturalia auxilia, etiam vt à Christo proueniebant, nam *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum*; in quo deficit exemplum donantis pecuniam, quia pecunia acquisita est propria debitoris, nō creditoris, at opera Christi erant dona ipsius Dei, quamuis Christus fuerit etiam causa principalis.

172 Medina secutus Sotum aliter respondet, vnionem dupliciter considerari, vel respectu humanitatis, & sic est gratia, vel respectu Verbi, & sic non est gratia, sed debitum ipsi Verbo tanquam supposito diuino, cui omnia gratia, & dona supernaturalia debentur de iure, & quia suppositum satisfaciebat, hinc non ex gratia, sed ex proprijs operabatur. Contrà, incarnatio fuit opus cōtingens diuinæ voluntatis, sicut quodlibet opus ad extra, ergo nequit dici debita Verbo diuinō, & connaturalis, aliter Deus ex iustitia fuisset sibi ipsi, & Verbo obligatus. Tùm quia ista incarnatio in Verbo solùm dicit denominationem extrinsecam, ergo non est Verbo connaturalis, & debita, quia nullam intrinsecè acquirit perfectionem. Accedit præcipuè, quòd Verbum præcisè non satisfaciebat, sed Verbum vt subsistēs in natura humana, & opera tàm à persona, quàm à natura humana proueniebant; sed vt sic præsupponitur gratia Dei, saltim vt possit natura humana ex parte sua influere in actiones, ergo &c.

173 Albertinus resp. valorem in opere, non à gratia vnionis, sed à supposito prouenire, hinc licèt gratia vnionis præcedat, tamē quia est extra contractum solutionis, non tollit rationem rigorosæ iustitiæ. Contrà, non posset valor in opere refundi à persona, nisi illa esset naturæ vnita, ergo necessariò præsupponit, & dependet ille valor à gratia vnionis, & consequenter non erit ex rigorosa iustitia, etiamsi gratia sit extra contractum solutionis, vt dicebamus contrà Suarez; præcipuè quia secundùm Albert. vnio hypostatica solummodò in remedium peccati fuit instituta. Ex his habes, solam primam conditionem fuisse in satisfactione Christi, & consequenter nō fuisse secundùm leges rigorosæ iustitiæ.

174 Contrà conclus. princ. insurgunt Thomistæ quamplurimis authoritatibus Scripturæ, & Patrum, quibus asseritur, Christum nō solùm ad æqualitatem, sed etiam per superabundantiam satisfecisse, ergo de toto rigore. Tùm quia, si hoc esset verum, ergo Christus gratis est mortuus, vt arguit Apost. ad Gal. 2. prob. conseq. quia sicut Deus acceptauit passiones Christi pœnales pro meritorijs, ita poterat acceptare non pœnales, & sic gratis, & absq; necessitate Christus est mortuus. Tùm 3. quia sic vilificatur meritum Christi. Tùm 4. rigorosa iustitia reperitur, etiā quando res deriuatur ex liberalitate tribuentis, vt patet in donatione, per quam verum dominium transfertur alteri, propter quod iustè, & in rigore exigit donatum, ergo liberalitas Dei non derogat rigorosæ iustitiæ.

175 Resp. satisfactionem posse dici rigorosam, & perfectam, vel quò ad æqualitatem solùm, & pretium æquiualens, vel quò ad exclusionem gratiæ, & liberalitatis creditoris, seù quò ad modum; primo modo intelligi debent illæ authoritates, non secundo modo, quo sensu procedit nostra quæstio. Ad 2. neg. conseq. quia mors Christi, supposita Dei ordinatione, fuit necessaria ex dictis q. 3. neq; hoc fuit argumentum Apostoli, arguit enim contrà opinantes, posse aliquem saluari, seclusa Christi morte, & sic rectè sequitur, quòd Christus gratis esset mortuus. Ad 3. extollere opera Christi intrinsecè, plusquam sunt, potiùs est vilificare, quàm dignificare; sic faciunt Aduersarij. Ad 4. liberalem promissionem tunc auferre rigorem iustitiæ, quando lex, & rectitudo ipsius est in potestate donantis, idest ideo lex est recta, quia volita, nam adimpletio illius donationis posset iustè non fieri; sed quando lex non est in potestate donantis, tunc posset concedi, non minuere rationem rigorosæ iustitiæ; hinc quia leges in humanis non sunt in omnium potestate, sed tantùm in potestate legislatoris, donatio non dirimit rationem rigurosæ iustitiæ, nisi tantùm in legislatore, qui potest leges destruere; sic Deus, qui est supremus legislator, habet in sua potestate leges, & rectitudines ipsarum, quia de potentia absoluta potest oppositum iustè agere, & consequentee non adest ius in creaturis, nisi secundùm quid, & ex suppositione diuinæ liberalitatis. Accedit etiam, quòd donatio in humanis verè, & propriè transfere dominium, ideoq; inducit obligationem simpliciter ex iustitia, at donatio Dei non potest transferre dominium in creaturis, quia æquè est in potestate ipsius res donata ante, & post donationem, & per consequens non reperitur in creatura, nisi ius secundùm quid ad illud donum; neq; hoc est de per accidens in iustitia, quia sicut est de per se, adhòc vt ius dicatur ius simpliciter, quod est obiectum iustitiæ rigorosæ, & simpliciter, ita erit de per se ad iustitiam rigorosam, vt fusiùs in seq. art.

Cæterùm ex alio capite solet ostendi, satisfactionem Christi non fuisse de toto rigore iustitiæ, quia scilicet nullo modo potuit esse actus iustitiæ, nec Deus ex motiuo iustitiæ illam remunerauit, idcircò difficultatem hanc seorsim in sequentibus articulis examinare decreui.

Articulus Tertius.

Ex qua virtute Deus acceptauerit satisfactionem Christi.

176 QVidam docent, Deum acceptasse, ac remunerasse (quæ pro eodem sumuntur) Christi satisfactionem ex motiuo gratitudinis, citantur Vasq. 1. p. disp. 83. & 84., & hic disp. 23. Lorca de Gratia disp. 44. Alij ex motiuo fidelitatis, ita Lugus disp. 3. Bernal disp. 9. sect. 2. qui addit, fidelitatem hanc esse strictioris rationis, quàm sit in nobis, insuper ex alia virtute specialissima, & omninò diuersæ rationis à virtutibus omnibus diuinis, quæ numerari solent. Scotus

tus verò in 3. d. 19. & 20. & 4. d. 15. q. 1. & d. 46. q. 1. docet, motiuum fuisse iustinæ, sequuntur Authores citati num. 149. pro parte affirmatiua; quamuis sit postea diffidium, an interuenerint omnes conditiones rigorosæ iustitiæ, vt vidimus art. præced. est etiam diffidium, ad quam speciem iustitiæ spectet.

177 Solutio huius difficultatis pendet ex tractatu de iustitia Dei; hine supponendum, quòd licèt Aristoteles 10. eth. c. 10. doceat, non dari in Intelligentijs virtutes morales, hoc tamen intelligi debet de virtutibus, vt habitus quidam accidentales sunt, quia posuit ipsas formaliter necessarias. Cæterùm non est neganda in Deo iustitia, quæ sit in ipso perfectio simpliciter sublatis imperfectionibus, quas habet in creaturis; duplicem autem imperfectionem habet iustitia in nobis, prima est, quòd sit accidentalis qualitas subiecto inhærens; secunda se tenet ex parte potentiæ, quatenùs respicit potẽtiam indeterminatam ad benè, vel vitiosè agendum: sublatis igitur istis imperfectionibus, solùm dicet ex sua ratione formali rectitudinem volũtatis in operationibus, quæ sunt ad alterum, vel ad se quasi alterum; in qua tria semper interueniunt, primum est lex ex parte rationis determinatè dictans independenter à voluntate debitum alteri soluendum propter ius, quod in se habet comparatione illius, quod debet reddi, tanquam spectans ad se; vel si tale iudicium non esset lex, sufficit aliquod iudicium practicum ostendens tale debitum simpliciter soluendum (quod dixi, quia ad legem propriè requiritur actus voluntatis Superioris, voluntas autem diuina non potest talem legem præsupponere, sed solùm iudicium diuini intellectus, quod secundùm aliquos Scotistas est practicum) secundum est ipsum iustum, quod per legem determinatur, & taxatur tanquam alteri debitum; tertium est ipse habitus iustitiæ in voluntate repertus, antecedens omnem operationem liberam, inclinans voluntatem ad soluendum illud iustum, quod est obiectum iustitiæ, iuxtà rectum dictamen rationis, ex qua solutione prouenit æqualitas inter habentem ius, & soluentem iustum, itaut tanta sit solutio, quantum est debitum.

178 Ex his sequitur, quòd voluntas diuina respectu Dei ex vera, & propria iustitiæ ratione operatur, & elicit actum amoris, & volitionis erga Deum; nam Deus ex se est infinitè bonus, & infinitè diligibis, & consequenter habet ius in amorem infinitum tãquam sibi debitum; vnde hic interuenit primò iudicium diuini intellectus iudicantis, Deum esse infinitè diligendum; secundò adest iustum, scilicet amor infinitus debitus ipsi Deo simpliciter, & adest iustitia in diuina voluntate, tanquam attributum formaliter ab ipsa distinctum, non quòd sit principium determinatiuum, & regulatiuum ipsius voluntatis, quia hæc est inobliquabilis, & radix omnis rectitudinis, sed sit principium, quo diuina voluntas in actu primo dicitur formaliter rectè operatiua, quod principium respicit debitum diuinæ essentiæ. At respectu creaturarum non potest dari talis habitus, quia habitus inclinat necessariò, & determinatè in suũ obiectũ, nec est indifferens, diuina verò voluntas potest aliter agere, quàm modò agit, cũ sit principium liberum, vnde si haberet talem habitum, posset contra illum agere, & per consequens iniustè ageret, quod est falsum. Ipsa ergo diuina voluntas, vt stat sub decretis ipsius, & legibus ab ipsa voluntariè æditis circa modum agendi respectu creaturarum, vt soluatur aliquod debitum, non simpliciter ex naturis earum, & ex necessitate legis exortum, sed ex ipsis legibus voluntariè præfixis, dicitur iustitia, quæ licèt non sit rigorosa, ex dictis art. præced. attamen non est omninò à ratione iustitiæ excludenda, quia respicit debitum alteri soluendum necessariò, non simpliciter ex naturis rerum, sed ex necessitate prædictarum legum; hinc dicebat D. Ansel. in prosol. c. 11. *Illud solum est iustum, quod vis, Domine, non iustum, quod non vis.* hoc totum docetur à Scoto in 4. d. 46. q. 1.

179 Dicendum est, Deum acceptasse, ac remunerasse satisfactionem Christi non ex motiuo gratitudinis, aut simplicis fidelitatis, sed ex motiuo iustitiæ commutatiuæ, præmiatiuæ, aut condonatiuæ. Colligitur ex Scoto cit. & 1. d. 17. q. 2. II. est q; communior, & probantur singula. Et primò, quòd non remunerarit ex simplici gratitudine, prob. quia gratitudo formaliter respicit beneficium acceptum à benefactore, Deus autem nequit ab alio recipere beneficium, aut benefactorem respicere. Quòd si dicas cum Vasq. diuinam gratitudinem esse altioris ordinis ab humana. Idem quoq; de iustitia dici poterit, nõ enim magis repugnat inter Deum, & creaturam, dominum, & seruum iustitia, quàm gratitudo, vtraq; enim respicit opera aliàs indebita, ergo si admittitur gratitudo in Deo respectu creaturæ, etiam iustitia deberet admitti, præcipuè quia Scriptura, & Patres hoc asserunt, vt infra.

180 Secundò, quòd non acceptauerit ex simplici fidelitate, prob. quia non eodem modo Deus tribuit gratiam contrito, & gloriam benè operantibus, nam gratia non habet rationem iusti, debiti, aut mercedis respectu contriti, vt se habet gloria in ordine ad benè operantes, sed Deus confert gratiam ex motiuo fidelitatis, ergo gloriam ex aliquo alio motiuo conferre debet, quod erit motiuum iustitiæ; patet ista conseq. quia simplex promissio, etiam onerosa, non extrahit datum à ratione gratiæ, vt patet in exemplo adducto de contrito, ergo si gloria ex hoc motiuo daretur, haberet quoq; rationem gratiæ, quod est falsum; tunc sic, Deus benè operantibus tribuit gloriam non ex fidelitate, ergo multò minùs Christo cõcessit gloriam, & nostrorum peccatorum remissionem ex motiuo fidelitatis; prob. conseq. quia tota ratio nostri meriti radicatur in merito Christi, ergo si nobiscum Deus exercet aliquo pacto iustitiam propter merita, multò magis cum Christo, cuius meritum longè excedit nostrum.

181 Tertiò, quòd tale motiuum fuerit iustitiæ, prob. primò authoritatibus sacræ Script. passim tribuentibus iustitiam Deo erga homines, non solùm punitiuam, vt explicant Aduersarij, sed etiam præmiatiuam, Psal. 144. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis*, 2. Tim. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*; quæ verba non sunt intelligenda specificatiuè, & materialiter, sed reduplicatiuè, & formaliter, idest *vt iustus iudex*, sic explicat D. Aug. Psal. 83. *Deum indulgentiæ largitorem, coronæ autem debitorem, indulgentiam tribuere vt patrem, coronã verò vt iustum iudicem*; & loquendo de Christo Rom. 3. ait Apostolus, *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem ad ostensionem iustitiæ suæ*; hinc sæpissimè Deus à Patribus debitor appellatur respectu bonorum operum, non solùm ex fidelitate, sed etiam ex iustitia, ita præcipuè D. Bern. tract. de grac. & lib. arb. vbi versus finem loquens de

petri-

retributione gloriæ, quam dabit Dominus diligentibus se; ait; *Promissum quidem ex misericordia, sed iam ex iustitia persoluendum; est ergo, quam Paulus expectat, coronam iustitia, sed iustitia Dei, non sua, iustum quippe est, vt reddat, quod debet, debet autem, quod pollicitus est.*

182 Resp. has authoritates intelligi de iustitia latè sumpta, prout cum fidelitate coincidit, vel metaphoricè accepta, non de rigorosa, & strictè sumpta. Attamen si per iustitiam strictè sumptam intelligunt illam, quæ supponit debitum simpliciter ex naturis rerum exortum, & secundùm omnes leges rigorosæ iustitiæ enumeratas art. praeced. verum est, talem iustitiam non reperiri in Deo; si verò per iustitiam latè acceptam intelligunt simplicem promissionem, falsum est, hanc solam in Deo reperiri, nam præter fidelitatis debitum datur in Deo aliud debitum, quod est medium inter debitum fidelitatis, & debitum rigorosæ iustitiæ, strictius illo, & latius isto, quia, vt dicebam, Deus est debitor largiendi gratiam contrito, & gloriam iusto, sed hoc debitum est strictius illo, quia largiendo gratiam Deus dicitur fidelis, largiendo gloriã Deus dicitur iustus iudex, & gloria vocatur merces, ergo hoc debitum non est simplicis fidelitatis; & hoc innuere voluit Bernal, dum fidelitatem Dei docuit esse strictionis rationis.

183 Quartò, quod potiùs fuerit iustitia commutatiua, prob. quia iustitia commutatiua facit æqualitatem rei ad rem, non tantùm in commercibus, sed etiam in iniurijs ex Arist. 5. eth. c.2. & seq. vbi docet, iustitiã hanc commutatiuam in tribus generibus versari, scilicet in pecunia, honore, & salute, & tunc seruatur in honore, & in iniurijs, cum id, quod redditur in compensationem, est æquale iniuriæ; satisfactio Christi fuit æqualis, imò excedens iniuriæ, ergo &c. Tùm quia species iustitiæ sunt commutatiua, & distributiua, Deus non acceptauit ex iustitia distributiua, quia hæc consistit in distributione bonorum communium secundùm vniuscuiusq; dignitatem, quod nõ interuenit in præsenti; non nego tamen, quin fuerit aliquo modo iustitia distributiua admixta, quatenus Deus specialem habuit respectum ad dignitatem personæ Christi, qua ratione ipsum constituit caput totius Ecclesiæ; attamen si respiciamus merita Christi, & compensationem à Deo retributam, magis spectat ad iustitiam commutatiuam. Hæc omnia clarescent distinctiùs ex solutione obiectionum.

184 Contra prædicta instatur illis rationibus, quibus ostendi solet, Dei ad creaturas non esse iustitiam; & primò multis Sanctorum Patrum testimonijs asserentium, nullum debitum reperiri in Deo ad creaturas; ita D. Ansel. in prosolog. c. 10. *Iustus es, non quia reddis nobis debitum, sed quia facis, quod decet te summum bonum;* Bern. serm. 1. Annunc. *Si Deus merenti negaret præmium, nulli faceret iniuria;* August. 1. confess. c. 4. *Reddis debita nulli debens;* & 3. de lib. arb. c. 16. *Deus nulli debet aliquid;* & alij passim id docent; si ergo Deus non est verè obligatus ad creaturas, non operabitur ex iustitia propriè, sed metaphoricè.

185. Resp. ex Scoto in 4. d. 46. q. 1. in fine, Deum esse debitorem creaturis, non absolutè, sed ex sua liberalitate, hinc authoritates adductæ intelligi debent de debito rigoroso simpliciter secundùm leges iustitiæ rigorosæ adductas art. praeced. non de debito minùs rigoroso, & secundùm quid, præsupponente gratiam, & liberalitatem ipsius creditoris; non tamen sequitur, hoc debitum esse simplicis fidelitatis, quia quod redderetur à Deo, non haberet rationem mercedis, sed gratiæ, nec opera nostra essent propriè meritoria; quod colligitur ex Rom. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia;* & c. 4. *Merces imputatur ei, qui operatur, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum;* & 1. Corinth. 3. *Vnusquisq; mercedem recipiet secundùm suum laborem.* Cum autem D. Bern. ait, Deum non fore iniurium, si debitum negaret merenti, hoc est, quia potest Deus, cum sit perfectissimus dominus omnium, acceptationem, & pactum illud reuocare, & consequenter potest auferre ius à creatura aduersùs ipsum Deum; non autem intelligi debet supposita diuina acceptatione, & pacto eleuante opera nostra ad gradum meriti de condigno, vt sic enim, & in sensu composito esset iniustus, iuxta illud Apost. ad Hæbr. 6. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri;* casus tamen est impossibilis.

186 Secundò, creatura nullum ius potest habere aduersùs Deum, ergo Deus in ordine ad creaturam non exercet actum iustitiæ; conseq. patet, quia iustitia præsupponit ius, & debitum; antec. prob. si homo aduersùs Deum haberet ius, seù dominium alicuius rei, Deus non esset perfectus dominus illius rei, sed hoc est falsum, ergo &c. sequela prob. quia ex dictis art. 1. non potest dari dominium in solidum eiusdem rei; nec posset Deus vti illa re sine iniuria creaturæ, & consequenter non esset dominus; falsitas prob. Deus nõ potest à se abdicare dominium creaturarum, quia physica subiectio creaturæ consistit in dependentia essentiali eiusdem creaturæ ad Deum, ergo sicut creatura nequit non dependere essentialiter à Deo, neq; Deus potest esse non dominus creaturæ, & à se abdicare dominium.

187 Huic argumento resp. aliqui neg. falsitatem, quia liberè communicaret creaturæ tale dominium, & consequenter voluntariè non esset dominus; repugnaret autem, si necessariò à se abdicaret dominium. Sed contra, non potest voluntariè eximere creaturam à dependentia essentiali, ergo neq; voluntariè potest non esse dominus, & abdicare dominium à se. Tùm quia licèt in sensu composito nõ posset vti illa re absq; iniuria creaturæ, tamen in sensu diuiso potest tale dominium creaturæ communicatum reuocare, ergo semper est dominus; patet conseq. quia vt aliquis sit perfectè dominus in actu primo alicuius rei; sufficit, vt possit vti illa re sine iniuria alterius, quam potestatem Deus semper habet.

188 Alij resp. posse dari dominium eiusdem rei in solidum, quando iura sunt alterius rationis, nam Princeps, & Respublica habent ius respectu bonorum particularis ciuis, quod ius vocatur altum, & ciuis simul habet ius priuatum respectu eorundem bonorum. Hæc responsio non rectè, nec satis hoc exemplo explicatur, nam in illis casibus in quibus Princeps, seù Respublica habet ius in bonis ciuium, scilicet propter bonum, & commodum publicum, ciuis non habet ius in illis, itaut possit illis vti sine Principis iniuria, & quando ciuis habet ius in bonis suis, tunc Princeps non habet ius altum semper, quia cessante publico commodo, propter quod Princeps dicitur habere ius altum, nequit Princeps vti bonis illius ciuis sine iniuria; hinc dominium vtriusq; non est perfectissimum; at Deus habet ius tàm altum, & illimitatum, vt posset pro libito, & semper vti quacunque re sine iniuria

crea-

creaturæ, ergo semper est perfectissimus dominus, ergo nequit secum admittere alium dominum.

189. Resp. igitur neg. conseq. & ad probat. nego sequelam, cum probatur, respondeo, duo dominia creata adæquata, & in solidum esse incompossibilia inter se, non tamen dominium increatum Dei cum dominio creato creaturæ; ratio est, quia dominium creatum creaturæ respectu alicuius rei est potestas vtendi illa re licitè sine iniuria alterius, seù quacunq; alia creatura inuita, idcircò nequeunt duo simul habere perfectum dominium eiusdem rei, quia altero illorum inuito, posset alius vti licitè illa re, quod implicat, posseťq; dari bellum iustum ex vtraq; parte; at quantumcunq; creatura sit domina alicuius rei, numquam tamen posset vti licitè illa re inuito Deo, quia est semper essentialiter subordinata Deo; hinc dicunt aliqui, dominium creatum esse aduersùs creaturas alias, non tamen aduersùs Deum, quod non est ità intelligendum, vt creatura non possit habere ius ad exigendum aliquid à Deo, nam eo ipso, quòd determinamus, Deum ex iustitia reddere creaturæ aliquod debitum, concedimus etiam in creatura ius aduersùs Deum; sed est intelligendum quòad vsum licitum, quatenùs creatura, quæ est alicuius rei domina, potest vti illa re licitè quacunq; alia inuita, & consequẽter habet ius, nè alia vtatur eadem re licitè ipsa inuita, quod non contingit respectu Dei, quia nulla creatura potest licitè vti aliqua re inuito Deo, Deus autem licitè vtitur quacunq; re, inuita creatura; quia eo ipso, quòd vtitur illa re, iam reuocat dominium, quod creaturæ concesserat.

190. Hæc doctrina potest duplici exemplo declarari; primum erit causalitatum duarum causarum totalium; nam nequeunt duæ causæ totales creatæ producere eundem numero effectum, & tamen Deus, & creatura concurrunt simul ad producendum eundem effectum ex dictis in Phys. disp. 8. q. 3. art. 2. in fine; sicut enim Deus simplicissimo concursu secundùm rem attingit totaliter totam effectus entitatem, tamen ex suaui sua dispositione, qua vniuersum gubernat, ità suum concursum diuinum applicat, vt etiã admittat causas secundas secum ad agendum, & causandum proprios effectus, nunquam tamen, vt agant contra diuinam voluntatem efficacem, nec independenter ab ipso; pariformiter Deus est omnium perfectissimus dominus ex sua tamen liberalitate admittit creaturam ad dominium alicuius rei, vt dicatur domina illius aduersùs alias creaturas, non eximendo creaturam, neq; rem illam à proprio dominio, nec quòd creatura sit domina contrà Dei voluntatem.

191. Secundum exemplum erit donatoris alicuius rei donatione reuocabiliter inter viuos, nam donator, quia sibi potestatatem retinet reuocandi donationem, non solùm tradit dominium rei donatario, sed dum non reuocat donationem, dicitur quòq; conseruare tale dominium, vnde donatarius est verus dominus illius rei respectu aliorum hominum, & respectu donatoris dicitur dominus imperfectè, & cum dependentia, quia donator potest reuocando donationem per vim retrotranslatiuam, vt inquiunt Iuristæ, omnia ad pristinum reducere; dum tamen donator conseruat dominium in donatario, donatarius non dicitur excercere dominium inuito donatore, & consequenter licèt aliquando donatarius habeat Ius aduersùs donatorem virtute talis donationis, attamen tale ius erit etiam dependens à voluntate donatoris non reuocantis, sed conseruantis donationem. Idem in proposito dicendum, Deus enim constituendo creaturam dominam alicuius rei, donatione reuocabili concedit ius in illam rem, quia absolutè poterat non concedere, & in sensu diuiso potest etiam reuocare, licèt in sensu composito, & ex diuina immutabilitate dici possit talis donatio irreuocabilis; qua donatione creatura dicitur domina illius rei aduersùs omnes alias, quia illis inuitis licitè potest vti illa re, potest quòque virtute talis donationis acquirere aliquod ius aduersùs ipsum Deum donatorem, attamen semper cũ dependentia à voluntate diuina, & per consequens non habebit dominium aduersùs Deum, itaut inuito Deo possit licitè vti illa re, nam statim ac intelligitur Deus inuitus, & nolens, intelligitur quòq; reuocata donatio quasi per vim retrotranslatiuam, cum nihil possit accidere contra voluntatem Dei efficacem, de hac enim voluntate loquor. Est tamen disparitas, quòd donator donado abdicat à se dominium rei, licèt reuocabiliter, Deus autem, quia supremus, & perfectissimus dominus, donando retinet adhùc dominium illius rei, nunquam enim potest esse licitus vsus illius rei inuito Deo, nam dominium concessum creaturæ est aduersùs alias, non aduersùs Deum; sicut dominium, quod Petrus accipit à Paulo, est aduersùs omnes alias creaturas, non tamen aduersùs Deum, quapropter quemadmodum vna creatura potest constituere aliam dominam verè, & realiter alicuius rei, sed dependenter à Deo, cur Deus non poterit concedere simile dominium cum tali dependentia? hinc vel omne dominium erit à creatura denegandum propter dominium Dei, & consequenter deneganda etiam propria, & vera iustitia in humanis; vel si admittitur in humanis propria iustitia propter ius imperfectum, quod reperitur, non erit in Deo deneganda erga creaturas.

192. Secundò, quicquid acquirit seruus, domino acquirit, quia seruus est aliquid domini; vnde sicut quia equus est aliquid domini, non solùm equus, sed etiam omnes vtilitates ab equo prouenientes sunt ipsius domini, nec solùm vinea, sed etiam fructus vineæ sunt domini, ita non solùm seruus, sed omnes vtilitates, & fructus, vt ita dicam, à seruo prouenientes sunt ipsius domini, sed creatura est essentialiter serua Dei, ergo quicquid acquirit, est ipsius Dei, ergo nequit habere ius aduersùs Deum, quia tale ius esset ipsius Dei, at nequit idem habere ius aduersùs seipsum. Tùm 2. implicat, Religiosum vt sic habere ius aliquod aduersùs Prælatum, & non esse etiam in aliqua minima actione sub obediẽtia Prælati, aut Prælatum cedere iuri suo, vt eximat Religiosum ab obedientia, quia tunc non esset Religiosus; sed creatura, quia est essentialiter serua, & Deus essẽtialiter dominus, multò magis est sub dominio, & obedientia Dei, ergo implicat, Deum cedere proprio iuri, creaturam eximere à diuino dominio, & obedientia, nam sic constitueret Deus creaturam sibi æqualem, saltim in dominio, siue totali, siue partiali in ordine ad rem peculiarem, parùm refert. Tùm 3. implicat, Deum etiam ex pacto fieri seruum creaturæ, ergo implicat, creaturam etiam ex pacto habere ius aliquod aduersùs Deum; antéc. prob. Deus essentialiter est dominus, nec potest habere superiorem, vnde nequit habere virtutem obedientiæ, ergo nequit fieri seruus, nec totaliter in omnibus actionibus, nec partialiter in aliqua peculiari actione, alter non esset perfectissimus dominus, si

ex se

ex se potest fieri seruus; conseq; prob. seruitus vt sic dicit ordinem ad dominium, dominium idem est, ac ius, ergo si in creatura esset ius aduersùs Deum, esset quodq; dominium, ergo in Deo esset seruitus, hæc enim est debitum, seù obligatio ex iustitia. Tùm 4. iustitia ex sua ratione formali dicit imperfectionem, ergo nequit esse in Deo in ordine ad creaturas; antec. prob. iustitia babet vnicuiq; tribuere ius suum, quod non significat dare vtcumq; ius alicui, nam donator dat ius, non tamen exercet actum iustitiæ, sed est sensus, quòd babet seruare illæsum ius vniuscuiusq;, & consequenter supponit ius in alio, & debitum in me seruandi illud ius illæsum, nè sim iniurius illi, quod totum dicit imperfectionem, Deus enim nequit supponere ius in creatura, quod non sit etiam ipsius Dei, nec potest habere debitû, & obligationem ex iustitia, quia hæc est ad seruandum ius alienum, non propriû.

193 Resp. ad 1. distinguendo maiorē, seruus quicquid acquirit aduersùs dominum ex pacto, & voluntate domini (de hoc enim dominio, & iure est sermo in præsenti) est ipsius domini tamquam ab ipso proueniens, quod etiam potest destruere, concedo, est ipsius domini quò ad denominationem, itaut eodem modo denominet seruum, & dominum, nego; etenim vt docet Scotus in 1. d. 17. q. 2. KK. ratio meriti vltimò completiua est ab ipso Deo, consistit enim in acceptatione diuina, non tamen sequitur, denominare Deum merentem, quia meritum est actus potentiæ liberæ, & secundùm inclinationem gratiæ elicitus, acceptus Deo vt præmiabilis beatitudine, & ita mereri est sic agere, Deus autem, quamuis sit dominus, & causa prima, & specialis illius actus, non dicitur sic agere; cum igitur mereri sit acquirere ius ad præmium, sequitur, quòd licèt Deus sit causa, & dominus iuris, & meriti, quia potest actum illum non acceptare, vt meritorium, & consenquenter destruere rationem meriti, & iuris, non denominatur autem mereri, seù habere ius ad præmium, non enim eadem forma eodem modo denominat causam efficientem, & subiectum, quamuis quicquid habeat in se forma, sit ab efficiente causatum. Et quidem hoc argumentum, si concluderet, ostenderet, nullam creaturam esse alteri debitricem, sed solo Deo, nec habere aliquod verum dominium; nam quodlibet ius in creatura repertum est ipsius Dei, ergo debitum esset ad ipsum Deum, quare falsum esset dicere, Paulum debere v.g. centum aureos Petro, quia ius in Petro repertum aduersùs Paulum est ius Dei, ergo debitum Pauli non est ad Petrum, sed ad Deum; neq; Petrus posset dici dominus v.g. equi, sed Deus, qui est dominus illius iuris; cum igitur licèt Deus sit dominus iuris Petri in equum, vel in centum aureos, quatenus tale ius potest destruere, & compellere absq. iniuria Petrum, vt cedat proprio iuri, non ob id tamen virtute huius dominij dicitur dominus equi, nam si tale dominium non esset in Petro, adhùc Deus esset dominus equi; ita quamuis sit dominus iuris Petri aduersùs seipsum Deum, quia potest illud destruere, non idcirco denominabitur dominus præmij, vt sibi ipsi constituatur debitor illius præmij. Solùm ostendit argumentum, non adesse inter seruum, & dominum rigorosam iustitiam, qualis est in creaturis, quia omne ius serui prouenit ex liberalitate Domini, in cuius potestate est illud concedere, & reuocare seruo, vt notat Scotus in 4. d. 46. q. 1. ad 1. & 3. princ.

194 Ad 2. concedimus totum, Deus enim concedendo dominium aliquod creaturæ, non idcirco illam eximit ab obedientia, & subiectione diuina, sed adhùc manet sub perfectissimo Dei dominio, ex liberalitate tamen ipsius Dei opera bona hominis iusti acceptantur vt meritoria de condigno, quibus ex iustitia debetur præmium, quæ liberalitas, licèt minuat rationem iustitiæ rigorosæ, non tamen totaliter aufert rationem iustitiæ, vt dixi num. 182. Ad 3. concedo antec. loquendo de vera seruitute, qua aliquis est ex necessitate obstrictus ad seruiendum alteri, itaut non possit recedere, nec ministeriorum exigere mercedem aliquam, & nego conseq. ad probat. seruitus non dicit ordinem ad quodlibet dominium, & ius, aliter omnis debitor esset seruus, sed ad illud dominium, quo aliquis potest de altero homine disponere ad libitum, tanquam de re propria; quod dominium nequit communicari creaturæ respectu Dei. Ad 4. illa iustitia dicit imperfectionem, quæ supponit in altero ius à mea voluntate independens, nam debitum, quod deinde in me insurgit, est ex necessitate; at quãdo ius præsuppositum est à voluntate tribuentis omninò proueniens, & dependens in fieri, & conseruari, non infert imperfectionem, solùm minuit rationem rigorosæ iustitiæ.

195 Tertiò, quòd non fuerit ex motiuo iustitiæ commutatiuæ, prob. quia ad hanc iustitiam primò requiritur, vt adsit æqualitas dati, & accepti, quod datum, & acceptum secundùm Arist. consistit in pecunia, honore, & salute; secundo, vt semper adsit contrapassum, seù repassio, quæ consistit in hoc, vt ille, qui aliquid reddit ex iustitia, patiatur aliquod incommodum, scilicet priuationem rei redditæ, quæ ex consequenti debet in vtilitatem accipientis redundare, sed istæ conditiones non possunt esse inter Deũ, & hominem; nam in primis non adest æqualitas dati, & accepti, quia Deus plùs retribuit, quàm debeatur creaturæ, & consequenter non æqualiter; nec adest ipsum datum, & acceptum, hoc enim in pecunia, honore, vel salute cõsistit. Deinde non adest contrapassum, quia Deus non potest se priuare dominio alicuius. Tùm 2. inter patrem, & filium, dominum, & seruum non cadit vera iustitia ex 5. Eth. cap. 1. sed creaturæ magis subsunt Deo, quàm seruus domino, ergo &c. Tùm 3. omne opus meritorium esset actus iustitiæ specialis, quod est, omnes virtutes confundere.

196 Resp. ad 1. ex dictis solùm probare, non reperiri rigorosam iustitiam, prout in humanis inuenitur; nam quòd Deus plùs retribuat, solùm colligitur, ait Doctor 4. d. 46. q. 1. ad 1. non esse ęqualitatem simpliciter, adest tamen iustitia, qualis est inter dominum liberalem, & seruum. Nec necessariò materia iustitiæ consistit solùm in illis tribus ex dictis num. 126. Deinde contrapassum solùm in humanis requiritur, in quibus nequeunt duo in eadem re habere dominium in solidum. Ad 2. inter patrem, & filium potest cadere iustitia, quando filius est emancipatus, quia filius tunc censetur habere voluntatem à Patre distinctam, hoc modo se habet homo cum Deo, eoquia posuit Deus hominem in manu cõsilij sui, cõcessitq; liberum arbitrium, iuxtà illud Eccles. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui; apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, bonum, & malũ, quod placuerit ei, dabitur illi*; inter dominum

minum, & seruum potest etiam cadere iustitia, si adsit aliquod pactum liberum ex parte domini, quod sufficiens est ad inducendam obligationem iustitiæ, licèt non rigorosæ.

Ad 3. aliud esse, omnem actum bonum spectare ad virtutem iustitiæ commutatiuæ, aliud esse, omnem actum bonum esse materiam iustitiæ commutatiuæ Dei, primum est falsum, quia vt aliquis actus sit in specie alicuius virtutis, requiritur, vt operans moueatur ad operandum ex motiuo honestatis illius virtutis, iustus autem in suis actionibus meritorijs non semper mouetur ex honestate iustitiæ commutatiuæ, quæ consistit in æqualitate dati, & debiti, sed ex honestate aliarum virtutum; quilibet tamen actus bonus ex gratia elicitus est materia iustitiæ Dei commutatiuæ, quia quilibet est meritorius ex pacto diuino, vnde tali actu acquiritur ius ad vitam æternam acquirendam.

Articulus Quartus.

Ex qua virtute Christus satisfecerit Deo.

197 HÆc quoq; difficultas pendet, sicut præcedens, ex tract. de iustitia Dei, idcirco antequàm propositam quæstionem examinemus, priùs videndū est breuiter, nùm omne peccatum sit iniustitia in Deū strictè sumpta, aut saltim aliquod, vel nullum; deinde, nùm in Deo sit aliquod ius erga hominem ad exigendum aliquid propter peccatum; tertiò, nùm homo post peccatum maneat ex iustitia obligatus ad satisfaciendum; & tandem videbimus de quæsito principali.

Quò ad primum, est vna extrema opinio, quam sustinet Vasq. 1. p. disp. 85. c. 4. & 3. p. disp. 7. pro qua plures recenset Doctores, negans, peccatum aliquod esse iniustitiam propriè sumptam in Deum, eoquia negat omnem iustitiam nostri ad Deum. Alia extrema opinio affirmat, omne peccatum habere annexam malitiam iniustitiæ strictè sumptæ in Deū, estq; cōmunis apud Antiquos; & ex professò sustinet Suarez hic disp. 4 sect. 5. & opusc. de iust. sect. 2. Attamen Hurt. hic disp. 12. sect. 7. & 8. & Lugus disp. 3. sect. 3. media incedunt via, docent enim, aliquando, licèt rarò, peccare hominē peccato iniustitiæ strictæ sumptæ in Deum, quando scilicet per blasphemiam adimimus Deo honorem extrinsecum, vel si Deus vti vellet titulo dominij, & proprietatis, quod erga nos habet, nam tunc peccando vteremur creaturis inuito domino.

198 Dicendum est cum secunda sententia, omne peccatum includere rationem iniustitiæ strictè sumptæ in Deum; ita colligitur ex Scoto sæpè cit. præcipuè in 4. d. 14. q. 2. vbi satisfactionem, & pœnitentiam ad speciem iustitiæ reuocat; & prob. tunc vera iniustitia committitur, quando quis vtitur re aliena inuito domino, peccator peccando vtitur seipso, suis actionibus, cæterisq; creaturis inuito domino Deo, ergo &c. maior patet, minor prob. quia peccatum quodlibet est auersio à Deo, & conuersio ad creaturas, & tunc peccamus, cum fruimur vtendis.

Resp. distinguendo maiorem, inuito domino dominio iurisdictionis, negant, quia vt sic peccatum potiùs est in specie inobedientiæ, dominio proprietatis, concedunt, & tunc ad minorem aiunt, Deum præcipere nobis præcepta, vt est dominus dominio iurisdictionis, & vt supremus legislator, non autem, vt est dominus dominio proprietatis, quamuis etiam possit hoc titulo præcipere; quod explicant exemplo Proregis adducto supra num. 125.

199 Contra, dominium iurisdictionis, & proprietatis in Deo coincidunt, ergo peccatum fit inuito Deo vt domino; antec. prob. dominium iurisdictionis ex dictis ibi est quò ad bonum publicum, & communitatis, quod est iustum simpliciter, dominium proprietatis est quò ad bonum priuatum ipsius domini, quod bonum dicitur iustum secundùm quid, quia est iustum in ordine ad bonum commune, vnde vt notat Scotus 4. d. 46. q. 1. K. in quibusdam casibus iustum est, non seruare leges respicientes aliqua iusta partialia, quando scilicet obseruatio earum vergeret in detrimentum iusti publici, seù benè esse reipublicæ; at respectu Dei nō distinguitur bonum commune à bono particulari, vt notat ibi Scotus, quia bonum ipsius Dei est bonum commune, non communitate aggregationis, sicut in ciuitate, sed communitate eminentis continentiæ, quod est iustum condecens bonitatem suam, omne autem aliud iustum est particulare, secundùm quòd ordinatur, vel conuenit diuinæ bonitati; ergo hæc duo dominia nequeunt in Deo distingui, aliter daretur bonum commune condistinctum à diuina bonitate, quod esset præferendum, sicut bonum publicum præfertur bono priuato.

200 Accedit, quòd tàm intensum est odium, quod Deus habet erga peccatum, vt omnibus modis, & quocunq; titulo est Deo inuoluntarium, & inuisum, ergo quocunq; titulo asserere debemus, prohiberi à Deo, non solum titulo iurisdictionis, sed etiam proprietatis; hinc Deus imponendo præcepta, & prohibendo transgressiones sæpè vtitur illis verbis, *Ego Dominus*, & Deuter. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, vbi non solùm Deus dicitur dominus, sed etiam nos serui dicimur, nostraq; opera seruitia, & seruitus dicuntur, sic etiam Luc. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*; multoties quoq; Christus dominus in Euangelio nostra obsequia, nostrumq; debitum erga Deum explicat exemplo serui erga dominum, at seruus est obligatus tàm titulo iurisdictionis, quàm proprietatis; ita quòq; nostrum debitum Patres explicant, vt Cyrillus in catena apud D. Tho. *Deus petit à nobis famulatum iure seruitutis*; August. serm. 3. de verbis Domini, *O magna bonitas Dei, cuius pro conditione debeamus reddere obsequia, vt serui Domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia Redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit.* Nec valet, quod ait Lugus, seruitutem his in locis sumi largè pro subiectione quacunq; quo sensu subditi dici solent serui Regis. Non valet, quia D. Augst. cit. tàm de subiectione, quàm de seruitute, vt inter se distinctis, mentionem fecit. Tùm quia est voluntariè dictum. Tùm quia peccata sunt Deo inuoluntaria, etiam vt dominus est dominio proprietatis, ergo etiam hoc titulo dicetur prohibere peccata. Nec exemplum adductum num. 125. de Prorege præcipiente, nè aliquis vagetur noctu, sub quo comprehendi intelligitur seruus titulo iurisdictionis, aliquid iuuat; nam cum præceptum illud sit commune

communuo seruo, cæterisq; subditis, vtiq; præsumi poterit; Proregem solo titulo iurisdictionis in præcipiendo vti; cæterum si esset aliquod oppidum à solis seruis Proregis habitatum, & illi Communitati Prorex imponeret aliquod præceptum, potiùs præsumi debebit, Proregem vtroq; titulo vti, quàm iurisdictionis tantùm; ita se habet Deus erga mundum, qui ab hominibus seruis, & mancipijs ipsius Dei incolitur, nec aliquis reperitur, qui solo titulo iurisdictionis sit obligatus, & non teneatur titulo proprietatis, à quo dominio nec vllam creaturam potest Deus eximere.

201 Secundò, principaliter prob. conclusio; ablatio honoris, & inhonoratio est actus iniustitiæ strictæ in creatis, ergo etiam in peccatore erga Deum; antec. patet, quia honor est bonum æstimatione dignum, estq; res aliena, ergo quandocunq; læditur inuito domino, cómittitur iniustitia; conseq; prob. quia quodlibet peccatum est inhonoratio Dei ex D. Paulo ad Rom. 2. vbi loquens aduersus hypocritam, ait, *Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras?* quod argumentum vrget, siuè Deus exigat à nobis opera nostra bona titulo iurisdictionis tantùm, vel etiam titulo proprietatis.

202 Resp. Lugus, peccatũ mortale dupliciter posse committi, vel ex fragilitate, vel ex contemptu; primo modo nõ habet rationem iniuriæ strictæ, quia nõ continet signum aliquod interni contemptus, aut existimationis nostræ de vilitate Dei; Secundo modo potest adhùc dupliciter euenire, vel cum interno contẽptu, & in hoc sensu potest admitti, habere rationem iniuriæ, secundò cum solo externo contemptu, quo pacto, quia re vera peccator internè honorificentissimè sentit de Deo, est insufficiens ad contrahendã rationem iniuriæ. Contra; ad contrahendam malitiam non requiritur per se intentio, & volitio formalis, sed sufficit interpretatiua, qua ratione præuidens ex ictu lapidis secuturũ homicidium, si occidit, cõtrahit malitiã homicidij, quamuis non fuerit homicidiũ per se intentũ, ergo licèt peccator peccando nõ habeat formalem cõtẽptum Dei, quia tamen habet interpretatiuũ, eandẽ speciẽ malitiã contrahit, ac si formaliter, & expressè contemneret Deum, sed supposito formali cõtemptu contrahit rationem iniuriæ strictè, ergo &c.

203 Contra instatur, ad contrahendam malitiam propriæ iniustitiæ primò requiritur, vt peccatum sit contra Deum exigẽtem opus titulo dominij proprietatis; secundò, vt talis circumstautia cognoscatur à peccatore; & tandem quòd peccator possit lædere, & inferre damna in ipsum Deum, nam iustitia seruat æqualitatem inter commoda, & incommoda, & vitat damna domini; nulla ex his conditionibus reperitur inter nos, & Deum; non prima, quia Deus, quamuis habeat erga nos dominiũ proprietatis, non tamen vtitur illo, quia nobis non exprimit, & in dubio non debemus præsumere; tùm quia omnia præcepta sunt imposita per modum legis naturalis, vel positiuæ, lex autem vt lex procedit à dominio iurisdictionis. Neq; secunda, quia hæc circũstantia à plerisq; ignoratur, & à pluribus probabiliter negatur, & cõsequẽter ab istis saltim nõ contraheretur hæc malitia. Neq; tertia, quia Deus à nostris peccatis nihil potest pati, & incõmoda recipere, iuxtà illud Iob. 22. *Quid prodest Deo, si iustus fueris, aut quid ei confert, si fuerit immaculata vita tua?*

204 Resp. neg. min. & ad probat. primæ partis, negatur assumptum, vt enim est ostensum tàm ex Scripturis, quàm ex Patribus, Deus à nobis exigit opera bona etiam titulo proprietatis; & quamuis lex in humanis procedat præcipuè à potestate iurisdictionis; in Deo tamen supremo legislatore etiam procedit à potestate proprietatis, tanquam à radice, è qua prouenit potestas iurisdictionis diuinæ, & consequenter à peccatore vtrumque dominium violatur. Ad probat. secundæ partis, concedo, in illis casibus non contrahi malitiam iniustitiæ, hoc tamen est de per accidens, sicut ignorans inuincibiliter malitiam homicidij, occidendo non contrahit talem malitiam, sed de per accidens, per se tamen omne peccatum est iniustitia in Deum. Ad probat. tertiæ partis respondeo, per peccatum non lædi intrinsecè Deum, sicut neque per bona opera acquirit Deus aliquod intrinsecum vtile, & commodum, quo sensu explicatur authoritas adducta; lędi tamen quò ad gloriam extrinsecam, quæ in se est aliquod æstimabile, & à Deo expetitur; & si valeret argumentum, concluderet etiam, in nobis erga Deum non esse amicitiã, neq; gratitudinem, neq; charitatem, quia hæc omnia respiciunt, vt in humanis reperiuntur, bona, & commoda amicorum.

205 Secundò, peccata committuntur Deo sciente, volente, & potente impedire, sed non impediente, ergo non inferunt Deo iniuriam; antec. patet, quia Deus est omniscieńs, & omnipotens, itaùt nihil possit contingere contra eius voluntatem; conseq. prob. ex illo communi adagio, *Scienti, & volenti nulla fit iniuria.* Tùm 2. qui patitur iniuriam, impeditur quò ad vsum proprij iuris, Deus ab homine nequit impediri, aliter non esset perfectissimus dominus, ergo &c. Tùm 3. si peccator peccando committeret iniuriam, ergo teneretur statim pœnitere, & Deo satisfacere, quòd est falsum; seq. prob. quia post furtũ statim fur est ad restitutionẽ obligatus, quia cõmittit iniustitiã.

206 Resp. ad 1. ex tract. de peccatis, peccata esse Deo inuoluntaria, quia illa odio habet, & quantùm est de se tribuit auxilia sufficientissima, & necessaria, nè perpetrentur; quòd si committuntur ab hominibus, est præter Dei voluntatem, & licèt voluntariè præbeat concursum, hæc tamen voluntas nõ est absoluta, & antecedens, sed solùm dicitur permissio, & voluntas consequens, quatenùs prouenit ex determinatione manutentionis nostri liberi arbitrij; quapropter Deus ex se impedit sufficientissimè peccata, quòd si eueniunt, prouenit ex hominum malitia; nego igitur, peccata esse Deo absolutè volita; cum dicitur, nihil posse contra Dei voluntatem aduenire, verum est de voluntate absoluta efficaci, qua voluntate Deus non dicitur nolle peccata, falsum de voluntate sufficienti; similiter adagium illud est verum, si ille, cui fit iniuria, non habet inuoluntarium admixtũ, ratione cuius vsurarius tenetur ad restitutionẽ, quia accipiens ad vsuram habet inuoluntarium mixtũ; similiter potens impedire furtum rei propriæ, sed ob aliquem iustum finem non impediens, patitur iniuriam, quia nõ habet voluntarium purũ circa talem actionem. Ad 2. Deus nequit impediri quò ad vsum creaturarum simpliciter, & absolutè, at ex suppositione, & in sensu cõposito, quòd velit cõseruare nostram libertatẽ, potest dici impediri aliquo modo, nõ tñ sequitur, nõ esse perfectissimũ dominũ, quia hoc impedimentũ prouenit ex conseruatione nostri dominij, quæ etiam est vsus dominij diuini; Ad 3. patebit ex solutione tertij dubij.

207 Quò ad secũdũ, an post peccatũ maneat in Deo aliquod ius erga hominem; breuiter dico, duplex ius quãdoq; acquirere Deũ rõne peccati in hominẽ, vnũ

spectans ad iustitiam commutatiuam, alterum ad punitiuam; sicut enim in humanis lædens honorem alicuius tenetur ad restitutionem ex iustitia commutatiua ratione damni illati, at ratione offensæ, & iniuriæ tenetur adhùc ad sustinendam mulctam à iudice impositam, & ad satisfactionem, nam iudex potestatem habet coercendi, & puniendi quodlibet patratum delictum; pariformiter in Deo, qui est supremus iudex, reperitur aliquando duplex ius, scilicet vnum spectans ad iustitiam commutatiuam, quando scilicet ex peccato blasphemiæ relictum fuit damnum aliquod in diuino honore, vt aliquis v.g. putaret, Deum esse crudelem, iniustum, &c. tunc enim Deus habet ius, vt restituatur ei honori alterum pertinet ad iustitiam punitiuam propter offensam illatam, cui peccator debet satisfacere, vel eliciendo actum contritionis, vel aliquem alium cõsimilem in pœnam peccati commissi.

208 Quò ad Tertium, Lugus disp. 3. sect. 3. quamuis sustineat, dari posse aliquod peccatum ex iniustitia in Deum, negat tamen, ex tali peccato, aut ex alio oriri in homine obligationem ex iustitia ad satisfaciendum Deo pro illo peccato.

Consequenter tamen ad dicta dicendum est, peccãtem vniuersaliter ex quolibet peccato manere obligatum ex iustitia ad satisfaciendũ Deo pro illata iniuria, & si ex peccato relicta fuit infamia de diuino honore, teneri etiam ad restitutionem. Prima pars patet, quia iustitia obligat ad seruandum vnicuiq; ius suum, & si ius in aliquo est ex nostra iniuria contractum, obligat nos ad satisfactionem, sed Deus ex peccato habet ius in hominem ad exigendam satisfactionem, ergo in homine est obligatio ad compensandam per satisfactionem iniuriam in Deum ex iustitia. Quod ait Lugus sect. 8. in peccatore solùm esse debitum quoddam passiuum sustinendi pœnam; non tamen obligationem aliquam ex iustitia ad exhibẽdam satisfactionem, parùm refert, est enim lis ferè de nomine, quia tale debitum passiuum est quædam obligatio; tùm quia in præsenti vita tenemur ad pœnitentiam pro peccatis cõmissis, *facite fructus dignos pœnitentiæ*, quod sæpissimè est replicatum in sacra Scriptura, ergo non est debitum passiuum solùm, sed etiam actiuum, itaut pœnitens exerceat vt minister iudicis diuini actum iustitiæ punitiuæ in seipsum, vt docet Scotus 4. d. 14. q. 2. Secunda pars etiam patet ex hoc, quòd in humanis idem contingit; quod clariùs apparebit ex solutione obiectionum.

209 Contra, si post peccatum peccator teneretur ex iustitia, vel esset obligatus ad reddendum idem numero, quod abstulit, vel æquiualens, primum est impossibile; secundum tunc adest, quando creditor ex illata iniuria minùs habet in bonis, quàm priùs, quod tamen ex se nequit recuperare, vnde si Petrus haberet curam totius substantiæ Pauli, à quo damnũ centum aureorum accepit, potest faciliter sibi recuperare, & si negligit, non tenetur Paulus ad restitutionem, quia talis negligentia videtur tacitus quidam consensus cedendi proprio iuri; tùm quia propter facilitatem recuperandi iam illi nummi moraliter censentur esse in bonis Petri; sed Deus potest faciliter recuperare gloriam extrinsecam, quam per peccatum amisit mouendo meam voluntatem per efficacia auxilia ad actus contritionis, & pœnitentiæ, ergo &c.

210 Resp. si valeret, iam nullum peccatum violaret gloriam diuinam, nullum quòq; esset iniustitia, nullaq; obligatio in nobis, quia si redintegratio non obligat, quia facillimè potest à Deo obtineri, etiam elicitio actus præcepti non obligaret ex iustitia, & cõsequenter omissio non esset actus iniustitiæ, quia per auxilia efficacia poterat Deus obtinere actum præceptum; quapropter nego min. quò ad 2. partem, & ad probationem respondeo, obligationem in nobis oriri tàm ex collatione auxilij efficacis, quàm sufficiẽtis, ideoq; potest Deus à nobis exigere satisfactionem cum solo auxilio sufficiẽti; nec exemplum est aptum, quia quòd recompensatio non fuerit facta, prouenit totaliter ex Petri negligentia; at quòd satisfactio per pœnitentiam non fiat, non prouenit ex Deo, quia dat sufficientissima auxilia, sed ex obstinatione peccatoris; præterquamquod assumptum in exemplo est falsum, quia nullus creditor propria authoritate debet accipere, quod sibi debetur, nisi in casu necessitatis; & debitor saltim est obligatus ad consentiendum illi recuperationi factæ à Petro.

211 Secundò, non possumus Deo reddere æquiualens pro illata iniuria, ergo nulla obligatio remanet ex iustitia post peccatum, antec. patet, quia ex nobis nõ possumus condignè satisfacere; conseq. prob. quia non datur obligatio ad impossibile. Tum 2. iustitia obligat ad satisfactionem, cum primùm possumus, vt patet in restitutione, nõ tenemur autem statim post peccatum ad satisfactionem, vt communis opinio docet in tract. de pœnit. ergo nõ est obligatio ex iustitia.

Resp. verum esse, de potẽtia ordinaria nõ posse nos reddere Deo æquiualens; suppositis tamen gratia, & auxiliis supernaturalibus, falsum esse, non posse nos reddere æquiualens, aut saltim non posse nos disponi cum auxilio supernaturali ad recipiẽdam gratiam, & ad hanc dispositionem Deus habebit ius ratione peccati; solùm sequitur, nostram satisfactionem non esse iustitiam rigorosam, quia supponit gratiam creditoris, quod vltrò cõcedimus. Ad 2. tunc ex iustitia obligamus, cum statim possumus, quãdo ex nostris actionibus relinquitur aliquod damnum in proximo, vt patet in restitutione famæ, aut pecuniæ, quando tamen non adest tale damnum, sed solùm ratio offensæ, & iniuriæ, nec adest tale præceptum; hinc si ex mea detractione honor Petri non mansit læsus, eòquia nemo credidit meam detractionem, non obligor ex iustitia ad restitutionem, maneo tamen obligatus ratione iniuriæ ex iustitia ad satisfactionem, nõ tamen statim ac possum, ratione huius præcepti; idem paripassu in proposito dicendum.

212 Instat Lugus nu. 66. non maius nocumentum accipit Deus ex ablatione honoris, quàm ex dilatione satisfactionis, vtraq; enim dicit priuationem gloriæ extrinsecæ, ergo si ablatio est iniusta, etiam dilatio satisfactionis, ergo vel statim obligabitur homo ad satisfaciendum, vel ablatio non fuit iniustitia strictè sumpta. Resp. concedendo antec. cum prima cõseq. sed nego aliam cõseq. cum enim ex simplici peccato nullum re vera secutum fuerit nocumentum in bonis Dei, sed sola ratio iniuriæ, hinc oritur obligatio ex iustitia punitiua, non ex iustitia simplici commutatiua, inter quas hæc est differentia, quòd secunda statim inducitur, non verò prima; sed de hoc latiùs in tract. de pœnit.

213 His præmissis, facile erit quæsitum principale dissoluere; & primò falsum est, quod docet Vasq. disp. 7. cap. 6. Christum non satisfecisse ex motiuo peculiaris virtutis, sed omnium, quas exercebat, eò quia nos quòq; apud Deum meremur, non ex motiuo

peculiaris

peculiaris virtutis, sed variarum, iuxta varias materias, circa quas operamur. Falsum est, quia etiam nos satisfacimus Deo ex peculiari virtute pœnitentiæ, non quòd alias exercendo virtutes non mereamur, quia omne opus bonum ex gratia factum est meritorium de condigno, etiam si non habeamus expressum motiuum virtutis pœnitentiæ, sed solùm, quòd sicut in nobis datur peculiaris virtus, ita potuit esse in Christo, & de facto fuit, nam Christus venit in carne passibili ex hoc motiuo redimendi humanum genus, & satisfaciendi pro peccatis hominum.

214 Hæc autem specialis virtus non nisi ad genus virtutis iustitiæ ex quatuor cardinalibus reduci potest vt docet Scotus in 3. d.19. & 20. & 4. d. 15. q. 1. art.2. vnde in sacra Scriptura Christus dicitur fuisse nostra iustitia; Isa. 10. *Consumatio abbreuiata inundabit iustitiam*; 1. Corint. c. 1. *factus est pro nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio*; idem habetur in Concil. Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali, & sess.6. in decreto de iustificat. D. etiam Augustinus in Enchir. c. 94. & 13. de Trin. c.13. & 14. sæpè docet, diabolum non potestate Dei, sed iustitia Christi fuisse superatum. Ratione etiam ostenditur, quia hæc virtus est ad alterum, inclinat enim ad seruandam æqualitatem inter ius diuinum, & creaturam, ergò reducitur ad genus iustitiæ; hinc Doctor 4. d. 14. q. 2. satisfactionem nostram reducit hoc discursu ad genus iustitiæ.

215 Deinde inter species iustitiæ, non nisi ad commutatiuam reduci potest, ita colligitur ex Scoto cit. quem inter alios sequuntur Hurt. disp. 12. in fine, & Ragusa disp. 20. & probatur primò ex Scriptura, 1. Corinth.6. *Empti enim estis pretio magno*, Psal.129. *Copiosa apud eum redemptio*, emptio autem, & redemptio sunt actus commutatiuæ iustitiæ; & Psal.88. *Quod exprobauerunt inimici tui Domine, exprobauerunt commutationem Christi tui*; vbi D. Aug. vult, sermonem ibi esse de Iudæis exprobantibus Christi passionem; & Iacobus de Val. ibidem ait, *Exprobauerunt, idest irriserunt commutationem Christi sui, idest mortem, & passionem, quia mors, & passio fuit pretium, & commutatio, quo Christus commutauit, & redemit*. Accedit ratio, quia species iustitiæ sunt distributiua, & commutatiua, prima est in legislatore distribuente bona Communitatis secundùm dignitatem personarum, & hæc quamuis potuerit à Deo exerceri cum Christo, quatenùs ratione dignitatis personæ diuinæ concessit suprema dona, attamen non refert ad præsentem difficultatem, quia loquimur de iustitia Christi ad Deū, & de meritis ipsius, vt sunt pretium nostræ redemptionis, sub qua formalitate non spectant ad iustitiam distributiuam, ergo ad commutatiuam.

216 Inter species verò huius iustitiæ commutatiuæ videtur reduci ad punitiuam, non quidem ratione proprij delicti, sub qua ratione in nobis hæc virtus vocatur pœnitentia, quæ est detestatio proprij delicti, sed ratione delicti aliorum propter fideiussionem, & vadimonium, quod pro nobis spopondit Deo; vnde non rectè quidam docent, virtutem hanc in Christo esse eiusdem rationis cum nostra pœnitentia ex hoc, quòd detestatio proprij, vel alieni delicti sit materialis differentia, non formalis, & per consequens non sufficiens ad inducendam specificam differentiam inter detestationem proprij, & detestationem alieni delicti. Etenim hoc, quòd est detestare proprium delictum, est obiectum formale nostræ pœnitentiæ, non enim detestamur peccatum vt sic, sed præcipue vt à nobis perpetratum, itaut deriuatio ipsa peccati à nobis est obiectum formale nostræ pœnitentiæ, ergo hæc virtus non fuit in Christo, in quo nullum adfuit peccatum; ergo fuit alterius rationis à nostra iustitia; præterquamquòd habuit alias conditiones, quæ in nostra satisfactione minimè reperiuntur, fuit enim ad æqualitatem, & radix omnis nostræ satisfactionis.

217 Ex his sequitur etiam, satisfactionem Christi non fuisse actum virtutis obedientiæ (non nego hanc virtutem in Christo, sed tantùm satisfactionem vt sic non spectare ad hanc virtutem) quia obedientia inclinat ad eliciẽdum actum vt præceptum à Superiore, satisfactio verò de sua ratione formali præscindit à præcepto Superioris, & solùm respicit compensationem pro delictis; Neq; fuisse actum Religionis, quia religio tanquam proprium finem respicit cultum Deo debitum, quæ virtus potest etiam in peccato mortali exerceri; quamuis ex his virtutibus etiam Christus sit mortem, & passionem amplexus; Nec circa hoc est ampliùs immorandum, quia laberemur in quæstiones de nomine.

Quæstio Sexta.

An potuerit pura creatura Deo satisfacere de condigno pro genere humano.

218 HÆc quæstio maximam difficultatem habet apud D. Thomam, vnde Recentiores valde laborant, vt assignent rationem impotentiæ, quam astruunt esse in pura creatura; in nostra verò Schola parùm difficultatis habet, solutio enim pendet ex dictis de merito disp. præced. q. 1. & in hac disp. q. 1. de finitate simpliciter peccati, etiam in ratione offensæ.

Primò igitur certum est, potuisse Deum de potentia absoluta vnum purum hominem constituere tanquam caput omnium, quo merente, & satisfaciente, omnes in illo satisfacerent, & per illum mererentur, sicut potuit omnes hominum voluntates in Adam moraliter collocare, itaut illo peccante, omnes peccare censerentur, non enim videtur maior ratio de vno, quàm de altero. Secundò certum est, talem hominem nõ potuisse satisfacere de toto rigore iustitiæ, quia rationes in præced. quæst. art. 2. adductæ, æque, imò magis de satisfactione puri hominis concludunt, quàm de Christi satisfactione.

219 Solùm potest esse dubium, an ista satisfactio fuisset perfecta quò ad æqualitatem, sicut fuit perfecta satisfactio Christi. Sed neq; de hoc dubitari potest in nostris principijs; quia supposito, quòd tota, vel saltim principalis ratio meriti proueniat ex acceptatione diuina, & quòd nullum opus ex propria natura in ordine ad Deum habet condignitatem, sed tantùm cõgruitatem respectu præmij diuini, non videtur implicantia, quòd potuisset Deus acceptare opera puri hominis pro infinitis, sicut opera Christi Domini acceptauit; solùm esset discrimen illius congruentiæ assignatæ quæst. 4. quæ scilicet desumitur à supposito diuino, hinc talis satisfactio esset redditio æquiualentis pro æquiualenti, non ex natura rei, sed ex diuina liberalitate, & consequenter esset satisfactio de condigno, licèt non de rigore iustitiæ; ita Scotus 3. d.20. & in 4. d. 15. q. 1. art. 2.

220 Contra hanc doctrinam arguitur primò authoritatibus; Iob. c.9. *Verè scio, quòd ita sit, & quòd non*

nō iustificetur homo cōpositus Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille; & omnibus illis authoritatibus, quibus ostenditur, hominem gratis à Deo iustificari, item authoritatibus Sanctorum Patrum dicentium, ad perfectam Christi satisfactionem fuisse necessariam Christi incarnationem, quod præcipuè docuit D. Ansel. lib. *cur Deus homo*, & Leo Papa serm. 1. de Natiuit. Dom. habet, *Si non esset verus homo, non præberet exemplum, si non esset verus Deus, non afferret remedium*. Tùm quia per peccatum Adæ tota natura humana fuit corrupta, & quodlibet opus puri hominis fuisset opus particulare, ergo non poterat æquiualere damno per peccatum illato, quod fuit commune. Tùm 3. peccatum est infinitæ malitiæ, vel saltim crescit secundùm proportionem ex dignitate personæ offensæ, vt dictum est quæst. 1. sicut satisfactio eodem modo crescit ex dignitate personæ satisfacientis, ergo satisfactio puræ creaturæ, quia non haberet illum valorem ex dignitate personæ Verbi desumptum, non potest ad æqualitatem pro peccato satisfacere, saltum quò ad maioritatem offensæ ex dignitate personæ, cui fit, desumptam, quod non euenit in Christi satisfactione, quæ compensat iniuriam æqualiter, quia sicut persona, cui fit offensa, est infinita, ita quæ satisfacit, est quoque infinita.

221 *Resp.* faciliter, authoritates illas intelligi de potentia ordinaria Dei, non absoluta, licèt D. Ansel. fit potiùs oppositæ sententiæ, imò quòd nullo modo potuerit redimi natura humana, nisi per Christi mortem, vt vidimus quæst. 3. quæ opinio ab omnibus derelinquitur. Ad 2. neg. min. supposita Dei potentia, quia tunc potuisset ille homo tanquam caput omnium pro omnibus satisfacere, sicut ex natura rei neq; Adæ peccatum fuit malum commune, nisi ex diuina ordinatione. Ad 3. solùm concludere, in ista satisfactione non fore illam congruitatem ex parte suppositi, quod concedimus, tamen quia totus valor proueniret ex diuina acceptatione, potuisset Deus plùs diligere illa bona opera, quàm totius mundi peccata.

222 Secundò sunt rationes D. Anselmi à Scoto in 3. cit. adductæ; nullus satisfacit pro peccato hominis, nisi reddat aliquid maius eo, pro quo peccare non debuerat, sed pro omni eo, quod est citra Deum, vel esse potest, non debuit peccare, ergo non potuit satisfacere, nisi redderet Deo aliquid maius omni creatura possibili, quod non posset facere purus homo. Tùm 2. totum, quod potest facere pura creatura, est Deo multis titulis debitum, ergo non posset per istud satisfacere. Tùm 3. homo nequit satisfacere, nisi reddat Deo totum, quod abstulit per peccatum, sed abstulit Deo, quicquid Deus de natura humana facere disposuerat, scilicet de omnibus iustis facere numerum electorum, ergo homo satisfaciens debebat hoc reddere, quod tamen facere non posset homo peccator, quia peccator nequit peccatorem iustificare; neq; innocens, quia tunc non fuisset homo restitutus ad pristinam dignitatem, vt soli Deo seruiret, sed fuisset illi homini obligatus ferè tantùm pro redemptione, quantùm Deo pro creatione, quod implicat, ergo necessariò satisfactio fieri debuit à Deo homine, non à puro homine.

223 Resp. neg. maiorem de potentia absoluta, quia sufficit ad satisfaciendum, quòd offeratur Deo maius bonum, quàm fuerit peccatum hominis, itaut sicut peccator per peccatum attingit obiectum ignobilius in infinitùm, quàm sit Deus, scilicet creaturam, sic satisfaciēs per actum satisfactionis attingat obiectum maius in infinitum quamcumq; creaturam excedens, qualis est Deus, qui actus potuit à Deo tanquam de condigno satisfactorius acceptari. Ad 2. patet ex dictis, scilicet concludere etiam de Christi satisfactione, & de iustitia rigorosa, prout gratiam, & misericordiam creditoris excludit, nam licèt Deo propter suam maximam perfectionem, quicquid sumus, & possumus, teneamur, tamen ex maxima sua misericordia considerans nostram fragilitatem, & difficultatem ad bonum, noluit nos obligare regulariter, nisi ad decalogum, idem potuisset facere cum illo homine, solùm scilicet ad decalogum obligare, & tunc per opera supererogationis (ad quæ non obligamus ex diuina liberalitate, licèt sint Deo debita ex se) potuisset satisfacere pro peccatis, quo pacto esset ex indebitis, non simpliciter, sed ex Dei liberalitate. Ad 3. nego min. subillatam, tàm de homine peccatore, quia ex dispositione diuina potuisset Adam per aliquod bonū opus satisfacere post peccatum, sicut per peccatum offendit; cum dicitur, peccator non potest peccatorem iustificare, verum est, vt peccator est, falsum, vt pœnitens de tali peccato, nam vt sic potest alteri mereri primam gratiam de cōdigno de potentia Dei. Nego etiam min. de homine innocente, ad probat. nego assumptum, quia tota obligatio esset Deo, simpliciter loquendo, quatenùs voluisset illa opera acceptare pro nobis; non negatur tamen, quin multùm illi teneremur, non tamen æqualiter ac Deo, à quo bona cuncta procedunt.

Disputatio Octaua.

De Prædestinatione Christi.

Explicando causam finalem incarnationis, & motiuum diuinæ voluntatis in præced. disp. quæst. 2. obiter de Christi prædestinatione sermonem fecimus, in quo signo scilicet fuerit incarnatio à Deo determinata, & quibus conditionibus, idcircò præsentem disputationem de Christi prædestinatione subnectimus, vt exactam cognitionem habeamus, de qua primò quæremus modos loquendi de ipsa, explicando quasdam propositiones, quæ solent à Doctoribus formari de ipsa prædestinatione, deinde quo pacto Christi prædestinatio sit causa nostræ prædestinationis.

Quæstio Prima.

Quædam propositiones de prædestinatione Christi examinantur.

1 Primò dubitari potest, an ista propositio, *Christus est prædestinatus*, sit vera. Centinus noster disp. 10. c. 9. negat; communis Recentiorum opinio affirmat, & ex nostris sequitur P. Faber in 3. disp. 19. c. 1. in fine.

Breuiter tamen dico, quòd cum prædestinatio sit decretum quoddam diuinæ voluntatis, dupliciter sumi potest, vel pro decreto pertinente ad rem ordinis naturalis, quo pacto omnia entia naturalia dici possēt prædestinata, quatenùs ab æterno Deus decreuit illa producere; & hæc acceptio est nimis impropria; secundò

cundò sumitur propriè, pro decreto spectante ad rem ordinis supernaturalis; & hoc dupliciter, vel pro decreto, quo res supernaturalis absolutè decernitur esse, vel secundò pro decreto, quo vna res ad aliam ordinis supernaturalis dirigitur, & destinatur, & hæc aceptio est proprijssima, vnde Doctor 3. d.7. q.3. A. ait, prædestinationem esse præordinationem alicuius ad gloriam, & ad alia in ordine ad gloriam, quod decretum duo includit, rem directā, quæ dicitur obiectum prædestinationis, & rem, ad quam obiectum dirigitur, & dicitur terminus, qui in actu absoluto non reperitur, sed solùm adest obiectum; ex quo sequitur, obiectum aliquo modo debere à termino distingui, nam nequit idem dirigi ad seipsum.

2 Ex his patet, Christum dici posse absolutè prædestinatum, sumendo prædestinationem pro actu absoluto diuinæ voluntatis, quo Deus ab æterno decreuit, Christum futurum; quod prob. ex 1. ad Corint. 2. vbi loquens Apostolus de Christo ait, *Loquimur Dei sapientiam, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram*; Concil. Tolet. 11. *Per hoc, quòd de Maria Virgine natus est, & prædestinatus esse credendus est*; & D. Aug. tract. 105. in Ioan. explicans dictum Pauli, *Prædestinatus est Filius Dei*, inquit, *Illud enim prædestinatum, vt sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat, vt fieret*. Nec valet, quod ait Centinus, hæc omnia intelligi de Christo vt homine, non de Christo absolutè. Non valet, quia quod conuenit supposito Christi ratione alicuius naturæ, conuenit Christo simpliciter, vt patet de morte, passione, resurrectione, &c. ergo etiam prædestinatum esse. Tùm quia Christus est vnum ens supernaturale resultās ex vnione humanitatis cū Verbo ex dictis disp.2. q. 3. ergo vt sic potest dici prædestinatus hac prædestinatione; prob. conseq. quia ex opposito antecedentis ipse deducit oppositum consequētis.

3 Dices, subsistere in duabus naturis pertinet ad constitutionem Christi, at quæ constituunt intrinsecè rem, non cadunt sub prædestinatione, aliter Antichristus dici potest prædestinatus, eoquia erit, ergo &c. Tùm 2. prædestinatio respicit personam, sed persona Christi nequit dici prædestinata, ergo &c. Tùm 3. sequeretur, posse rectè dici, *Verbum est prædestinatum*, saltim per communicationem idiomatum, quod tamen est falsum. Tùm 4. Christus absolutè neq; incepit esse, neque dici potest absolutè creatura, ergo neq; dici absolutè prædestinatus.

4 Resp. ad 1. min. esse veram de prædestinatione proprijssimè sumpta, quæ cum sit ad aliud ordinatio, præsupponit obiectum iam constitutum in esse, non autem esse veram de prædestinatione pro actu absoluto; nec sequitur ex hoc, Antichristum dici posse prędestinatum, quia non est ens supernaturale. Ad 2. negat Scotus maiorem, quia etiam natura dici potest prædestinata, vt infra; deinde distinguo min. persona Christi vt subsistens in natura diuina nequit dici prædestinata, concedo, vt subsistit in duabus naturis, nego, quia hoc totum fuit in tempore, non ab æterno, & consequenter potuit dici ab ęterno prædestinatum, & decretatum à Deo. Ad 3. nego seq. quia idiomatum communicatio debet fieri in terminis concernētibus vnionem hypostaticam ex disp.5. num. 2. modò cum dicitur, *Christus est prædestinatus ad esse*, est vera propositio, quia tale esse non est esse simpliciter diuinum, sed esse subsistens in duabus naturis, at cum dicitur, *Verbum est prædestinatum ad esse*, intelligitur de esse diuino, ideoq; est falsa propositio. Vel concedo seq. & nego falsitatem, iuxta dicta disp. 5. num. 86. vbi concessi hanc propositionem, *Verbum incæpit esse*, secundùm idiomatum communicationem. Ad 4. neg. assumptum, vt ostendi disp. cit. q.4. art. 2.

5 Instabis, si Christus ratione humanitatis dicitur prædestinatus, ergo non debet simpliciter, & absolutè dici prædestinatus, sed cum addito diminuente, scilicet secundùm humanitatem. Resp. primò, Christum hac prædestinatione dici prædestinatum, non ratione humanitatis, sed ratione illius esse totius, quod de sua ratione formali dicit, quod inadæquatè est à Verbo, & humanitate distinctum, vt dixi disp. 2. cit. Deinde nego conseq. nam quādo prædicatum natum est conuenire secundùm totum, & secundùm partem, non determinat subiectum absolutè, neq; sic de eo prædicatur, si inest secundùm partem tantùm; v.g. Aethiops est albus secundùm dentes, ergo est albus, non sequitur, quia albedo nata est conuenire, nēdum dentibus, sed etiam alijs partibus corporis, at quando prædicatum natum est conuenire subiecto secundùm partē tantùm, tunc prædicatur de eo simpliciter, & absolutè, vt Franciscus, qui est crispus secundùm capillos tantùm, simpliciter dicitur crispus, quia prædicatum nō potest conuenire subiecto, nisi secundùm partem; sic prædestinatio, estò non possit conuenire Christo, nisi secundùm humanitatem, tamen absolutè potest dici de Christo, præcipuè quia humanitas non est minima pars constituens Christum.

6 Ex his sequitur etiam, hanc propositionem esse veram, *Christus secundùm quòd homo est prædestinatus*, sic enim absolutè prolata non habet difficultatem specialem præter adductas, & quas adducemus explicando alias propositiones.

7 Secundò dubitatur de humanitate, an possit dici, *humanitas est prædestinata ad gratiam, & gloriam, humanitas est prædestinata ad vnionem hypostaticam*; primam propositionem negant Thomistæ, sequuntur Suarez disp. 50. sect. 4. Lugus disp. 32. sect. 3. at Scotus illam approbat in 3. d. 7. q. 3. sequitur Vasq. disp.90. c.4. Bernal disp.67. sect.2. Auersa q.24. sect. 1. Secundam propositionem quoque respuunt vt falsam Thomistæ, ex opposito Scotus illam amplectitur vt veram, estq; communis opinio apud Recentiores.

8 Et quidem prima prob. à Scoto, nam licèt non possit humanitas Christi dici simplici, & absoluta prædestinatione ordinata ad existēdum, quia in se spectata est ordinis naturalis, attamen verè dici potest prædestinata prædestinatione respiciente terminum, scilicet gratiam, & gloriam, eoquia sicut Deus potest omne bonum aliud à se diligere, non tantùm suppositum, sed etiam naturam, ita potest alij à se præordinare, vel præoptare bonum illi conueniens, sed gratia, & gloria sunt bona cōueniētia humanitati Christi, ergo potuit Deus humanitati præordinare, & præoptare gloriam, & gratiam; min. prob. quia immediatum subiectum receptiuum gratiæ, & gloriæ non est suppositum, sed ipsa humanitas, seù anima Christi, ergo sunt bona conuenientia humanitati. Eodem modo probatur secunda propositio, præcipuè quia humanitas fuit extremum receptiuum vnionis, fuit verè, & realiter Verbo vnita, ergo fuit à Deo præordinata ad hanc vnionem; hinc D. Aug. de prædest. Sanct. c.15. ait, *Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta subuectio, vt quò attolleretur, altiùs non haberet*.

Contra

9 Contra primam propositionem est commune argumentum, quòd scilicet prædestinatio ad gloriam est suppositi, non naturæ, eoquia actiones sunt suppositorum. Scotus autem negat assumptum, quia prædestinatio est quòq; naturæ; nec est verum, actiones esse suppositorum, nisi in sensu sæpè explicato, scilicet secundùm vltimam denominationem; & præcipuè hoc dicendum de operationibus immanentibus; quarum principium elicitiuum debet simul esse receptiuum.

10 Tertiò dubitatur, nùm humanitas Christi fuerit priùs prædestinata ad gratiam, & gloriam, quàm ad vnionem hypostaticam. Thomistæ vnanimiter cū Recentioribus docent, humanitatem priùs fuisse ordinatam ad vnionem, posteà ad gloriam. Scotistæ sunt inter se diuisi, nam Bassol. 3. d. 10. art. 1. q. vn. & Vulpes hic disp. 19. art. 6. eandem sustinent opinionem cum Thomistis; Centinus disp. 19. c. 9 asserit, ordinationem ad gloriam præcessisse, quod videtur etiam docere Doctor 3. d. 7. q. 3. C. Lich. ibi mediat, nam vel est sermo de prædestinatione ad gloriam absolutè, vel de prædestinatione ad tantam gloriam, quanta fuit collata Christo; primam ordinationem, ait, præcessisse decretum ad vnionem, non secundam, non enim Deus tantam gloriam concessisset humanitati Christi, nisi fuisset Verbo vnita. Faber quòq; disp. 19. c. 1. videtur anceps.

11 Solutio huius difficultatis pendet ex illa quæstione de formalitate subsistentiæ; idcircò dicimus, quòd quamuis sustinendo, subsistentiam quid positiuum dicere à natura separabile, possit etiam sustineri, ordinationem ad gloriam præcessisse, attamen in sententia de negatiuo necessariò est dicendum, priùs naturam humanam fuisse ad vnionem ordinatam, deinde ad gloriam, & gratiam. Prima pars colligitur ex Scoto cit. vbi proponens hoc dubium, taliter respondet, quod probat ex illa regula, quam sæpè assignat, scilicet ordinatè volens priùs vult finem, quàm media ad finem, ergo Deus, cum sit ordinatissimum volens, priùs voluit humanitati Christi finem, quæ est gloria, deinde alia propter finem, scilicet gratiam, & vnionem, nam in nostra sententia vnio hypostatica non habet necessariam connexionem cum Beatifica, vt infra, idcircò ad summam gloriam solùm dicit congruentiam, & consequenter poterat Deus ordinare humanitatem ad summam gloriam, præscindendo à subsistentia creata, vel increata. Hæc tamen ratio non conuincit, sustinendo sententiam de negatiuo, vt mox ostendam.

12 Secunda pars, quòd ordinatio ad vnionem præcesserit in sententia de negatiuo, prob. quia ex dictis disp. 4. q. 3. cum Scoto 3. d. 2. q. 2. art. 2. humanitati priùs conuenit personari, quàm habere accidentia, & si in secundo instanti naturę humanitas non est alieno supposito vnita, est in se suppositata, si est à parte rei, vel intelligitur in se suppositata, si est sermo de ordine in intellectu, ergo decretum prædestinationis ad gloriam necessario præsupponebat humanitatem suppositatam in Verbo, & consequenter decretum vnionis præcessit decretum ad gloriam; conseq. prob. si non præsupponeretur decretum vnionis, ergo humanitas Christi fuisset ordinata ad gloriam, vt in se suppositata, quod est falsum, quia cū decretum illud specter ad voluntatem Dei efficacem, iam debebat poni in esse, & consequenter tàm ordine intentionis, quàm ordine executionis humanitas Christi priùs fuisset in se suppositata, quàm Verbo vnita, quod est hæreticum; sequela prob. quia in eo instanti, in quo intelligitur humanitas ordinata ad gloriam, intelligitur humanitas vt operans, ergo si non intelligitur, vel non præuidetur vnita Verbo, præuidetur cum negatione actualis communicationis alieno supposito, ergo vt in se suppositata; vide disp. 1. num. 28. hæc ratio vniuersaliter conuincit tàm de gloria absolutè, quàm de summa gloria.

13 Contra 1. partem sunt rationes Thomistarum, quæ tamen efficaciam sumunt, vel à connexione necessaria vnionis hypostaticæ cum beatifica, de quo infra, vel ab inseparabilitate naturæ à subsistentia, quod videant assertores opinionis de positiua formalitate subsistentiæ. Contra secundam partem adest authoritas, & ratio Scoti adducta pro 1. parte. Sed quod spectat ad authoritatem, Vulpes cit. ait, Scotum ibi dubitatiuè respondisse huic dubitationi, nec cathegoricè proposuisse suam sententiam; quod quidem habet fundamentum in verbis Doctoris. Rectiùs tamen dici potest, quòd cum Doctor fuerit problematicus circa formalitatem subsistentiæ, hinc multa determinauit iuxta diuersa principia, vt patet præcipuè in illa quæst. an suppositum creatum possit alienam naturam terminare, quam difficultatem affirmatiuè resoluit in 3. d. 1. q. 4. quod tamen in sententia de negatiuo nequit sustineri, vt vidimus disp. 3. q. 2. Idem in proposito dicendum. Quod attinet ad rationem, dicimus, ordinatè volens non solùm vult finem, qui sit finis *cuius*, sed simul vult finem *cui*, nam vterq; finis integrant vnum finem totalem ex dictis in Phys. disp. 7. q. 8. art. 1. hinc Deus non solùm voluit in primo signo gloriam, sed hanc gloriam voluit humanitati Christi, & consequenter debebat humanitas præsupponi suppositata, vel in se, vel in alio, & quia nunquam fuit in se suppositata, necessariò decretum vnionis præcedere debuit; hinc regula illa valet de fine, & de conducentibus ad consecutionem finis, non verò de attinentibus ad constitutionem substantialis esse finis *cui*, modò subsistentia spectat ad complementum substantiale naturæ, vt disp. 1. cit. dictum est.

14 Quartò dubitatur de ista propositione, *Christus prædestinatus est Filius Dei*, an sit vera, ex cuius solutione pendet quoq; decisio veritatis istarum, *Christus in quantùm homo prædestinatus est Filius Dei*, vel *ad vnionem hypostaticā, Hic homo prædestinatus est Filius Dei, Verbum prædestinatū est Filius Dei, Filius Dei prædestinatus est Filius Dei*, circa quas multùm discrepant inter se Doctores tàm Scotistæ, quàm Thomistæ. Consequenter tamen ad dicta in disp. 5. q. 3. & 4. breuiter dico cum Scoto 2. d. 7. q. 3. primam propositionem esse veram; quod solet probari ex illo Apost. ad Rom. 1. *De Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*; cui authoritati quamplurimas responsiones solent adhibere aduersarij, vt est videre apud Suarez, & Vasq. & quælibet habet aliquod fundamentū apud Patres. Verùm quia locutio in se non est impropria, non est recurrendum ad alias expositiones; probatur igitur assumptum ex disp. cit. num. 51. quando subiectum alicuius propositionis plura includit, potest in propositione determinari à prædicato, vt pro vno tātùm supponat, sic calidum in se includit formam caloris pro formali, & suppositum pro cōnotato, à prædicato tamen potest determinari, vt in propositione

supponat

supponat pro forma tantùm, vt *calidum est accidens*; vel pro supposito tantùm, vt *calidum est album*, vel pro vtroque, vt *calidum est ens per accidens*, & qualibet istarum propositionum est propria, & vera simpliciter, & absolutè, absque alio addito. Sic in proposito, Christus potest supponere vel pro natura humana tantùm, vel pro Verbo tantùm, vel pro vtroque, itaut quodlibet prædicatum propriè conueniens naturæ humanæ absolutè de Christo dici potest, qua ratione ibi concessimus multas propositiones, scilicet *Christus est creatura, incæpit esse, factus est Deus*, &c. ergo quia hoc prædicatum *prædestinari ad vnionem*, vel *vt sit Filius Dei* conuenit humanitati Christi, poterit enunciari de Christo absolutè, nam determinaret Christum, vt supponat pro humanitate, non pro supposito.

15 Ex quo sequitur, has propositiones multò magis esse veras, *Christus secundùm quòd homo est prædestinatus Filius Dei*, vel *ad vnionem hypostaticam, hic homo est prædestinatus Filius Dei*, nam magis explicatur his terminis suppositio subiecti pro humanitate; verum est, quòd ly *secundùm quòd* sumi debet specificatiuè, non reduplicatiuè, vt notat Doctor cit. ad 1. princ. in secunda solutione, eoquia si reduplicatiuè sumeretur, iam humanitas esset ratio formalis inhærentiæ prædicati, & sic omnis homo esset prædestinatus, quod est falsum; sumitur ergo specificatiuè, quatenùs specificat rationem, secundùm quam prędicatum conuenit subiecto, at ratio formalis, & causalitas, cur conuenit, est voluntas diuina prædestinans. Secundò sequitur, illas propositiones, *Filius Dei est prædestinatus Filius Dei, Verbum est prædestinatum Filius Dei*, propriè non esse veras, nam vt essent veræ, Verbum, & Filius Dei deberent supponere pro humanitate, quę suppositio nō clarè innuitur illis terminis, qui ab vnione, quæ est fundamentum talis suppositionis, pręscindunt; nec possunt esse veræ per communicationem idiomatum, quia communicatio idiomatum non fit in terminis exprimentibus vnionē ex disp. 5. num. 12. prædestinari autem ad esse Filium Dei exprimit decretum vnionis hypostaticæ.

16 Dices, terminus prædestinationis non includitur in obiecto, sed ab illo distinguitur, sed ly *Filius Dei* includitur in Christo, & in ly *hoc homine*, quia Christus dicit suppositum Verbi, similiter ly hic homo cōcernit idem suppositum, ergo &c. Resp. faciliter distinguendo min. si illi termini absolutè sumantur, cōcedo, si in propositione respectu prædicati prædestinationis, nego, nam ab isto prædicato determinantur ad supponendum pro humanitate. Qua solutione vitabis omnes difficultates, quas conficit Lorca contra Suarez admittentem istam propositionem, *hic homo est prædestinatus Filius Dei*, prout ly *hic homo* supponit pro supposito vago; non enim concedimus ly *hic homo* supponere pro aliquo supposito in hac propositione, sed pro sola humanitate.

17 Deducitur quoque ex hac doctrina, has propositiones esse veras, *Christus prædestinatus est ad gratiam, & gloriam, Christus in quantùm homo prædestinatus est ad gratiam, & gloriam*, eoquia propositiones istæ, vt formantur de humanitate, pro qua supponit, sunt veræ; similiter & hanc, *Verbum in quantùm homo prædestinatum est ad gratiam, & gloriam*. At propositionem istam esse falsam, *Verbum prædestinatum est ad gratiam, & gloriam*, nam præscindit ab vnione hypostatica, quę est fundamentum communicationis idiomatum, si tamen talis vnio connotaretur, potest concedi.

18 Dices, prædestinatus ex gratia ordinatur ad gloriam, & alia beneficia supernaturalia, sed Christo, etiam vt homini, connaturalis est beatitudo, & quodlibet donum supernaturale, quia vt homo est Filius Dei naturalis, ergo &c. Tùm 2. prædestinatio est respectu rei subiectæ diuinæ gubernationi, Filius Dei non est talis. Tum 3. Filius seipsum prædestinasset, quod est falsum. Resp. neg. min. vt fusiùs infra dicetur. Ad 2. Filius Dei, seu Christus vt homo est diuinæ gubernationi subiectus. Ad 3. neg. sequela, quia Verbum vt Deus prædestinauit seipsum, non vt Deū, sed vt hominem, & in hoc sensu non repugnat.

19 Tandem si prędestinatio sumitur pro quacunque diuina præfinitione, & dispositione ad faciendum aliquid ad extra; in hoc sensu possunt concedi vt veræ propositiones istæ, *Christus*, seù *Verbum*, vel *Filius Dei prædestinatus est, vt sit homo*, quia verè Deus ab æterno decreuit, Verbum fieri hominem; eò vel maximè, quòd licet humanitas Christi in se spectata sit ordinis naturalis, attamen vt vnita, seù vt fundat vnionem, spectat ad ordinem supernaturalem, & incarnatio, licèt non fuerit Verbo beneficium quoddam, vel donum, in se tamen, & respectu generis humani fuit maximum donum, & consequenter non tàm impropriè prædestinationis nomen potest hic applicari, sicut impropriè applicaretur cuilibet factioni rei naturalis.

Hæc omnia breuiter dissolui, quia est lis nominalis. Vnum est hic aduertendum, quòd Scotus in hac quæstione non procedit resolutè, sed quasi problematicè, & dubitatiuè sicut & in alijs quæstionibus de cōmunicatione idiomatum; hinc est, quòd ab aliquibus Scotistis in oppositas trahitur sententias; attamen quod determinauimus, est magis consonum principijs ipsius adductis disp. 5.

Quæstio Secunda.

An prædestinatio Christi fuerit causa nostræ prædestinationis.

20 IN triplici genere causæ prædestinatio Christi potuit esse causa nostræ prædestinationis, vel in genere causæ efficientis meritoriæ, vel in genere causæ exemplaris, vel in genere causæ finalis; in præsenti de duobus vltimis loquemur, de primo autem genere agemus in disp. de merito Christi.

Vasq. hic in comm. art. 3. q. 24. asserit, Christum non fuisse exemplar, ad instar cuius alios Deus prædestinauerit, sed fuisse exemplar à Deo nobis propositum ad imitandum quòad virtutes, & mores, labores, & ærumnas; quo sensu explicat dictum D. Pauli ad Rom. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus* iuxta illud 2. Petri 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

12 Dicendum est tamen breuiter, Christum fuisse verum exemplar, ad instar cuius Deus cæteros prædestinauit electos, fuisseque causam finalem nostræ prædestinationis; licèt non vltimam. Ita colligitur ex Scoto 3. distinct. 7. quæst. 3. & distin. 19. estque communis apud sustinentes, si Adam non peccasset, Christum adhùc futurum in mundo;

quò ad primam partem prob. testimonio D. Pauli adducto, vbi est sermo de Christo vt homine, vt ostendi disp. præced. num. 43. & potest confirmari ex D. Aug. lib. de prædest. Sanct. c. 15. *Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Saluator*; quod explicans ait, *Sicut prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus: humana hic merita conticescant, & regnet Dei gratia.* Insuper de Bono perseu. cap. vlt. *Nullum est illustrius prædestinationis exemplum, quàm ipse Iesus.*

22 Nec valet responsio Vasq. disp. 10. Apostolum intelligi de exemplari nostræ imitationis, non verò diuinæ prædestinationis. Non valet, quia Apostolus clarè loquitur de Deo prædestinante, nõ de nobis operantibus, ergo Christus erit exemplar diuinæ prædestinationis, seu Dei prædestinantis, prob. conseq. quia exemplar est idæa, ad quam aspiciens artifex operatur, ex dictis in Physf. disp. 7. q. 7. & dicitur esse quid completiuũ causæ efficientis intellectuæ. Tùm quia multi electi, & prædestinati reperiuntur, qui absque præuijs operationibus meritorijs saluantur, vt sunt paruuli post baptismum morientes ante vsum rationis, ergo respectu istorum Christus non esset causa exemplaris, quod est falsum, quia Apostolus vniuersaliter loquitur de omnibus prædestinatis. Tùm quia nec est necesse, vt Sancti ex hoc motiuo operentur, scilicet ex imitatione Christi, vt saluentur, sed solùm ex motiuo virtutis, & præcipuè ante aduentum Christi Domini, in quo statu sufficiebat fides Mediatoris in confuso.

23 Quapropter in actu prædestinationis Deus ex sua libera voluntate prædestinauit, & elegit Christum tanquam caput cæterorum, quos voluit esse Christo similes, & conformes tàm in gratia, quàm in gloria, tàm quò ad animam, quàm quò ad corpus, ita docuit Apost. cit. ad Rom. 8. & ad Philipp. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ*; vbi non est sermo de conformitate nostræ operationis in laboribus, sed de conformitate in gloria, & quò ad dotes gloriosas, quam dabit Dominus diligentibus se. Altera quoque conformitas solet assignari in alijs prædestinatis ad Christum, quòd sicut Christus est filius Dei naturalis, ita nos simus filij Dei adoptiui, quæ filiatio adoptiua est minoris conditionis, ad instar filiationis naturalis, & per quandam participationem, sed de hoc in disp. seq.

24 Secunda pars, quòd etiam sit causa finalis, prob. ex eodem Apost. ad Coloss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ*, quo in loco, vt ostendi disp. præced. num. 42. est sermo de Christo vt homine, non vt Deo; & reddens Apostolus rationem huius primogenituræ, subdit, *quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis*; ex quibus clarè deducitur, Christum vt hominem esse causam omnium finalẽ, non enim est verum, quod ait Vasq. hæc omnia verificari de Christo vt Deo. Etenim si in assumpta propositione, quam Apostolus intendit probare, est sermo de Christo vt homine, quo pacto in probatione, quam postea subdit, potest esse sermo de Christo vt Deo? præterquamquòd in vltimis verbis loquitur de Christo vt homine, dum ait, *ipse est caput corporis Ecclesiæ, primogenitus ex mortuis*, ergo etiam dum ait, *quoniam in ipso condita sunt vniuersa*, intelligitur de Christo vt homine; quæ verba causalitatem explicant finalem.

25 Clariùs 1. ad Corint. 3. loquens Apostolus fidelibus ait, *omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei*; quibus Verbis Apostolus eandem habitudinem tribuit fidelibus ad Christum, & Christo ad Deum, quam tribuit rebus omnibus, & Apostolis ipsis ad ipsos fideles, & prædestinatos, sed ista nequit esse, nisi habitudo causæ finalis, quatenùs tàm præsentia, quàm futura, imò & ipsi Apostoli sunt à Deo instituti propter fideles, vt explicat D. Chrisost. hom. 10. *Hoc autem in loco omnia, inquit, vestra sunt, quo verbo Magistrorum tollit insolentiam, ostenditque, nõ modò nullam illis discipulos gratiam, sed illos discipulis debere, propter hos enim tales facti sunt*, ergo etiam eandem habitudinem finalis causæ agnoscit in prædestinatis ad Christum, & tandem in Christo ad Deum; per quod prob. vltima pars conclusionis, Christum scilicet non esse vltimam causam finalem, nam tàm prædestinati, quàm Christus vltimatè ad Deum referuntur, vt ad finem rerum omnium.

26 Ex quibus etiam exploditur responsio Vasq. dicentis, Apostolum illis verbis *vos autem Christi*, intelligi quò ad habitudinem imitationis, quatenùs nostra vita totaliter, & secundùm omnes appendices debet esse Christo consecrata. Non valet, nam sequeretur, etiam vitam Apostolorum debuisse ab Apostolis totaliter, & eodem modo consecrari in obsequium fidelium, quod est falsum.

27 Dices, Deus in suis actionibus non pendet ab aliqua creatura, ergo Deus prædestinando non habuit Christum pro causa exemplari, & finali, prob. conseq. quia agens pendet à causa exemplari, & finali in agendo. Resp. neg. conseq. ad probat. dico, assumptum esse verum de causa efficiente operante ex indigentia media causa exemplari, & finali, vt est creatura, in qua exemplar habet rationem directiui, & regulatiui, ex Physf. disp. 7. q. 7. art. 2. Deus autem in proposito ex sua voluntate cõstituit Christum causam exemplarem, & finalem nostræ prædestinationis, & liberè intendit nostram assimilationem Christo; præterquamquod Christus non fuit causa finalis vltima nostræ prædestinationis, sed non vltima.

Disputatio Nona.

De filiatione, & seruitute Christi.

Rationabiliter post disp. de Christi prædestinatione hanc de filiatione, & seruitute proponimus, quoniam hæc spectant ad Christum in ordine ad Deũ secundùm totam suam naturam, & quò ad esse substantiale, etiam præscindendo ab operationibus. Quia verò seruitus infert subiectionem, & minoritatem, etiam de istis erit sermo.

Quæstio

Quæstio Prima.

De Christi filiatione.

1 CHristus vt filius duos respicit terminos, scilicet Patrem diuinum, & Beatam Virginem, de prima filiatione est agendum, de secunda dicemus disput. vlt. quoniam autem filiatio multiplex est, & pręcipuè alia est naturalis, alia adoptiua, idcirco antequã de filiatione Christi disseramus, aliquam ad filiationem in communi, eiusq; diuisiones pertinentia sunt præmittenda pro terminorum explicatione; hinc in plures articulos est hæc quęstio diuidenda.

Articulus Primus.

Quid, & quotuplex sit filiatio, quibusq; conueniat.

2 FIliatio, à qua aliquis denominatur filius, multipliciter sumi solet, primò pro filiatione in imitatione quò ad operationes, sic peccatores filij dicuntur diaboli, & iusti filij Dei. Secundò sumitur pro dependentia cuiuscunq; creaturæ ad Deum, quo pacto Iob. 38. Deus dicitur pater pluuiæ; sed istæ acceptiones sunt nimis amplæ.

3 Pressiùs filiatio diuidi solet in naturalẽ, & adoptiuam, quæ diuisio non est vniuoci in sua vniuocata, sed æquiuoci analogi in sua analogata, quia vt videbimus, filiatio adoptiua est metaphoricè filiatio, & per attributionem ad filiationem naturalem, idcirco filiatio in communi non dicit aliquam rationem communem, quæ possit explicari; quapropter vt intelligatur hæc diuisio, priùs declarari debet filiatio naturalis, deinde adoptiua, quæ similitudinem quandam habet cum naturali.

4 Filiatio naturalis ex dictis in lib. de Gener. disp. 8. q. 1. est origo naturalis viuentis à viuente, principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ intellectualis, aut saltim sensitiuæ ex Scoto 1. d. 13. q. vn. ad 1. princ. & 3. d. 8. q. vn. §. *Ad quæstionem*; ex qua definitione oritur, quòd, vt filius talis dicatur, requiritur, quòd participet de substantia patris, itaut genito ex vi generationis communicetur à generãte aliquid, quod priùs erat eius substantia, vel aliquid eius, qua ratione filius dicitur consubstantialis patri; & assimilatur patri in natura, & substantia, quæ est similitudo physica, & realis. Ex hac similitudine alia oritur moralis; nam in patre duplex substantia assignari solet, vna intrinseca, & est propria, ac realis substantia, alia extrinseca, vt sunt bona temporalia, quæ communiter substantia solent appellari, Luc. 15. *Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit*, & infra, *Dissipauit substantiam suam*; cum igitur filius sit similis patri, & communicet cum patre in priori substantia, quæ est intrinseca, consequens est, vt etiam communicet in posteriori, quæ est extrinseca; hinc filius habet eandem substantiam, seù rem familiarem communem cum patre, & hoc ex vi generationis naturalis, seù similitudinis in natura, quam habet ex vi generationis; cum igitur Iuristæ præcipuè posteriorem substantiam considerent, idcirco filium naturalem definiunt, quòd sit ille, cui ex debito, & ex natura, idest ex vi propriæ generationis competit ius in hæreditatem, seù in substantiam, & rem familiarem patris, propter quod ius censetur moraliter idem cum patre, & similis patri similitudine dominij in rem familiarem; vnde non potest ex libito patris ab hæreditate excludi.

5 Ex hac doctrina colligitur definitio filiationis adoptiuæ; etenim filius adoptiuus non est propriè filius, sed metaphoricè, quia non est verè genitus à patre adoptante, sed ab ipso assumitur in locum filij naturalis, ac si esset genitus à patre; quapropter dicitur filius ad similitudinem filij naturalis; non potest autem imitari filium naturalem quò ad priorem similitudinem, quam habet cum patre in substantia intrinseca, aliter esset verè genitus, & filius naturalis, ergo imitatur posteriorem in substantia extrinseca, quatenùs assumitur à patre, ac si esset verus filius ad participationem extrinsecæ substantiæ; neq; potest ad libitum exhæredari, in quo adoptio differt ab institutione hæredis per testamentum, nam si hæres est extraneus, potest ad libitum priuari hæreditate, non sic filius adoptiuus, eo quia censetur, ac si esset filius naturalis, vnde dicitur quoq; esse sub patria potestate. Hinc Scotus 3. d. 10. q. vn. A. docet, tria requiri ad hoc, vt aliquis dicatur filius adoptiuus; primum est extraneitas, itaut adoptatus sit extraneus adoptanti, idest quòd non habeat ex se, & ex sua generatione naturali gradum illum, ad quem assumitur, qui est gradus filij, potest tamen esse coniunctus patri in alio gradu consanguinitatis, vel affinitatis; ex quo etiam deducitur, non requiri extraneitatem ex inimicitia positiua, itaut præsupponatur adoptatus inimicus, vel ex actu proprio, vel ex actu parentum, nam inquit Doctor, inimicus communiter nõ adoptatur, sed potiùs dilectus altero istorum modorum, sufficit ergo extraneitas, quæ est carentia iuris in bona temporalia, quantum est ex vi generationis naturalis. Secundum, quod exigitur, est gratuita voluntas ipsius adoptantis. Tertium est bonum, ad quod adoptatus ordinatur, scilicet hæreditas, & bona temporalia. Filius igitur adoptiuus est, cui conuenit ius ad participandam hæreditatem, & substantiam patris extrinsecam, non ex vi generationis, sed ex gratuita voluntate patris; filiatio quoq; adoptiua est, qua quis dicitur similis filio naturali in participatione, & communicatione bonorum adoptantis ex mera gratia ipsius; quod quidem ex ipso vocabulo datur intelligi, nam adoptare est quasi optare, vt id, quod in se, & per naturam non est, sit à parte rei, & consequenter includit extraneitatem, voluntatem adoptantis, & cupientis, & obiectum concupitum.

6 Hæ sunt conditiones adoptionis in communi; ad adoptionem tamen aliquam in speciali quandoque aliæ requiruntur, & præcipuè in humanis, si adoptatus habet vsum rationis, & est sui iuris, requiritur consensus ipsius, qua ratione hæc adoptio nuncupatur adrogatio, quia tàm adoptans, quàm adoptatus rogatur de consensu; vel si is, qui adoptatur, est sub potestate alicuius, scilicet sub tutore, vel sub patria potestate, requiritur consensus tutoris, vel parentis, & ratio huius est, quia adoptio est quidam contractus, idcirco debet esse voluntarius ex parte vtriusque. Non exigitur autem necessariò, quòd adoptans possit generare, nisi in aliquo casu speciali.

7 Ex his clarefcet, quo pacto debeamus in Deo admittere veram, & propriam adoptionem; nam adoptio, ait Doctor cit. eſt vocabulum à Iuriſtis translatum, non quòd ſignificatum ipſius, ſcilicet aſſumptio extranei ad hæreditatem, non fuerit in Deo, ſed ſolùm quò ad modum loquendi. Quapropter datur in diuinis filiatio naturalis, qualis eſt productio Verbi, quod Filius naturalis dicitur, quia habet cum Patre ſimilitudinem in ſubſtantia intrinſeca, & cõſequẽter ex vi talis generationis participationem in ſubſtantia extrinſeca, vt ita dicam, qualis eſt beatitudo. Datur etiam filiatio adoptiua, qua Deus dicitur homines adoptare, ad Rom. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum*, ad Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum*; vnde iuſti dicuntur filij Dei, nati, & geniti à Deo, Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, & infra, *Ex Deo nati ſunt*, 1. Petri 1. *Regenerauit nos in ſpem viuam*; vbi not. quòd naſci, & generari dicuntur metaphoricè de filijs adoptiuis, ad ſimilitudinem filij naturalis; at adoptari propriè dicitur de iuſtis, eſt enim diuina adoptio vera, & propria, cum habeat omnes conditiones requiſitas; ita expreſsè habetur in oratione, quæ ab Eccleſia canitur in feſto Transfigurationis Domini, *Deus, qui fidei Sacramenta in Vnigeniti tui glorioſa tranſfiguratione patrum teſtimonio roboraſti, & adoptionem filiorum perfectã voce delapſa in nube lucida mirabiliter præſignaſti*; imò eſt perfectior, quàm ſit humana; pro cuius intelligentia

8 Notandum, quòd homines quamuis ſint à Deo creati ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, non tamen iſta ſimilitudo eſt vniuoca, & in eadem natura ſubſtantiali, idcircò propriè non dicuntur filij naturales Dei, & conſequenter habent extraneitatem, & carentiam iuris in bonis diuinis, quæ ſunt gloria, & beatitudo, quæ ſe habent vt hæreditas, & diuitiæ Dei; adeſt quoq; hæreditas ipſa, ſcilicet gloria; & tertiò diuina voluntas aſſumens nos ad participandam hæreditatem, & imitandum ipſum Chriſtum filium naturalem, ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui*, & infra, *ſi filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Adeſt quoq; altera conditio, ſcilicet conſenſus adoptati, nullus enim iuſtus ad vſum rationis perueniens adoptatur à Deo, niſi proprius adſit conſenſus, paruuli autem ante vſum rationis adoptantur in baptiſmo interueniente conſenſu Eccleſiæ.

9 Multæ tamen adſunt differentiæ inter adoptionem diuinam, & humanam. Prima eſt, quòd adoptio humana eſt inſtituta ad ſupplendum defectum filiorum naturalium, diuina verò ex infinita Dei perfectione, & bonitate ad communicandam ſimilitudinem cum Filio Dei naturali. Secunda eſt, quòd humana fit per ſolam extrinſecam denominationẽ prouenientem in adoptato ab acceptatione, & voluntate adoptantis; diuina verò fit per formam intriſecè infuſam à Deo in adoptato ſupernaturaliter ſanctificantem, qualis eſt gratia, & charitas, per quam iuſtus accipit nouum eſſe ſupernaturale, & diuinum, per quod dicitur regenerari, & renaſci, 1. Ioan. 3. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus*. Tertia, quod in humanis filius adoptiuus non ſuccedit in hæreditatem, niſi poſt mortem patris; at in diuinis omnes accipiunt, abſq; eo, quòd pater decedat, quod eſt maioris perfectionis. Quarta, quòd in humanis filius adoptiuus ſecundùm eſſe reale non dependet, nec producitur à Patre, at in diuinis adoptati à Deo ſecundùm eſſe reale pendent à Deo, non tamen ex hoc habent ius ad hæreditatem, vt ſupra dixi, quia adhùc ſunt extranei ad dona gratiæ, & gloriæ. Quinta, quòd in humanis ius ad hæreditatem fundatur in illã extrinſeca denominatione, in diuinis fundatur in gratia ſanctificante.

10 Ex his colligitur primò, in diuinis adoptare cõuenire toti Trinitati, vt notat Scotus cit. ratio eſt, quia adoptare eſt actus diuinæ voluntatis ad extra, ſicut & prædeſtinare, opera verò Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa; quamuis ſoleat quandoq; vni perſonæ appropriari, ſcilicet Patri, vt auctori, Filio vt exemplari, & Spiritui Sancto vt conferenti gratiam. Chriſto autem vt homini non conuenit adoptare principaliter, ſicut nec prædeſtinare; inſtrumentaliter tamen, & meritoriè conuenit, ad Ephes 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum*, & declarans hãc adoptionem ſubdit, *Gratificauit nos in dilecto Filio ſuo*. Conueniret quoq; Deo adoptare, etiam ſi non eſſet trinus, nec eſſet generatio ad intra, quia vt dixi, non eſt conditio ſimpliciter neceſſaria, quòd adoptans habeat, vel poſſit habere filios naturales, dummodò adſint aliæ conditiones; vnde Angeli poſſent homines adoptare.

11 Colligitur etiam, adoptari conuenire ſolis iuſtis, nam iſti ſoli habent ius in hæreditatem, tàm qui antea erant inimici Dei, & peccatores, vt ſunt homines in peccato originali concepti, quàm illi, qui in gratia fuerunt creati, vt primi parentes, & Angeli; quia vt dixi, ad adoptionem non requiritur inimicitia, ſed ſufficit carentia iuris ad hæreditatem. Inſuper conuenit tàm illis iuſtis, qui finaliter conſecuturi ſunt gloriam, quàm illis, qui propter peccata gloriam amittent; qui etſi dum ſunt in peccatis, non habent ius ad gloriam, attamen pro eo tempore, in quo reperiuntur iuſtificati, & in gratia, verè habent ius ad hæreditatem, & ſi tunc morerentur, verè adipiſcerentur beatitudinem, ergo pro tunc ſunt veri filij adoptiui; nec obſtat ſubſequens peccatum, quia etiam in humanis ſi filius adoptiuus committeret aliquod crimen, ob quod priuaretur hæreditate, & adoptione, non idcirco ſequitur, antea non fuiſſe filium adoptiuum. Rurſus conuenit quoq; iuſtis, tàm qui præceſſerunt aduentum Chriſti, quàm illis, qui ſunt ſubſecuti; eoquia ratio adducta de omnibus conuincit; eiuſdem enim rationis erat gratia illorum cum noſtra, in qua fundatur ius ad hæreditatem; imò ad Rom. 9. de Iſraelitis dicitur, *Quorum adoptio eſt filiorum*; verum eſt, quòd opus illis conueniebat propter merita Chriſti venturi; ita expreſsè Scotus 3. d. 10. cit.

12 Dices 1. cum Gabr. 3. d. 10. q. 1. art. 1. D. Auguſtinum negare in lib. de corrept. & gratia, reprobos, etiam dum piè viuunt, eſſe filios Dei. Tùm 2. D. Chriſoſtomus hom. 22. in Gen. negat, Angelos dici filios Dei, quia nunquam in ſacra Scriptura taliter appellantur. Tùm 3. ex Alenſe 3. par. quæſt. 10. membr. 6. artic. 5. & Soto in 4. diſt. 2. quæſt. 1. artic. 4. Multi Patres, vt Chriſoſt. homil. 4. ſuper Epiſtol. ad Roman. Ambroſ. ſuper ad Gal. 4. & alij, negant, antiquos Patres dici verè, & perfectè filios Dei adoptiuos, nam Ioan. 1. habetur, Chriſtum dediſſe hominibus poteſtatem fieri Dei filios; clarius D. Paulus ad Roman. 8. adoptionis ſpiritum tribuit fidelibus noui teſtamenti, ſpiritum verò ſeruitutis antiquis Patribus veteris teſtamenti. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum* adop-

adoptionis; & ad Gal. 4. *Ita & nos, cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes; at vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus*. Accedit, quòd ante Christi aduentum nullus iustus post mortem percipiebat possessionem diuinæ hæreditatis, ergo tunc non habebat veram, & actualem filiationem adoptiuam, sed solùm in antiquis Patribus adfuit post incarnationem, antea verò erat potentialis, & imperfecta. Tùm 4. etiam ipsi peccatores vocantur filij Dei, Isa. 1. *Filios enutrini, & e[illegible] ipsi autem spreuerunt me*. Tùm 5. soli Bea[illegible] sunt filij Dei, ergo &c. antec. prob. ad Rom. 8. *Ipsi intra nos gemimus expectantes adoptionem filiorum Dei*.

13 Resp. ad 1. D. August. asserere solùm, præscitos nó esse in mente diuina filios Dei, dum piè viuunt, non pro eo tempore, sed pro tempore finali, & damnationis. Ad 2. Chrisostomus solùm ntendit, per filios Dei in 6. cap. Gen. non necessariò intelligi Angelos; nam Iob 2.2.& 38. Angeli verè dicuntur filij Dei, *Cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*. Ad 3. resp. Patres, imò & ipsum Apostolum non negasse adoptionem in iustis veteris testamenti, sed solùm, quòd in vim legis antiquæ non habebant gloriam, sicut modò recipimus per nouam legem, seù per Christi redemptionem; quapropter comparatio est inter legem veterem, & legem nouam, non verò inter iustificationem illorum, & nostram; verum est, quòd illi Patres iustificabantur ex meritis Christi præuisis; Ad confirm. nego conseq. quia illa dilatio sicut non auferebat gratiam, neq; auferebat ius, neq; rationem filiationis adoptiuæ. Ad 4. neg. assumptum de filiatione propria adoptionis per gratiam, de qua loquimur, nec de ista intelligitur authoritas allegata, sed de filiatione, pro vt prouenit ex speciali Dei vocatione, gubernatione, & prouidentia, quam antiquitùs specialiter gerebat circa populum Israeliticum; quæ vtiq; filiatio erat vmbra, & figura nostræ filiationis; de qua etiam exponi possunt Patres adducti pro Alense: Ad 5. Apostolum intelligi de adoptione, pro vt significat possessionem hæreditatis, quæ solùm habetur in patria, non autem de adoptione, vt dicit simplex ius ad hæreditatem, quæ etiam haberi potest in via.

Articulus Secundus.

An Christus vt homo sit filius adoptiuus Dei.

14 HAnc difficultatem modò exagito scolasticè, & vt inter Catholicos controuertitur, in art. 4. dogmaticè examinabo; sensus autem est, núm Christus ratione propriæ humanitatis sit filius Dei adoptiuus; vnde ly *vt homo* non dat intelligere naturam humanam in communi, sed singularem in Christo repertam, neq; sumitur, vt significat suppositum, nam sic clarè deducitur pars negatiua, quia suppositum Christi est filius Dei naturalis, non adoptiuus; quæritur igitur, an sicut Christo ratione propriæ humanitatis conuenit esse creaturam, incepisse, mortuum esse, prædestinatum, &c. conueniat quoq; esse Filium Dei adoptiuum; hinc consequenter resoluetur alia difficultas, núm scilicet humanitas Christi fuerit adoptata, & possit dici filia adoptiua Dei.

15 Durandus in 3. d. 4. q. 1. Rubionus d. 10. q. 2. absolutè docent, Christum vt hominem esse Filium Dei adoptiuum, citari solent pro hac opinione à Recentioribus Gabriel, Maior, & Almaînus, eoquia in 3. d. 11. admittunt, humanitatem Christi fuisse adoptatam; insuper ex nostris Bassol. d. 10. imò & Scotus noster eadem dist. sed falsò, quia vt optime aduertit P. Faber disp. 23. & cuilibet legenti patebit, nunquam Doctor dubitauit de conclusione, semper enim pro firmo habuit, Christum vt hominem non esse filium Dei adoptiuum, sed solùm fuit anceps in probatione conclus. adducit enim varias rationes, quas confutat, & tandem propriam profert, contra quam instat, & non soluit obiectionem, eoquia ex dictis elici potest solutio, quod fuit in causa, vt à Doctoribus parùm affectis in affirmatiuam trahatur partem. Et quamuis in Reportatis videatur expresse fauere parti oppositæ; attamen opus illud non est genuinum Scoti, vt satis eruditè demonstrat noster Ferchius in opusc. de hoc edito. Benè verum est, quòd quia temporibus Scoti, & antiquorum Scotistarum acta Concilij Francofordiensis nó reperiebãtur, ideo in oppositam sententiam non acriter inuehitur Scotus vt hæreticam, sed eam vt minùs probabilem relinquit.

16 Dicendum est igitur cum communi, Christum vt hominem non esse filium Dei adoptiuum; ita Scotus cit. & prob. ratione ipsius, quà tàm Concilium cit. quàm omnes Recentiores vtuntur; ille dicitur filius adoptiuus; qui est extraneus adoptanti, & alienus ante adoptionem, & consequenter non est physicè coniunctus, id est secundùm substantiam, sed solo affectu, sed Christus vt homo nunquam fuit Deo extraneus, vel alienus, aut solo affectu coniunctus, sed substantialiter, ergo &c. maior patet ex art. præced. min. prob. ante infusionem gratiæ, per quam homo acquirit ius in hæreditatem gloriæ, Christus vt homo erat Deo per vnionem hypostaticam vnitus substantialiter, vt dixi disp. 4. q. 3. & consequenter nec erat extraneus, nec alienus à Deo, sed erat ex vi generationis aliquid ipsius Dei, quæ vnio erat dispositio de congruo ad infusionem gratiæ, & acquisitionem iuris in hæreditatem, quæ dispositio non reperitur in cæteris creaturis intellectualibus, etiam in gratia creatis, sed quælibet est in instanti naturæ antecedenti infusionem gratiæ verè, & propriè extranea, per carentiam iuris, & cuiuscunq; dispositionis de congruo, hinc est, quòd Christus vt homo non est filius adoptiuus Dei, sicut cæteri; quod magis clarescet ex solutione argumentorum.

17 Contra hanc conclus. arguitur primò ex Scoto; Christus est prædestinatus esse filius Dei, ex Apost. ad Rom. 1. ergo est filius adoptiuus; prob. conseq. quia prædestinare est adoptare ad hæreditatem. Tùm 2. dignitas est hominis; quòd sit filius Dei adoptiuus, quia est proprium solius naturæ intellectualis, ergo non est deneganda Christo vt homini. Tùm 3. natura humana cum omnibus ipsius proprietatibus conuenit Christo, sed adoptari est proprietas naturæ humanæ, ergo &c. Tùm 4. gratia infusa fuit, postquam natura fuit Verbo vnita, & in posteriori instanti naturæ, ergo in priori verè fuit carentia negatiua iuris ad hæreditatem, ergo extraneitas negatiua, & consequenter interfuit vera adoptio.

18 Resp. ad 1. ex eodem Scoto, prædestinare esse aliquem ordinare ad gratiam, & gloriam, adoptare verò diuinum esse actu conferre alicui gratiam tanquam

quam extraneo: quapropter loquendo de adoptione propriè dicta, differt adoptio à prædestinatione, nam Prædestinatio est actus diuinæ voluntatis ab æterno, adoptio verò est ipsamet collatio gratiæ in tempore, quamuis ab æterno volita; & rationem huius assignat Doctor, quia adoptio in humanis est nouus actus voluntatis, quo aliquis de extraneo fit non extraneus, & de carente iure, fit habens actu ius, ergo in Deo debet adoptio significare aliquod nouum, non in ipso Deo, sed in adoptato, & tale erit actualis collatio gratiæ; hinc adoptio propriè est ipsa iustificatio, vnde Ioan. 1. iustificati dicuntur *nati ex Deo*, ita docet etiam D. Aug. epist. 120. c. 4. & lib. 3. contra Faustum c. 3. Ad argum. igitur neg. cōseq. cū probat. quia Christo nūquam fuit collata gratia vt extraneo si tamē adoptio impropriè sumatur, scilicet pro collatione cuiuscunq; doni, sic prædestinatio potest dici adoptio; sed nihil ad rem. Ad 2. ex eodem, adoptio non est dignitas simpliciter, sed dignitas supplens indignitatem, scilicet extraneitatem, ideo neg. conseq. Ad 3. neg. min. quia adoptio est proprietas naturæ humanæ vt extraneæ, non simpliciter, & quia nunquam humana natura in Christo fuit extranea, ideo nec adoptata. Ad 4. in illo priori fuit dispositio de congruo ad gratiam, quæ sufficit ad tollendam extraneitatem.

19 Secundò, & est impugnatio præcedentis solutionis; negatio extraneitatis in Christo vt homine non aufertur, nisi per collationem gratiæ habitualis, sed hæc fuit data in posteriori instāti naturæ, ergo in priori instanti fuit in Christo vt homine vera extraneitas, quamuis adfuerit vnio hypostatica: maior patet, quia negatio extraneitatis aufertur per ius in hæreditatem, tale autem ius etiam in Christo habetur per gratiam habitualem, nam si Verbum assumpsisset naturam sine gratia, non habuisset ius in hæreditatem. Tùm 2. dispositio de congruo non inducit debitum naturale, nec excludit gratuitam voluntatem concedentis, qua ratione gratia conceditur à Deo gratis contrito, etiam si contritio sit dispositio de cōgruo ad gratiam, ergo quamuis vnio hypostatica præcesserit in Christo infusionem gratiæ vt dispositio, adhùc gratis fuit à Deo concessa, non autem ex debito naturali, ergo non excluditur ratio adoptionis. Tùm 3. quamuis præcesserit hæc vnio, adhùc tamen natura humana priùs natura extitit, quàm fuerit vnita, ergo in illo priori natura habuit veram extraneitatē negatiuam, & consequenter poterit humanitas dici propriè adoptata, vnde saltim per communicationem idiomatum Christus vt homo dici poterit adoptatus, seù Filius Dei adoptiuus. Tùm 4. gratia habitualis Christi est eiusdem rationis cum nostra, ergo sicut in nobis solùm ponit ius filij adoptiui, ita est in Christo.

20 Resp. ad 1. distinguendo maiorem, formaliter, concedo, radicaliter nego, quia potest auferri per aliquod præcedens, quod sit suo modo causa, & dispositio positionis iuris, sicut filius naturalis priùs intelligitur habere similitudinem in natura, quàm ius in hæreditatem, & tamen in illo priori non dicitur carere iure, quia radicaliter habet illud ius, quatenus similitudo in natura est causa illius iuris, cum igitur Christus in priori instanti habuerit vnionem hypostaticā, per quam erat aliquid Dei, & substantialiter vnitus Deo, iam habebat radicaliter ius ad hæreditatem, quia ex summa congruitate debebatur gratia, & consequenter habebat negationem extraneitatis. Ad 2. quod valde vrget in principijs Scoti sustinentis, potuisse Deum assumere naturam peccatricem; respondeo distinguendo antec. dispositio de congruo nō excludit gratuitam voluntatem concedentis requisitam ad adoptionem, nec inducit debitum excludens adoptionem, nego, non excludit gratuitam voluntatem, quæ est incompossibilis cum filiatione naturali, nec inducit debitum requisitum ad filium naturalem, cōcedo; vt enim fusiùs dicam in seq. art. adhòc vt aliquis dicatur filius naturalis, exigitur, vt ex vi generationis sit similis in natura, & consequenter quòd ius in hæreditatem ex seipso habeat independenter à gratuita voluntate patris, & ex vi propriæ generationis debeatur hæreditas, quas conditiones non habuit Christus vt homo, quia ex vi suæ generationis tēporalis non fuit similis in natura cum Deo, & consequenter non habebat ius simpliciter in hæreditatem, sed ex gratuita Dei voluntate fuit gratia illi concessa, hinc vt homo non est filius naturalis Dei; ex hoc tamen non sequitur, esse filium adoptiuum, quia illa dispositio præcedens, sicut facit Christum vt hominem Deo substantialiter vnitum, sic facit illum non extraneum non extraneitate, quæ sufficit ad exclusionem adoptionis, ad quam exigitur, vt adoptatus sit prorsùs alienus, extraneus, & ex affectu tantùm vnitus adoptanti. Ex quo deducitur disparitas, cur iustificatus cum prævia contritione dicatur adoptari, non autem Christus; ratio enim est, quia contritio non est dispositio faciens contritum vnitum Deo substantialiter, sicut est vnio hypostatica, hinc contritio non excludit adoptionem, sicut vnio; sicut igitur Christus vt homo est quid medium inter Christum vt Deum, & cæteros homines, sic in ratione filiationis est quid medium, itaut non sit vt homo filius naturalis Dei, sicut est Verbum, nec filius adoptiuus, vt cæteri homines. Vel 2. resp. quòd dispositio de congruo stante decreto, & potentia Dei ordinaria inducit necessitatem, sicut gratia non necessariò excludit extraneitatem, nisi de potentia ordinaria; quapropter sicut modò habens gratiam dicitur filius adoptiuus, & habens ius propter diuinum decretum, ita humanitas Christi ante gratiæ infusionem habebat dispositionem de congruo ad recipiēdum ius per gratiam habitualem, quæ dispositio, stante decreto Dei, quòd noluit assumere naturam peccatricem, sed sanctam, inducebat necessitatem ad infusionem gratiæ, & consequenter eodem modo excludebat extraneitatem.

21 Ad 3. in quo valde laborant sustinentes, humanitatem posse existere sine aliqua subsistentia, vt est videre apud Hurt. disp. 83. & Bernal disp. 65. sect. 3. breuiter respondeo neg. conseq. quia esse filium adoptiuum est habere ius ad hæreditatem, seù ad operationem beatificam, vnde consideratur natura in ordine ad actum secundum, & consequenter præsupponitur iam constituta perfectè in actu primo, & in toto ordine substantiali, in quo vltima est subsistentia, hinc priùs humanitas erit subsistens vel propria, vel aliena subsistentia, quàm ius habeat per receptionem gratiæ; & consequenter quia contradictoria habent fieri circa idem, etiam extraneitas præsupponet humanitatem vt subsistentem, vnde falsum est, humanitatem vt existentem dici extraneam, vel per vnionem adoptari. Dices, anima rationalis separata non est subsistens, & tamen est filia Dei adoptiua, ergo idem de humanitate dicendum. Resp. quicquid sit de antecedenti, nego paritatem, quia anima rationalis ex se non est subsistens, idcirco totus ordo substantialis ani-

... rationalis completur per existentiam, & ad receptionem accidentium solùm vt existens presupponitur, & humanitas ex se habet subsistere vel in se, vel in alio, antequam accidentia recipiat, & respiciat actum secundum. Ad 4. concedo, gratiam esse eiusdem rationis in Christo, & in nobis, ideoq; conferre idem ius ad hæreditatem, attamen quòd tale ius in nobis habeat rationem adoptionis, & non in Christo, non prouenit ex formalitate gratiæ, sed ex diuersis præsupp... & connotatis, nam in nobis gratia præsupp...it extraneitatem, in Christo negationem extraneitatis propter illam præuiam dispositionem.

22 Hæc tamen responsio non placet Bernal cit. sect. 2. quia vel carentia vnionis est forma saltim partialis constituens adoptiuam Dei filiationem, vel est conditio, non primum, quia extraneitas in obliquo ingreditur definitionem adoptiui filij, ergo non est quid essentiale ipsius adoptionis; si secundum, ergo est etiã conditio, vt qualitas gratiæ in homine recipiatur; prob. côseq. quia si gratia est forma integra filiationis adoptiuæ, repugnat, recipi in subiecto capaci adoptionis, quin illud reddet adoptiuum, ergo vbi est gratia, ibi debet esse carentia vnionis. Sed hæc obiectio est friuola, dicimus enim, iustum dici ex gratia filium Dei, quæ est ius in hæreditatem; quòd verò dicatur adoptiuus, vel non adoptiuus, prouenire ex carentia extraneitatis, vel ex ipsa extraneitate tanquam connotatis; non igitur carentia vnionis est forma intrinsecè constituens adoptionem, sed potiùs est conditio; nec est nouum, connotata differre per aliquod extrinsecum; & ad impugnationem nego sequelam, ad probat. verò patet, quid dicendum, non enim gratia est forma adæquata constituens filiationem adoptiuam, sed cum addito connotato, scilicet cum extraneitate; sicut nec commestio est forma adæquata constituens cœnam, sed connotando tempus vespertinum.

23 Tertiò arguitur quibusdam authoritatibus Sanctorum Patrum; prima sumitur ex Hilar. 2. de Trin. post medium dicente de Christo, *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur*; Secunda ex Irenæo lib. 3. aduersùs Hæreses c. 21. *Qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, vt adoptionem percipiens fiat filius Dei*. Tertia sumitur ex Eugenio, Ildefonso, & Iuliano Toletanæ Ecclesiæ Præsulibus, quos pro se adducebat Elipandus eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopus in epist. ad Patres Concilij Francofor. dicens, *Item precessores nostri Eugenius, Ildefonsus, Iulianus Toletanæ sedis Antistites ita dixerunt in Missa de Cæna Domini, Qui per adoptiui hominis passionem, dum suo non indulsit corpori, Item in Missa de Ascensione Domini, Hodie saluator noster post adoptionem carnis sedem repetiuit Deitatis*; inter quos Ildefonsus fuit maximæ sanctitatis, & doctrinæ vir. Quarta sumitur ex Augustino, Hieronimo, & Hilario, quos idem Elipandus ibidem refert.

24 Resp. primò, hos Patres adoptionem impropriè sumpsisse pro assumptione, & in hoc sensu D. Tho. q. 23. art. 4. & Suarez explicant D. Hilarium. Secundò sigillatim respondetur, & ad D. Hilarium ex Vasq. lectionem illam mendosam, & corrigendam per editionem Parisiensem anno Domini 1544. vbi pro ly *adoptatur* habetur *adoratur*; accomdatiùs legit Bernal, dum putat legendum esse *adaptatur*, propter facilitatem errandi in impressione sumendo litteram O pro A; assumptio enim carnis potest dici adaptatio, iuxta D. Paulum ad Hæbr. 10. vbi introducit Verbum diuinum cùm Patre æterno alloquens in incarnatione, *Corpus autem adaptasti mihi*, iuxta versionem græcam. Ad Irenæum respondet Suarez, ly *vt adoptionem percipiens* non referri ad ipsum Christum, sed ad hominem absolutè, scilicet Verbum factum est homo, vt homo adoptionem percipiens fieret filius Dei, iuxta illud D. Pauli ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum in mundum, vt adoptionem filiorum reciperemus*; quod confirmat ex contextu sequenti eiusdem Irenæi; *Non enim poteramus aliter incorruptelam, & immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ, & immortalitati, vt adoptionem filiorum perciperemus*; quod etiam ostendit Bernal ex textu græco. Ad 3. Patres Concilij reprehendunt dicta illorum Antistitum dicentes, potiùs credendum esse testimonijs Christi, Euangelij, & aliorum Patrum. Nisi velimus dicere, vt ad alios Patres in quarta authoritate adductos, scilicet ex peruersitate eiusdem Elipandi falsò adductis; & præcipuè id dici debet de Ildefonso, qui in lib. de Virgin. B. Mariæ, & in alio de Perpetua Virgin. S. Mariæ oppositum docuit.

25 Tandem argui potest ex hoc, quòd non implicat, Christum dici seruum Dei, ergo neq; dici filium Dei adoptiuum. Sed de hoc in quæst. seq.

Ex his deducitur, multò magis falsam esse hãc propositionem, *Christus est filius Dei adoptiuus*, si enim cum addito, scilicet *secundùm quòd homo* nequit cum veritate enunciari, multò minùs sine addito, & simpliciter.

Articulus Tertius.

An Christus vt homo sit filius Dei naturalis.

26 Circa præsentem difficultatem Vulpes p. 4. to. 2. disp. 31. art. 6. putat, superuacanee, imò erroneè proponi quæstionem istam sub illa determinatione *vt homo*, sed potiùs absolutè debere proponi, an Christus sit propriè filius Dei; rationem assignat, quia Christi nomen significat hominem subiectum vnctionis, seu vnionis hypostaticæ, ergo superuacaneè apponitur illa determinatio *vt homo*. Nimis tamen scrupulosè Vulpes procedit, quia licèt Christus significaret hominem hypostaticè vnitum, si absolutè, & extra propositionem assumeretur, attamen in propositione potest terminus, vt sæpe dictum est, præcipuè disp. 5. à prædicato determinari, vt pro alio supponat, & consequenter rationabiliter apponitur hæc particula, & determinatio, quia Christus etiam pro supposito diuino quandoque sumitur in propositione.

27 Pro resolutione recolenda est distinctio de duplici sensu reduplicatiuo, & specificatiuo harum dictionum *in quantùm*, *vt*, *secundùm quod*, *quatenus*, explicata disp. 5. cit. num. 101. insuper quòd ly *homo* in hac propositione potest supponere & pro supposito Verbi in humana natura subsistente, & pro ipsa humanitate; si primo modo sumatur, clarum est, propositionem istam, *Christus vt homo est filius Dei naturalis*, esse veram in sensu reduplicatiuo, quia suppositalitas Verbi, cum sit filiatio, est ratio, cur Christus dicatur Dei filius naturalis; rectiùs tamen dicetur, *Christus vt hic homo est Filius Dei naturalis*, quia per illud pronomen *hic* clariùs datur intelligi suppositum Verbi.

Verbi: Et consequenter, quia vt sic respicit solum Patrem, non erit filius totius Trinitatis, sed solius Patris. E contra si homo sumitur, vt significat humanitatem, falsa est illa propositio in sensu reduplicatiuo, quia si humanitas esset ratio, cur Christus sit filius Dei naturalis, omnes homines essent filij Dei naturales, quia vt notat Scotus quol. 3. H. quando particula ista sumitur reduplicatiuè, infert propositionem vniuersalem ex Arist. 1. prior cap. 35. ex aduerso si sumitur specificatiuè in sensu minùs proprio disp. 5. cit. explicato, est vera propositio, quia solùm denotat non repugnantiam horum prædicatorũ respectu eiusdem subiecti, vnde sensus esset, *Christus vt homo est filius Dei naturalis*, idest, *Christus, qui est homo, est etiam Filius Dei naturalis*, seù, *non repugnat Christo habenti humanitatem esse filium Dei naturalem*, quod quidem est verum. Dubium ergo est, an sumendo hominem pro humanitate, & particulam reduplicatiuam in sensu specificatiuo proprio, quo pacto dat intelligere rationem, secundùm quam accipitur Christus, sit vera propositio; cum enim in Christo sint plures naturæ, diuina, & humana, quæritur, an esse filium Dei naturalem conueniat Christo, etiam ratione humanitatis, nam humanitas sit peculiare subiectum filiationis naturalis Dei, siue sit subiectum Quod, siue subiectum Quo, parùm refert in præsenti.

28 Tres extant sententiæ in hac materia. Prima, negat, Christum vt hominem esse filium Dei naturalem, & consequenter nec Patris, nec totius Trinitatis; quæ sententia communior est apud vetustiores Theologos, ex Recentioribus autem eam sententiã amplectuntur Basilius Pontius tom. 1. variarum disp. relect. 4. Curiel in suis Controu. lib. 2. contr. 2. Lorca hîc disp. 64. Lugus disp. 31. Auersa q. 23. sect. 4. ex Nostris Faber disp. 23. Centinus disp. 10. c. 6. Secunda sententia affirmat, Christum vt hominem esse filium Dei naturalem, & consequenter esse filium naturalem Patris, sui ipsius, & Spiritus Sancti, ita Suarez hîc disp. 49. sect. 1. & 2. Vasq. disp. 89. c. 14. Becanus c. 18. q. 5. Tanner. q. 7. dub. 5. Bonac. q. 16. punc. 3. Petrus Hurt. disp. 83. sect. 5. & 6. ex Nostris Vulpes cit. valdè tamen inter se discrepant in explicatione huius filiationis, vt videbimus. Tertia sententia media est Augustini Bernal disp. 66. vbi primò supponit, creaturam rationalem strictiori acceptione dici filiam Dei, ac dicantur cæteræ creaturæ, sicut specialiori acceptione dicitur serua Dei, ac cæteræ, hinc Luc. 3. Adam dicitur Dei filius. Deinde distinguit de triplici filio, adoptiuo, naturali, & proprio, primus est extraneus per adoptionem adoptatus, secundus est, qui naturaliter generatur iuxta definitionem superiùs allatam num. 4. tertius est ille filius, qui non est naturaliter genitus, nec est extraneus. Tunc ad quæstionem respondet, Christum vt hominem esse Dei filium proprium, non autem naturalem, & consequenter deducit, esse filium proprium totius Trinitatis, non autem naturalem.

29 Dico primò: Christus vt homo non est filius naturalis Dei; conclusio non habetur expressè à Scoto, videtur tamen ab ipso supponi in 3. d. 8. q. vn. vbi solùm duas filiationes naturales ponit in Christo, vnam ad Patrem ab æterno, alteram ad matrem in tempore; & prob. ex doctrina, quam ibi tradit de filiatione, & in 1. d. 13. q. vn. ad 1. princ. filius naturalis dicitur, qui est viuens à viuente naturaliter productus principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ intellectualis, sed Christus vt homo in ordine ad Deum non habet istas conditiones, ergo vt homo non est filius naturalis Dei; maior patet ex definitione generationis viuentium, & filiationis explicata in lib. de Gener. disp. 8. q. 1. min. prob. quia Christus vt homo, licèt procedat à Deo viuente, non tamen naturaliter, sed liberè, nec in similitudinem naturæ, quia humanitas non est similis diuinitati, nec principio vitæ coniuncto, quia à Deo non communicatur Christo secundùm humanitatem aliquid, quod sit de substantia diuina.

30 Resp. Hurt. sect. 5. subsect. 11. & 12. neg. min. quia Christus est à Deo viuens à viuente, item principio coniuncto, quia diuinitas est incarnata, & humanitati vnita, & magis est intrinseca Christo vt homini diuinitas propter identitatem cum supposito, quàm pater creatus est filio coniunctus per semen, quod quidem non est idem cum patre; tùm quia suppositum ipsum est aliquid naturæ diuinæ intrinsecum, quod etiam est humanitati vnitum. Insuper oritur in similitudinem naturæ, quia homo est factus à Deo ad imaginem, & similitudinem Dei, Gen. 1. quæ similitudo sufficit ad filiationem naturalem, non enim requiritur, inquit, similitudo in specie infima, sed satis est generica, dummodò sit in natura intellectuali, quia pater, & filius debent ita ad inuicem assimillari, vt inter ipsos possit cõtrahi amicitia, & mutuus amor, qui solùm inuenitur in gradu intellectiuo; qua ratione bruta non dicuntur filij Dei naturales.

31 Hæc tamen responsio in primis deficit, quia & si essent in Christo omnes conditiones assignatæ ab Hurt. adhùc tamen deficit illa conditio, quod non est naturaliter à Deo productus, sed liberè, quam conditionem exigi necessariò ad filiationẽ naturalem ostendi in lib. de Gener. disp. cit. hac enim ratione tanquam præcipua Spiritus Sancti productio non est generatio, nec Spiritus Sanctus dicitur filius, quia liberè, & non naturaliter procedit. Deinde falsum est, adesse alias conditiones; nam non oritur principio vitæ coniuncto; eo quia principium coniunctum est illud, quod cum sit de substantia patris, tamen constituit postea filium in proprio esse substantiali, ratione cuius esse dicitur filius naturalis patris, sed nec diuinitas, nec Verbi personalitas constituunt Christum in esse humano, ergo quamuis sint coniunctæ humanitati per vnionem hypostaticam, non tamen erunt coniunctæ coniunctione requisita ad filiationem naturalem; maior patet ex communi consensu Phylosophorum, & Theologorum, explicaturq; exemplo seminis, per quod proles constituitur in proprio esse substantiali, secundùm quod fundat rationem filiationis; minor est euidens. Tùm quia in sentẽtia Hurt. Christus vt homo est filius naturalis totius Trinitatis, ergo deberet esse vt homo coniunctus toti Trinitati, nõ solùm mediatè ratione diuinitatis, sed immediatè ratione personalitatum, quia coniunctio hypostatica non terminatur ad diuinitatem, sed ad personalitatem Verbi; hoc autem est falsum, quia non est paternitati, aut spirationi passiuæ vt homo coniunctus, ergo &c.

32 Nec minùs falsum est, Christum vt hominem habere similitudinem in natura requisitam ad filiationem; ad hanc enim similitudinem requiritur vtiq; gradus intellectualis (brutum enim largè, & impropriè dicitur filius alterius) sed debet esse specificus; deinde debet hæc similitudo specifica acquiri à filio ex vi propriæ productionis, sed nulla ex his conditionibus

nibus est in similitudine, quam habet Christi humanitas ad Deum, ergo &c. maior quò ad primam partem prob. quia hac ratione Patres contra Arrianos ostendunt, Verbum esse eiusdem, & æqualis omninò naturæ cum Patre, quia scilicet generatur, & est filius Patris, quæ consequentia non rectè inferretur, si ad filiationem naturalem sufficeret minor similitudo, quàm specifica: quò ad 2. partem prob. quia hac ratione quamplurimi Theologi ex vtraq; Schola negant, productionem Spiritus Sancti esse generationem quia licèt communicetur Spiritui Sancto similis natura, non tamen ex vi suæ productionis, ergo requiritur, quòd productio filij ex se tendat, & formaliter ad communicandam naturam similem, non autem materialiter; minor quò ad 1. partem est clara, est enim in homine adsit ratio imaginis, & similitudinis, de qua in tract. de Trinitate, non tamen est similitudo specifica; quò ad 2. partem prob. quia nec productio humanitatis Christi ex se, & formaliter tendit ad similitudinem in natura diuina, sed materialiter, & per accidens, vt patet; nec vnio hypostatica ex se tendit ad similitudinem in natura, sed solùm ad vnitatem suppositi.

33 Ait Hurt. Spiritus Sancti productionem non esse generationem, quia non communicatur substantia Dei, vt fœcunda ad intra, & consequenter non vt natura, quæ ratio fuit Ioannis Maior. apud Bargium 1. d. 13. ad arg. princ. & Riccardi. Sed falsò, quia vt dixi in lib. de Gen. cit. per naturam hìc intelligitur essentia, & substantia, & parùm refert, quòd sit, vel non sit fœcunda. Tùm quia nec productio Verbi esset generatio, quia essentia vt in Filio non est fœcunda alterius Filij; & quamuis sit Spiritus Sancti fœcunda, hoc autem ad generationem Filij omninò per accidens se habet, nam si per impossibile in Deo daretur sola Verbi productio, rectè diceretur generatio, & Verbum filius.

34 Alij resp. Christum vt hominem esse filium naturalem Dei, quia est similis Deo ratione naturæ diuinæ hypostaticè vnitæ, esseq; Deo coniunctum ratione personalitatis. Sed ex dictis refutatur, quia hęc similitudo non est ex vi productionis humanitatis Christi. Tùm quia hoc est afferere, Christum non ratione humanitatis, sed suppositi diuini esse filium Dei naturalem, quod concedimus.

35 Suarez alia incedit via; distinguit enim de duplici naturali filiatione, vna propria, & rigorosa, & est, quæ fundatur in physica generatione tendente ad similitudinem naturæ, & hac Christus vt homo non dicitur filius naturalis Dei, altera fundata in vnione hypostatica, quæ est impropria, & per quandam analogiam ad veram filiationem naturalem, quam imitatur, quatenùs sicut filius naturalis habet ius in hæreditatem ex vi generationis substantialis, sic Christus habet tale ius fundatum ex vi substantialis vniònis hypostaticæ; & hac filiatione Christus dicitur filius naturalis Dei.

36 Sed iam reducit difficultatem ad quæstionem de nomine, & absq; necessitate quidem; nam aperit viam hæreticis, & quòd possint appellare Spiritum Sanctum filium Dei, quatenùs productio ipsius dici possit generatio, sed impropria; & etiam quòd Christus dicatur filius Dei adoptiuus, nam adoptio impropriè est filiatio naturalis, & per quandam similitudinem, ac imitationem. Tùm quia si Christus vt homo impropriè est filius Dei naturalis, non debet absolutè, & sine limitatione appellari naturalis filius Dei; cum igitur à Patribus filius naturalis semper in rigore fuerit acceptus, vt omnimodè ipsum negarint à Spiritu Sancto, in tali rigore quoq; debet à nobis accipi.

37 Dico secundò, Christus vt homo dici debet filius Dei proprius, & consequenter totius Trinitatis; in hac conclus. ex parte conuenio cum Bernal, & ex parte dissentio; conuenio quidem in proprietate filij Dei, nam vt rectè ipse demonstrat, Christus etiam vt homo speciali modo dicitur filius Dei, quàm cæteri homines, quod colligitur ex illis testimonijs, in quibus Christus specialiter vocat *Patrem suum*, & Pater vocat Christum *filium suum*, Ioan. 5. *Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor*, & c. 8. *Qui videt me, videt & Patrem meum*; & c. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*, Matth. 26. *Pater mi, si possibile est*, &c. & Ioan. 17. *Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te*. Sed clarissimè habetur Matt. 3. *Hic est filius meus dilectus*, & ab Apostol. Roman. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, quæ authoritas intelligitur de Christo secundùm humanitatem, quia non pepercit Christo vt Verbo, nec tradidit Christum vt Verbum, sed vt hominem; & in hoc sensu interpretatur Concilium Francofordiense in Epistol. ad Episcopos Hispaniæ col. 4. *Hic est Filius meus dilectus, meus dixit; addidit quoque dilectus, vt intelligeretur proprius esse filius, sicut Apostolus dixit, proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*; & in lib. Sacrosyllabo col. 5. *Hic est filius meus dilectus, ac si diceret, Iste, super quem Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit, & filius est, & dilectus est, & meus est, & hic est, quem Spiritus Sanctus proprium esse meum filium singulariter demonstrauit*. vt fusiùs in sequenti articulo ostendam. Accedit ratio, quia Christus vt homo non est filius Dei adoptiuus, vel extraneus, ergo non extraneus, & non alienus, ergo proprius, hoc enim videtur significare ly proprius, scilicet negationem extraneitatis.

38 Dissentio tamen in ratione filiationis, quam assignat, dum ait, Christum vt hominem dici filium Dei, quatenùs rationalis creatura speciali modo dicitur Dei filia, quàm cæteræ; non quòd ista acceptio sit falsa, vel non vsitata in sacra Scriptura, sed quoniam est nimis ampla, conuenitq; tàm prædestinatis, quàm reprobis; sicut igitur Electi speciali modo dicuntur filij Dei, quo non dicuntur reprobi, ratione scilicet iuris, quòd per gratiam habent in hæreditatem diuinam, pariformiter Christus speciali modo dicetur filius Dei, scilicèt propter plenitudinem gratiæ, quam vt homo accepit in incarnatione; hinc Ioan. 10. ipse Christus ait, *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemat, quia dixi, Filius Dei sum?* vbi fit comparatio inter Christum, & iustos? similiter ad Rom. 8. Christus dicitur *primogenitus in multis fratribus*, & hoc quidem quatenùs homo, nam quatenùs Deus dici solet à Patribus vnigenitus, non primogenitus, fratres autem sunt electi, non reprobi, ergo Christus vt homo dicitur filius Dei, non solùm quia rationalis est creatura, sed etiam quia sanctus, & innocens, segregatus à peccatoribus, & per gratiam ius habens in hæreditatem.

39 Ex quibus infero primò, hanc Christi filiationem propriè fundari in ipsa gratia, non in vnioue hypostatica, quia si Verbum assumpsisset naturam peccatricem, tunc vt homo non habuisset talem filiationem; proprietatem verò huius filiationis fundari in vnione hypostatica, in tantùm enim est filius Dei proprius, non alienus, vel extraneus, quia ante infusionem gratiæ habebat dispositionem de congruo, quæ fuit vnio hypostatica, vt dixi articulo præcedenti.

40 Infero secuodò, Christum vt hominem esse filium proprium totius Trinitatis; prob. quia ex dictis ratio, seù fundamentum filiationis est ipsa gratia, per quam habetur ius ad gloriam, sed collatio gratiæ, & iuris ad gloriam est opus Dei ad extra, opera autem ad extra sunt totius Trinitatis, & indiuisa, ergo Christus vt homo respicit per relationem istam filiationis ipsum Deum, & consequenter totam Trinitatem, sicut cæteri iusti. Similiter quia ratio proprietatis fundatur in vnione hypostatica, quæ à tota Trinitate fuit producta, idcirco etiam vt filius proprius respicit ipsum Deum, & totam Trinitatem; licèt appropriatè possit dici filius Patris, vel Spiritus Sancti, sicut etiam & collatio gratiæ, & productio hypostaticæ vnionis solent secundùm varias rationes Patri, vel Spiritui Sancto appropriari.

41 Infero tertiò, non rectè Vulpes disp. 31. art. 6. num. 6. ad secundū asserere, hanc relationem filiationis (quam ipse docet esse naturalem) fuisse effectiuè productam à tota Trinitate, sed terminatam ad solam Patris personam, & consequenter Christum vt hominem esse filium, non totius Trinitatis, sed solius Patris. Quòd sit falsum, probo, quia talis relatio filiationis certè non pertinet ad primum modum relatiuorum, quia non fundatur super vnum, & multa, essetq; relatio, vel identitatis, vel similitudinis, vel æqualitatis, quòd est falsum; Neque spectat ad tertium modum, quia oon est relatio mensurati ad mensuram, quare reducetur ad secundum modum fundatum super potentiam actiuam, & passiuam, sicut etiam quælibet relatio filiationis ad talem modum reducitur, ergo nequit terminari ad solam Patris personam; probo conseq. quia ratio terminandi, quæ est potentia actiua Dei, non est in sola persona Patris, sed in tota Trinitate, ergo omnes personæ simul terminabunt. Tùm quia personalitas Patris non videtur posse terminare aliam relationem, nisi vnionis hypostaticæ, propter incommunicabilitatem, quam in se habet, vt ostendi disput. 1. num. 31. de relatione naturæ ad Verbum, hæc tamen relatio non est filiatio.

42 Infero quartò, hanc relationem filiationis non spectare ad genus entis realis, sed ad genus moris, quod quidem formaliter est ens rationis; & præcipua ratio huius est, quia gratia non ex natura rei secundùm Scotum constituit hominem hæredem beatitudinis, sed ex diuino beneplacito, ergo esse hæredem, & habere ius non est quid reale, sed morale, hoc autem, cum sit denominatio extrinseca, erit ens rationis. Esse autem proprium, seu non alienum, erit quid reale, quia dicit relationem vnionis hypostaticæ, qua natura humana denominatur Deo coniuncta substantialiter, & consequenter aliquid Dei.

43 Tandem infero, quòd si Pater vel Spiritus Sanctus fuisset incarnatus, talis persona vt homo diceretur hac relatione filius Dei proprius in ordine ad totam Trinitatem, eadem enim ratio militaret hic, & ibi.

44 Contra primam conclus. præter authoritates, de quibus art. seq. instatur adhùc ratione; quia Christus vt homo non est filius Dei adoptiuus, ergo naturalis; prob. conseq. quia apud omnes Doctores hæc duplex filiatio reperitur, imò filium proprium cum naturali confunditur. Tùm 2. Christus vt homo includit filiationem diuinam naturalem, ergo vt homo est filius naturalis Dei; prob. conseq. ... as est subiectum aptum ad recipiendam denominationem à filiatione naturali diuina prouenientem, ergo si est filiationi vnita, constituet filium Dei naturalem, sicut quia est apta cum subsistentia ad constituendam personam, quando vnitur cum diuina subsistentia, constituit personam diuinam.

45 Resp. ad 1. neg. conseq. cum probat. eoquia & ipsi aduersarij, quamuis quo ad nomen assignant solùm duas filiationes, in re tamen filiationem naturalem diuidunt in duas, dum ponunt differentiam inter filiationem naturalem ex vi generationis physicæ, & ex dono vnionis; præterquamquòd filiatio propria habet fundamentum in sacra Scriptura, & Patribus, è quibus Bernal num. 58. adducit Hugonem de Sancto Victore tom. 3. in Apolog. de Verbo incarnato c. 3. dicentem, *Filius tribus modis dicitur, Adoptione, vt nos per fidem, Susceptione, vt Mediator, scilicet homo assumptus, Natura, vt Verbum, quod eadem substantia est cum Patre, non persona, & eadem persona cum Mediatore, non substantia.* Ad 2. solùm probat, Christum vt hominem esse filium Dei naturalem, pro vt ly homo concernit suppositum diuinum, & ratione filiationis æternæ, non autem ratione humanitatis; ad probat. concedo, humanitatem cum filiatione posse constituere personam subsistentem, quia ad rationem personæ sufficit, quòd incommunicabiliter existat in natura intellectuali, nego tamen, posse constituere filium Dei naturalem, quia ad ratiooem filij requiritur origo naturalis in similitudinem naturę principio vitæ coniuncto, quod humanitati Christi in ordine ad Deum minimè conuenit; Sicut si Pater fuisset incarnatus, tunc vt homo non diceretur Pater Verbi, quia humanitas non faceret referre hominem illum ad Verbum, vt producentem ad productum in similitudinem naturæ, quamuis vt includeret paternitatem, posset & io sensu specificatiuo improprio dici Pater Verbi; ita modò humanitas non refert Christum vt productum in similitudinem naturæ, licet in sensu specificatiuo improprio Christus vt homo dicatur filius Dei, & etiam vt ly homo concernit suppositum.

46 Contra 2. conclus. quatenùs deducitur, Christum vt hominem esse filium totius Trinitatis, instatur ex Concil. Tolet. xj. & ex D. Aug. in Enchirid. c. 39. & 40. negantibus, Christum vt hominem dici posse filium Spiritus Sancti. Tùm 2. relatio filiationis cadit supra totum suppositum, sed suppositum Christi in ratione filij refertur ad solum Patrem, ergo &c. Tùm 3. ex Auersa; Christus quandocunq; in sacra Sciptura dicitur filius Dei, semper intelligitur relatiuè ad solum Patrem, & dicitur specialiter ratione personæ filij incarnati, ergo non debet admitti alia filiationis denominatio in ordine ad totam Trinitatem; antec. prob. quia si v.g. illa authoritas; *Tu es Christus filius Dei viui*, posset ad omnem personam

diuinam

diuinam referri, & idem quòque dici posset si alia diuina persona fuisset incarnata, iam non rectè Patres, & Concilia ex hac, & similibus authoritatibus inferrent distinctionem realem Verbi à Patre, & eiusdem Verbi incarnationem, quia idem contingeret, si Pater fuisset incarnatus; neque ex mutua oppositione relationum paternitatis, & filiationis posset deduci euidenter, Patrem, & Filium esse duas personas realiter distinctas, nam & Christus in nostra sententia dicitur filius Verbi, & Verbum dicitur Pater Christi.

47 Resp. ad 1. Concilium, & D. Augst. negasse, Spiritum Sanctum dici posse Patrem Christi, quamuis Christus dicatur natus ex Spiritu Sancto, loquendo de paternitate humano modo, scilicet per seminis commixtionem. Ad 2. nego assumptum, relatio enim illa (quamuis esset realis) in sola natura humana reciperetur, licèt secundùm denominationem denominaret totum suppositum, quod non implicat, & maximè si Christus sumitur cum specificatione humanæ naturæ, vt in præsenti. Ad 3. quod fusè prosequitur Auersa, respondeo, magnam esse differentiam inter istam propositionem, *Christus vt homo, seù secundùm humanitatem est filius totius Trinitatis*, & cæteras authoritates sacræ Scripturæ, in quibus Christus dicitur filius Dei, vel Patris, nam in istis non fit specificatio naturæ, sed solius suppositi, & consequenter rectè ex istis authoritatibus infertur distinctio Verbi à Patre, eiusq; incarnatio; tùm quia est sermo de filiatione naturali per veram generationem; at in nostra propositione specificatur natura, & est sermo de filiatione ex dono per gratiam, & vnionē hypostaticam, idcircò negatur paritas; præterquamquòd non semper authoritates illæ sumuntur in ordine ad solum Patrem, præcipuè quando est sermo de Christo vt homine, vt in illa, *Qui proprio filio non pepercit*. Verum est, quòd propter æquiuocationem cautè vti debemus hac propositione, *Christus vt homo est filius totius Trinitatis*, & cum debita explicatione, ne suspicio detur, quòd admittatur quarta persona in diuinis, aut Christus sit pura creatura.

48 Dices, Scotus in 3. d. 10. q. vn. in rationibus principalibus volens ostendere, Christum non esse filium adoptiuum, probat ex hoc, quòd Christus esset filius Trinitatis, quia tota Trinitas adoptat, & sic esset filius sui, quod tamen habet pro inconuenienti, ergo nullo modo in sententia Scoti debet admitti, Christum vt hominem esse filium Trinitatis. Resp. rationes principales, quas Doctor in principio cuiuslibet quæstionis solet proponere pro vtraq; contradictionis parte, non semper inferre authoritatem, quia vt in plurimùm Doctor adducit tanquam communes, & apud omnes versatas, non tamen secundùm propriam sententiam, nisi quando in corpore quæstionis illis denuo vtitur, quod non fecit in præsenti.

Articulus Quartus.

Quid sit de fide tenendum in hac materia.

49 CIrca Christi filiationem primò errarunt Cherintus, Nestorius, & Bonosus, cum aliis hæreticis antiquioribus, ponentes duas personas in Christo, separantes Iesum à Christo, Iesum quidem esse filium Dei, Christum verò filium hominis purum, vt retuli disp. 2. num. 2. qui error fuit præcipuè damnatus in Concil. Ephes. Deinde tempore Caroli Magni circa filiationem Christi errauit Elipandus Archiepiscopus Toletanus cum Felice Vrgelitano Episcopo, qui docuit, Christum esse filium Dei adoptiuum; qui error antea fuerat assertus à Teodisco Hispalensi Antistite damnato in Concil. Tolet. quinto; Elipandus verò, & Felix fuerunt damnati primò in Concil. Ratisponensi, postea instante Carolo Magno in Concilio Francofordiensi, quod fuit vniuersalius, quippe trecentorum Episcoporum; & quamuis non fuerit generale, sed nationale, attamen interuenit authoritas Adriani Summi Pontificis, tùm per Legatos præsidentes, tùm per epistolam ipsius Adriani ad Concilium directam. Verum est tamen, quòd hoc Concilium diu latuit, & solùm superiori sæculo anno Domini 1567. opera Laurentij Surij fuit inuentum, & promulgatum secundùm partem, scilicet Epistola Adriani ad Episcopos Hispaniæ, Epistola Concilij ad eosdem, & liber Sacrosyllabus approbatus ab eodem Concilio, habenturque in tomo 3. Conciliorum.

50 Vt igitur sciamus, quid nam sit de fide tenendum in hac materia de filiatione Christi, primò examinanda erit authoritas huius Concilij; Secundò, qui fuerit error Elipandi; vt tandem tertiò, intelligamus mentem Concilij, quidue fuerit damnatum vt hæreticum.

51 Circa primum potest de authoritate illius Concilij dupliciter dubitari, vel absolutè de Concilio in se spectato, vel pro vt iam fuit à Surio promulgatum; de Concilio in se spectato dubitatur, vel quia tot sæculis latuit in Ecclesia, vnde nec D. Bonauentura, nec S. Thomas, neque Scotus Theologorum Princeps huius Concilij mentionem fecerunt, signum euidens, nō fuisse celebratum; vel dubitari potest ex hoc, quòd fuit nationale, non vniuersale, & consequenter non inducit obligationem credendi tanquā de rebus fidei. Contra Concilium à Surio editum instatur, quòd non sit genuinum, sed suppositium, eoquia stylus videtur alienus ab alijs Concilijs, nam non solùm Elipandum, & Felicem lacessit conuicijs, & iniurijs, sed etiam omnes Hispaniæ Episcopos, & præcipuè Eugenium, Ildefonsum, & Iulianum doctissimos, & Sanctissimos Ecclesiæ Toletanæ Antistites vt hæreticos arguit. Tùm quia quasdam rationes, & authoritates affert ad demonstrandam suam sententiam, quæ vtique facilè soluuntur, & à quibusdam Theologis non multùm estimantur. Et tandem quia neq; Surius affert, ex quo loco, aut exemplari illud sumpserit, quod tamen in re tàm graui tacere non debuit.

52 Verùm quantum attinet ad Concilium in se, minimè dubitari debet, quia vt videre est apud Suarez, & Vasq. quamplurimi, & grauissimi Historici huius Concilij meminerunt; quod autem diù latuerit, parùm refert, quia & in alijs Concilijs idem contigit, tale fuit inter alia Concilium Remense, non enim est nouum, negligētia Doctorum libros temporis spatio prorsus ignorari. Similiter non obstat, quòd non fuerit vniuersale, quia & Legati Adriani Papæ interfuerunt Theophylatus, & Stefanus, vt refert Ado, & Adrianus ipse per suam epistolam decretalem illud videtur approbasse, quare intercessit authoritas Ecclesiæ Romanæ.

53 Quantum attinet ad editionem Surij, quæ primò obijciuntur, parùm vrget, nam quòd stylus sit acer, & rigidus, non est mirum, quia & Felix fuerat in errorem relapsus, cum priùs illum Romæ abiurasset coram Summo Pôtifice ex decreto Concilij Ratisponensis, & Elipandus magnam authoritatem in Hispania sibi arrogare satagebat, idcirco vim vi repellere licuit, magna scilicet libertate illorum peruicaciam redarguere; tùm quia non est determinatus stylus Summis Pontificibus, & Concilijs; quòd verò omnes etiam Sanctos Episcopos vt hæreticos impingat, etiã nihil facit; quia taliter loquitur ex suppositione, quòd in eundem errorem incidissent, prout ab Elipando, licet falsò, adducebantur pro sua sententia, hoc enim supposito, vtiq; debebant redargui, quia ipsorum authoritas non est cum Ecclesiæ Romanæ authoritate comparanda, nec erat necesse, Adrianum, & Concilij Patres scripta illorum Episcoporum oculatim inspicere, præcipuè quia non erat adhùc nota ipsorum sanctitas, & doctrina. Quod secundò adducitur de illis rationibus, soluetur infra examinando alia puncta. Magis viget tertia ratio, ob quam multi Scolastici de authoritate illius editionis dubitarunt; inter quos nouissimè est Centinus noster disp. 11, c. 6. num. 232. & seq. vbi vt ostendat dubietatem huius Concilij inter alios adducit Bellarminum asserentem, Concilium illud fuisse ab Adriano cõfirmatum in ea parte, qua determinauit de filiatione Christi, & reprobatum in ea parte, qua septimam Synodum damnauit. Imò Suarez ipse docet, Concilium à Surio editum non cõtinere infallibilem fidei veritatem, licèt temerarium, & periculosum sit, illud reijcere, vtpote contra communiorem Scolasticorum sententiam illud vt genuinum amplectentem. Quapropter ex hoc capite dubitatio fundamentum habet, eo quia licèt Surius fuerit vir doctissimus, & pius, potuit tamen falli.

54 Circa secundum notandum, quòd dupliciter potest in hac materia errari, vel circa rem, & substantiam incarnationis, vel circa modum loquendi; primo modo erratur, si quis putaret, Christum esse filium Dei adoptiuum, quia Christum distingueret à Verbo filio Dei viro, & diuino, & duas poneret personas in Christo, vnam diuinam habentem filiationem naturalem, alteram humanam fundantem filiationem adoptiuam, vnitas tamen affectu, vel alia accidentali vnione; talis fuit opinio Nestorij, qui propter vnionem illam accidentalem, etiam fatebatur vnam in Christo personam, vnumq; filium, sed non vnitate propria, & substantiali, sed impropria, & accidentali, scilicet dignitate, & assistentia, & honore; vel filiationem referebat ad solum Dei Verbum; ita refert Cyrillus relatus in Concil. Francoford. col. 10. *Nestorius in suis expositionibus simulat, se dicere vnum filium, & vnum Dominum, sed refert filiationem ad solum Dei Verbum;* similiter 5. Synodus Collat. 8. Can. 4. anathematizat, *qui dicit vnam personam secundùm dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodorus, & Nestorius insanientes conscripserunt;* Idem refert Iustinianus in edicto fidei. Secundo modo erratur, si quis crederet vnam personam in Christo in duabus naturis subsistentem diuina, & humana, sed vt Deum esse filium Dei naturalem, vt hominem filium adoptiuum, quo sensu locuti sunt Dur. Rubionus, & quidam alij. Dubium est inter Recentiores, an Felix, & Elipandus in primo sensu errauerint, itaut cum Nestorio conuenerint, an in secundo sensu, itaut fuerint postea ab illis Scolasticis imitati in modo loquendi.

55 Vasq. disp. 89. c. 8. hanc secundam partem tuetur, quem sequitur Lugus disp. 28. sect. 3. & ex parte Hurt. disp. 83 sect. 2. qui addit, Elipandum ex parte fuisse Nestorianum, quia putauit, Christum priùs tempore extitisse purum hominem; & ex parte dissentisse à Nestorio, quoniam admisit deinde veram, substantialem, & hypostaticam vnionem. Ex aduerso Suar. 2 disp. 49 sect. 3. Auersa q. 23. sect. 2. Bernal disp. 64. docent, Elipandum in Nestorianismum incidisse, & in primo sensu errasse; pro quo adducunt Alcuinum Caroli Magni Magistrum, qui & in Concil. Francoford. interfuit, Ionam Aurelianensem, qui eodem sæculo huius Concilij scripsit, Sigerbertum, D. Antoninum, Paulum Æmilium, Nauclerum, Gallisardum Arelatensem, Prateolum, Feuardentium, Sanderum, Ioannem Marianam, Gualterum, Gordonium, Baronium, Faustum Verdelium, & Auctorem Notarum ad idem Concilium Frãcoford. hi omnes vnanimiter docent, Elipandum duas admisisse in Christo personas cum Nestorio.

56 Et quidem hæc opinio non solùm authoritate tot Doctorum fulcitur, sed etiam euidenter deducitur ex ipso Concil. & epistola Adriani; & potest primò probari, quia Nestorius, non solùm duas naturas in Christo ponebat, sed etiam duo supposita, diuinum, & humanum; Elipandus duo quoq; supposita, duosq; filios admittebat, naturalem, & adoptiuum, & consequenter diuinum, & humanum, ita colligitur ex confessione ipsius Elipandi ex antiquo originali Gothico, & ex libro quodam Beati, & Heterij aduersùs Elipandum edito, vt refert Vasq. *Christus adoptiuus est humanitate, & nequaquam adoptiuus diuinitate; Quia non per illum, qui natus est de Virgine, visibilia, & inuisibilia condidit, sed per illum, qui non est adoptione, sed genere, neq; gratia, sed natura,* quibus claret per ly *illum*, *& illum* duas distinguere personas, filios, & supposita. Nestorius, quamuis duo supposita in re admittebat, aut hypostases, adhùc tamen propter vnionem accidentalem affectus, vel assistentiæ, & propter dignitatem has hypostases vnam appellabat personam, & sic in re docebat dualitatem personarum, solùm in voce vnitatem; Elipandus illos duos filios naturalem, & adoptiuum vnione charitatis, & affectus vnam appellabat personam; ita docet in illa confess. cit. *Homo interior in vna, eademq; Dei, & hominis persona adglomeratus, & carnis vestimento indutus;* vbi per hanc adglomerationem non aliud intelligit, quàm copulationem, & accidentalem vnionem Nestorianam, sicut ipsemet ibidem se explicat, dicens, *Sicut homo adhærendo vxori suæ, cum sint duæ personæ, iam non sunt duo, sed vna vocatur caro; & sicut multorum animæ in dilectione Dei vnum est cor, & vna efficitur anima;* idem quoq; habet Concil. *Videtur enim Nestorium dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem; quid enim est adoptio, nisi charitatis copulatio, qua pater sibi copulat filium, quem proprium non habet?* ex quibus apparet, Elipandum solùm vocibus differre à Nestorio, hic enim dualitatem exprimit per hypostases, vel supposita, vnitatem per copulationem affectus; Elipandus verò dualitatem explicat per filios naturalem, & adoptiuum, vnitatem verò per adoptionem, & charitatis vnionem.

57 Secundò prob. ex hoc, quòd Concil. & Adrianus impugnant Elipandi sententiam illis authoritatibus

bus Scripturæ, quibus Patres Antiqui contra Nestoriũ ostendebant vnitatẽ suppositi in Christo; item quoq; cõfirmant Canone Athanasij, & Nazianz. damnantũ dualitatem suppositorum in Christo signum euidens, Elipandum extitisse Nestorianum; Nec valet responsio aduersariorum, Concilium, & Adrianum hoc inferre, non quia fuerat ab Elipando assertum, sed quia ex sua opinione necessariò deducebatur, vnde deducũt Elipandum ad absurdum Nestorianismum, quod ab eodem pro absurdo quoq; habebatur, Non valet, quia si Elipandus pro absurdo habuisset dualitatem suppositorum, ad quid Concilium, & Adrianus tantùm laborant, vt ostendant vnitatem personæ, si hæc vnitas concedebatur ab Elipando? potiùs debuissent illationem dualitatis demõstrare ex opinione Elipandi. Tùm quia in Libello Sacrosyllabo col. 3 habetur. *Heresim veternosam illustrium virorum calcibus mirabiliter inculcatam, catholicaq; falce olim funditùs detruncatam, spinoso moliuntur reditiua radice suscitare de stirpe;* & col. 8. vocat *Elipandum, & Felicem nouos Ecclesiæ hostes, sed veternosa fæce perfidiæ pollutos;* ne autem suspicetur, Elipandum non ex propria sententia, & expressè Nestorianam hæresim asseruisse, sed implicitè, & ex quadam illatione, subditur in col. 3. *Non duo filij alius hominis, alius Dei, vt (sicut illi errando æstimant) adoptiuus sit hominis filius, & sine adoptione Dei filius,* ponderãdum est ly *sicut illi errando æstimant,* his enim verbis clarissimè infertur, Elipandum in Nestorianismum incidisse. Tùm quia, quòd Christus vt homo, dicatur filius adoptiuus, aliqui Scolastici postea asseruerunt, contra quos neq; Concilia, neq; Summi Pontifices insurrexerunt; nec illi Theologi tanquam hæretici fuerunt damnati, & tamen Elipandum tàm acriter Concilium, & Adrianus sunt insecuti, vt aliqui Scolastici ex hoc capite dubitarint de veritate illius Concilij, & epistolæ Adriani, ergo Elipandi error non fuit solùm in voce, & in modo loquẽdi, sed de re, & circa incarnationis substantiam.

58 Quod tandem ait Hurt. Elipandum vtriq; Nestorio consensisse, quia vnionem hypostaticam negabat fuisse factam in instanti conceptionis, sed differentiam, dum asserebat, fuisse deinde factam in posteriori tempore; hoc quidem sine vllo fundamento asseritur, & ex proprio capite docetur; ab Hurt. quia nullus Doctorum hucusq; Elipandi sententiam hoc modo explicuit;& ipse solum ducitur fundamento, mouetur enim ex verbis Concilij *Adoptiuus siquidem nõ habet aliam significationem, nisi vt Iesus Christus non sit proprius filius Dei, nec ex Virgine ei in filium genitus, sed nescio ex qu' seruo adoptatus in filiatatem, vt vor dicitis;* cuius rationem reddens subdit, *Non priùs in vtero Virginis caro concepta est, & postmodum diuinitas venit in carnem, sed mox vt Verbum venit in v. erum, mox Verbum seruata propria natura factum est caro,* ergo, inquit Hurtadus, asserebat Elipandus, vnionem hypostaticam fuisse factam, non in conceptione humanitatis Christi, sed postea. Hæc tamen consequentia est nulla, quia nunquam docuit Elipandus, Christum vt hominem fuisse adoptatum vnione hypostatica, hæc enim vnio non est adoptio, & tamen Concilium arguit Elipandum, quod concesserit, Christum vt hominem priùs extitisse seruum peccati, & deinde ex seruo in filiatatem adoptatum, ergo malè infertur, Elipandum concessisse vnionem hypostaticam factam post humanitatis conceptionem. Sensus igitur illorum verborum est, Christum vt hominem non fuisse priùs seruum peccati, quia simul humanitatis conceptio, & vnio ad Verbum fuit facta.

59 Dices, si Elipandus verè Nestorianus fuit, cur tàm audacter Concilium petijt a Pontifice, & Carolo Magno? iam enim Nestorianus error fuerat in multis Concilijs anteà damnatus. Tùm quia Concilium ipsum affirmat, Elipandum in nominibus errasse, sic enim ait col. 15. *Dices, cur times adoptiuum Christum nominare? dico tibi, quia nec Apostoli eum sic nominarunt, nec Sancta Dei Ecclesia consuetudinem habuit sic nominandi;* & infra, *Nolite fratres noua, & incognita nomina fingere, nolite per humanas inuentiones fluctuare; Nolite nouas versare quæstiunculas.* Tùm 3. error Nestorij idem erat cum errore Bonosi, & tamen hunc Elipandus anathemathizauit, vt habetur in Concil. col. 10. ergo &c.

60 Resp. ad 1. impudentiam, & audaciam non esse nouam in hæreticis; tùm quia verbis à Nestorio dissentiebat, & ex hoc capite suum errorem vt diuersum defendere conabatur; vnde nec Concilium Ratisponense satisfuit, illum ab hæresi amouere. Ad 2. errorem Elipandi in re non fuisse nouum, vt patet ex testimonijs Concilij, & Adriani iam adductis, sed fuisse nouum quo ad vocem adoptionis. Ad 3. imò ex eo Concilij loco oppositum deducitur, ait enim, *Non ne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab vniuersali Sancta Ecclesia refutata est etiam, ac damnata? Quapropter illum anathemathizare noluistis, dum alios, Bonosum scilicet, Arium, & Sabelium, Manichæumq; qui a praue de Dei filio senserunt, in epistola vestra anathemathizastis;* quibus verbis ostenditur, errorem Nestorij aliquo modo fuisse diuersum ab errore Bonosi, eoquia Nestorius non tàm apertè, vt Bonosus, in Christo distinguebat supposita, quoniam adhùc vnã admittebat personam vnitate dignitatis, quibus verbis suum dissimulabat, & occultabat errorem, sicut etiam fecit Elipandus nomine adoptionis. Vel dicendum, Bonosum adoptionem attribuisse ipsi Verbo diuino, quod putauit cum Ario esse puram creaturam, vt innuit Suarez disp. 49. sect. 3. §. *Dico quartò.* Aliæ rationes inter arguendum sunt solutæ.

61 Quò ad Tertium principale huius art. quænam scilicet propositiones sint in hac materia de filiatione Christi credendæ de fide; est sciendum, quòd diuersæ propositiones possunt in hac materia formari, tùm ex parte subiecti, tùm ex parte prædicati; subiectum enim est ipse Christus, qui dupliciter accipi potest in propositione, vel simpliciter, & solitariè, vel cum particula reduplicatiua, scilicet *in quantum homo,* quæ adhùc dupliciter sumitur, vel vt concernit suppositum diuinum, vel vt solam humanitatis naturam reduplicat. Possunt etiam propositiones ex parte prædicati, quod est ly *filius,* variari, & quia in nostra sententia datur triplex filiatio, scilicet naturalis, adoptiua, & propria, consequenter triplex propositionis genus potest formari, primum, in quo filius naturalis prædicetur de Christo, secũdum, in quo filius adoptiuus, & tertium, in quo filius proprius dicatur; & cõsequenter potest etiam aliud assignari, in quo filius Dei vt sic, & præcisiuè de Christo enuncietur. Hoc prænotato.

62 Primò certum est, propositiones omnes, in quibus esse filium Dei naturalem prædicatur de Christo, siue absolutè, siue cum reduplicatione concernente suppositum Verbi, esse de fide, & oppositas negatiuas esse hæreticas; prob. quia Christus vt sic est suppositum

positum Verbi, de fide autem est, Verbum esse filium Dei naturalem definitum in multis Concilijs, præcipuè Nicæno contra Arium, ergo de fide est, Christum esse filium Dei naturalem, & oppositum esse hæreticum; sic etiam de fide erit, Christum vt hominem esse filium Dei naturalem, prout ly homo concernit suppositum Verbi. Idem dicendum de filio proprio, quia Verbum non est filius extraneus Deo, ergo proprius. Et quoniam esse filium adoptiuum nullo pacto cõuenit Verbo, idcirco de fide est, Christum in hac acceptione non esse filium adoptiuum, & hæreticum erit, oppositum affirmare. Verum est, quòd si humanitati Christi conueniret adoptatio, posset in rigore logico dici, Christus est filius Dei adoptiuus, sicut dicitur, Christus est passus, ast mortuus, licèt solùm ratione humanitatis, vt in simili ostendi disp. 5. q. 4. art. 2. sed an sit de fide, Christum secundùm humanitatem non esse adoptiuum, dicemus infra; quæ omnia ex dicendis magis clarescent.

63 Secundò dico, hanc propositionem non esse de fide, *Christus vt homo*, idest, *secundùm humanitatem est filius Dei naturalis*; hæc conclusio non solùm sustinetur ab illis, qui negant, Christum secundùm humanitatem esse filium naturalem Dei, sed etiam ab aliquibus oppositæ sententiæ, & præcipuè Suarez disp. 49. sect. 3. & sequitur ex dictis art. præced. si enim ista propositio est in se falsa, certè nequit esse de fide, quæ est de veris.

64 Tertiò dico, sumendo adoptionem in sensu explicato art. 1. hanc propositionem esse de fide, *Christus vt homo*, seù *secundùm humanitatem non est filius Dei adoptiuus*; & consequenter affirmatiuam oppositam esse hæreticam; hæc conclusio est contra Suarez cit. & Cẽtinum disp. 10. c. 6. estq; communior, præsertim apud asserentes, errorem Elipandi non fuisse Nestorianum; prob. primò authoritate Concilij Francofordiensis, & Adriani Papæ, quamuis enim intentum primarium Concilij, & Adriani fuerit, damnare Elipandi errorem asserentem in Christo duos filios naturalem, & adoptiuum, attamen ex consequenti omnem adoptionem a Christo abstulerunt, eoquia si Christus esset filius adoptiuus secundùm humanitatem, necessario non esset filius Dei naturalis, & si est Dei filius naturalis, necessariò deducitur, non esse filium adoptiuum; vnde Adrianus ex multis sacræ Scripturæ locis, in quibus asseritur, Christum esse filium Dei proprium, & præcipuè ex illo Matt. 3. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, infert, Christum secundùm humanitatem non esse filium adoptiuum, *Animaduerte*, inquit, *quia nihil restat, vt secundum diuinitatem tantummodo credatis dixisse Patrem, Hic est filius meus dilectus, sed potius secundum humanitatem*; rursus, *Quòd si secundùm callidam eorum tergiuersationem cuncta, quæ protulimus, ad diuinitatem tantummodò Filij Dei referenda opinantur, dicant, vbi vnquam communi affectu dixerit nobiscum Pater noster? Cur non dixit Noster? quia aliter noster, aliter suus, Hinc Paulus electionis vas ait, Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, scimus enim, quòd non est traditus secundùm diuinitatem, sed secundum id, quòd homo verus erat*; quapropter Cõcil. col. 8. adoptionis nomen omnino remouet à Christo, *Dices, cur times, Christum adoptiuum nominare? Dico tibi, quia nec Apostoli sic eum nominarunt, nec Sancta Dei catholica Ecclesia consuetudinem habuit, sic eum appellare*; & reddit rationem, *Adoptiuus siquidem non habet aliam significationem, nisi vt Iesus Christus non sit proprius filius Dei.*

65 Quòd si quis contendat cum Centino, Concilium istud non esse tantæ authoritatis, vt possit inducere determinationem de fide; adest ratio eiusdem Concilij; nam filius adoptiuus ex dictis num. 5. est, qui quandoq; fuit extraneus, & alienus adoptanti, nec physicè, sed solo affectu coniunctus, ita etiam habetur in Sacrosyllabo col. 4. *Eum dici adoptatum, qui non dum priùs fuerat proprius filius adoptantis*, sed de fide est, Christum secundùm humanitatem nõ fuisse aliquando solo affectu Deo coniunctum, sed semper substantialiter, & physicè Deo vnitum, ergo de fide est, Christum secundùm humanitatem non esse filium adoptiuum; minor est clara, maior patet ex definitione adoptionis, qua ratione apposui in conclusione, sumendo adoptionem in sensu explicato art. 1. quia si nomen adoptionis in alio sensu acciperetur, conclusio non esset tàm euidens; vt infra num. 72.

66 Quartò dico, hanc propositionem esse de fide, *Christus vt homo, & secundùm humanitatem est filius Dei proprius*, ita Bernal disp. 66. sect. 1. quam probat multis authoritatibus Concilij, & Adriani, sufficit illa adducta num. 64. nam Christus à D. Paulo vocatur filius Dei proprius, & ab Adriano exponitur de Christo vt homine, ergo &c. Accedit ratio, quia de fide est, Christum secundùm humanitatem non esse filium extraneum, vel alienum ex dictis, ergo de fide est esse secundùm humanitatem filium proprium; vide num. 37.

67 Quintò dico, hanc propositionem esse de fide, *Christus secundùm humanitatem est verè filius Dei*; hæc conclusio est contra P. Fabrum, qui in 3. disp. 23. c. 2. oppositum sustinet contra Suarez, & prob. de fide est, Christum secundùm humanitatem esse filium Dei proprium, ex modò dictis, ergo de fide est, esse secundùm humanitatẽ filium Dei; probo conseq. quia ab inferiori ad superius affirmatiuè tenet cõseq. vt est homo, ergo est animal, modò esse filium Dei est quid superius ad esse filium Dei proprium.

68 Negat Faber conseq. quia, inquit, à coniunctis ad diuisa non valet, vt Homerus est poeta, ergo Homerus est. Sed falsò negatur illa conseq. vt patet ex eius probat. Tùm quia à coniunctis ad diuisa non tenet conseq. quando prædicata coniuncta constant ex particula distrahente, vt non valet, hæc imago est homo pictus, ergo est homo; at quando particula addita non est distrahens, sed contrahens, tenet consequentia, vt ostendi in Log. p. 2. Instit. tract. 2. c. 3. explicando locum *à parte in modo ad totum*; in præsenti autem ly proprius non est dictio distrahens respectu filij Dei, sed contrahens. Nec instantia adducta vrget; quia ly *est* in prima propositione non se habet vt pars prædicati, sed est copula verbalis.

69 Contra 2. conclus. arguit Vulpes, de fide est, Christum esse filium vnicum Patris, vt patet in Symbolis Apostolico, Nicæno, & Athanasij, ergo de fide est, Christum esse filium Dei naturalem secundùm humanitatem; prob. conseq. quia si secundùm humanitatem aliam diceret filiationis relationem ad totam Trinitatem, non semel, sed bis filius esset credendus. Tùm 2. Christus ex Virgine de Spiritu Sancto est Deus substantiuè, non nuncupatiuè, ergo hic homo nomine Christi per se primò significatus substantiuè est filius Dei naturalis secundùm fidem, scilicet subsistens ex vi suæ generationis persona filij Dei naturalis.

ralis. Tom 3. de fide est, Christum in quantum hominem subsistere naturali subsistentia filij Dei, ergo de fide est, esse filium Dei naturalem.

70 Resp. faciliter ad 1. neg. conseq. cum probatione, quia ad multiplicationem concretorum non sufficit multiplicatio formarum, sed exigitur multiplicatio suppositorum ex dictis disp 2. q. 2. cum Scoto 3. d. 8. quamuis igitur Christus habeat nouam relationem filiationis propriæ in tempore ad totam Thrinitatem, non est duo filij, sicut nec est duo filij ex hoc, quòd habeat aliam filiationem ad Virginem, & secundùm Vulpes aliam filiationem ad Patrem temporaneam, vnde argumentum concludit contra ipsum. Ad 2. concedo totum, non enim nego, Christum, vt dicit subsistentiam, & suppositum, esse filium Dei naturalem, sed nego specificando humanitatem, & præscindendo à supposito. Per idem ad tertium.

71 Secundò arguitur authoritate Concilij, & Adriani, exponentium quamplures Scripturæ authoritates, in quibus Christus dicitur Dei filius naturalis, non intelligi solùm debere de Christo secundùm diuinitatem, sed etiam secundùm humanitatem, *Hic est filius meus dilectus*, *Tu es Christus filius Dei viui*, *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei*; ergo de fide est, Christum secundùm humanitatem esse filium Dei naturalem. Resp. primò nunquam Concilium, vel Adrianum dixisse, Christum secundùm humanitatem esse filium Dei naturalem, sed vel proprium, vel verum, aut eundem filium omninò secundùm humanitatem, qui est secundùm diuinitatem, non alium, idcirco istæ authoritates solùm probant primam, quartam, & quintam conclusionem. Secundò respondeo, intentum Concilij esse, contra Elipandum determinare, Christum vt hominem nō esse alium filium, aut suppositum à filio Dei, & Verbo diuino; quapropter est sensus, Christus secundùm humanitatem est filius Dei, idest idem suppositum, quod in humanitate subsistit, est filius Dei, vnde explicatur in sensu specificatiuo improprio, & sic est vera propositio; at nos loquimur in sensu specificatiuo proprio; vide num. 27.

72 Contra tertiam arguit Suarez, Concilium solùm damnauit errorem Elipandi ponentis duo supposita in Christo, & in hoc sensu adoptionis nomen expuoxit, ergo supposita vnitate personæ in Christo, non est de fide asserere, Christum vt hominem non esse filium Dei adoptiuum. Tum quia post Concilium multi Doctores, vt Durandus, Rubionus, & alij hanc docuerunt opinionem, & tamen non fuerunt damnati vt hæretici, ergo hæc opinio, licèt improbabilis, non tamen est hæretica. Resp. ex dictis num. 64. intentum Concilij fuisse non solùm euertere errorem Elipandi, sed etiam omnino hoc nomen adoptionis extirpare, quia si propriè accipiatur, necessariò infert dualitatem suppositorum in Christo. Ad 2. respondeo, Scolasticos illos idcirco non fuisse damnatos vt hæreticos, quia nomen adoptionis sumebant in significatione impropria, quatenus dicit quamcũq; gratuitam voluntatem Dei ordinantis ad gloriam, vt dixi num. 18. & seq. & quia Christus vt homo fuit ex gratuita Dei voluntate ad gloriam ordinatus, ideo ex hoc capite dixerũt, Christum vt hominem esse filium Dei adoptiuum, ita expressè se declarat Rubionus citatus; at nos sumimus adoptionem in propria significatione, quatenùs scilicet connorat extraneitatẽ adoptati, itaut non sit adoptatus substantialiter adoptanti vnitus, sed solo affectu, vt inquit Concilium circa finem, *Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, qua pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet?* & in Sacrosyllabo col. 5. *Porrò adoptiuus dici nō potest, nisi is, qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptatus*; Nec est mirum, si in acceptione vocabuli *adoptionis* Scolastici illi differunt à Concilio, quia suis temporibus Cõcilium latebat, & solùm ex Historicis habebatur principalis determinatio contra Elipandum de duplici filio naturali, & adoptiuo; at nunc tenemur, talem acceptionem cauere, & Concilio conformari.

Quæstio Secunda.

De Christi seruitute.

73 IN genere moris omnis seruus dicitur etiam subiectus Domino, & minor Domino, subiectus quoq; est minor Principe, non tamen è contra, nam ignobilis est minor nobili in dignitate, non tamen est subiectus nobili, aut seruus, similiter subditus dicitur subiectus Principi, non seruus; quapropter ista se habent vt magis commune, & minùs commune. Verum est, quòd ista minoritas non necessariò debet esse in perfectione naturæ, sed sufficit in dignitate.

74 Est insuper not. quòd aliqui Græci Patres quãdam minoritatem, & subiectionem assignarunt in Christo vt Deo, seù vt persona diuina, quo sensu explicarunt illud Ioan. 14. *Pater maior me est*, quam minoritatem, aiunt, consistere in hoc, quòd persona Filij sit à Patre, itaut solùm dicat productionem passiuam Verbi, ita Dam. 1. de fide c. 9. Athan. orat. 2. contra Arrianos, Chrisost. & Theod. 1. Corinth. 15. hanc tamen acceptionem esse impropriam, communis est Scolasticorum sententia, imò & Patrum Latinorum, vnde in scholis est iam obsoleta; solus Vulpes nuper illam docuit tom. 2. p. 4. disp. 32. art. 1. & 2. sed immeritò, quia nunquam Doctor noster hac acceptatione vsus est, sed omnem æqualitatem inter personas admisit, quamuis prioritatem, & posterioritatem originis in illis concesserit; quòd autem hæc acceptio sit valde impropria, patet, quia in hoc sensu etiam Spiritus Sanctus, qui à Patre, Filioq; procedit, deberet dici minor Patre, & Filio, illisq; subiectus, qui tamen loquendi modus non habetur in sacra Scriptura, nec in Sanctis Patribus. De his tribus igitur est agendum, minoritate, subiectione, & seruitute, & primò de magis communibus, & de Christo vt homine, non vt Deo.

Articulus Primus.

De Minoritate, & subiectione Christi.

75 PRæsens difficultas potest exagitari, vel quò ad rem, vel quò ad modum loquendi, primus sensus est, an Christo vt homini (sumẽdo ly vt in sensu specificatiuo sæpè explicato, quem sensum aliqui Recentiores, præsertim Bernal, reduplicatiuum vocant) conueniat minoritas, & subiectio; secundus est, nùm minoritas, & subiectio possint de Christo absolutè dici, an verò cum determinatione *quatenùs homo*, vel *secundùm humanitatem*.

Quò

76 Quò ad primum, quod attinet ad minoritatem, res est clara, nam Christus ratione humanitatis est minor Patre, se ipso, & Spiritu Sancto, quibus est æqualis ratione diuinitatis, ita docuit ipse Christus Ioan. 14. *Pater maior me est*, habeturq; expresse in Cócil. Tolet. 11. in confess. fidei, *Per hoc, quòd Deus est, æqualis est Patri, per hoc, quòd homo, minor est Patre, imò & maior, & minor seipso credendus est*, & infra idem asserit de Spiritu Sancto; ratio est, quia diuinitas est humanitate maior tàm in entitate, quàm in dignitate, & qualibet alia perfectione.

77 Quod spectat ad subiectionem, Vulpes disp. 32. cit. art. 1. in initio, videtur negare, posse Christo subiectionem conuenire, etiam secundùm humanitatem, eo quia esse subiectum est quoddam prædicatum conueniens naturæ post completioné totius ordinis substantialis, & consequenter vt præintelligitur subsistens, quapropter, inquit, sola illa prædicata dici possunt de humana natura, quæ subsistentiæ diuinæ non repugnant; cum igitur subsistentiæ Verbi esse subiectum repugnet, idcirco infert, subiectionem Christo minimè conuenire; quod etiam ex Scoto deducit in 3. d. 11. q. 1. & 2. vbi negat, de Christo etiam secundùm humanitatem dici esse creaturam. Attamen communis omnium opinio, quam etiam ipse Vulpes postea decidendo quæsitum amplectitur, concedit, Christum secundùm humanitatem esse subiectum, pro cu ius intelligentia

78 Not. quòd subiectio propriè est respectus ad superiorem præcipientem, vnde præsupponit in superiore præceptum, cui subditus parere tenetur. Præceptum autem dupliciter sumi potest, impropriè, & propriè: impropriè multipliciter accipitur, nam quandoq; significat regulam, & documentum alicuius facultatis, qua ratione Magistri vocantur præceptores, quandoq; significat simplicem permissionem; quandoq; significat consilium, quod quidem vel dicit iudicium prácticum alicuius dirigentis, & instruentis aliquem ad aliquid agendum, vel vltra hoc iudicium aliquoties etiam dat intelligere voluntatem, & persuasionem illius actionis, hoc enim significat consilium dare. Propriè verò sumitur præceptum significat volútatem superioris obligantia ad aliquod opus faciendum; hinc consilium à præcepto propriè dicto in hoc distinguitur, quòd consilium ita respicit opus faciendum, quod oppositum, vel omissio illius operis non odio habetur, attamen magis diligitur, & amatur opus illud; præceptú verò propriè dictú ita respicit opus, vt omissio, vel oppositú omninò habeatur odio, & displiceat, ex quo sequitur aliud discrimen, quòd agere contra consilium non est peccatum, agere verò contra præceptum est peccatum. Quod dictum est de præcepto, dicendum est quoq; de mandato, quòd potest sumi propriè, & impropriè, vnde mandatum quandoq; accipitur pro consilio, quandoq; pro præcepto. Hoc autem præceptum, si est vniuersale, tàm quò ad tempus, itaut sit permanens, & semper durans, quàm quò ad obligationem subditorum, vt sit respectu totius communitatis, dicitur Lex; si autem est particulare, vel scilicet ad tempus, vel quò ad aliquam personam in speciali, antonomasticè vocatur Præceptum; vide disp. 12. q. 2 art. 2.

79 Aliqui etiam de præcepto distingunt, scilicet quòd si imponitur potenti violare illud præceptum, aliud est obligans purè ad pœnam, quod non obligat ad talem actum determinatè, sed sub disiunctione, vel ad faciendum actum præceptum, vel ad subeundam talem pœnam, & facere contra istud præceptum non est peccatum, vnde etiam in Religione non omne, quod fit contra voluntatem Superioris, est peccatum inobedientiæ; aliud est præceptum obligans ad culpam, siuè leuem, siuè grauem, & transgressio huius præcepti est peccatum; & hac ratione hoc præceptum obligans siuè ad pœnam, siuè ad culpam dicitur præceptum coactiuum, seù comminatiuum propter comminationem pœnæ, vel culpæ. Si verò imponitur non potenti illud violare, tunc præceptum dicitur purè directiuum, quia non habet annexam comminationem, sed solùm est quædam intimatio voluntatis Superioris determinatè ad illum actum, qua ratione dicitur obligare, seù ligare subditum ad illam actionem; talis fuit Christus, & quilibet Beatus.

80 Verùm formaliùs distinguetur, si dicamus, præceptum de sua ratione formali dicere determinationem illam voluntatis Seperioris ad elicitionem actus, secundariò, & ex consequenti dicere comminationem, scilicet quòd subditus potest transgredi præceptum illud; hæc autem comminatio non rectè distinguitur in comminationem ad pœnam, & comminationem ad culpam, quia quilibet actus eo ipso, quòd est contra præceptum, & legem Superioris, est in genere moris malus, & culpabilis, in hoc enim consistit ratio formalis maliriæ, vt nunc suppono ex tract. de Actibus humanis; tùm quia imputabilitas ad pœnam est passio consequens ipsam malitiam, ergo actus imputabilis ad pœnam est priùs in se culpabilis. Attamen duplex culpa reperitur, vna in genere moris, & hæc reperitur in transgressione cuiuslibet præcepti, alia in genere theologico, & est transgressio legis ordinantis hominem ad finem supernaturalem, & hæc habet rationem peccati; non semper autem Superior præcipiendo vtitur potestate iurisdictionis spiritualis, & vt ita dicam theologici generis, vt scilicet repræsentat Deum vt legislatorem supernaturalem, sed quandoq; vtitur iurisdictione politica, ciuili, & œconomica directa solùm ad gubernationem domesticam, & præscindente à salute animæ; hinc est, quòd agere contra istud præceptum Superioris non est peccatum, licèt sit malum moraliter. Omne igitur præceptum impositum potéti illud transgredi est comminatiuum ad culpam, vel moralem, vel theologicam, & simul ad pœnam, quæ vtriq; culpæ ex se correspondet. Hoc supposito.

81 Dico primò, Christus vt homo verè est subiectus Deo, & consequenter omnibus tribus personis. Conclusio est communis, & clarè habetur in 6. Syn. act. 17. *Oportebat enim carnis voluntatem moueri, subijciq; voluntati diuinæ*; & patet, quia humanitas Christi est ens creatum, dependens essentialiter à Deo, non est prima regula in agibilibus, hæc enim est diuina voluntas, ergo erit ipsi Deo subiecta. Tùm quia Christus inter alias virtutes habuit veram religioné, qua orabat, & colebat Deum, & perfectissimam obedientiam maximopere in Scripturis commendatam, ergo & veram subiectionem Deo; & quoniam relatio ad Deum terminata est mediatè ad omnes tres personas, idcirco Christus dicitur subiectus vt homo Patri, sibi ipsi, & Spiritui Sancto; ita videtur colligi ex Scoto 3. d. 16. q. 2. ad argum.

82 Dico secundò, Christus vt homo fuit subiectus legi diuinæ æternæ, & naturali, non tamen legi positiuæ,

tiuæ, tàm veteri, quàm nouæ, & multò minùs legibus humanis. Conclusio est etiam communis; & prima pars de lege æterna, & naturali sequitur ex præcedenti, quia præcepta primæ tabulæ ex Scoto 3. d. 37. q. vn. sunt indispensabilia à Deo, nõ enim potest Deus dispensare cum aliquo in odio Dei, aut mendacio, cum sint intrinsecè mala, neq; quòd in certo tempore non diligat Deum, ergo Christus fuit his præceptis tàm affirmatiuis, quàm negatiuis obstrictus, & si forent dispensabilia, non est dicendum, Deum dispensasse cũ Christo, quia talis dispensatio nõ fuisset decẽs, & cõueniẽs, hinc ad Hebr. 10. refertur de Christo illud Ps. 39. *In capite libri scriptũ est de me, vt facerẽ voluntatem tuã*, quam voluntatẽ postea vocauit legẽ, *Deus meus volui, & legem tuã in medio cordis mei*; & Ioan. 15. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.*

Secunda pars de lege positiua diuina, prob. quia licèt potuisset Christus obligari à Deo isti legi, de facto tamen oppositum videtur verius, & colligitur ex verbis Christi Matt. 12. *Dominus est filius hominis, etiam Sabbati*; tùm quia Christus venit, vt finem imponeret veteri legi, & principium daret nouæ legi, vt nos liberaret à seruitute legis Mosaicæ, & constitueret in libertatem legis gratiæ, & euangelicæ, ergo vtraq; lex erat in potestate ipsius, ergo nullo pacto illis subiectus. Tùm quia lex, seu præceptum circumcisionis fuit datũ solis descendẽtibus per virtutem seminalem ex Abraham, lex noua fuit data hominibus, vt per sacramẽta iustificationem reciperent, & de redemptione, & passione Christi participarent, ergo nullo pacto Christus his legibus tenebatur, cuius potestas, & inter homines maiestas est altioris ordinis, quàm sit quilibet Princeps. Tandem quòd non fuerit humanis legibus subiectus, est determinatum à Ioan. 22. in Extrau. apud Turrecrem. lib. 4. summæ p. 2. c. 37. & clarè colligitur ex verbis Christi Matt. 17. vbi loquens cum Petro de tributo, quod ab exactoribus petebatur, ait, *Quid tibi videtur Simon, Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis?* & respondens Petrus, *Ab alienis*, subdit Christus, *Ergo liberi sunt filij*, ac si diceret, si filius Regis tẽporanei est liber à tributo, quantò magis filius Dei. Tùm quia Christus supremus fuit inter omnes homines, primogenitus inter electos, & omnium caput, ergo nulli terreno Principi subijci debebat.

83 Contra 1. conclus. arguitur ex 1. Corinth. 15. *Cum autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*, ergo secundùm Apost. Christus nõ nunc, nec antea, sed in fine mundi erit Deo subiectus. Tùm 2. ex Dam. 4. fidei c. 92. *Nec vt Deus, nec vt homo à Patre vnquã desertus est, nec peccatũ, nec maledictũ factus est, nec Patri subijci necesse habuit.* Tùm 3. præceptum de se obligat sub comminatione culpę, quia imponitur potẽti liberè operari, nam circa necessaria, & naturalia nõ datur præceptum, sed Christus erat impeccabilis, ergo etiã incapax pręcepti.

84 Resp. ad 1. multipliciter exponi à Patribus; vel quòd ly *tunc* significat *adhuc*, vt sensus sit, etiam post mundi finem Christus erit subiectus Deo; vel quòd tunc erit subiectus, non solùm in se, & secundùm se, sed etiã secundùm totum misticum corpus eius, quod est Ecclesia, tunc enim sine impedimento, & resistentia pfectissimè totũ Ecclesiæ corpus Deo subijcietur. Ad 2. Damascenus loquitur de subiectione coactiua, & cũ resistentia ex parte subiecti, vnde subdit rationẽ; *Nunquid Patri contumax fuit, vt ei subiectione sit opus?* & hoc, quia suis temporibus vigebat Nestoriana hæresis asserens, Christum fuisse purum hominem in peccato conceptũ, sed per vnionem quãdã accidẽtalem postea Deo vnitum, ideoq; hanc subiectionem à Christo remouere intẽdebat. Ad 3. patet ex dictis n. 80. præceptum nonnisi secundariò, & concomitanter dicere vim comminatiuam; quomodò autem cum præcepto steterit Christi libertas, dicetur in disp. 12. q. 2. art. 1.

85 Contra 2. conclus. arg. quia etiam Deus nequit mentiri, & tamen nõ dicitur legi subiectus, ergo idem de Christo. Tùm 2. contra 2. p. Apost. ad Gal. 4. ait, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*, & Matt. 5. *Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas; non veni soluere, sed adimplerem*; hinc circumcisionem, & alia Mosaicæ legis præcepta voluit obseruare. Tùm 3. contra 3. p. Lucæ 2. *Et erat subditus illis*, Matt. 17. Christus mandauit Petro, vt solueret pro se tributum; & Ioan. 19. dixit Pilato, *Non haberes potestatẽ aduersùs me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Tùm quia ex lege naturę erat subditus Matri.

86 Resp. ad 1. neg. paritas, quia Deus, non habet supra se superiorem, Christus vt homo recognoscit Deum vt superiorem, idcirco tenetur legi diuinæ. Ad 2. Christus fuit sub lege, non quia obligatus ex præcepto, sed quia spontè voluit illam obseruare, vt ferè omnes Patres exponunt. Ad 3. per idem; ad illud verò Pilati dicendum, vel sermonem esse de potestate physica, non iudiciaria, vel de potestate quò ad apparentiam; quatenùs Christus apparere volebat Pilato subditus, vt redemptionem perficeret. Ad vlt. in rigore Christum non fuisse subditum Matri, nisi ex suo beneplacito, eoquia Christus habebat potestatem iurisdictionis etiam erga matrem, quia caput totius corporis Ecclesiæ, cuius corporis B. Virgo erat collum. Non placet hæc responsio Patri Vulpes disp. cit. art. 5. sed ait; Christum vt Deum, & vt hominem teneri B. Virginem colere, quæ non fuit Mater solius hominis, sed hominis Dei, ex illa naturali lege, qua omnes filij parẽtibus subijciuntur; neq; hoc est inconueniens, quia, inquit, maternitas Virginis est dignitas transcendens omnem ordinem creaturæ spectans verè ad superiorem ordinem vnionis hypostaticæ. Non nego, dignitatem maternitatis esse maximam, quæ possit puræ creaturæ cõmunicari, nõ tamen est maior vnione hypostatica, quapropter etiã in genere vnionis hypostaticę Christus nõ solùm vt Deus, sed etiã vt homo est maior B. Virgine, cum sit omniũ caput, ergo vt sic non est ex natura rei subditus Matri, sed ex suo beneplacito; hinc Scriptura loquens de hac subiectione, ait Luc. 2. *Et erat subditus illis*, vt innueret, quòd sicut Ioseph Christus ex suo beneplacito erat subditus, ita B. Virgini, licèt huic cum maiori fundamento propter relationem maternitatis. Totum hoc confirmat Agatho Papa in Epist. ad Imperatores in 6. Synodo Act. 4. de Christo dicens, *Vnde & obediens parentibus insinuatur, quam quidem obedientiam eius voluntariam nõ secũdùm diuinitatem, qua omnium dominatur, pium est intelligere, sed secundùm humanitatem, qua sponte se parentibus subdidit*; nota ly *voluntariam*, & ly *spontè*.

87 Quæres, an de potentia Dei absoluta Christus potuit vt homo esse subiectus humanis legib.? Negat Vulpes cit. quia Christus vnione hypostatica fuit euectus ad dignitatẽ Creatoris, & super omnia opera manuũ Dei constitutus, ergo implicat in terminis, fore subiectũ humanis legib. Sed quæro à Vulpes, quid est

maius, esse subiectum peccato, an verò hominibus? certè primum importat maiorem imperfectionem, & tamen secundùm Scotum Verbum potuit assumere naturam peccatricem, vt infra dicemus, ergo multò magis naturam humanis legibus subiectam. Si dicat, se loqui de Christo cum omnibus donis, quæ de facto habuit; iam hoc nō est loqui de potentia Dei absoluta, sed ordinaria. Quapropter potuit Deus constituere Christum, vt non esset vniuersaliter, & in omni genere omnium caput, & consequenter esse in aliqua lege subiectum hominibus. Quæ addit de subiectione Christi vt Verbi Dei ad Patrem in operibus ad intra, & ad extra, non expedit confutare, quia prouenjunt ex illa impropria locutione, qua processionē originis subiectionem vocat, vnde hac ratione Filium Dei inferiorem, minorem, & inæqualem ponit Patri in personalitatibus, qui loquendi modus à nemine Scolasticorum vsurpatur.

88 Circa modum loquendi, quod erat secundum principale huius artic. an scilicet absolutè dici possit, *Christus est minor Patre, Deo, seipso, vel Spiritu Sancto, Christus est subiectus Patri, Deo, sibi ipsi, vel Spiritui Sancto*, an verò necessariò pro veritate sermonis sit addenda terminatio, *quatenus homo*, vel *secundùm humanitatem*, discrepant inter se Doctores. Quidam enim vtriq; propositioni, aiunt, addi debere determinationem, tàm scilicet quæ est de minoritate, quàm de subiectione. Alij concedunt dici posse, *Christus est subiectus Patri*, non tamen, *est minor Patre*, nisi cum addito *vt homo*. Alij, quòd valeat, *Christus est subiectus*, vel *minor Patre*, non tamen in ordine ad Deum, vel seipsum, aut ad Spiritum Sanctum; & tandem quidam vniuersaliter affirmant.

89 Hæc difficultas affinis est illi, quam examinauimus disp. 5. q. 4. art. 2. An Christus absolutè dici possit creatura, vel incepisse, ideoq; affirmatiuè respondemus, vtramq; propositionem esse veram de rigore sermonis, quamuis conuenientiùs proferatur cum addito, quia vt sic magis recedimus à modo loquendi Hæreticorum; & prob. vt ibi, quia minoritas, & subiectio sunt prædicata verè conuenientia naturæ humanæ, ergo absolutè possunt dici de Christo, sicut quodlibet aliud prædicatum.

90 Negat Vulpes sequelam, quia inquit, prædicata, quæ conueniunt naturæ nonnisi post totum ordinem substantialis generis, seu post aduentum subsistentiæ, nequeunt dici de Christo, si subsistentiæ diuinæ repugnant. Hæc tamen responsio est falsa; quia non solùm sequeretur, hanc esse veram, *Christus est minor Patre*, sed neq; cum addito, quia minoritas semper repugnat diuinæ subsistentiæ, imò neq; de Christo posset dici esse passum, mortuum, esse quantum, qualem, &c. quia hæc prædicata nonnisi naturæ subsistenti cōueniunt, cū sint de prædicamentis accidentium, & tamen subsistentiæ diuinæ omninò repugnāt.

91 Alij negant conseq. quia quando comparatio fit simpliciter, & nō cum addito, fit inter illud totum, quod est Christus, & inter Patrem, aut Deum, modò esse minorem, aut subiectum repugnat toti Christo. Hæc tamen ratio vrgeret de omnibus prædicatis conuenientibus Christo secundùm humanitatem, quæ toti Christo vtiq; repugnāt, & tamen cum veritate absolutè dicuntur de Christo, vt esse mortuum, incepisse, passum, &c. ergo assumptum est omninò falsum, nam ly simpliciter in quæsito non sumitur pro secundùm totum, sed pro absolutè, & sine addito. Tùm quia neq; posset absolutè dici, *Christus est æqualis Patri*, nam Christus, stante ista responsione, sumeretur secundùm totum esse diuinum, & humanum, cui quidem vt sic repugnat æqualitas.

92 Alij aiunt, specialem esse rationem de hoc prædicato *minor*, quia in se imbibit negationem æqualitatis, quæ omninò subsistentiæ Verbi repugnat, sicut esse filium adoptiuum, quia dicit extraneitatem, quæ supposito Verbi repugnat, nequit dici de Christo. Verùm nō minùs esse mortuum imbibit negationem repugnantem supposito Christi, scilicet negationem essendi, quàm esse minorem, & tamen absolutè dicitur de Christo: exemplum de filio adoptiuo non valet, quia esse filium adoptiuum nullo modo competit Christo, neq; absolutè, neq; cum addito, ex quæst. præced.

93 Alij dicunt, negandam esse conseq. in ista propositione, *Christus est minor seipso*, quia reciprocum *seipso* simpliciter prolatum reflectitur ad id, quod per substantiuum præcedens datur intelligi, alioquin non esset reciprocum, quapropter in ista propositione sensus esset, Christus secundum idem esse esse minorem seipso secundùm idem esse, quod est falsum. Tùm quia prædicatio relatiua necessariò exigit distinctionem subiecti, & prædicati, vnde nullus dicitur sibi ipsi similis; quæ rationes non vrgent in alijs propositionibus, ideoq; negatur paritas. Hæc quoq; responsio solùm demonstrat conuenientiam maiorē tribuendi ista prædicata cum addito, quàm sine addito, nam eoipso quòd minoritas nequit esse ad seipsum, & secundùm idem, iam implicitè datur intelligi diuersitas accipiendi Christum ex parte subiecti, & ipsum eundem ex parte prædicati, scilicet diuersitas naturarum, vnde absolutè Deus dicitur exinanisse seipsum, & tamen non est verum de esse diuino, & secundùm illud esse, quod dat ly Deus intelligere sumptus ex parte subiecti; quapropter ad veritatem propositionis sufficit, vt diuersitas naturarum implicitè detur intelligi; sic exponit Scotus 3. d. 16. q. 2. ad arg. illud Joan. 10. *Ego pono animam meam à meipso, idest secundùm diuersas naturas.*

94 Alij paritatem negant, quia in hac propositione, *Christus est minor, est subiectus Verbo*, adest specialis repugnantia, quia datur intelligi dualitas suppositorum, vnde à Concil. Alex. & Ephes. 1. talis loquendi modus fuit reprobatus, quia accedebat ad Nestorianismum. Verùm Concilium hunc loquendi modum damnauit in sensu Nestoriano; & ex hoc solùm sequitur, has propositiones esse vtiq; veras in rigore logico, sed cautè illis vtendum, quia non solùm a sententijs hæreticorum, sed etiam à modo loquendi ipsorū, quantùm possumus, recedere debemus, sicut diximus etiam de illa propositione, *Christus est creatura*.

95 Accedit principaliter, quòd Christus absolutè dixit, Matth. 14. *Pater maior me est*. Neq; valet, quod ait Suarez, nō esse absolutè minoritatem à Christo de seipso prolatam, sed cum determinatione, cùm priùs dixerit, *Si diligeretis me, gauderetis vtiq;, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est*, per ly *quia vado ad Patrē* datur intelligi humanitas, secundum quam ibat ad Patrem, non secundùm diuinitatem. Non valet, quia vt optimè vrget Bernal, hoc, quod est ire ad Patrem, absolutè dicitur de Christo, & tamen nequit intelligi, nisi de Christo secundùm humanitatem, ergo idem de minoritate dicendum. Obiectiones, ex dictis hic, & disp. 5. cit. soluuntur.

Articu-

Articulus Secundus.

An Christus habuerit præceptum moriendi pro hominibus.

96 NEgatiuam partem sustinent Lorca disp.63. Velasquez in Epist. ad Philippenses c.2. §.8. Annot.3. qui Albertum, Dionisium Cisterciensem, Paludanum, & Victoriam citant. Communior sententia est affirmatiua, sed est diffidium circa qualitatem istius præcepti; nam quidam docent, fuisse merè positiuum, hoc est, quòd fuerit à Deo directè impositum Christo redimendi homines per propriam mortem à peccato; ita præsertim Hurt. disp.77. sect.4. Alij volunt fuisse naturalem, quatenùs Deus solùm Christo reuelarit, mortem suam esse medium necessarium ad humanam salutem, ex quo resultauit in Christo, inquiunt, obligatio naturalis ex lege charitatis obligante ad sustinendam mortem corporalem pro salute spirituali proximorum; ita Suarez disp.43.sect.3. Ragusa tom.2. disp.14. Auerfa q.20. sect.4. & ex parte sequitur Bernal. disp.57. sect.4. si supponatur scilicet, Deum nullo alio medio, nisi Christi morte, decreuisse, homines redimi à peccato.

97 Dico primò; Christum vt hominem habuisse à Deo præceptum moriendi pro salute humani generis. Hæc conclusio ex professo non habetur à Scoto, sed potiùs vt vera ab ipso supponitur in 3. d.16. q.2. G. & I. & d.20. D. probatur autem ex Sacra Scriptura, nam decretum, quo Deus ab æterno determinauit redemptionem hominũ per Christi mortem, vocatur in Sacra Scriptura mandatum, præceptum, lex, Ioan.10.& 14. *Hoc mandatum accepi à Patre meo; sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio;* & c.15. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione;* & Psal.39. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei;* solùm est videndum, nùm mandatum, & præceptum in his locis accipiantur strictè, & propriè, an verò impropriè, & pro consilio, vt afferunt aduersarij; & quidem primò vt certum est supponẽdum, hic esse sermonem de Christo vt homine. Deinde quòd regula ab omnibus Expositoribus approbata est, quòd quando aliquod vocabulum plures habet significationes propriam, & impropriam, ex materia, de qua agitur, dignoscitur, an propriè, vel impropriè ibi sumatur, si enim non adest implicãtia, semper in acceptione propria intelligi debet. Cum igitur mandatum, vel præceptum in propria acceptione possint de Christo dici, eoquia de se est præcepto proprio subijcibilis, non debemus recurrere ad intelligentiam impropriam; tùm quia quando materia, quæ dicitur præcepta, est per se honesta, præceptũ ibi accipi debet in propria significatione, alìter omnia ad salutem necessaria possemus dicere, non esse strictè præcepta, sed latè, seù consilia, quod est, totam diuinam legem confundere; modò hominum redemptio per Christi mortem est materia per se honesta, & maximè necessaria, ergo si dicitur in facra Scriptura præcepta, ibi præceptum propriè est accipiendum, non impropriè. Tùm quia authoritas ex Ioan.15. nõ nisi de præcepto proprio explicari potest, vt patet. Tùm quia Diuus Augustinus tractatu 79. & 82. in Ioannem exponit authoritates adductas de præcepto in rigore.

98 Secundò prob. ex hoc, quòd actus Christi acceptandi mortem vocatur obedientia, ad Philipp.2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem,* ad Rom.5. *sicut per vnius inobedientiam peccatores cõstituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituuntur multi;* ex quo loco elicitur, quòd sicut inobedientia Adami fuit propria, & in rigorosa acceptione, ita obeditio Christi fuit actus rigorosæ obedientiæ, sed propria obedientia præsupponit voluntatem Superioris strictè præcipientem rem aliquam, ergo &c. min. prob. in hoc differt voluntas exequendi voluntatem Superioris ex motiuo obedientiæ,& ex quocunq; alio motiuo, quòd in illa executione mouemur ex motiuo iurisdictionis, quam Superior erga nos habet, in alia verò ex motiuo excellentiæ, seù dignitatis, sed quando paremus consilijs Superioris, tunc nõ mouemur ex motiuo iurisdictionis, sed potiùs excellentiæ, ergo &c. min. prob. quia Superior consulendo, licèt habeat iurisdictionem annexam, & concomitantem, non tamen vtitur illa, aliter peccaremus non exequendo cõsilia Superioris, ergo executio consiliorum non est actus obedientiæ, sed potiùs religionis, aut charitis.

99 Dico secundò, præceptum istud fuisse, non solùm positiuum, sed etiam naturale, seù, Christum fuisse ad moriendum obligatum tùm ex speciali præcepto diuino, tùm ex præcepto charitatis. Hæc etiam conclusio solùm innuitur à Scoto, & quò ad primam partem colligitor ex 3.d.16. q.2. I. vbi ait, *Patet idem ad confirmationem; quia vt homo accepit mandatum ponendi animam, sed est de complacendo, & patiendo animam poni,* ergo per Scotum mandatum, seu præceptum fuit de ipsa morte; idem etiam colligitur ex d.19. §. *In ista quæstione,* vbi docet, post præuisionem peccati Deum præordinasse Christi mortem in remedium, & medicinam peccati; & prob. ex authoritatibus adductis num.97. & ex illo Matt.26. *Si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua,* ergo voluntas Dei fuit de Christi morte. Tùm quia ex præced.conclus. mors Christi fuit actus obedientiæ Christi erga Patrem, ergo intercessit verum præceptum de morte;conseq; prob. quia non est obedientia ex dictis sine præcepto, & mandato Superioris vtentis iurisdictione.

100 Secunda pars colligitur ex Scoto 3. d.20. ad vlt. vbi habet, quòd actus, quo Christus acceptauit mortem, *habuit bonitatem, non solùm ex potentia volitiua, sed ex summa charitate, qua voluit mori,* quod sępe in illa distinct. repetit, ergo per Scotũ Christus acceptauit motem, etiam ex præcepto charitatis, quam charitatem Christus, & Apostolus sępissimè nos commendant; quòd autem fuerit verum præceptum, prob. ex præcepto charitatis, & misericordiæ tenemur pro salute animarum corporalem vitam profluere, si hæc mors est medium necessarium, sed mors Christi erat necessarium remedium ad redemptionem humani generis, & hoc erat Christo notum, ergo licèt non fuisset mors à Deo præcepta, adhùc ex charitate tenebatur, illam acceptare; maior patet, minor etiam, quia si aliud medium de facto fuisset à Deo ordinatum pro redemptione mundi, tnc mors Christi non fuisset sub præcepto obedientiæ Christo

imposita; quod adhùc in disp. de voluntate iterum examinabimus. Totum hoc voluit innuere D. Ioannes in 1. epist. c. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

101 Resp. aliqui, assumptum esse verum, dúmodò vita corporalis illius non sit maius bonum, vt est in præsenti, quia vita Christi est magis æstimabilis, quàm hominum salus. Resp. Hurt. assumptum esse verum, dummodò ille homo non sit constitutus iudex, nam Petrus v.g. tenetur vt homo priuatus eripere reum à labore, si non adsit incommodum proprium, & Reipublicæ, at si est iudex, non tenetur, sed potest illum punire; at Christus erat à Deo constitutus iudex viuorum, & mortuorum, ideoq; non tenebatur, homines à peccato liberare, imò poterat ipsos punire.

102 Prima responsio non satisfacit, quia vt colligitur ex Scoto d. 15. P. siuè sit in se maius bonum, siuè minus, parùm refert, dummodò mors, seù amissio temporalis vitæ fuerit ordinata à Deo, qui est Dominus omnium, ad salutem hominum, ergo stante ista diuina ordinatione, & necessitate, qua dispositum fuit, hominem sola Christi morte redimere, tenebatur Christus ex charitate acceptare mortem. Secunda responsio etiam non satisfacit, quia iam admittitur præceptum charitatis, si Christus consideraretur in quantùm homo; per iudiciariam autem potestatem non dispensatur in tali præcepto, quia Christus vt iudex præsupponit redemptionem à se factam, vnde in primo aduentu venit iudicari, in secundo veniet ad iudicandum. Exemplum adductum, si valeret, inferret etiam, quòd sicut iudex nequit reum à pœnis liberare absq; iniustitia, ita Christus non potuisset nos non punire pro peccato commisso, eoquia iudicis officium est, errores debitis pœnis obiurgare. Tùm quia maius bonum est, homines saluare, Deo satisfacere pro offensis humanis, & alias iniurias impedire, nè cōtra Deum exercerentur, quàm homines pro peccatis commissis castigare, ergo quamuis Christus fuerit iudex, adhùc tamen ex lege charitatis tenebatur, homines redimere à peccatis

103 Cæterum nùm istud præceptum fuerit dispensabile, itaut si Christus voluisset, potuisset à Deo efficaciter postulare, vt genus humanum alio modo redimeretur, quàm per mortem ipsius, probabiliter quidem potest affirmatiuè responderi cum Scoto 3. d. 20. §. *Tunc ad quæst.* vbi habet, *Tamen de facto sua gratia passionem suam ordinauit, & obtulit Patri pro nobis, & ideo multùm tenemur ei, ex quo enim aliter potuisset homo redimi, & tamen ex sua libera voluntate sic redemit, multùm ei tenemur. & ampliùs, quàm, si sic necessario, & non aliter potuissemus fuisse redempti; ideo ad alliciendū nos ad amorem suum, vt credo, hoc præcipuè fecit*, & infra ad 2. ait, *concedo absolutè, quòd per bonum velle potuit satisfecisse, sed tamen aliter voluit*; ergo secūdùm Scotum erat in potestate Christi recusare mortem, non quòd mors fuerit tanquam consilium à Deo proposita Christo, quia oppositum cum Scoto diximus supra, sed quia poterat à Deo obtinere dispensationem talis præcepti.

104 Hic dicendi modus valde arridet Recentioribus, præcipue Lugo disp. 26. sect. 8. & seq. Hurt. disp. 77. sect. 5. Bernal disp. 52. sect. 2. & seq. quam probāt ex illo Matt. 26. vbi Christus Petro impedienti passionem sic alloquitur; *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim Legiones Angelorum?* ergo Christus poterat à Patre impetrare passionis impedimentum, & cōsequenter præcepti dispensationem; idem colligitur ex illo Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo*, vbi simul asserit, habere de morte mandatum, & potestatem non moriendi, quia in sua potestate erat postulare dispensationē; Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*; Ad Hæbr. 12. *Aspicientes in auctorem fidei, & consumatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*; idest, quòd quāuis in potestate Christi fuerit, hic agere vitam gloriosam, si à Deo petijsset dispensationem præcepti, & alio modo genus humanum redimere, postposuit tamen hoc gaudium, & crucem pro nobis est amplexatus ad alliciendum nos ad amorem suum, vt dicebat Scotus; ita ex ponit Chrisostomus ibi, *Licebat illi, nihil pati, si voluisset; non enim peccatum fecit, neq; inuentus est dolus in ore eius*; Ansel. lib. 2. Cur Deus homo c. 19. *Ille vero* (scilicet Christus) *spontè obtulit, quod nulla necessitate nunquam amissurus erat*; & infra, *Quoniam suum erat, & pati, & non pati.*

105 Dices, nonne Christus Matt. 26. orando hanc præcepti dispensationem petijt, dum dixit, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*, & tamen non obtinuit? ergo præceptum istud fuit indispensabile. Resp. illàm non fuisse efficacem orationem, quia non processit ex voluntate efficaci, sed ex desiderio quodam inefficaci portionis inferioris; sed efficax oratio fuit illa, *verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*, vt suo loco dicemus; vide Lugum cit. sect. 9. vbi obiectiones aliquas à Velasquez formatas adducit, & soluit.

106 Contra 1. conclus. instatur quamplurimis authoritatibus Scripturæ, & Patrum ostendentibus, Christum liberè fuisse mortuum, & spontaneè; insuper & quorundam Patrum Græcorum negantium absolutè, Christum habuisse præceptum mortis. Sed quò ad primam partem faciliter respondetur, innuere potestatem petitionis dispensandi præceptum, vt dixi num. 104. quò ad secundam partem sciendum, quòd Patres Græci contra Arrianos disputabant, asserentes, Christum vt Verbum esse inferiorem Patre, quod præcipuè inferebant ex hoc præcepto; idcirco Patres negant, Christum habuisse tale præceptum vt Deum, non tamen expresse negant, Christum vt hominem habuisse præceptum moriendi; quo sensu nos loquimur, vide Bernal disp. 67. sect. 3. & Hurt. cit. distinctè examinantes testimonia horum Patrum. Præcipuè tamen vrget authoritas in lib. Actuum Apost. c. 4. vbi habetur, *Conuenerunt enim verè in Ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pilatus Pontius cum gentibus, & populis Israel facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri*; ergo mors non fuit præceptum, sed consilium. Sed faciliter respondetur, ibi consilium latè sumi pro iudicio vt sic de aliqua re facienda, quo pacto etiam præcepto conuenit, non autem sumitur propriè, vt scilicet supra iudicium illud addit negationem voluntatis obligandi, quo sensu distinguitur à præcepto.

107 Secundò quia superfluum videtur tale præceptum, quia humana Christi voluntas nec in ipso, aut minimo apice à diuina voluntate poterat dissentire, ergo sufficiebat Christo ostendere volitionem simplicem diuinæ voluntatis absq; nouo præcepto. Tùm quia

quia impium videtur, Christum tàm sanctum, & innocentem ex præcepto morti tradere propter peccatores. Tùm 3. Christus non poterat violare præceptum, ergo non esset mortuus liberè.

108 Resp. ad 1. neg. assumptum, quia præceptum obedientiæ, etiam quando non est periculum transgressionis, auget bonitatem actus, consequenter meritum, ideoq; Pater rectè imperauit Christo, & Christus alacriori animo, vt ita dicam, executus est præceptum Patris, & ad relinquendum etiam nobis obedientiæ exemplum. Ad 2. D. Anselmus in lib. Cur Deus homo, videtur docere, Deum non præcepisse Christo mortem directè, & immediatè, sed indirectè, scilicet vt prædicaret veritatem, vitia exprobaret, etiamsi periculum vitæ incurreret, quod tamen non debebat euitare, sed propter iustitiam acceptare; quod approbat Scotus in 3. d. 20. D. attamen in d. 15. supra T. triplex assignat motiuum mortis in Christo, scilicet propter veritatem doctrinæ, propter hominum salutem, & propter beneplacitum diuinum; quare falsum est assumptum. Ad 3. dicetur in disp. de voluntate.

109 Quæres, an omnia, quæ Christus gessit in hac vita, fuerunt ipsi imposita vt præcepta. Affirmant Toletus in Ioan. c. 10. vers. 18. annot. 16. Maldonatus in Ioan. c. 12. vers. 49. Aluarez de Auxilijs lib. 12. disp. 22. nu. 18. & de Incarnat. disp. 46. nu. 12. Negatiua est communior; quia si Pater alijs hominibus non omnia sub præcepto imponit, sed aliqua ipsorum voluntati relinquit, vnde & multa opera supererogationis conficiuntur à Sanctis, cur nō idem de Christo dicendum? nimis enim durè Pater cum Christo se gessisset, si omnia sub præcepto imposuisset, itaut nullum opus supererogationis potuisset elici à Christo. Tùm quia vt notat Bernal, vel Christus poterat saltim dispensationem, & commutationem præcepti postulare à Patre, vel non; si primum, ergo hæc postulatio erat Christo libera, non sub præcepto; si secundum, ergo tanquam vile mancipium fuisset Christus à Deo obstrictus, quod est falsum. Tùm quia nec Beati habent tale præceptum vniuersale, ergo neque Christus.

110 Dices, Ioan. 6. *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me; &* c. 12. *Ego ex me ipso locutus sum nihil, sed qui misit me Pater, ipse mandatum mihi dedit, quid dicam, & quid loquar.* Tùm quia Christus tenebatur sequi diuinam voluntatem, etiam in his, quæ sunt maioris perfectionis, ergo ad omnia sub præcepto erat obligatus. Resp. his omnibus solùm ostendi conformitatem voluntatis humanæ Christi cum diuina, non tamen sequi, omnia esse sub præcepto ostensa, sed aliqua sub consilio, quæ tamen exequebatur Christus; vltima authoritas intelligitur de prædicatione veritatis, & præcipuè ipsius diuinitatis, quæ vtique potuit esse sub præcepto imposita, vt dixi num. 108. Quomodo autem in his omnibus Christus habuerit libertatem, explicabitur in disp. de voluntate.

Articulus Tertius.

An Christus vt homo sit seruus Dei.

111 DIscutiemus tandem ad quæstium principale huius quæstionis, quòd quamuis inter Catholicos sit ferè de nomine, Recentiores tamen disputationes integras, & satis prolixas efformant; nam Suarez, disp. 44. Val. disp. 1. q. 20. punc. vn. Ragusa to. 2. disp. 26. Lorca disp. 68. Cabrera q. 20. §. 5. Beroal. disp. 58. Aluarez disp. 64. Bonac. disp. 2. q. 14. punct. 2. & alij absolutè docēt, Christum dici posse secundùm humanitatem seruum Dei propriè, & in rigore. Ex opposito Vasq. disp 8. Turrianus opusc. 13. disp. 1. dub. 5. Beccanus cap. 16. q. 2. Lugus disp. 28. sect. 3. Hurt. disp. 68. sect. 2. ex Nostris Vulpes hic disp. 32. art. 3. & Centinus disp. 10. c. 7. negant, Christum secundùm humanitatem dici posse seruum Dei propriè accipiendo seruum, sed tantùm metaphoricè, & allegoricè.

112 Totius discriminis radix prouenit ex varia acceptione serui, hoc enim sæpè contingit in quæstionibus de nomine, quæ difficilè terminantur, quia quod ab vno negatur in sensu proprio, & rigoroso, ab alio conceditur in sensu laxiori, quem ipse vult esse etiam proprium. Quapropter accipiendum ex Scoto 4. d. 36. q. vn. A. quòd seruitus quandoq; sumitur impropriè, scilicet pro quacumq; subiectione, quo pacto etiam subiectio filialis ad patrem dici potest seruitus; propriè verò seruitus est, secundùm quam homo est ita omnino domini, vt possit à domino more pecudum vendi, ex Arist. 1. polit. c. 3. hæc est, seruitus propria est, qua seruus dicitur esse omnino, & simpliciter in potestate domini, vt possit dominus de illo omnino ad libitum disponere, qua ratione qui propria voluntate alteri ministrant, & mercedem accipiunt, propriè non erunt serui, sed potiùs ministri, & mercenarij, quia non sunt omnino, & simpliciter in potestate domini, idest ex necessitate quadam, sed potiùs ex proprio libito, solùm igitur illi dicentur serui, qui ex necessitate alteri subduntur, & dicuntur mancipia. Ista autem necessaria subiectio vel est in ordine ad Deum, vel in ordine ad creaturam, prima dicitur necessitas, & seruitus naturalis, quia quælibet creatura ex sua ratione formali est à Deo dependens, & sub diuino imperio est taliter constituta, vt ex natura rei implicet, eximi à tali dominio; at si est in ordine ad creaturam, talis seruitus, inquit, Doctor, non est inducta à natura, sed à lege humana positiua, scilicet vel iure belli, vel natiuitate, vel emptione, vel iusta iudicis condemnatione, vnde seruitus legalis dicitur, non naturalis, quia ista necessaria subiectio non ex natura, sed ex hominum arbitrio prouenit; hinc prima est verior, & proprior seruitus, secunda verò ad imitationem illius, quatenus sicut Deus de creatura ad libitum potest disponere, scilicet vel creare, vel non creare, vel conseruare, aut in nihilum redigere, ita suo modo humanus dominus potest de seruo ad libitum disponere tanquam de re omnino, & necessariò sub propria potestate. Præter has seruitutes alia à Theologis solet assignari, quæ dicitur seruitus peccati, iuxta illud Ioan. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, quoniam per peccatum constituimur sub potestate diaboli, vt ab ipso cruciemur.

113 In his omnibus conueniunt Doctores, discrepant tamen in assignatione conditionum veræ, & propriæ seruitutis; nam aliqui docent, tres esse conditiones veri serui, prima est, vt seruus obediat Domino, secunda, vt nō sit sui iuris, tertia, vt cum Domino nec in bonis, nec in honore, nec in sede communicet, seu vt alij dicunt, vt non habeat ex se ius in hæreditatem, vel tandem vt explicat Hurt. quòd sit instrumentum separatum à domino, & nō illi substantialiter, & physicè

ficè vnitum;seruus enim,inquit,ex Arist.cit.est quoddam instrumentum domini, sed separatum, ad differentiam manus, aut alterius partis, quæ est phisicè vnita domino. Alij verò hanc tertiam conditionem respuunt, sed sufficere, aiunt, quòd seruus sit omninò, & simpliciter sub potestate domini ex necessitate; ex qua diuersitate oritur postea dissidium circa præsentem difficultatem.

114 Dicendum est, Christum vt hominem non posse dici seruum seruitute peccati, neque seruum Dei naturalem secundùm omnes illas tres conditiones, sed solùm secundùm primam,& secundam conditionem. Hæc conclusio habet tres partes: Prima pars, quòd non dicatur seruus peccati, est omnium communis, imò de fide, sicut de fide est, Christum nullum habuisse peccatum; & de hac seruitute specialiter locutus est Adrianus in epist. ad Episc. Hispaniæ, *Adoptiuum cum filium, quasi purum hominem calamitati humanæ subiectum, & (quòd pudet dicere) seruum eum impiè, & ingrati tantis beneficiis liberatorem nostrum nō pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini, querulè obtrectatores, Deo odibiles, illum seruum nuncupare, qui vos de seruitute diaboli liberauit? cui seruituti vos iterum nitimini perfidia spontè colla submittere. Tales gratiarum actiones infelices ei refertis, vt qui vos honorificè liberos pretio sanguinis fecit, eum vos iniuriosè adoptiuum, & seruum, canimus non confundimini linguis latrare?* & Concil. Francolord. idem docet contra Elipandum, *Sed & hoc volumus à vobis audire, an Adam primus humani generis pater, qui de terra virgine creatus est, liber esset conditus, siue seruus; si seruus, quomodò tunc imago Dei? si liber, quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine? si terrenum liberum conditum fatemur, quare non multò magis cælestem liberum confitemur?*

115 Secunda pars, quòd non dicatur seruus Dei naturalis secundùm omnes illas tres cōditiones,prob. primò quamplurimis Sanctorum Patrum authoritatibus ostendentibus, Christum vt hominem ex hoc, quòd est filius Dei proprius,non esse dicendum seruū, vt est videre apud Doctores asserentes partem negatiuam, sed præcipuè Damasc.4. fidei c.19 hoc asserit, *Quodam autem* (supple, dicuntur de Christo) *ob eam diuisionem, quæ in sola cogitatione versatur; Nam si ea, quæ re vera disiungi nequeunt, hoc est carnē à Verbo animo, & cogitatione distinxeris, & seruus, & ignarus dicitur, quia scilicet serue, & ignoratione laborantis naturæ erat; at nisi caro Dei Verbo copulata fuisset, serua procul dubio, & ignorans extitisset, Verùm ob personalem cum Deo Verbo vnionem id habuit, vt nec serua esset, nec in ignoratione versaretur;* quibus verbis claret, Damascenum negare à Christo vt homine seruitutem propter hypostaticam vnionem cum Verbo; & rationabiliter quidem, quia seruus vt seruus ex 8. eth. c.11. nihil habet commune cum domino, at Christus vt homo habet ius quoddam, seu dispositionem de congruo in diuinam hæreditatem propter vnionem ad Verbum, qua ratione non dicitur vt homo filius Dei adoptiuus, vt ostendi in præced. quæst. ergo vt homo multò minùs erit seruus, qui inferioris conditionis est, quàm filius adoptiuus.

116 Tertia pars, quòd dicatur vt homo seruus secundùm priores duas conditiones, prob. quia Christus secundùm suam humanitatem debet Deo obedire, & quamuis sit humanitas hypostaticè Verbo vnita, adhuc tamen est sub imperio diuino, vt possit à Deo ad libitum annihilari, est ens dependens à Deo, & creatura, potestque Deus de ipsa ad libitum disponere, ergo verè erit in hac acceptione Dei seruus, & consequenter Christus secundùm humanitatē erit seruus Dei; quo nomine in multis Sacræ Scripturæ locis appellatur Christus Psal. 115. *Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*; Isa.42. *Ecce seruum meum suscipiam eum*, &c. Philipp. 2. *formam serui accipiens*, &c. idem habetur à multis Patribus, Cyrill. lib.12. Thesaur.c.15. *Seruus factus est, quia verè homo*; Ambr.5. de fide c.6. *Non igitur præiudicet, quod subiectus dicitur, cui non præiudicat, quod seruus legatur*; Aug. epist. 178. *Non solum subditum, sed etiam seruum confitemur.* Tùm quia qualibet potestas Superioris circa subditum cum dominio illius, sicut constituit Superiorem dominum, ita subditum constituit seruum, at Deus habet perfectius dominium cuiuslibet creaturæ, etiam humanitatem Christi includendo, quàm dominus respectu mancipij, ergo licet sola subiectio in humanis non inferat seruitutem, sicut filius respectu patris, vxor respectu mariti,& vassallus respectu Principis, subiectio tamen creaturæ ad Deum, quia maior, poterit rationem seruitutis naturalis inferre.

117 Dices, Adrianus in epist. cit. non solùm docet, Christum non esse dicendum seruum, sed insuper addit, quando in scripturis appellatur seruus, intelligi debere allegoricè, & metaphoricè, quemadmodum dicitur etiam leo, petra, agnus,&c. imò subdit, tantùm in veteri testamento Christum appellari seruum, & Deum dominum Christi, in nouo autem nec ab Euangelistis, nec ab Apostolis vocari seruum, sed filium, & Deum non Dominum, sed Patrem; ratio est, inquit Adrianus, quia in veteri testamento omnia sub vmbra, & figura erant, in nouo autem veritas est apertè manifestata, & vmbra cessauit; ergo ex Adriano Christus solùm metaphoricè est dicēdus seruus, non propriè; idem colligitur expressè ex D. Paulo ad Gal.4. *Itaque iam non est seruus, sed filius, quòd si filius, & hæres per Deum.*

118 Resp. Adrianum loqui ibi contra Elipandum, quapropter illam seruitutem damnauit in Christo, quæ staret simul cum adoptiua filiatione, vnde vt notat Bernal, quandocunque Pontifex, & Concilium seruitutem obiurgant, semper cum adoptione coniungunt; Elipandus autem, vt vidimus quæst. præced. in Christo duas ponebat personas solo affectu coniunctas, & Christum purum hominem astruebat peccato obnoxium; hinc cōsequenter duplicem seruitutem in Christo admittebat, alteram, quæ est seruitus peccati,quod colligitur expressè ex authoritatibus adductis num. 114. quæ nonnisi de hac seruitute possunt intelligi, alteram seruitutem, quæ simul staret cum adoptiua filiatione, ad quam euellendam Adrianus, & Concilium vtuntur vnitate personæ in Christo; *Vnitas personæ, quæ est in Dei filio, & filio Virginis adoptionis tollit iniuriam; si ergo Deus verus est, quomodo tu potest adoptiuus esse, vel seruus?* & infra, *Quid est aliud dicere, eandem Virginem adoptiuum, vel seruum genuisse, nisi negare, Deum illam genuisse? tertia, Credamus eum dominum, & non seruum; ipso dicente; vos vocatis me magister, & domine, & benè dicitis, sum etenim, & verum Deum, verùmque Dei filium confiteamur in vtraque natura, diuina scilicet, & humana.*

119 Has igitur seruitutes expuit Adrianus, & præcipuè primam, de qua ait, dici de Christo metaphoricè, sicut metaphoricè etiam dicitur pro nobis factus

maledictum, & peccatum, idest secundùm apparentiam, & in similitudinem serui peccati; quo sensu nunquam in nouo testamento dictus est Christus seruus, & Deus Dominus; ex hoc autem non sequitur, Adrianum, & Concilium damnasse omnem aliam seruitutem, etiam ab aliis admissam, qualis est seruitus naturalis secundùm priores duas conditiones, quippe quod sicut B. Virgo, quamuis ad maternitatem diuinam assumpta, adhuc tamen est vera Dei ancilla, quia adhuc subiacet diuinæ potestati; ita Christi humanitas, quamuis Deo hypostaticè vnita, quia tamen non eximitur à diuino imperio, sed æquè subditur illi, ex hoc capite erit serua Dei. Per idem ad testimonium Pauli, scilicet intelligi debere de seruitute quò ad omnes conditiones, & cum propria filiatione incompossibili.

120 Dices etiam, si quis adoptaret sibi seruum in filium, vel seruam duceret in vxorem, cessaret omnis seruitus in illis, ita habetur Instit. de Adopt. §. vltimo, sed maiori vinculo humanitas Christi fuit Deo vnita, quàm seruus per adoptionem, vel serua per matrimonium, ergo &c. Resp. negando paritatem, quia adoptans non habet ampliùs in sua potestate ita despoticè seruum, sicut antea, idem contingit de ducente seruam in vxorem, sidcirco non est ampliùs dominus in rigore; at humanitas Christi, quamuis magis substantialiter Deo vnita, non tamen exempta est à diuina iurisdictione, & potestate, sed æquè manet, sicut si non fuisset vnita; ideoq; rectè adhuc vnita dicetur serua Dei; vnde potest retorqueri argumentum, nam si hæc subiectio est tantæ identitatis cum humanitate, vt nullo pacto neq; per vnionem hypostaticam omnium vnionum maximam potest remoueri, cur non poterit dici seruitus secundùm propriam, & non metaphoricam acceptionem, si alia subiectio minor, qualis est vnius creaturæ ad aliam, dicitur rigorosa seruitus? Cæterùm, an possit Christus simpliciter, & absolutè dici seruus Dei, an verò cum addito *vt homo*, idem iudicium est faciendum, quod supra de subiectione, & minoritate determinauimus.

Disputatio Decima.

De Gratia, & Virtutibus Christi.

Fatemur vtiq; post completam de Incarnatione, & substantia Christi tractationem, quam hucusque persoluimus, & de quibusdam considerationibus ad ipsam Incarnationem, vel Christi substantiam spectantibus, deberi modò ad potentias ipsius Christi descendere, vt potè solùm formaliter secundùm Scotum 2. d. 16. ab essentia distinctas. Attamen, quia de ipsis potentijs parùm, aut nihil dicendum occurrit in speciali, & potiùs de actibus erit disserendum, idcirco præsentem disputationem præmittimus, eo quia gratia, & virtutes, cum sint habitus, spectãt ad actum primum, & actibus præsupponuntur; de quibus solùm, quę ad Christum attinent secundùm peculiarem suam rationem, agemus, communia verò ad proprios tractatus theologicos remittimus.

Quæstio Prima.

An, & quomodò fuerit gratia in Christo Domino.

1 Quatruplex gratia posset in Christo assignari; prima dicitur gratia substantialis, & substantialiter sanctificans, estq; ipsamet vnio hypostatica, vel diuinitas ipsa vnita media filiatione humanitati; secunda dicitur gratia capitis, qua Christus caput constituitur totius Ecclesiæ; tertia est gratia habitualis, quæ est habitus quidam supernaturalis animæ à Deo infusus, quo anima euadit Deo grata, & sanctificatur, ac iustificatur, constituiturq; omnis actus de condigno meritorij completum principium; nam vt colligitur ex Scoto 2. d. 26. & 27. in hoc gratia differt à charitate, quòd charitas respicit Deum vt obiectum dilectum, gratia verò vt obiectum diligens, nam anima diligitur à Deo ratione gratiæ, & diligit Deum ratione charitatis; an autem sint habitus realiter distincti, & physicè; Scotistæ negant, sed non est præsentis negotij; quarta est gratia actualis, vt sunt auxilia supernaturalia, quibus homo elicit actus supernaturales. & hæc gratia diuiditur in excitantem, & adiuuantem; excitans est auxilium diuinum, quo Deus præuenit, & excitat ad bonum, vel custodit, & liberat à malo, siue per aliquam reuelationem, aut præuenientem cogitationem, siue per motiones aliquas in affectu voluntatis; adiuuans, seu cooperans est auxilium, quo Deus actu, & intimè influit in opera supernaturalia. In præsenti non est sermo de prima gratia, nam quo pacto vnio hypostatica sanctificet substantialiter, videbimus infra disp. 12. cum de Christi impeccabilitate agemus; neq; est sermo de secunda gratia, de hac enim agemus infrà disp. 14. cum de officijs publicis Christi disseremus; quare de tertia, & quarta est sermo; & quoniam solùm ea, quæ propria sunt, agemus, idcirco quæstionem hanc per aliqua dubia breuiter persoluemus; & primò de gratia habituali, deinde de actuali.

2 Primum dubium est; An fuerit gratia habitualis in Christo, à quo, & quando fuerit infusa. Cui respondetur, Gratiam habitualem fuisse in anima Christi à Deo infusam ab instanti suæ conceptionis; ita Scotus, 3. d. 13. & d. 2. q. 2. Prima pars, quòd gratia habitualis fuerit in Christo, prob. Isa. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ*, &c. Lucæ 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*; clariùs Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*; quæ loca à multis Patribus de gratia habituali explicantur, ita Bern. hom. 4. in Missus est, *Singulariter sanctum fuit, quicquid Virgo cõcepit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem*; item ex Trid. sess. 6. c. 7. vbi generaliter definitur, iustos per gratiam, & charitatem sanctificari; & ex D. Paulo 1. Corinth. 13. sine charitate nihil valent opera; vbi est sermo vniuersaliter de omnibus Sanctis, non igitur hæc perfectio erit deneganda Christo, vt arguit D. Ambr. lib. de Spiritu Sancto c. 11. *Quem natum de Spiritu Sancto confitemini, quia negare non potestis, renasci negatis? Magna insipientia est, vt quod singulare est hominum, confiteamini, quod commune est hominum, denegetis.*

Secunda

3 Secunda pars, quòd talis habitus fuerit à Deo infusus, patet, quia nulla alia causa efficiens creata assignari potest, non enim vnio hypostatica, quod ab aliquibus asseritur, quia hæc est simplex relatio, & consequenter de genere sterilium; & si esset modus substantialis, adhuc non posset gratiam producere, quia nec alij modi vnionis sunt productiui; tùm quia non apparet ratio, cur vnio hypostatica virtualiter contineat gratiam; quod enim dicitur, gratiam esse passionem, & proprietatem hypostaticæ vnionis, hoc est falsum de vera proprietate, quia vt disp. 12. dicemus, possunt ad inuicem separari, solùm igitur est passio moralis, & ex ordinatione diuina; neq; potest esse humanitas Christi, quia non habet ex se talem virtutem, neq; vt instrumentum eleuatum à Deo, vt ostendetur, cum de potentia Christi differemus. ergo ipse Deus est, qui immediatè infudit gratiam, an verò per veram creationem, vel per eductionem de potentia animæ, non est præsentis negotij; vide in Phys. disp. 3. q. 5. art. 2. vbi hanc difficultatem obiter tetigimus.

4 Tertia pars, quòd gratia fuerit infusa ab instanti conceptionis Christi, prob. ex Isa. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini*, ergo in eodem instanti, in quo B. Virgo floruit concipiendo Christum, requieuit super eum Spiritus Domini. Tùm quia fuit beatus ab instanti conceptionis; vnio hypostatica fuit causa dispositiua, & de congruò huius gratiæ, ergo non in diuersis instantibus temporis, sed in eodem simul fuerunt istæ vniones hypostatica, gratuita, & beatifica.

5 Secundum dubium est, propter quid indiguerit Christus ista gratia habituali. Qui dicunt, Verbum non posse assumere naturam peccatricem, asserunt quoq; Christum non indiguisse habituali gratia, vt esset absolutè sanctus, iustus, & Deo gratus, quia iam per vnionem substantialiter fuit talis; neq; vt possit opera meritoria elicere, quia iam propter circumstantiam suppositi omnia Christi opera habebant infinitum valorem; solùm ergo fuit necessitas, vt anima Christi esset Sancta, & iusta formaliter, & accidentaliter, & quò ad omnes potentias. Sed quoniam discordamus in principijs, etiam in conclusione differre debemus; nam ex dicendis disp. 12. vnio hypostatica non sanctificat formaliter naturam assumptam, quia potest stare cùm peccato, ex quo sequitur, Christũ indiguisse gratia habituali, vt sanctus, Deo gratus, & iustus dici posset, & vt opera de condigno meritoria eliceret; quia de potentia Dei ordinaria omnis iustus dicitur talis per gratiam, gratia quoq; est principium, & radix omnis meriti; quamuis de potentia absoluta non fuerit ad hæc omnia gratia necessaria. Fuit quoq; necessaria gratia, sicut cæteri habitus requiruntur ad actus, scilicet ad promptiùs, & intensiùs agendum.

6 Ex quibus sequitur, in nostra schola hanc propositionem, *Christus habuit gratiam habitualem*, esse de fide, quia de fide est, Christum meruisse de condigno, de fide quoq; est, gratiam esse principium meriti, & reddere opus Deo acceptum, ergo de fide est, Christum habuisse gratiam habitualem; patet conseq. quia quod aiunt Aduersarij, sufficere vnionem hypostaticam ad sanctificandum, hoc non amplectitur à Scoto, ergo in principijs Scoti illa propositio est de fide.

7 Dices, Patres asserunt, Christi humanitatem fuisse sanctificatam, vnctam, & deificatam diuinitate communicata ipsi humanitati per vnionem; & hoc non solùm causaliter, sed formaliter, quia docent, vnctionem humanitatis, idest sanctificationem fuisse diuinitatem ipsam, & Christum fuisse à Patre sanctificatum, non vt alios homines; scilicet per gratiam, sed ipsa diuinitate per vnionẽ humanitati vnita. Tùm quia homo sanctificatur per aliquam participationem diuinitatis, quæ est sanctitas per essentiam, hinc dicitur, quòd gratia est semen gloriæ, & participatio Dei; sed nulla potest esse maior participatio diuinitatis, quàm per vnionem hypostaticã, ergo si per gratiam homo sanctificatur, multò magis per vnionem hypostaticam.

8 Resp. ex dicendis disp. cit. Patres loqui de vnione, vt de facto fuit ordinata à Deo, & determinata, quatenùs scilicet est causa dispositiua, & necessitans de potentia ordinaria ad receptionem gratiæ, vnde est sensus causalis, non formalis; cum dicunt, diuinitatem fuisse vnctionem humanitatis, hoc nequit intelligi formaliter, quia diuinitas non potest esse forma, qua humanitas formaliter dicatur sancta, quoniam humanitas denominatione intrinseca dicitur sancta, & consequenter per formam sibi realiter inexistentẽ, quod diuinitati repugnat; intelligi ergo debet tantùm causaliter, quatenùs ista diuinitas vnita causa fuit necessitans ad receptionem gratiæ, supposito Dei decreto; cum additur, Christum fuisse aliter sanctificatum, quàm nos, facilè diluitur, hanc diuersitatem oriri ex ista causa necessitante, quæ sola fuit in Christo. Ad confirm. distinguo assumptum, sanctificatio est participatio diuinitatis per quemcumq; illapsum, nego; per illapsum gratiæ, concedo; ratio est, quia esse sanctum, iustum, & gratum est esse consortem cũ Deo, idest habere eandẽ sortem, seu ius ad gloriam, quod habet Deus, modò vt ex Scripturis colligitur, ius ad gloriam non habetur, nisi per gratiam, & si de vnione hypostatica idem asseratur, intelligitur causaliter, vt dictum est; aliter sequeretur, quòd cum Deus sit magis intimè præsens per essentiam, præsentiam, & potentiam naturæ rationali, quàm per gratiam, & consequenter quia hic illapsus est maior, redderet naturam sanctam, quod est falsum; sanctificatio igitur fieri debet per aliquam formam inexistentem, sicut est gratia.

9 Tertium dubium; nùm gratia Christi fuerit eiusdem rationis, & speciei cum nostra. Quidam ex Thomistis docent, quòd si hæ gratiæ considerantur secundùm proprias quidditates, sunt eiusdem speciei, si verò secundùm modum essendi, quia in Christo gratia est secundùm omnem plenitudinem tàm intensiuam, quàm extẽsiuam, in nobis verò per participationem, & ad mensuram, ideo vt sic specie differunt.

10 Absolutè tamen est dicendum, has gratias esse eiusdem speciei; ita colligitur ex Scoto in 3. d. 13. q. 1. F. dum concedit, gratiam hominum, & Angelorum esse eiusdem speciei; prob. quia gratia eosdem specie effectus causat in nobis, ac in Christo, quatenùs sicut nos sanctificat, reddit Deo gratos, estq; radix omnis meriti, ita & Christum sanctificat, & reddit gratum Deo, quamuis perfectiori modo, hoc tamen non officit, quia axioma philosophicum est, perfectum, & imperfectum non variare speciem, qua ratione ostendi in Log. disp. 7. q. 2. art. 4. si daretur linea infinita, fore quoq; in prædicamento quantitatis, quod etiam est

est asserendū de qualitate infinitè intēsa, si esset possibilis, quia intensio fit per additionē partium eiusdē rationis ex lib. d. Gen. disp. 3. q. 2. & 3, ex quo patet ad fundamentū aduersariorū, falsum enim est assumptū, qualitatem scilicet esse eiusdem rationis quò ad essentiam, & differre specie quò ad modum essendi; nam modus iste essendi non potest causare differentiam specificam, & essentialem, quia vel dicit aliquid intrinsecum, & quidditatiuum, ergo falsum est, secundùm quidditatē istas gratias esse eiusdem speciei; vel dicit aliquod extrinsecū, & accidentale, ergo nequit facere differre essentialiter, & quidditatiuè, sed accidētaliter.

11 Quartum dubium est; quo pacto ista gratia dicatur summa. Aliqui dicunt esse summam, quia infinitam. Sed hoc est falsum, quia nequit dari infinitum in actu ex Phys. disp. 10. q. 5. art. 1. Alij concedunt esse finitam, sed aiunt esse summam, quia negant, reperiri posse intensiorem, etiam de potentia Dei absoluta; ita videtur sentire Scotus 3. d. 13. q. 1. & 2. & cum eo omnes ferè Scotistæ. Attamē in Phys. disp. 10. cit. quæst. 5. art. 2. fusè ostendi, hanc opinionem etiam in Scoti principijs non posse sustineri, rationesq; à Scoto adductas dilui, & motiuum Doctoris, quo fuit inductus ad hoc asserendum, aperui ex illis verbis, quæ lit. H. apposuit dicens, *In commēdando Christum malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere*, his enim verbis apertè dedit intelligere, se dubiè locutum, aliter non diceret, se velle potiùs incidere in aliquod absurdum, quàm deficere in commendatione Christi; vide ibi; neq; circa hoc punctum aliquid de nouo occurrit dicēdum, quamuis Vulpes hic disp. 28. & Centinus disp. 11. c. 3. oppositum doceant.

12 Dicendum igitur est, gratiam Christi quò ad essentiam, & intensionē fuisse finitam; dici verò summam ex multiplici capite; primò, quia de potentia ordinaria non est, neq; erit altera intensior; vnde si cōcipiamus ex omnibus aliorum hominum, & Angelorum gratijs inter se coniunctis vnam gratiam resultare, adhuc intensio gratiæ Christi totam istam intensionem superaret; ratio est, quia in humanitate Christi propter vnionem hypostaticam adest summa congruitas ad summam gratiam, etiam infinitam, si esset possibilis, quæ tamen hæc est impossibilis, definita est per infinitam sapientiam summa quædam gratia, quę omnes alias simul superet, sicut dignitas Christi excedit quamcumq; dignitatem alterius Sancti. Secundò dicitur summa, quia fuit causa meriti infiniti, quale fuit meritum Christi, quòd pro infinitis fuit acceptatum modo explicato disp. 7. q. 4. quamuis radix huius infinitæ acceptationis fuerit vnio hypostatica; & in hoc sensu potest admitti, quod aliqui dicunt, gratiam Christi fuisse finitam in entitate, sed infinitam in ratione gratiæ, & doni. Hinc à Scripturis, & Patribus dicitur in Christo fuisse plenitudo gratiæ, quia fuit plenus vt fons, inquit Bernardus, B. Virgo vt aquæ ductus, alij Sancti vt riuuli, iuxtà illud Psal. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius*; dicitur etiam fuisse plenitudo gratiæ propter coniunctionem cū diuinitate, & propter opera meritoria, quæ in infinitum fuerunt acceptata; quæ plenitudo sic explicata nō conuenit alijs Sanctis, sed soli Christo. Solet autem tribui alijs Sanctis, & præcipue B. Virgini, quæ dicitur gratia plena, quatenùs plenitudo circūscribit magnā abundantiā, & perfectionem sanctitatis proportionatam propriæ dignitati, & officio cuiuslibet Sancti.

13 Dices, de Christo Ioan. 3. dicitur, non fuisse ei datum spiritum ad mensuram, ergo gratia eius est infinita. Tùm 2. si finita, ergo posset ad istam intensionem peruenire pura creatura per actus meritorios, quod est falsum. Tùm 3. inquit Vulpes, de fide est, Deum posuisse in humanitate Christi omnes perfectiones possibiles supernaturales, cum omni possibili latitudine graduum intensionis in infinitum, ergo vel gratia Christi erit infinita, vel si finita, non poterit fieri additio. Tùm 4. gratia vnionis per absolutā Dei potētiā non potest fieri maior, ergo neq; gratia habitualis. Tandem Lucæ 2. Christus crescebat ætate, sapientia, & gratia apud oēs, ergo sicut propriè creuit ætate, ita in gratia, ergo saltem non fuit summa à principio.

14 Resp. ad 1. datum fuisse Christo spiritum sine mensura, non quia gratia fuerit infinita, sed ratione donorū gratiæ, quatenùs gratia Christi ad omne munus gratiæ se extendit, & ab ipsa vt à fonte, & à capite omnia dona hominibus concessa prouenīunt, vnde & quodammodo virtualiter, & eminenter omnia alia dona continet; hinc D. Aug. hoc exponens ait, *Mensura diuina diuisio quædam donorum est, alij enim datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, sed Christus, qui dat, non ad mensuram accepit gratiam, sed cum omni plenitudine, & perfectione operandi*. Ad 2. simpliciter, & absolutè non est negandum, purum hominem posse ad talem gratię intensionem peruenire, oppositum enim asserere esset incidere in errorem Beguardorū damnatum in cap. *Ad nostrum* De hæreticis dicentium, hominem in hac vita aliquando ad vltimum gradum perfectionis peruenire, vt vlteriùs progredi non posset; attamen de facto nullus homo peruenìet ad talem gradum intensionis gratiæ, quia stante ordine diuinæ prouidentiæ, cuilibet est determinatus, & definitus terminus, ac periodus vitæ, meritorum, gratiæ, & gloriæ in æterna prædestinatione, vnde quilibet homo iustus in fine vitæ ad talem gradum gratiæ perueniet, quem non excedet, estq; talis gradus longè inferior, quàm sit Christi gratia. Ad 3. neg. assumptum de potentia absoluta, quia dona Dei possibilia sunt syncathegorematicè infinita. Ad 4. vnionē non esse simpliciter, & intrinsecè infinitam, sed extrinsecè, & terminatiuè, seu negatiuè, vt sæpe dictum est, hinc negatur conseq. quia gratia infinita est impossibilis; cur autem fuit in tali determinato gradu, & non in maiori, alia ratio assignari nequit, nisi diuina voluntas, quæ omnia suauiter disponit, vnde Christo tantam gratiam contulit, quæ fuerit proportionata dignitati Christi. Ad vltimum, Christum nō creuisse in gratia habituali, sed in effectibus gratiæ, qui sunt actus meritorij, quos in dies exercebat semper excellentiores, & perfectiores, & manifesti fiebant apud Deum, & homines.

15 Secundum dubium est, nùm Christus habuerit gratiam actualem, tàm excitantem, quàm adiuuantem. Cui affirmatiuè responderi potest; nam Christus perfectissimè fuit illuminatus per visionem beatam, & inflammatus per fruitionē, & quòd ad hoc posset tàm visio, quàm fruitio vocari gratia excitans. Similiter gratia adiuuans, si sumitur eadem cū diuino cōcursu, non est dubium, quin fuerit Christo data, quia certum est, ad omnes actus supernaturales Christi cōcurrisse Deum; & vniuersaliter omnia auxilia gratiæ efficacia, & quæ nullam præsupponunt imperfectionem, fuerunt concessa Christo.

Quæstio Secunda.

De virtutibus, alijsq; donis Christi.

16 IN hac quæstione si aliqua reperitur difficultas, prouenit potiùs ex cognitione formalitatũ, & obiectorum virtutum, si enim aliqua virtus de sua ratione dicit, vel præsupponit aliquam imperfectionem, certè erit remouenda à Christo; nõ est autẽ præsentis negotij formalitatem, & obiectum formale cuiuslibet virtutis, eiusq; à cæteris distinctionem examinare; ideoq; pingui Mynerua in hac quæstione progredi-mur, potiùs referendo aliorum placita, quàm propriã sententiam determinando.

17 Primò quidem supponendũ est, dari in Beatis lumen gloriæ, quod ad visionem beatificam cõcurrit eleuando intellectum; Deinde certum est, dari tres virtutes theologicas, fidem, spem, & charitatem; dari quòq; virtutes morales prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam, cum suis speciebus, quæ virtutes à Thomistis distinguuntur in per se infusas, & supernaturales, & in acquisitas, & naturales, quæ possunt esse etiam infusæ, sed per accidens; quam tamen distinctionem nõ admittit Scotus tanquam superfluã, & solùm vnum habitum cuiuslibet virtutis concedit, qui vel acquiratur ex frequentatis actibus, vel infunditur à Deo; ita in 3. d. 34.

18 Dantur insuper septem dona Spiritus Sancti, vt colligitur ex Isa. c. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini*; quæ dona appellantur *Spiritus*, quasi impulsus, & impetus, quibus homo quasi impellitur ad actus virtutum excellẽtiores, & extraordinarios, semper tamen cum propria actiuitate, & concursu. Rursus assignari solent Gratiæ gratis datæ, quæ conceduntur homini ad aliorum vtilitatem, suntq; nouem ex 1. Corinth. 12. *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autẽ sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alij gratia sanitatum in vno Spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio Spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* Et tandem dantur duodecim fructus Spiritus Sancti, ad Gal. 5. Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas.

19 His prænotatis, certum est, in Christo virtutes, quas habet, esse in gradu hæroico, & summo, vt de gratia diximus quæst. præced. quia sic erat condecens dignitati Christi. Certum quòq; est, fuisse in Christo lumen gloriæ ab instanti conceptionis, quia in eodem instanti fuit perfectè beatus, lumen autem gloriæ concurrit ad visionem beatificam.

20 De virtutibus theologicis non est dubium, quin fuerit charitas summa in Christo, hæc enim manet in Beatis, & præcipue in sententia Scoti non distinguentis charitatẽ à gratia quò ad entitates habituum. De fide nõ est vna omniũ Sententia; Vulpes enim disp. 29. art. 2. concedit in Christo habitum fidei, eoquia licèt in instanti cõceptionis fuerit perfectè beatus, attamen quia fuit simul viator, & comprehensor, idcirco in priori natura eiusdem instãtis elicuit actus fidei circa omnia mistéria, quibus meruit summam beatitudinẽ, vnde concedit, in eodẽ instanti temporis actum fidei obscurum, & actum clarum, & euidentem visionis beatificæ, sed in diuersis instantibus naturæ; admittit quòq; nũc in Christo fidem circa futura spectantia ad ordinem gratiæ. Alij concedunt in Christo habitum fidei ad eliciendos actus inefficaces, non autem efficaces, actus efficax est voluntas credendi firmiter res reuelatas, vt est in nobis viatoribus, actus inefficax est pia affectio, & affectus quidã conditionatus, quo voluntas parata est ad credendum, si daretur occasio, & clara cognitio earundem rerum nõ adesset. Alij verò absolutè negant in Christo fidem. Est etiam dubium de spe, nam Vulpes disp. cit. art. 3. eodem ductus fundamento admittit in Christo spem in instanti conceptionis, sed in priori natura attingendi essentiale præmium beatitudinis; & ab illo instanti cõceptionis vsq; ad vltimum suæ resurrectionis retinuisse spem circa gloriam sui corporis, & nunc quoq; retinere spem respectu aliorum, quæ spectant ad complementum sui meriti & gloriæ accidentalis, qualis est completa iustorũ salus. Cõmunis opinio solùm spem admittit in Christo in ordine ad res attinẽtes ad gloriam accidentalem, nõ autem in ordine ad beatitudinem essentialẽ, quam in primo suæ conceptionis instanti obtinuit.

21 Dicendum est, nullo modo Christum habuisse fidẽ, neq; spem respectu essentialis beatitudinis, quã-uis in ordine ad alia posset admitti. Cõclusio hæc quò ad primam partem de fide euidẽter colligitur ex Scoto in 3. d. 24 vbi ex professo docet, scientiam, & fidem nõ posse simul haberi de eodem obiecto, quoniã fides essentialiter includit obscuritatẽ, scientia verò euidentiam, implicat autem, eũdem intellectum de eodem obiecto esse simul euidentem, & ineuidẽtem, seù obscurum; quod etiam ostendi de scientia & opinione in Log. disp. vlt. q. 2. Nec diuersa illa instantia naturæ à Vulpes assignata saluant contradictionem; quia vt cũ Scoto ostendi in Log. disp. 10. q. 2. art. 1. instantia naturæ non sunt mensura existentiæ rerum. Tum quia iam in eodem instanti temporis darentur simul in eodem intellectu forma, scilicet actus fidei, & priuatio eiusdẽ formæ; quod esse falsum ibi ostendi, & in Phys. disp. 4. q. 4. præcipuè ex hoc, quia quod est posterius natura vel coexistit toti instãti temporis, & esset simul cum priori natura, vel nõ coexistit, & sic indiuisibile, quale est instans temporis, esset diuisibile, quæ omnia sunt absurda. Nullo igitur modo est admittenda fides in Christo, quò ad actus efficaces, quia de omnibus, etiam de futuris ad ordinem gratiæ spectantibus, habuit euidentissimam cognitionem, saltim in Verbo; quæ cognitio est distinctior quacunq; alia cognitione naturaliter acquisita, ergo si fides est cum ista incompossibilis, multò magis cum illa; vide infra disp. 13. q. 2.

22 An autem habuerit quò ad actus inefficaces, est dubium, quia nõ debemus negare actus istos inefficaces in Christo, & in Beatis, & quidem supernaturales, ex quo sequitur, dari debere habitum supernaturalem infusum cõcurrentem ad istos actus, præcipuè in sententia illorũ ponentium habitus infusos necessarios ad simpliciter supernaturaliter agendum. Attamen quia communior Scotistarum opinio ponit, habitus infusos non esse necessarios ad simpliciter agendum supernaturaliter, & aut saltim sufficere auxilium gratiæ, videtur habitus iste denegãdus tanquã simpliciter necessarius ad elicitionem horũ actuum. Præterquamquòd fides, de qua loquimur, spectat ad intellectum, actus isti inefficaces spectant ad voluntatem, ergo hæc fides nullo pacto est necessaria in Christo.

Secunda

23 Secunda pars de spe ex dictis est clara, quia spes de sui ratione formali est circa bonum absens, vt absens est, beatitudo autem essentialis, nunquam fuit absens à Christo, quia beatus à primo instanti conceptionis; neq; instantia diuersa naturæ aliquid faciunt; vt ostendi, ergo &c. Non est tamen omnino spes deneganda Christo, quia multa bona fuerunt, & sunt modò absentia, de quibus spem habebat, & modò habet illa consequendi; An autem hæc spes fit eiusdem rationis cum spe priori, spectat ad tract. de virtutibus theologieis.

24 Dices, Isaias c. 9. loquens de Christo ait, *Et erit fides cinctorium renum eius*, ergo in Christo fuit fides. Tum quia Christus fuit simul viator, & comprehensor, suam beatitudinem per merita præcedentia meruit, ergo meruit habere fidem, qua contribueretur homo viator, & suam beatitudinem mereretur. Resp. ad 1. per fidem ibi intelligi, non quidem theologicam virtutem, sed constantiam, & firmitatem in exequendis promissis. Ad 2. dicetur fusè in disp. de voluntate, & merito Christi.

25 Quod spectat ad vitutes morales, communis est opinio, omnes fuisse in Christo, præter eas, quæ imperfectionem aliquam supponunt, qualis est secundùm aliquos pœnitentia, quæ est dolor proprij peccati commissi (licèt ab alijs asseratur, non requiri, quòd peccatum sit proprium, sed sufficere peccatum in cõmuni, quo pacto non erit à Christo deneganda pœnitentia) & si virtutes morales per se infusæ darentur, adhuc sunt concedendæ Christo, ratio est, quia virtutes istæ sunt perfectiones in Beatis, ergo admitti debent in Christo; similiter virtutes morales ex se naturaliter acquisibiles fuerunt in gradu hæroico à Deo infusæ; non enim est verisimile, quod ait Vulpes, has omnes virtutes fuisse à Christo acquisitas in instanti conceptionis per actus elicitos in illo instanti; nam debuisset Christus in illo instanti, non solùm actus omnium virtutum elicere, sed etiam in gradu summo, vt potuissent causare habitus in gradu hæroico, & summo; imò quia causa æquiuoca semper est effectu perfectior, si est totalis, actus illi in intentione debuissent notabiliter excedere habitus virtutum, quia vt ostendi in lib. de An. disp. 3. num. 27. actus vt quatuor non causat statim habitum vt quatuor; sed remissiorem; meliùs igitur ponuntur isti habitus à Deo infusi.

26 Dices, quilibet actus intendit habitũ proprium, ergo actus à Christo eliciti in vita sua intendebant habitus virtutum, ergo non fuerunt à Deo infusi in gradu summo. Resp. ex dictis in lib. de An. disp. cit. num. 36. cum Scoto a. d. 7. q. vn. Y. negando antec. de facto, rationem reddit Doctor dicens, *quòd habitu existente perfecto, vel in summo, quantùm potest perfici in tali subiecto, vel secundùm terminum sibi præfixum à sapientia diuina, omnes actus sequentes nihil augent, sed tantùm procedunt ex habitu iam generato, quemadmodum actus Angeli boni non augent habitũ charitatis eius, nec effectiuè, nec meritoriè, quia ille est in termino, vel secundùm naturam habitus, vel secundùm capacitatem subiecti, vel saltim secundùm terminum sibi præfixum à Deo, sed omnes illi actus procedunt ex plenitudine illius habitus sic perfecti*; & est eadem difficultas cum Beatis; solùm potest esse dubium de scientia acquisita, de qua in disp. seq.

27 De donis Spiritus Sancti dicendũ est quoq; fuisse in Christo, vt patet ex authoritate adducta num. 18. Solùm dubitari solet de dono timoris, quod à Christo negare, esset incidere in errorem Abailardi damnatum ab Innocentio Papa, vt refert D. Bern. epist. 190. & 194. Abailardus enim omnem timorem remouit à Beatis. Est tamen not. quòd timor potest sumi pro fuga mali apprehensi vt futuri, siue sit malum culpæ, siue malum pœnæ, & in hoc sensu non fuit in Christo, quia nullum malum culpæ sibi imminebat, & per consequens neq; malum pœnæ; vt correspondens malo culpæ proprio; alio modo sumitur pro effectu reuerentiali ad Deum, quo sensu à Scoto in 3. d. 34. O. non distinguitur ab humilitate, iuxta illud Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini*, humilitas autem est principium omnium virturum; & in hac acceptione ponitur in Christo, & in Beatis, vnde Psal. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*, Iob. 23. *Columnæ cæli contremiscunt*, Ecclesia in Præfatione Missæ, *Tremunt Potestates*.

28 Nec minùs à Christo erunt denegandæ gratiæ gratis datæ, vt patet, vbi not. quòd fides ibi non sumitur pro habitu virtutis theologicæ, sed pro insigni facilitate ad explicandum alijs misteria fidei, vel pro certa fiducia ad conficienda miracula. Similiter est not. quòd habuit genera linguarum, nõ solùm in actu primo, sed etiam in actu secundo, quia ad Gentiles scribebat, & loquebatur. Dubitatur tamen de dono Prophetæ, nam Abulensis in c. 11. Numeri q. 94. negat, eoquia de ratione Prophetiæ putat esse obscuritatem, Beati non dicuntur Prophetæ in Patria. Verùm non est obscuritas necessaria in loqu. nte ad rationem prophetiæ, sed sufficit in audiente; vt scilicet enunctientur aliqua occulta audientibus, nam & Prophetæ *Videntes* in Sacra Scriptura solent appellari, & Christus pluriès appellatur Propheta, Deuter. 18. *Prophetam suscitabit tibi Dominus sicut me*; Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis*, & c. 24. *quia fuit vir Propheta potens in opere, & sermone*; imò fuit plusquam Propheta, quia donum istud fuit perfectissimo modo in Christo.

Tandem idem de fructibus Spiritus Sancti dicendum, quamuis gaudium non semper fuerit in portione inferiori, vt dicetur disp. 12.

Disputatio Vndecima.

De Intellectu, & Scientia Christi.

ABsoluta cognitione de substantia, & quidditate Christi, & quæ ad ipsam spectant, necnon de habitibus perficientibus potentias ipsius Christi, ad potentias ipsas, & earundem actus oportet descendere; sicut autem in quolibet homine tres gradus vitales reperiuntur, scilicet vegetatiuus, sensitiuus, & rationalis, & cuilibet propriæ correspondeant potentiæ, vt visum est in lib. de Anima, idem quoq; de Christo, qui verus est homo, dicendum erit; non oportet autem agere de potentijs vegetatiuis, aut sensientis gradus, quia idem iudicium ferè est habendum, ac de potentijs aliorum hominum; solùm igitur de potentijs gradus rationalis est agendum, quæ sunt intellectus, & voluntas, eorumq; actibus (memoria enim non est potentia ab intellectu realiter distincta, sed est ipsemet intellectus specie intelligibili informatus, ex dictis in lib. de Anima disp. 6. q. 4. art. 1.) & primò de intellectu, quoniam tùm in essendo, tùm in operando prior est voluntate.

Quæstio Prima.

An, & quot intellectus, ac scientiæ reperiantur in Christo.

1 QVò ad primam partem quæstionis, Hæretici illi, qui Christum purum hominem, aut purum Deum esse asseuerauerunt, vel qui dixerunt, Verbum non assumpsisse veram, & perfectam humanitatem, consequenter vnicum posuerunt in Christo intellectum, vel creatum, vel increatum; similiter Monothelitæ, eo quia negarunt in Christo voluntatem humanam, quamuis côcesserint perfectam, & completam substantiam humanam, pariformiter intellectum denegare debebant.

2 Sicut autem de fide est, Christum esse simul verum Deum, perfectumq; hominem, ita quòq; de fide est, Christum habere vtrumq; intellectum diuinum, & humanum; ita habet Agatho Papa in Epist. quæ habetur in sexta Synodo act. 8. *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturam pertinent, duas naturas eius prædicamus, & vnamquamq; proprietates naturales habere profitemur, diuinam omnia, quæ diuina, humanam, omnia, quæ humana sunt absq; peccato*; & Sophronius in Epist. relata in eadem Synodo act. 2. docet, *Verbum assumpsisse animam rationalem animabus nostris similem, & mentem menti nostræ côparem*; quod etiam in Concil. Chalcedon. act. 5. & Later. sub Martino Papa c. 9. definitum est. Accedit ratio; quia intellectus est potentia ab anima rationali solum formaliter distincta, vt cum Scoto in 2. d. 16. ostendi in lib. de Anima disp. 2. q. 1. ergo quia Christus veram habuit animam rationalem, necessariò verum, humanumq; intellectum debuit habere; & multò magis idem ostenditur de intellectu diuino, qui est perfectissimè identificatus cum diuino Verbo, quod est suppositum Christi.

3 Ex his quòq; sequitur, fuisse in Christo aliquam scientiam, hæc enim est operatio propria intellectus, sine qua manet intellectus modo mortuo, quia per scientiam vitaliter tẽdit in obiectum (scientiam namque pro nunc sumimus pro cognitione) & præcipuè hoc est asserendum de scientia increata, & diuina, quę est simpliciter necessaria.

4 Dubitatur autem de scientia creata, an fuerit in Christo, & quotuplex. Quidam docuerunt, intellectum animæ Christi videre omnia, & beatificari per scientiam increatam, citatur ab aliquibus Vgo de S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 2. c. 1. & lib. de Anima, & scientia Christi; quem dicendi modum possibilem putat Ioan. de Ripa apud Caiet 3. p. q. 9. art. 1. Communis opinio hũc modum vt impossibilem reprobat, admittitq; in intellectu animæ Christi scientiam creatam ab increata distinctam; sed discrepant deinde Doctores inter se, quotuplex sit hæc scientia. Aliqui enim tres solùm scientias admiserunt in anima Christi, scilicet beatam, infusam, & acquisitam, seu experimentalem. Thomistæ scientiam infusam multiplicarunt in per se infusam non naturaliter acquisibilem, & in per accidens infusam, seù naturaliter acquisibilem. Recentiores quidam sciẽtiam per se infusam distinxerunt in scientiam supernaturalem, qua Christus supernaturalia cognoscebat, & in scientiam naturalem, qua naturalia attingebat. Alij aliter diuiserunt, scilicèt in scientiam per se infusam vtentem speciebus à solo Deo productis, & non dependentibus à sensibus, & in scientiam vtentem speciebus factis ab intellectu agente dependenter à sensibus. Alij alias quòq; adinuenerunt diuisiones.

5 Dico primò, in Christo præter scientiam increatam fuit quòq; scientia creata, itaut non potuerit intellectus animæ Christi per sciẽtiam increatã aliquid cognoscere, ita colligitur ex Scoto 3. d. 14. & prob. authoritatibus adductis num. 2. Accedit ratio, quia ex lib. de Anima disp. 2. q. 2. & 3. vt potentia vitaliter operetur, quamuis nõ necessariò exigatur, quòd actũ producat, requiritur tamen, vt par actum in se receptum, & informantem ipsam, tendat postea in obiectum, & ad aliud dicit respectũ attingentiæ, sed scientia increata nequit immediatè recipi, & intrinsecè afficere, seù informare intellectum animæ Christi, ergo intellectus animæ Christi nõ potuit intelligere per scientiam increatam; maior patet, min. prob. non solùm de facto, quia si anima Christi fuisset immediatè vnita scientię diuinæ, vnio fuisset facta in aliquo essentiali, & commoni tribus personis, quod est falsum; sed ostenditur eadem minor de possibili, quia recipi, & informare dicit imperfectionem.

6 Hæc ratio non placet aliquibus, præcipuè Lugo disp. 18. quia subsistentia creata est forma naturæ subsistentis, & tamen subsistentia diuina potuit supplere subsistentiam cretam, quamuis non fuerit forma humanitatis, ergo licèt intelligere creatum sit forma intellectus, potuit tamen suppleri à scientia increata, quamuis non sit forma intellectus creati, ergo sicut natura humana dicitur formaliter subsistere subsistẽtia Verbi, ita intellectus animæ Christi potuit esse formaliter intelligens per scientiam increatam, quæ tamen non sit forma ipsius, sicut nec est forma intellectus diuini.

7 Sed hæc impugnatio facilè diluitur, si aduertatur discrimen inter subsistentiam, & intellectionem, nam subsistẽtia formaliter dicit simplicem terminationem alicuius naturæ communicabilis, vnde de sua ratione formali est terminus, terminare autem non est informare, hinc terminus quandoque denominatione extrinseca dicitur terminare, vt in proposito de Verbo respectu humanitatis ex dictis disp. 1. num. 47. & seq. at intellectio de sua ratione est actus vitalis operatiuus, & consequenter debet intrinsecè afficere, & informare potentiam operantem, quia vita consistit in hoc, quòd viuens à seipso tendat in aliquam perfectionem non debitam ex vi generationis ex dictis in lib. de Anima disp. 1. q. 2. vnde actus vitalis debet esse perfectissimè in potestate potentiæ operantis, vt ita dicam. Nec paritas de intellectu diuino, respectu cuius scientia increata non habet rationem formæ, aliquid vrget; quoniam licèt non sit forma, est tamen illi intimè, & realiter identificata propter infinitatem ex parte vtriusque; at in ordine ad intellectum creatum, quia ab illo realiter distinguitur, nequit intrinsecè afficere illum, quin etiam informet.

8 Accedit principaliter; quia actus, & potentia debent esse inter se proportionati, & actus de sua ratione formali subordinatur potentiæ, quæ actu vtitur quasi instrumento ad attingendum obiectum, quæ omnia dicunt maiorem perfectionem in potentia, & minorem in actu, ergo implicat, potentiam aliquam creatam esse operatiuam per actum increatum; quia tunc infinitum subordinaretur finito in operando.

9 Ex quibus patet solutio rationum in cōtrarium, quæ consistunt in hac paritate, quòd sicut subsistentia diuina suppleuit vices subsistentiæ creatæ, ita scientia diuina potuit supplere vices scientiæ creatæ; & sicut essētia diuina potest supplere munus speciei impressæ, ita potest supplere munus speciei expressæ. Hæc enim paritas negatur, quia actus vitalis debet intrinsecè afficere potentiam, itaut vel debet esse cum potentia realiter identificatus, vel si est realiter distinctus, debet illam informare, vt sit in perfecto dominio potentiæ operantis, quod dicit imperfectionem, qualis imperfectio non adest in hoc, quod est supplere subsistentiæ creatæ, aut speciei impressæ munera.

10 Dico 2. in Christo scientia creata fuit triplex, scilicet beata, infusa, & acquisita, seù experimentalis; ita Doctor cit. estq; communior apud Antiquiores; sed quoniam sufficientia huius triplicis diuisionis præsupponit cognitionem quidditatū cuiuslibet sciētiæ, idcirco hæc cōclusio patebit ex sequentibus quæstionibus, in quibus de qualibet in particulari agemus.

Quæstio Secunda.

De scientia Christi beata.

11 HAec quæstio magnam habet connexionem cū materia de Visione beatifica, & de Angelis, imò, & cum doctrina animastica, hinc à Doctoribus multa, quæ istorum sunt propria tractatuum, hic ingeruntur; nos tamen, quæ ab hoc instituto sunt aliena, relinquemus, vel supponemus, vt breuiter incedamus, quod etiam in sequentibus quæstionibus obseruabimus.

12 Sciendum est igitur circa propositam difficultatem, quòd anima Christi habuit beatificam visionem, qua Deum clarè, & distinctè vidit, quæ visio, licèt excedat omnes alias visiones Beatorum, vt dicemus quæst. 5. non tamen æquatur visioni increatæ, non enim tàm clarè, distinctèq; videt Deum, sicut Deus seipsum videt, vt habetur in Concil. Basiliensi sess. 22. contra Augustinum de Roma; & ratio est, quia visio beata animæ Christi est finita, & de potentia absoluta potest augeri in perfectione, vt de gratia dicebamus, ergo finito modo exprimit Deum, nec ipsum comprehendit ex dictis in lib. de Anima disp. 6. q. vlt. at diuina visio est infinitè perfecta, estq; Dei comprehensiua.

13 Deinde certum est, hanc beatam visionem fuisse in Christo ab instanti suæ conceptionis; quia ex Scripturis habetur, hanc visionem fuisse in Christo, dum adhùc esset in hac mortali vita, Ioan. 17. *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant charitatem meam, quam dedisti mihi*; & c. 8. *Ego, quæ vidi apud Patrem, loquor*; & 12. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit*; Psal. 40. *Beatum faciet eum in terra*; & Psal. 65. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti*; & idem colligitur ex gloriosa transfigurationes; si igitur Christus in hac vita mortali fuit beatus, ergo à primo suæ conceptionis instanti hanc habuit beatitudinem; prob. conseq. quia non est maior ratio, cùr potiùs in vno tēpore, quàm in alio habuerit, tùm quia ab instanti conceptionis Christus fuit impeccabilis, ergo beatus, quia per Scotum impeccabilitas in Christo prouenit ex beatifica vnione. Accedit communis sensus Patrum, & Theologorum.

14 Dices, Lucæ 22. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*; Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus*; & c. 17. *Clarifica me Pater*, ait Christus, ergo ante mortem Christus non fuit beatus. Tùm quia quando corpus, & anima sunt vnita, beatitudo animæ redundat in corpus, Christi corpus in hac vita non fuit beatum, ergo nec anima. Resp. faciliter, authoritates istas à Patribus explicari, non de gloria animæ, quæ in clara Dei visione consistit, sed de gloria resurrectionis, ascensionis, sessionis ad dexteram Patris, & de nominis manifestatione, & exaltatione. Ad confirm. assumptum regulariter esse verum, sed fuisse in Christo dispensatum, vt per mortem nos redimeret à peccatis.

15 Specialis tamen est difficultas in præsenti, nùm anima Christi videat in Verbo omnia, quæ Verbum videt. Vbi not. quòd Verbum hic non sumitur pro persona à Patre, & Spiritu Sancto distincta, quia nec Verbum scit aliquid, quod sit ignotum alijs personis, neq; anima Christi in Verbo personaliter accepto videt creaturas, sed in essentia diuina; accipitur ergo Verbum appropriatè, & essentialiter, quo pacto Verbum dicitur sapientia Patris; & est sensus, nùm anima Christi videndo Deum intuitiuè, videat etiam omnia, quæ Deus videt, contemplando suam essentiam. Res autem, quæ possunt videri in Deo, sunt in duplici differentia, quædam spectant ad scientiam simplicis intelligentiæ, & sunt omnia possibilia, quædam ad scientiam visionis, & sunt res futuræ; de omnibus est quæstio.

16 Prima opinio affirmat, animam Christi actu videre omnia in Verbo, tàm possibilia, quàm futuras citantur Magister in 3. d. 14. Albert. Dur. sequuntur Hurt. disp. 54. & Bernal disp. 34. sed cum aliqua limitatione; ex nostris P. Vulpes disp. 41. art 6. quamuis discrepent postea, an vno, vel pluribus actibus illa cognoscat. Secunda sententia est Thomistarum 3. p. q. 10. docentium, animam Christi non videre actu omnia possibilia, sed aliqua, futura verò omnia videre, quæ sunt infinita, saltim in accidentibus, vt sunt cogitationes Beatorum per totam æternitatem. Tertia sententia est D. Bonan. 3. d. 14. art. 2. q. 3. Mars. q. 10. art. 2. & Henr. quol. 5. q. 14. negans, Christum omnia actu videre, sed solùm concedit habitualiter, quatenus scilicet in anima Christi datur aliquis habitus supernaturalis, qui sit vel lumen gloriæ, vel aliquis alius infusus, repræsentans omnia, tàm possibilia, quàm futura, per quem habitum anima Christi constituitur omnisciens in actu primo, & habitualiter, potestq; deinde exire in actum secundum, non quidem omnia simul cognoscendo, sed hæc, vel illa pro suo arbitratu.

17 Scotus verò in 3. d. 14. q. 2. videtur problematicus, qua ratione ab Exteris in varias trahitur sententias; nam primò concedit, animam Christi posse simul, & de facto omnia videre in Verbo, quæ Verbum videt, & hoc vel eadem numero visione, vel infinitis visionibus, si infinitum non repugnat à parte rei. Deinde tradit aliam viam, quòd scilicet non possit omnia videre actu, sed habitu, non quidem creato, vt dicebat tertia opinio, qui vnica ratione sit ostensiuus infinitorum; sed quatenùs anima Christi eo actu, quo videt Verbum, omnia, quæ sunt in Verbo sibi relucent, & sunt sibi præsentia in actu primo, quia

Verbum

Verbum paratum est omnia repræsentare, & propter istam præsentialitatem, & quia anima Christi est in potentia proxima, vt possit exire in actum secundum, dicitur sibi omnia habitualiter nota; actualiter tamen non potest omnia, neq; vno, neq; diuersis actibus cognoscere; quem modum dicendi tanquam magis Scoticum, & expeditum sequemur, quem etiam amplectitur P. Faber 3. disp. 35.

18 Dicendum est primò, animam Christi non posse actu videre omnia, quæ Verbum videt, siue ad sciētiam simplicis intelligentiæ spectent, siue ad scientiam visionis, siue ad vtramq; nec etiam posse hæc omnia habitu aliquo creato mediante videre. Prima pars est contra primam, & secundam opinionem, estq; Scoti cit. & omissa ratione illa, qua D. Thomas ostendit, nō posse animam Christi cognoscere omnia possibilia, quia sic comprehēderet Deum, quod intellectui creato repugnat; quæ ratio vt insufficiens refellitur à Scoto, quia dato etiam, quòd omnia possibilia nōscerentur, non rectè ex hoc infertur comprehensio Dei, vt ostendi in lib. de Anima disp. 6. q. vlt. probatur adhùc alia ratione Scoti, qua etiam vtitur in 2. d. 3. q. 10. & d. 9. q. 2. §. *Contra ista*, & in 4. d. 1. q. 1. § *Secunda propositio*; & in 1. d. 3 q. 2. §. *Ostenso proposito*, si intellectus animæ Christi isthæc omnia actu cognosceret, sequeretur, quòd esset infinitæ virtutis, quod est falsum; falsitas patet, sequela prob. non solùm possibilia sunt infinita in multitudine, sed etiam futura, saltim quò ad accidentia, vt etiam Aduersarij admittunt; tunc sic, ad intelligendum actu infinita in multitudine exigitur intellectus infinitæ virtutis, ergo si intellectus animæ Christi actu intelligeret illa infinita, esset infinitæ virtutis; antec. prob. supponendo priùs, animam Christi; quæ videt in Verbo, nō cōfusè, sed distinctissimè cognoscere; quo supposito sic arguit Scotus, vbi maior pluralitas exigit maiorem, & intensiorem virtutem, vbi infinita pluralitas exigit, & arguit infinitam virtutem, sed posse simul, & actu decem distinctè cognoscere, est maioris virtutis, quàm tantùm cognoscere duo, ergo cognoscere actu infinita distinctè arguit infinitam virtutē in intellectu cognoscente; maior patet, quia si posse ferre decem lapides arguit maiorem virtutem, quàm posse ferre duos, ergo posse ferre infinitos lapides arguit infinitam virtutem; tùm quia est illa regula, *si simpliciter ad simpliciter, & magis ad magis, ergo maximum ad maximum* min. etiā patet ex disp. 6. de Anima num. 271. vbi ostendi, intellectum non eadem intensione intelligere vnum, ac plura simul, quia vt dicitur, pluribus intentus minor est ad singula sensus.

19 Variè respondent Aduersarij; Caiet. enim, & Medina aiunt, hac ratione solùm probari visionem animæ Christi, eiusq; intellectum esse infinitum secundùm quid, non simpliciter, sicut res superioris ordinis, eo quia excedit infinitas res inferioris ordinis, v. g. substantia superat infinita accidentia, & Angelus infinitas substantias materiales, potest dici habere infinitatem quandam secundùm quid, simpliciter tamen est finita.

20 Hæc responsio non satisfacit, quia argumētum instat in rebus eiusdem ordinis, vt sunt omnes intellectus humani; imò absolutè infert virtutem infinitam intellectiuam in intellectu animæ Christi, etiam si omnes alij intellectus creati non forent, si verò per infinitatem secundùm quid intelligunt infinitatem in genere, non simpliciter in ratione entis, sicut albedo infinitè intensa non est infinita simpliciter, sed in aliquo genere; certùm est, intellectum fore infinitum in genere intellectus; hoc autem etiam est falsum, quia intellectus animæ Christi in genere intellectus est finitus. Quapropter sic vrgeri potest, vbi pluralitas maior requirit perfectiorem virtutem intensiuam, ibi infinita pluralitas arguit infinitam virtutem intensiuam, sed cognoscere plura actu simul requirit maiorem virtutem intensiuam in intellectu, ergo &c.

21 Suarez disp. 26. sect. 3. respondet, assumptum esse verum, quando illa plura simul cognoscuntur, vt omnino inter se distincta, & vt non connexa in aliquo tertio, vel in aliqua causa, à qua producuntur, quia tunc ad augmētum extensiuum obiectorum sequitur augmentum intensiuum actus, itaut cuilibet obiecto correspondeat propria, & partialis entitas in actu; non autem esse verum, quādo illa plura cognoscuntur, vt in aliquo tertio coniuncta, quia tunc sufficit, vt per eundem actum omnino indiuisibilem illa plura attingantur, quia cum illud tertium sit finitum, sufficit actus finitus ad attingenda omnia sub illo contenta, nec ad augmentum extensiuum obiectorum sequitur augmentum intensiuum actus, sed idem actus omnino indiuisibilis ita correspondet illi multitudini, vt si vnum adderetur, totus actus variaretur, & alius fieret perfectior perfectione indiuiduali, & numerica.

22 Hæc quòq; responsio non soluit; nam vel illa plura cognoscuntur solùm secundùm rationem communem, in qua conueniunt, & hoc non est ad propositum, quia sic cognoscuntur confusè, & imperfectè, Christus autem distinctè omnia nouit vel cognoscuntur in seipsis, & tunc currit argumentum, quia ad cognoscenda illa plura simul actu perfectior virtus requiritur, quàm ad cognoscendum vnum. Quod addit, actum esse ex se indiuisibilem, parùm refert, nam præterquamquòd loquimur de virtute intellectus, adhùc ista indiuisibilis perfectio indiuidualis, sicut totaliter variatur, & augetur, si determinato numero obiectorum vnum addatur, vt ipse concedit, ita si infinita adduntur, actus quidam indiuisibilis, & infinitè perfectus assignari debebit, & optimè currit argumētum factum; siue enim hæc perfectio sit diuisibilis in partes, siue indiuisibilis, non idcirco sequitur, non esse infinitam ad pluralitatem infinitatem obiectorū.

23 Hurt. cit. à §. 53. & à §. 97. respondet, & primò negat min. quia oculi tàm facile attenerūt multis obiectis propositis, ac vni, vt patet, & licet aliquando videtur aliqualis remissio in visione multorum, hoc est, quia multitudine species confunduntur, nec emittuntur lineis rectis. Tùm quia eadem omnino cognitio potest ferri in plura, imò infinita, ergo eadem omnino virtus intellectiua absq; maiori attentione potest ferri in illa infinita. Tùm quia plùs est absq; vlla comparatione, intelligere Deum, quàm infinita obiecta creata, quia Deus improportionabiliter excedit in perfectione infinitas creaturas, & tamen ad intelligendum Deum non exigitur virtus infinita, ergo multò minùs ad cognoscendas infinitas creaturas; quam responsionem & instantiam desumpsit ex nostro Rubiono 3. d. 14. q. 2. vbi fusè eam prosequitur. Tandem addit, quòd licèt hoc esset verum, si vires naturæ attendamus, non tamen si viribus supernaturalibus adiuuemur; sicut naturaliter nequimus cognoscere Deum, ac supernaturaliter eleuati attingimus per visionem, Dei sum omnibus prædicatis.

Primum

24 Primum tamen dictum quàm sit falsum, experientia ipsa demonstrat, & quidem in me ipso experior, non tàm intensè pluribus attendere, quàm vni soli, vnde tanquam mirabile, vt prodigium de aliquibus narratur, quòd simul plures dictabant epistolas de rebus valde diuersis; hinc adagia illa ab omnibus recepta, *Virtus vnita fortior, Pluribus intentus de ficit ad singula sensus*; nec exemplum, quod adducit, aliquid facessit, quia non negatur, posse simul tàm à sensu, quàm ab intellectu plura cognosci per modum plurium, vt iam ostendi disp.6. de Anima q.9. sed negatur; cognosci illa plura æquè perfectè, ac vnum solum. Nec quod addit secundò, est verum, quia ex dictis disp. cit. nequit vnus actus tendere in plura obiecta per modum plurium, & non subordinata; imò magis repugnat actui, quàm potentiæ tendere in plura, quia potest aliquo modo potentia simul in plura tendere, licèt non in tot, quin in plura in infinitum, at actus nullo modo attingere potest plura obiecta disparata.

25 Quod tertiò addit, prima facie videtur vrgere; attamen est aduertendum, quòd perfectio actus prouenit tùm ex perfectione obiecti, tùm etiam ex conatu, & actiuitate potentiæ, prima est perfectio essentialis, & specifica, secunda est quasi accidentalis, & entitatiua, quia attenditur penès intensionem graduū, & vna potest ab alia separari, quia potest intellectus intensius v.g. intelligere lapidem, quàm Deum; hæc autem intensiua perfectio in actu non potest esse maior, & maior in infinitum, quia potentiæ rerum sunt terminatæ ad maximum *quod sic* ex dictis in lib. de Gener. disp.2.q.5.quapropter actus proueniens ab intellectu, si est adæquatus virtuti intellectiuæ, est determinatæ intensionis, ergo cum tali actu non est alius simul compossibilis, aliter virtus intellectiua posset illum actum adæquatum intendere, nam est causa æquiuoca, quæ potest agere in simile ex lib. de Gener. disp.2. q.1. & sic non esset adæquatus; si verò sint plures actus simul, necesse est, quòd sint remissiores, itaut omnes simul accepti adæquent virtutem intellectiuam. Ex his patet æquiuocatio instantiæ; nam cum dicitur, plùs est intelligere Deū, quàm infinitas creaturas, verum est, si de perfectione obiectiua sit sermo, falsum, si de perfectione intensiua, nisi Deus intelligeretur adæquatè, vel in summo, nam tunc actus adæquaretur potentiæ. Stat igitur argumentum in suo robore, quòd quia ad intelligendum plura perfectè requiritur maior virtus, quàm ad intelligendum vnum, ad intelligendum infinita simul requiritur virtus infinita.

26 Tandem verum est vtiq;, nos supernaturaliter adiutos posse effectum excedentem vires naturales producere per potentiam obedientialem actiuam, iuxta dicta in Phys. disp.7. q.6.art.5. Attamen semper effectus supernaturaliter productus debet proportionari actui primo supernaturali, ergo si effectus ex se requirit actum primum infinitum, vt potentia in illum exeat, deberet supernaturaliter adiuuari per aliquod supernaturale infinitum, quod dari repugnat; sed cognoscere simul infinita perfectè exigit virtutem infinitam, vt probatum est, ergo si anima Christi cognosceret actu simul infinita, deberet eleuari per habitum quendā infinitum, quod est falsum: vide n.54. & sequentes.

27 Accedit principaliter, quòd cum hæc omnia sint infinita, vel illa cognosceret infinitis actibus, vel vnico actu; si primum, daretur infinitum à parte rei, quod implicare ostendi in Phys. disp. 10. si secundum, vel illa infinita se haberēt vt obiecta primaria, & propria illius actus, quo sensu locuntur aliqui Recentiores, & hoc est falsum, vt probaui in lib. de Anima disp. 6. num.63. & seq. eoquia quilibet actus est limitatus ad vnum, & adæquatum obiectum, quoniam vnitas posterioris, qualis est actus, pendet ab vnitate prioris, quale est obiectum, ergo nequit vnus actus respicere plura, & multò minùs infinita obiecta disparata. Vel illa se haberent vt obiecta secundaria, quo pacto locuntur Scotistæ. Attamen hoc quoq; est falsum, quia saltim deberent admittere actu infinitos respectus attingentiæ ad illa infinita obiecta, numerus autem infinitus, siue in absolutis, siue in respectiuis semper implicat, vt in Phys. disp. cit. est demonstratum.

28 Ex his patet secunda pars de habitu, eadem enim ratio militat de actu, de intellectu, & de habitu, & tamē ab istis Doctoribus admittitur ratio adducta quò ad actum, vel potentiam intellectiuam, nam posse repræsentare plura specie distincta est maioris perfectionis, quàm vnum tantùm repræsentare, ergo si habitus ille repræsentat infinita, erit infinitè perfectus.

29 Dico 2. animæ Christi in Verbo videt omnia possibilia, & futura, quæ ad vtramq; scientiam spectant simplicis intelligentiæ, & visionis habitualiter, modo explicato num.19. Prima pars est contra Thomistas, & prob. quia certum est, animam Christi aliqua scire, quæ ad scientiam simplicis intelligentiæ spectant, vt patet ex illo Matt.11. *Si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent*, vbi Christus reuelat aliquod possibile, quod fuisset in eo casu futurum, & ipsi Thomistæ concedunt, ergo & omnia possibilia cognoscit, quia non est maior ratio de vno, quàm de alios tùm quia spectat ad maiorem perfectionem animæ Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei; tùm quia debemus animæ Christi omnem perfectionem tribuere, quæ non inuoluit implicantiam; ex hac autem positione nullum sequitur absurdum; hoc enim esset, quia comprehenderetur Deus ab intellectu animæ Christi, vt ipsi Thomistæ arguunt; quæ quidem sequela est nulla, tùm quia non ponimus, ista omnia actu cognosci, sed habitualiter; tùm quia & si actu cognoscerentur, adhùc non sequeretur comprehensio diuina, quia non videretur Deus, quantùm cognoscibilis est, vt dixi in lib. de Anima disp.6. q. vlt.

30 Per hoc potest etiam probari secunda pars quò ad obiecta scientiæ visionis; quia quilibet Beatus secundùm communem sententiam videt omnia, quæ ad proprium statum beatificum attinent, sed ad statum, & dignitatem animæ Christi spectant omnia, quæ Deus videt scientia visionis, quia est caput, & iudex omnium, estq; Dominus omnium creaturarū, & finis, ergo &c. Tum quia nulla adest ratio vrgens ad oppositum, vt patebit ex solutione obiectionum.

31 Quomodò autem potest anima Christi scire aliquid de nouo per eandem omnino intellectionem, declaratur in materia de Visione beatifica, quo pacto Beati cognoscant decreta diuinæ voluntatis de nouo; pro nunc dicimus ad mentem Scoti, quòd per eandem omnino visionem, qua videt Verbum, videt de nouo creaturas, nulla mutatione absoluta facta in cognitione, quòd scilicet addatur aliqua alia partialis entitas,

titas, vel gradus, vt quidam dicunt, solùm de nouo additur respectus attingentiæ ad illud obiectum; etenim cum actus dicat solummodò essentialem dependentiam ad obiectum primarium, ab ipsoq; specificetur, non implicat, esse in intellectu absq; eo, quòd intellectus intelligat obiectum secundarium, à quo actus non dependet essentialiter. Verum est tamen, quòd reperitur in isto actu ratio fundandi, & aptitudo aliqua ad recipiendos illos respectus attingentiæ; non enim potest intellectus aliquis per quemcunq; actum quodlibet obiectum intelligere, nec Deus in quolibet actu potest tales respectus producere, sed tantùm in hoc actu beatificæ visionis, quia est actus obiecti continentis eminenter omnes creaturas, scilicet essentiæ diuinæ, hinc etiam actus, qui omnes conditiones accipit à proprio obiecto, recipit ab essentia diuina quandam aptitudinem fundandi respectus illos attingentiæ ad obiecta eminenter contenta in suo obiecto primario. Non tamen sequitur, quòd sit similitudo formalis obiecti secundarij, & ex propria natura habeat obiecta secundaria repræsentare, sicut est similitudo obiecti primarij, quia nõ eodem modo ab vtroq; dependet, nam à primario solùm essentialiter pendet, & per cõsequens absolutè dicitur similitudo formalis, & ex propria natura obiecti primarij, licet habeat aliquam quasi inchoatam similitudinem obiecti secundarij.

Soluuntur Obiectiones.

32 Contra primam conclus. arguitur ex Aug. 15. de Trin. c. 15. *Non erunt ibi volubiles cogitationes*, ergo anima Christi non transit ab hac ad illam visionem, sed semper eadem videt. Tùm 2. ad Colloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, ergo omnia videt, prob. conseq. quia si possunt simul esse plures intellectiones in intellectu animæ Christi, ergo & infinitæ. Tùm 3. potest esse, vt ait Scotus hic, quòd omnes istos respectus attingentiæ infinitos ad infinita obiecta, vel infinitas intellectiones recipiat anima Christi à Deo, & merè passiuè se habeat, tunc enim non sequitur, vt argutum est in conclusione, reperiri virtutam infinitam in intellectu. Tùm 4. plùs est intelligere Deum, quàm infinita entia creata, quia infinitas diuina incomparabiliter excedit in perfectione quamcunq; infinitam multitudinem creaturarum, sed ad intelligendum Deum non exigitur virtus infinita in intellectu creato, ergo &c. Tùm 5. cognoscere non actualiter, sed habitualiter, arguit imperfectionem, potentialitatem, & ignorantiam in intellectu, quæ omnia sunt remouenda à Christo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Tùm 6. omnes illuminationes Angelorum, & iustorum in Patria pendent physicè, & saltim instrumentaliter ab anima Christi, qui est omnium caput, sed nequiret Christus alios infra se illuminare, nisi foret ipse à Deo actualiter illuminatus circa omnia scibilia, ergo &c. Tandem intellectus habet inclinationem ad quodcũque ens, ergo potest omnia intelligere.

33 Resp. ad 1. D. Aug. loqui de visione beatifica vt sic, quomodò respicit solum obiectum primarium, non secundarium, hinc semper inuariata remanet in ordine ad obiectum primarium. Ad 2. D. Paulus intelligi debet habitualiter, non actualiter, vnde possunt esse tot intellectiones in Christo, quot patitur eius attentio. Ad 3. Scotus illud asserit, sustinendo partem oppositam; imò ex hoc apparet improbabilitas oppositæ sententiæ, quia intelligere formaliter non consistit in illa receptione intellectionis, sed in tendentia, & operatione potentiæ circa obiectum ex dictis in lib. de Anima disp. 2. q. 2. cum Scoto in 1. d. 39. q. vn. L. licet ergo possit intellectus à Deo recipere infinitas intellectiones, & ex hoc non arguatur virtus infinita in ipso, tamen adhòc vt intelligat, requiritur tendentia in obiectum, quæ est quædam vitalis operatio, & de ista concludit ratio conclusionis, quia vt intellectus tendat in plura distinctè, exigitur maior virtus, quàm si in vnum tenderet. Ad 4. patet solutio ex dictis num. 25. distinguendo assumptum, plùs est ex parte obiecti, concedo, ex parte potentiæ, adhùc distinguo, si potentia adæquatè, vel saltim æquali conatu tenderet in Deum, & in omnia illa infinita, concedo, sed hoc est impossibile, quia in Deum si tenderet conatu vt octo v.g. in illa infinita, cum sint disparata, deberet tendere distinctis conatibus, quorum quilibet saltim esset vt vnus, & sic non solùm imperfectè cognosceret illa obiecta, sed oporteret exire in actus secundos infinitos, vel in vnum intensiuè infinitum, quod implicat. Ad 5. non cognoscere omnia actualiter, neq; habitualiter arguit imperfectionem Christo indignã, at non cognoscere omnia actualiter, sed habitualiter, arguit solùm imperfectionem finitatis, & limitationis, quæ ex principijs naturæ humanæ prouenit; quare Christus actu habet tot intellectiones, quot patitur attentio ipsius, etiam vt supernaturaliter eleuata; & si plures haberet, esset imperfectionis in ipso, quia non attentè, & distinctè cognosceret. Ad 6. sufficit illuminatio habitualis quò ad omnia, & actualis quò ad particularia, nam priùs anima Christi illuminatur à Deo deinde iusti à Christo. Ad 7. habet inclinationem in omne ens diuisim, non coniunctim, seù habet simultatem potentiæ, non potentiam simultatis.

34 Contra ex Scoto hic litt. K. si intellectus habet inclinationem diuisim, ergo & coniunctim; prob. cõseq. cuicunq; potest quodlibet inesse, si ei possunt simul duo inesse, quia non opponuntur, & infinita talia possunt eidem inesse; ratio est, quia quodcunq; illorum potest per se inesse, & quodcunq; cum quocunq; potest simul inesse, quia non opponuntur, nam ex pluralitate inhærentium non sequitur noua impossibilitas; sed possunt eidem intellectui inesse plures intellectiones, ergo infinitæ.

35 Resp. in primis authoritatem Scoti non vrgere, quia loquitur pro parte opposita, quam non sustinemus; ad rationem respondeo ex eodem Scoto in 2. d. 2. q. 9. K. quòd à diuisis ad coniuncta tunc tenet consequentia, quãdo omnes singulares propositiones sunt simul compossibiles; in quo vis illatiua inductionis consistit; at quando cum aliqua illarum sunt incompossibiles aliæ determinatæ, vel indeterminatæ, non tenet consequentia; exemplum; sit quispiam solùm potens portare nouem lapides, dentur decem lapides pondere æquales, quilibet lapis potest ferri simul cum alio, non tamen omnes simul, quia vni determinato, vel aliquibus est aliquis indeterminatus incompossibilis, & si essent infiniti lapides, quibuscunq; determinatis, & acceptis essent incompossibiles infiniti indeterminati, in proposito, quælibet intellectio determinatè accepta est cum alia compossibilis, non tamen omnes simul, sed quælibet habet incompossibilitatem, propter limitationem potentiæ cum infinitis indeterminatis; vide in Phys. disp. 10. q. 3. ad obiectiones, vbi fusè allata doctrina explicatur.

Contra

36 Contra 2. concluſ. arguitur primò oſtendendo, Chriſtum non ſcire omnia, nec etiam habitualiter, ſed aliqua neſcire; Ad Hebr. 2. *Debuit aſſimilari fratribus abſque peccato*, ergo habuit aliquam ignorantiam. Tùm 2. Lucæ 2. *Puer proficiebat ætate, & ſapientia.* Tùm 3. Chriſtus orando in horto dixit, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat calix iſte*, vel enim ſciebat, poſſibile hoc eſſe, vel impoſſibile, vel hac de re ignorans erat, ſi tertium, ergo non omnia nouit, neq; habitualiter; ſi primum, cur dubitat? ſi ſecũdũ, cur petit? Tùm 4. de die iudicij Chriſtus ait, *de illa die nemo ſcit, neq; Angeli, neq; filius hominis, niſi Pater.* Tùm 5. Dam. 3. de fide c. 21. Verbum aſſumpſit naturam ignorantem. Tandem hæc propoſitio, *Chriſtus omnia videt in Verbo*, fuit damnata apud Tarraconũ ab Inquiſitoribus, vt habetur in Directorio Inquiſitorũ 2.p.q. 11.

37 Reſp. ad 1. debuit aſſimilari fratribus in omnibus, quæ ad perfectionem naturæ ſpectant, vel ad redemptionem conducunt, qualis non eſt ignorantia, aliter nec debebat de Spiritu Sancto concipi, fomite, & peccato carere, ſummam gratiam habere, & ſimilia. Ad 2. intelligitur de ſcientia experimentali, & practica, nõ de ſpeculatiua, & theorica, vt infra. Ad 3. ſciebat vtiq; non eſſe poſſibile, ſtante decreto, dixit tamen dubitatiuè, vt oſtenderet affectum naturalem ſuæ voluntatis ſecũdùm portionem inferiorem ad fugiendam mortem, quæ volitio non erat contraria alteri volitioni, quam habebat de ſubeunda morte ſecũdùm portionem ſuperiorem, vt fuſiùs diſp. ſeq. Ad 4. multiplex eſt reſponſio; communior eſt, quòd intelligitur de ſcientia ad reuelandum, ſicut confeſſarius neſcit peccata ad reuelandum, & hoc quia à Deo ſub ſigillo ſciebat.

38 Dices, ex hoc ſequitur, Angelos ſcire diem iudicij, licèt neſciant ad reuelandum. Tùm quia vel Chriſtus neſcit ad dicendum vlli, vel ſolis Apoſtolis, non primum, quia iam dicit Spiritui Sancto, ſi ſecundum, ergo falſa eſt illa exceptio, *niſi ſolus Pater*, quia nec Pater ſciebat ad dicendum Apoſtolis. Reſp. ex hoc loco colligi vtiq; Angelos neſcire ad reuelãdum; an verò totaliter neſciant, probabilius eſt affirmare, quia non reperitur authoritas aliqua hoc indicans, vt adeſt de Chriſto, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Ad aliud, authoritas illa intelligitur de Chriſto vt homine, quomodò non dicit Spiritui Sancto, non ſequitur tamen, quòd Pater hoc modo neſciat, quia ſciebat, vt poſſet reuelare Chriſto vt homini; tùm quia in ſua perfecta poteſtate erat reuelatio, & negatio eiuſdem.

39 Ad 5. ſenſum eſſe, Verbum aſſumpſiſſe naturam, quæ de ſe fuiſſet ignorans, niſi à Spiritu Sancto fuiſſet illuminata. Ad 6. præterquamquod non fuit damnatio illa approbata à Summo Pontifice, adhùc tamen dico, nõ fuiſſe, propoſitionem illam in ſe damnatam, ſed in ratione, qua probabatur; dicebat enim Arnaldus ille, cuius erat propoſitio; *Quàm citò anima Chriſti fuit vnita diuinitati, ſtatim ipſa anima ſciuit, quæ Deitas ſcit; quia aliàs nõ fuiſſet cum ea vna perſona, præcipuè, quia ſcire eſt circumſtãtia pertinens ad ſuppoſitum indiuiduale, nõ ad naturã*; quæ dicta ſunt abſurdiſſima.

40 Secundò arguitur contra modum ipſum à Scoto prolatum. Tùm quia ipſe Doctor ait, quòd animæ Chriſti per viſionẽ Verbi relucent omnia in actu primo, ergo illa viſio erit infinita, cum ſit ratio repræſentandi infinita. Tùm 2. quia etiam hoc modo poſſet dici, omnes Beatos habitualiter omnia videre in Verbo, quia Verbum eſt præſens omnibus Beatis, & omnia in eſſentia relucent. Tùm 3. quando anima Chriſti videt Verbum, vel ſaltim aliquando tranſit ad actum ſecundum erga creaturas, & ſic eſſet varietas in viſione beata, vel non tranſit, ergo fruſtra ponitur. Tùm 4. de ratione viſionis beatæ eſt, quòd ſemper ſit in actu, ergo non in habitu. Tùm 5. viſio eſt ſimilitudo naturalis obiecti per modum menſurati eſſentialiter ab eo, vnde repræſentare eſt effectus formalis viſionis, ac proinde ei ab intrinſeco competens, ſed nequit eadem viſio eſſe ſimilitudo plurium obiectorũ, ergo &c. Tùm 6. ſi hæc cognitio habet aliquo modo vim repræſentandi infinita, ergo erit infinita per ſuppoſitionem factam in concluſione. Tandem ex hac poſitione ſequitur, animam Chriſti multa, imò infinita nunquam actualiter intellecturam; prob. quia ſecundùm iſtum modum anima Chriſti non poteſt intelligere actu infinita, ſed intelligibilia ſunt infinita, ergo quantacũq; obiecta intelligat anima Chriſti, quæ remanent, erunt infinita, ad quæ nunquam perueniet, nec peruenire poterit, ergo falſum eſſet, omnia ſolùm habitualiter noſcere.

41 Reſp. ad 1. quòd dictum Scoti ſic debet intelligi, non quòd viſio ſit ratio repræſentandi, ſed quòd per viſionem Verbum eſt præſens intellectui, & quia in Verbo continentur virtualiter omnia obiecta ſecũdaria, hæc tantùm habitualiter dicuntur præſentia, quatenus anima Chriſti habens viſionem obiecti primarij continentis virtualiter obiecta ſecundaria, & potens illa arbitratu ſuo contemplari, dicitur eſſe in potentia propinqua, & in habitu, vt illa poſſit videre, eo modo, quo habens habitum theologicum perfectum, & actu non contemplans, dicitur ſcire omnia theologicalia habitualiter, quia poteſt pro libito illa contemplari. Ad 2. negatur aſſumptum ex Scoto litt. O. quia Verbum, cum ſit ſpeculum voluntarium, repræſentat alijs Beatis aliqua determinata, vltra quæ non poſſunt Beati ordinatè velle, Chriſto autem omnia repræſentat, licèt voluntariè. Ad 3. adeſt varietas, non eſſentialis, ſed accidentalis, ſcilicet reſpectu obiecti ſecundarij. Ad 4. per idem, vt beata eſt ſemper in actu, quia vt ſic reſpicit obiectum primarium, at poteſt eſſe in actu primo reſpectu obiecti ſecundarij.

42 Ad 5. aſſumptum eſt verum reſpectu obiecti primarij, à quo eſſentialiter pendet, ratio eſt, quia cognitio in tantùm eſt ſimilitudo naturalis, quia dicit relationem menſurabilis ad menſuram, ſcilicet dependet in eſſe ab obiecto dependentia quadam ſpeciali, per imitationem, quam relationem intellectio non dicit, niſi ad obiectum primarium, non ad ſecundarium, in ordine autem ad ſecundarium fundat reſpectum attingentiæ, qui eſt extrinſecùs adueniens ipſi intellectioni à Deo, & per conſequens accidentalis; quamuis ex hoc, quòd ſit cognitio obiecti primarij, habeat fundamentum ad recipiendos illos reſpectus, quod eſt illa entitas vt repræſentatiua obiecti primarij omnia alia virtualiter includentis. Ad 6. dico, non eſſe formaliter repræſentatiuam infinitorum ex vi ſua, ſed ſolùm habere aptitudinem fundandi illos reſpectus attingentiæ, eo quia eſt cognitio talis obiecti, quæ aptitudo non eſt infinita, quia non eſt ad aliquid agendum, ſed ad aliquid recipiendum. Cæterùm quomodocunq; cognoſcat, ſiue ſcilicet per eandem numero beatificam viſionem immutatam quò ad entitatem abſolutam, ſiue aliquo modo variatam, ſiue per alias viſiones numero diſtinctas, parùm in præſenti refert;

dicimus enim per visionem beatam habitualiter cognoscere omnia in Verbo, in eo sensu, quo à Theologis asseritur, Beatos videre creaturas, & decreta libera Dei ex vi beatificę visionis; quæcunque enim sententia deinde teneatur, non facit contra nostram conclusionem, sed ad proprium locum remittimus. Ad vltimum concedo sequelam quò ad actum, nego quò ad potentiam, nisi collectiuè, non autem diuisiuè; hoc autem necessariò sequitur ex limitatione potentiæ.

43 Tertiò sunt aliqua argumenta, quibus Recentiores aliqui hanc Christi vniuersalem scientiam limitant, eoquia putant, dari aliquas creaturas, quæ nequeunt à Christo cognosci in Verbo per visionem beatam; & in primis est ipsa visio beata, hæc enim non potest seipsam videre in Verbo, nec infinitas reflexiones, vel affectiones, quæ possunt ad ipsam terminari, ergo nec etiam habitualiter noscit omnia futura; assumptum prob. quia quælibet cognitio realiter distinguitur à proprio obiecto, quia ab ipso causatur, ipsumque supponit existens, præcipuè si est intuitiua, quę ad rem vt existentem terminatur, ergo nequit eadem visio seipsam videre, quia nec potest à seipsa gigni, aut realiter distingui, neque sibi ipsi præsupponi vt existens; & consequenter neque actus ad ipsam terminabiles poterunt videri hac visione, quia nequeunt præsupponi vt existentes. Infert etiam Bernal, neque creaturas præsentes, præteritas, & futuras, quæ in ordine prædestinationis, aut permissionis non præcesserunt decretum visionis Christi, posse videri.

44 Dices, assumptum esse verum, quando res in seipsis videntur, non quando cognoscuntur in scientia diuina. Contra instat Bernal; scientia diuina repræsentans beatam visionem Christi vt existentem est visione posterior, quia præsupponit illam decretam vt futuram, ergo visio, vt seipsam videt in scientia diuina, præsupponit seipsam vt existentem, ergo adhùc esset prior, & posterior respectu eiusdem. Tùm quia ait Lugus, saltim non videtur hæc visio perfectè, & secundùm omnem formalitatem, quia anima Christi visione beata in Verbo videret eandem visionem, seù se videre Deum, non autem, quòd ista visio est visio sui ipsius, nisi actu reflexo, quæ reflexio nonnisi per aliam potest videri, & hæc per aliam in infinitum, ergo ex vi huius visionis non videntur omnia in Verbo.

45 Hæc difficultas petit solutionem illius dubij, an actus intellectus possit supra se reflectere, quod obiter dilui in lib. de Anima disp. 6. num. 270. vbi quamuis partem negatiuam vt probabiliorem sum amplexus, loquendo de reflexione formali, innui tamen, partem affirmatiuam esse quoque probabilem propter difficultatem scientiæ Christi; quapropter dico, falsum esse assumptum cuius probatio procedit de obiecto primario, à quo actus specificatur, & essentialiter pendet, & consequenter debet à tali obiecto distingui, illudque præsupponere; non verò procedit de obiecto secundario, quod solùm habet terminare, & de ratione obiecti terminatiui non est, quòd præcedat actum, vt patet in ente rationis, & in creaturis possibilibus respectu diuinæ scientiæ, quæ sunt posteriores naturæ; eadem igitur visio, vt in diuina essentia repræsentata, potest, seipsam terminare, vt est in anima Christi, & præcipuè hoc est verum, si actus ponitur ex se reflexiuus supra seipsum ad modum scientiæ diuinæ; quamuis non tàm exacta sit ista reflexio, quia non terminatur ad actum vt in se existentem, sed vt in essentia diuina repræsentatum; quare poterit actus visionis terminari secundariò & ad seipsum, & ad omne aliud etiā posterius in existentia; hinc absque ratione Recentiores isti limitant scientiam Christi.

46 Nec instantia prima adducta à Bernal vrget, imò de se fert solutionem, quæ erit explicatio præcedentis responsionis. Etenim quia actus ad obiectum primarium vt ad motiuum dicit respectum causati, mensurati, & terminati, seù attingentiæ, idcirco pendet in esse à tali obiecto vt mensurans, & terminans, & cōsequenter obiectum debet præsupponi tanquam causa entitati actus vt effectui, & terminationi eiusdem; ad obiectum verò secundarium, quia solùm dicit respectum attingentiæ, & terminationis, qui est extrinsecùs adueniens, non necessariò obiectum pręsupponi debet entitati actus, sed solùm respectui attingentiæ; exemplum in ipsa scientia diuina, quæ in ordine ad essentiam diuinam suum obiectum primarium est posterior natura in sua formalitate, at in ordine ad personas diuinas, quæ sunt obiecta quasi secundaria, & in ordine ad creaturas, quę sunt verè obiecta secundaria, est prior natura quò ad propriam formalitatem, licèt quò ad respectum attingentiæ non sit prior; in ordine quoque ad creaturas futuras est prior quò ad formalitatem, & posterior quò ad attingentiam, quia præsupponit creaturas futuras per decretum diuinæ voluntatis; est igitur diuina scientia prior obiectis futuris quò ad entitatem, posterior quò ad attingentiam.

47 Idem data proportione dicendum de visione beata Christi, quòd ab obiecto primariò, scilicet essentia diuina, dependet in esse, ipsamque præsupponit quò ad entitatem, at ab obiecto secundario non pendet in esse, sed solum quò ad attingentiam, & consequenter non necessariò terminari debet ad obiecta, quæ præsupponantur existentia entitati visionis, sed potest quoque terminari ad obiecta succedentia, & posteriora, vel concomitantia quò ad entitatem, licèt pręsupponantur existere respectui attingentiæ; poterit ergo visio beata terminari ad creaturas prędestinatas, vel permissas à Deo post decretum incarnationis, & ad ipsammet visionem, vt in Verbo repræsentatam; quia vt sic solùm intelligitur prior respectu attingentiæ, non autem propria entitate. Per idem resp. ad instantiam Lugi, quia sicut ab essentia diuina repræsentatur illa visio secundùm omnem formalitatem; ita visio in intellectu animæ Christi existens terminari potest ad seipsam, vt in essentia diuina repræsentatam secundùm omnem formalitatem; & præcipuè quòd sit visio sui ipsius, absque nouo reflexionis actu. Verum est, quòd hæc argumenta vrgent in sententia Aduersariorum sustinentium, visionem ex sua ratione formali repræsentare omnia futura formaliter.

48 Quartò arguit Lugus ad idem; si visio seipsam videret, sequeretur, quod postquam fuisset producta, non esset destructibilis, etiam spectata Dei potentia absoluta, sed necessariò duraret in ęternum, quod est falsum; sequela prob. quia talis visio repræsentaret seipsam vt duraturam in ęternum, sed hæc visio est essentialiter infallibilis, ergo non potest existere illa visio, quin duret in ęternum, aliàs fuisset falsa, ergo repugnat destrui. Tùm 2. secundùm veram philosophiam visio secundùm quemlibet gradum repræsentat obiectum quò ad totam entitatem, ergo si visio repræsentaret seipsam, tùm primus gradus repræsentaret totam visionem secundùm omnes gradus, quàm secundus; vnde per primum repræsentaretur secundus, & per secundū repræsentaretur primus, & sic de al[iis];

hoc

hoc autem est falsum, quia tunc illi gradus essent inseparabiles, & consequenter difficile saluaretur inter illos distinctio realis, cuius præcipuum signum est inseparabilitas; quòd autem essent inseparabiles, prob. quia si primus posset esse sine secundo, visio quò ad primum gradum fuisset falsa, quia ex se esset repræsentatiua secundi gradus, qui tamen nō existeret. Addit Bernal, quòd primus gradus esset prior, & posterior secundo, prior, quia est primus, & repræsentatur vt obiectum à secundo, posterior, quia repræsentaret secundum vt obiectum, obiectum autem semper est prius actu.

49 Solutio huius rationis pendet ex dictis, & ex illo principio philosophico, quòd duratio nō sit aliquid ab existentia rei durantis distinctum, quod ostendi in Phys. disp. 13. q. 1. hinc ad rationem nego sequelam, ad probat. iam dixi, visionem non esse ex sua ratione formali repræsentatiuam sui ipsius, quia se habet vt obiectum secundarium; & si esset repræsentatiua, adhùc non valeret sequela, quia ex se non habet durationem æternam, nam duratio æterna dicit existentiam visionis, & decretum diuinæ voluntatis volentis per æternitatem conseruare illam visionem, quod quidem est totaliter extrinsecum visioni; & adhùc si duratio æterna esset aliquid visioni inexistens, certè separabiliter conueniret visioni, & posset à Deo illa visio destrui, negatur tamen sequela, quòd tunc visio esset falsa, quia vt in simili de scientia diuina notat Doctor in 1. d. 39. N. & R. si Deus determinasset, visionem beatam non futuram in æternum, visio seipsam repræsentaret vt temporaneam, non vt æternam, quia hoc, quod est esse temporaneum, vel æternum conuenit ex ordinatione diuina visioni; & se habet vt obiectum secundarium, ad cuius variationem non variatur actus, esset falsa, si ex se repræsentaret visionem vt æternam. Per idem ad 2. non enim primus gradus ex sui natura repræsentat secundum, & consequenter neq; ex sui natura præsupponit illum, vt vrgebat Bernal.

50 Quintò, arguit idem Lugus ad ostendendum, animam Christi nō videre hac scientia proprios actus omnes; quia si suosmet actus videret, ergo isti non liberè, sed necessariò elicerentur, non solùm necessitate consequenti, sed etiam antecedenti, quod est falsū; seq. prob. quia posita visione misericordiæ, quam oblata occasione Christus alicui impertiret, non posset Christus non operari, ergo necessariò operabitur; antec. prob. quia visio illa non posset non repræsentare Christi misericordiam, quia omnes formalitates visionis sunt inter se realiter identificatæ, & consequenter illa, quæ misericordiam repræsentat, erit à visione inseparabilis, ergo si misericordia liberè eliceretur, posset non esse, & consequenter visio esset falsa, quod implicat. Responsio patet ex dictis, negando scilicet visionem ex sua ratione formali repræsentare actus illos à Christo elicitos, cum sint obiecta secundaria, sed ideò repræsentat, quia sic in essentia diuina relucent, & posset opposita repræsentare, quod exemplificari potest in scientia diuina, quæ vtrumq; potest repræsentare, non quia est infinita, sed quoniam in essentia diuina vtrumq; potest diuisim relucere, istæ namq; repræsentationes solùm addunt diuersos respectus attingentiæ in visione.

Quæstio Tertia.

De scientia Christi infusa.

51 Tota dissensio inter Thomistas, & Scotistas in hac, & sequenti quæstione, imò in tota disputatione prouenit ex diuersitate principiorum, quæ in tractatu de Angelis, vel in lib. de Anima disputantur, aut in tract. de Visione beatifica, vt innuimus etiam in præced. quæst. diuersis enim principijs positis, diuersas quoq; conclusiones necesse est deduci, vnde si hæc diligenter, & adamussim examinare intenderemus, plura in illis tractatibus discutienda ingererentur; hoc igitur ordine procedemus, quæ sunt aliena huius loci, nec totaliter supponemus, nec totaliter disputabimus, vt aliqualiter distincta cognitio haberi possit. Quatuor autem sunt, quæ examinanda veniunt in hac quæstione, scilicet species intelligibiles, quibus vtitur hæc scientia infusa, secundò obiecta, circa quæ versatur, tertiò habitus ipse scientiæ, & quartò actus eiusdem, quæ omnia duobus articulis absoluemus.

Articulus Primus.

De Speciebus, & obiectis scientiæ infusæ.

52 Quod attinet ad species, Thomistæ distinguunt, quòd species est duplex, alia particularis, alia vniuersalis; species dicitur vniuersalis, non quia sit aliqua natura communis, aut quia repræsentat aliquod vniuersale, sed quoniam potest intellectui plura repræsentare, & quò plura repræsentat, eò est vniuersalior, vnde admittunt in Angelis quasdam species, quę non solùm naturam vniuersalem indiuiduorum repręsentant intellectui angelico, sed etiam omnia indiuidua illius naturę specificę, quò ad proprium esse indiuiduale, & cum omnibus accidentibus, siue naturaliter, siue contingenter conuenientibus, quamuis vt actu repręsentent aliquod indiuiduum cum determinato aliquo accidente, scilicet Petrum cum sessione, vel cursu, exigant vt conditionem sine qua nō ipsam existentiam, & durationem in tali tempore, qua cessante non repręsentant ampliùs sessionem, vel cursum propter mutationem factam in obiecto, non in ipsa specie, imò alias species admittunt, ita vniuersales, quòd non vnam, sed plures naturas specificas repræsentant cum omnibus indiuiduis; & istæ species nequeunt naturaliter acquiri, sed immediatè infunduntur à Deo, vnde per se infusæ dicuntur, & & scientia per illas habita dicitur scientia per se infusa. Species particularis est, quæ indiuidua alicuius speciei repræsentat quò ad esse vniuersale, & specificum, non quò ad esse singulare, & similes species naturaliter acquiruntur; & si à Deo infunderentur, esset per accidens; vnde dicuntur per se acquisibiles, & per accidens infusæ, & consequenter scientia ex illis habita erit per se acquisita, seù acquisibilis, per accidens infusa. In proposito aiunt, scientiam Christi infusam esse per species à Deo infusas, & vniuersales, imò secundùm aliquos per species vniuersaliores, quàm sint species angelicæ.

53 Scotus verò in 2. d. 3. q. 10. & d. 9. q. 2. §. *Contra ista*, tanquam repugnantes improbat species istas vniuersales, quatuor de ipsis ostendendo; Primum, quòd non possint infinita repræsentare. Secundum, quòd non possint plura diuersæ speciei repræsentare, vt plura sunt. Tertium, quòd non possint repræsentare accidentia per accidens, & contingenter conuenientia subiectis. Quartum, quòd non possit per istas haberi intuitiua cognitio singularium; quæ omnia breuiter percurram.

54 Primum, quòd non possit infinita repræsentare, ostendit Doctor ratione adducta num. 18. eoquia posse plura repræsentare dicit maiorem perfectionem, ergo posse infinita repræsentare dicit infinitam perfectionem, ergo si species istæ infinita indiuidua repræsentent, erunt infinitæ perfectionis; repugnat autem dari infinitum tàm simpliciter, quàm in determinato genere, ex dictis in Phys. disp. 10. ergo &c.

55 Resp. Caiet. 1 p. q. 57 art. 2. quòd quando pluralitas infert maiorem perfectionem, non debet absolutè inferri, ergo infinita pluralitas infert infinitam perfectionem, sed sub disiunctione, ergo infinita pluralitas infert vel infinitam perfectionem, vel perfectionem altioris ordinis; quia perfectio altioris ordinis potest excedere infinitas perfectiones inferioris ordinis, & eminenter æquiualet illis; quamuis in se sit finita; in proposito posse plura repræsentare in specie arguit perfectionem altioris ordinis. Alij aiunt, ex hoc tantùm inferri infinitatem in repræsentando in specie, non in essendo; sicut visio beatifica est infinita in repræsentando, quia repræsentat obiectum infinitum, & potest etiam infinita repræsentare, & tamen est finita in essendo.

56 Contra primam instò, species quæ est altioris ordinis, est perfectior alijs inferioris ordinis; tunc sic, posse duo repræsentare requirit speciem altioris ordinis, & consequenter perfectiorem, quàm posse repræsentare vnum; posse repræsentare tria requirit speciem altioris, & perfectioris ordinis, quàm posse repræsentare duo, & sic deinceps, ergo posse repræsentare infinita requirit speciem ordinis tàm altioris, & perfectioris, quòd in infinitum excedat ordinem speciei repræsentantis vnum; prob. conseq. quia numerus infinitus excedit vnum infinitè. Vbi not. pro clariori intelligentia huius doctrinæ, quòd quando hoc, quod est, esse altioris ordinis non infertur ex pluralitate, sed solùm ex propria natura, tunc pluralitas materialiter se habet, & verè si esset infinita pluralitas, non inferret infinitatem, v.g. Angelus, quia spiritualis, excedit quodcunque materiale, & omnia, siue sint vnum, siue plura, siue infinita, parum refert, & semper est eiusdem rationis, & perfectionis, siue materialia excessa sint vnum, siue plura, vnde non dicitur altioris ordinis, quia plura excedit materialia, hinc est, quod pluralitas ad talem excessum materialiter se habet; at quando perfectio altioris ordinis infertur ex ipsa pluralitate, itaut excedere vnũ sit maius, excedere duo, adhùc maius, excedere tria adhùc maius, tunc excedere infinita infert maximũ, & supremum ordinem, ac infinitam perfectionem, quia pluralitas tunc formaliter se habet ad illationẽ maioris perfectionis; ita est in proposito de speciebus, vt ostendi; & hoc vult innuere Doctor, cũ ait, vbi pluralitas infert maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas infert infinitam perfectionem. Secunda responsio nil valet, quia perfectior repræsentatio infert perfectiorem entitatem speciei, ergo infinita perfectio in repræsentando dicet infinitam entitatem, ergo infinitas in repræsentando arguit infinitatem in essendo, licèt non simpliciter, sed in tali genere. Alias responsiones impugnaui num. 18. & seq.

57 Secundum dictum, quòd non possit vna species plura repræsentare specie distincta, vel vt plura sunt; probatur eadem ratione, qua cum Scoto cit. ostendi in lib. de Anima disp 6. num. 263. non posse vnum actum esse plurium vt plurium, nam tàm actus, quàm species quælibet determinantur ad vnum obiectum adæquatum, à quo sumunt propriam vnitatem, & specificationem, ergo vnus actus, vel vna species nequeunt plura respicere obiecta disparata; antec. patet, quia vnitas posterioris, qualis est actus, vel species, pendet essentialiter ab vnitate prioris, quale est obiectum, vide ibi, & numeros sequentes, vbi responsiones aduersariorum reieci.

58 Caiet. verò 1. p. q. 55. art. 2. admittit istud obiectum formale adæquatum, quia negat, posse intellectum plura, vt plura simul intelligere; non est autem, ait, plura vt plura intelligere, quãdo multa intelliguntur per vnam speciem, vel etiam per plures species ordine quodam se habentes, vel in ordine ad vnum. Sed contrà, quando plura cognoscuntur, vt in aliqua ratione formali communi conueniunt, tunc confusè, non distinctè cognoscuntur, ergo si species habet plura repræsentare secundùm vnam rationem formalem, nõ distinctè, sed confusè illa repræsentat. Tum quia, quod addit, nempe intelligere multa per vnam speciem, vel per plures subordinatas non esse intelligere plura vt plura, est falsum, sic absolutè prolatum, quia si vnitas consistit solùm in vnitate speciei, sic non est intelligere plura vt vnum, sed intelligere plura vt plura per vnum, & sic redit principale argumentum, ergo semper debet adesse vnitas obiectiua adæquati obiecti.

59 Accedit principaliter, quòd non parua difficultas est de numero harum specierum, an sint plures, vel vna tantùm; nam quòd sit vna, suaderi potest, eoquia non est maior ratio, cur vna sit determinata ad tot naturas specificas repræsentandas, & non plures, vel pauciores, nam si potest aliquis numerus quidditatum contineri ab vna specie, ergo & maior, & maior, & consequenter omnes quidditates possunt ab vna comprehendi, præcipuè quia secundùm ipsos numerus quidditatum infinitus non arguit infinitatem in specie, vel in habitu. Tùm quia vnum habitum admittunt simplicem erga omnia obiecta, ergo & vna species, & vnus actus admitti debent; quia habitus, actus, & species inter se proportionari debent; quam opinionem docuit Marf. & sequitur Bernal disp. 35. sect. 3. nec ipsam abhorrent Lugus disp. 20. sect. 5. & Martinus disput. 27. Ex opposito hãc speciei vnitatem communiter respuunt cæteri Thomistæ, sed non solido fundamento, vt videre est apud Bernal cit. retorquentem omnes rationes contra vnitatem habitus; fortiùs tamen refellitur ratione Scoti, quòd scilicet esset infinita intensiuè, vt diximus.

60 Tertium dictum, quòd per istas species nequeãt contingentia repræsentari, est etiam contra Vulpes oppositum asserentem disp. 42. art. 7. & 8. & prob. à Scoto, quia vel species v.g. humana determinatè repræsentat, Petrum sedere, vel indeterminatè, si secũdum, ergo per speciem non potest cognosci, quòd Petrus determinatè sedebit; si primum, ergo semper hoc

repræ-

repræsentabit, quia naturaliter repræsentat, & per consequens non potest per istam speciem cognosci, quòd ista propositio, *Petrus sedet*, sit contingens, quia æquè repræsentatur, quemadmodum ista alia, *homo est risibilis*, scilicet determinatè, & necessariò: quæ ratio non solùm vrget species vniuersalium, vt respondet Vulpes, sed etiam singularium, & Scotus, vt patet, de omnibus loquitur.

61 Respondet Caiet. 1. p. q. 57. art. 2. quòd loquendo de speciebus angelicis, determinatè repræsentant ex sui natura, sed requirunt ex parte obiecti durationem existentiæ vt conditionē sine qua nō, ideò quòd à parte rei sessio inhæreat Petro, & quādiu durat ex se tantundiu repræsentāt, si cessat, nō ampliùs repræsentant, itaut tota mutatio est ex parte obiecti. At in 3. p. q. 11. art. 2. vbi loquitur de speciebus infusis animæ Christi, absolutè ait, has species esse altioris ordinis, ideoq; repræsentare naturam, & omnia indiuidua secundùm omnes indiuiduales conditiones; sicut enim essentia diuina repræsentat omnia distinctissimè, ita species istæ, quia sunt exemplatæ à diuina essentia, & participatæ, possunt idem munus obire: quibus videtur asserere, species istas absolutè repræsentare contingentia, nec requirere durationē existentiæ vt conditionē.

62 Prima tamen responsio est falsa, nam docet, speciem determinatè repræsentare, Petrum sedere, cum tamen ex parte obiecti nulla sit determinatio, sed mera contingentia, vnde potest esse, quod sessio, vel aliud accidens nunquam conuenient Petro, & tamen a se esset species repræsentatiua sessionis, imò deberet esse repræsentatiua omniū accident ū possibilium tàm in specie, quàm in indiuiduo, quæ possent Petro, & cuilibet indiuiduo humano conuenire, quia per accidens est, quòd non conuenianti quod quidem est mirabile, & inintelligibile. Tùm quia si repræsentat solùm, quandiu accidens inhæret, ergo Angelus non poterit reminisci de aliquo præterito, putà me heri legisse, quod est falsum; patet conseq. quia obiectum non existit; & si potest species repræsentare lectionem post transactum actum legendi, ergo duratio non est conditio sine qua non; tùm quia posset etiā ante actum repræsentare lectionem, & sic per istas species cognosceret Angelus futura contingentia contra omnes Theologos. Tùm quia ideæ perfectius repræsentant res, quàm istæ species, sed ideæ non repræsentant aliquod contingens, vt nunc suppono ex proprio tractatu, ergo &c.

63 Ex his impugnatur secunda responsio, nam si species animæ Christi repræsentarent omnia futura, certè determinatè repræsentarent, aliter essent agentia libera, ergo necessariò, & tamen illa futura possunt non esse, & consequenter posset scientia Christi esse fallibilis. Tùm quia cognitio vnionis, & copulationis extremorum nō causatur ex rationibus cognoscēdi ipsorum, nisi illa copulatio nata sit ex terminis cognosci, nam si extrema non possunt causare cognitionem propositionis, non potest cognitio ipsius haberi per rationes cognoscendi extremorum, sed aliunde at propositio contingens non est nata cognosci ex terminis, aliter esset necessaria, ergo neq; potest per species, quæ sūt rationes cognoscendi naturas rerum, cognosci. Nec paritas de diuina essentia currit, quia essentia diuina per se, & vt à diuinis decretis præscindit, non repræsentat futura, vt futura, vt nunc suppono ex Tract. de Scientia Dei; diuina verò decreta idep repræsentant, quia sunt radix veritatis futurorum contingentium, licèt vt virtualiter includunt determinationes nostræ voluntatis, quod speciebus minimè conuenit. Accedit contra Caiet. quòd art. 6. sustinet, species animæ Christi esse imperfectiores angelicis, & minùs vniuersales, ergo si angelicæ non repræsentant absolutè omnia contingentia, multò minùs species animæ Christi; de quo in vltima quæst.

64 Lugus disp. 20. sect. 2. ait, quòd sicut quando contingens existit, datur species ipsum repræsentans actu existere, idest esse in tali tempore determinato, ita poterit hæc species à Deo antea produci, repræsentabitq; illud contingens cum sua existentia in tali duratione temporis. Bernal autem disp. 35. sect. 1. docet, species istas esse determinatas ad repræsentandas res futuras, ex hypothesi, quòd futuræ sunt, & ideo nequit per istas species repræsentari falsum, vel deceptionem induci. Addit Suarez, cognosci futura per reuelationem diuinam.

65 Prima responsio supponit vnum falsum, scilicet cognitionem intuitiuam fieri posse per speciem, vt mox dicam. Deinde admissa tali specie, falsum est, posse produci, obiecto non existente, quia ipsum repræsentet vt existens, quia si eadem species est, quæ repræsentat obiectum existens, dum est, cur non etiam repræsentet vt existens, si antea producatur, sed illud repræsentat futurum? Dices, quia repræsentat existere pro tali differentia temporis, quæ non est, sed erit. Sed contra, quia obiecto existente species repræsentat illud vt existens, quia repræsentat etiam illam durationem præsentem ex sui natura, ergo antea debebat repræsentare eādem durationem vt præsentem, cum sit agens naturale; aliter debet assignari ratio, cur obiecto existente repræsentat durationem præsentem, & antea repræsentabat futuram. Si recurris ad non existentiam durationis; iam incidis in responsionem Caietani. Tum quia hoc est, quod quæro, cur species durationem modò repræsentat præsentem, & antea futuram repræsentabat, nam hoc, quod est, esse præsentem, & esse futuram in duratione aliquid aliud dicere debet præter ipsam durationē, quod vtiq; debebit à specie repræsentari, & semper, quia necessariò repræsentat. Tùm quia species totum id, quod repræsentat, quando obiectum existit, repræsentat etiam, si antea produceretur, ergo tunc repræsentabit obiectum vt existens, & sic esset falsa; si verò existente obiecto, aliquid plus repræsentat species, quàm antea, hoc debet assignari, & etiam reddere rationem, cur antea non repræsentabatur; & sic redit principale argumentum.

66 Secunda responsio exploditur ex dictis, nam per ipsum species ex se penitus repræsentatiua futuri, itaut non possent non repræsentare (aliter ex se esset indifferens ad repræsentandum, & nō repræsentandum, essetq; libera) ergo licèt ex hypothesi, quòd res erit, anima Christi non decipiatur, attamen quia absolutè potest non esse illa res, anima Christi per istas species posset decipi. Dices, si res illa non foret, fuissent aliæ species inditæ animæ Christi repræsentantes existentiam illius rei non futuram. Contra, quia ex hoc sequitur solùm, animam Christi nunquam decipi, non tamen saluat, quin modò dici possit, anima Christi, vt stat sub speciebus, quas habet, potest decipi, & falli, quod repugnat certitudini scientiæ Christi; vide num. 69. & seq.

67 Quartum, quòd per istas species non possit haberi intuitiua cognitio singularium, probat Doctor, eoquia

eoquia nequit haberi ista cognitio per aliquid, quod eodem modo repræsentat obiectum, siue existat, siue non existat, talis est species, quæ semper repræsentat obiectũ; quæ ratio cõfirmari potest ex dictis in præcedẽti, & fusè hoc idẽ ostẽdi in lib. de Anima disp. 6. q. 4. art. 2. & q. 11. nec aliquid de nouo occurrit dicendum. Hinc falsum est, quod ait Vulpes, fuisse Christo inditas species repræsentantes omnia singularia actu existentia pro qualibet differentia temporis, iam enim admittit implicitè, cognitionem intuitiuam posse fieri per speciem.

68 Ex his omnibus concludendum est, species infusas animæ Christi esse omnino eiusdem rationis, & quidditatis cum speciebus, quas nos naturaliter acquirimus, vel in intellectu angelico reperiuntur, licèt sint perfectiores quò ad esse indiuiduale, vt infra; non nego tamen, quin dentur aliquæ species per se infusæ, & quæ non sunt naturaliter acquisibiles, tales sunt species rerum, quæ non cadunt sub obiecto naturalis attingentiæ nostri intellectus ex natura potentiæ, quale est ens infinitum, vel finitum habens pro termino ens infinitum, hinc species diuinæ essentiæ est omnino per se infusa; cætera verò entia, quia cadunt sub obiecto naturalis attingentiæ ex natura intellectus, vt dixi in lib. de Anima disp. 6. q. 6. art. 1. idcirco poterit intellectus ab illis abstrahere proprias species singulorum, vel illorum, quæ nata sunt habere speciem propriam, quia non quodlibet ens finitum habet suam speciem, nam relatio est de genere sterilium, ex dictis in lib. de Anima disp. 6. num. 167. quapropter si istæ species infunderentur à Deo, dicerentur per accidens infusæ. Christus igitur habuit istas species, tàm quæ sunt per se infusæ, quàm illæ, quæ per accidens dicuntur infusæ; quælibet tamen repræsentat propriam quidditatem, non autem vna plures quidditates, sicut species vnius quidditatis non repræsentat omnia indiuidua, nisi sub ratione communi, & confusè, at quodlibet indiuiduum suam quoq; habet speciem à cæteris distinctam; quot verò sunt istæ species, patebit ex solutione alterius partis articuli.

69 Contra tertium dictum instat Vulpes; Tùm quia admissa nostra sententia, tota Christi scientia infusa ad solas naturas vniuersales reduceretur, & ad nullũ singulare, quia quodlibet contingenter generatur, & existit, quod est falsum. Tùm 2. Scotus ipse ibidem admittit, species repræsentare posse singularia vt præterita, & secundùm existentiam, & alias conditiones extrinsecas, ergo potest Deus producere species repræsentantes singularia vt futura; non enim apparet ratio, cur præterita contingentia possint per species repræsentari acceptas ab ipsis, quãdo actu existebant, & futura nequeãt repræsentari per species à Deo productas. Nam quod aliqui asserunt, hoc prouenire, quia præterita fuerunt aliquãdo actu existentia, futura nequaquam; est merum effugium, quia solùm concludit, præsentiam futurarum non posse haberi per species naturales acquisitas, vt sunt species præteritorum, non tamen excludit, similes species repræsentantes futura posse à diuina potentia infundi, sicut illæ repræsentantes præterita naturaliter ab illis semel visis solent relinqui.

70 R sp. scientiam infusam animæ Christi etiam extendi ad singularia secundùm proprias quidditates, & hæcceitates, non tamen sub ratione actualis existentiæ in aliqua differentia temporis. Ad 2. negatur paritas, quia præterita vt præterita sunt necessaria, saltem necessitate ex suppositione, quòd aliquãdo extiterint; & ideo possunt repræsentari a speciebus causatis ab ipsis in propria existentia, quia tales species determinatè repræsentant res vt præteritas; futura verò sunt omnino contingentia, ideoq; si darentur species determinatè repræsentantes futura, vt erunt in tali differentia temporis, nõ idcirco parient certam cognitionem, quia hoc totum est contingens, nisi ad decreta diuina recurratur; tùm quia falsò repræsentarent, quia nulla est determinatio à parte rei inter extrema ex seipsis quò ad vnionem.

Dices cum Thomistis; species infusæ animæ Christi sunt exemplatæ à diuina essentia, sed essentia diuina repræsentat omnia distinctè, ergo &c. Tùm quia Scotus hic q. 4. admittit, dari posse species perfectiores humanis, & altioris ordinis, & tales, putat, fuisse species animæ Christi, ergo &c. Resp. quicquid sit de antecedenti, neg. conseq. quia arguitur à magis perfecto ad minùs perfectum affirmatiuè, vt vir potest ferre pondus, ergo puer, non valet; quamuis igitur istæ species essent exemplatæ à diuina essentia, solùm sequitur, quòd distinctiùs, & clariùs repræsentant, non tamen vniuersaliùs. Per idem ad Scotum, admittit perfectiores species quò ad clariùs repræsentãdum, nõ quò ad plura repræsentandum; alias rationes, quia spectant ad Tract. de Angelis, & sunt faciles solutionis, vide apud P. Fabrum ibi.

71 Quò ad alteram quæsiti partem, scilicèt de obiectis huius scientiæ infusæ, not. quòd ista obiecta possunt esse Deus ipse vt vnus, & trinus, omnia misteria gratiæ, seù entia supernaturalia, omnia entia finita naturalia, tàm possibilia, quàm futura, tàm vniuersalia, quàm singularia, tàm ordinis naturalis, quàm ordinis liberi, inter quæ sunt futura contingentia, quæ adhùc diuiduntur in absoluta, & conditionata; hæc omnia fusè tractantur à Recentioribus, pluresq; quæstiones ingeruntur, eoquia ponunt istas species supernaturales, & concurrere ad cognitionem intuitiuam rerum; in nostra autem Schola faciliter soluuntur iuxtà nostra principia.

72 Primò igitur dicendum, animam Christi per hanc scientiam cognouisse Deum ipsum trinum, & vnum per speciem infusam diuinæ essentiæ, quam esse possibilem, nunc suppono; insuper misteria gratiæ, & entia supernaturalia, & naturalia possibilia tàm vniuersalia, quàm singularia; non tamen omnia, sed aliqua, ratio est, quia istorum omnium habuit species infusas, decebat enim, Christum quò ad potentias animæ esse perfectum, nec propria carere perfectione possibili, sed horum cognitio est ipsi perfectio, & fuit in Angelis, ergo non est animæ Christi deneganda, aliter Christus vt viator non fuisset vndequaq; perfectus. Quòd verò non nouerit omnia, prob. ex dictis, quia ex vna parte non possunt dari in Christo infinitæ species actu, ex altera non potest vna species plures quidditates, vel plura singularia distinctè repræsentare, cum ergo infinita sint singularia possibilia, & infinitæ quidditates rerum, debemus asserere, quòd habuit solùm aliquas species illorum, quæ scilicèt conueniebant dignitati animæ Christi, & secundùm diuinum beneplacitum; quem modum vt magis probabilem amplectitur Scotus hic q. 3.

73 Secundò dicendum, quòd futura, siue libera, siue cõditionata nõ sunt obiecta huius scientiæ infusæ, seù non attinguntur à scientia infusa; ita Doctor sæpe cit. & sequitur ex dictis, nulla species potest repræ-

sentare

sentare obiectum vt futurum, quia species æque abstrahit ab exiſtentia, & negatione eiuſdem, vnde nata eſt cauſare ſolùm notitiam abſtractiuam, non intuitiuam, vt ſuprà ſupra probatum eſt, ſed ſcientia infuſa habetur per ſpecies infuſas, ergo &c.

Dices, cognoſci per reuelationem factam à Deo. Admitto, ſed nego, reuelationem iſtam fieri poſſe per ſpeciem, quia nulla ſpecies repræſentat obiectum vt futurum, ſolùm ergo Deus poſſet cauſare conceptum, repræſentantem hoc totum, ſcilicet *Antichriſtus erit*, quomodò loquebatur Prophetis; vnde autem hæc reuelatio habuerit poſtea euidentiam, & certitudinem in Christo, faciliter reſponderi poteſt, habuiſſe ex ſcientia beata, quia ponere aliud lumen diſtinctum in Christo, quo anima Christi cognoſcebat, reuelationem illam à Deo cauſari, licèt in Prophetis poſſet admitti, in Christo autem videtur ſuperfluum, cum adſit lumen beatificæ viſionis. Quod ſi hanc reuelationem vocas ſcientiam infuſam, erit quæſtio de nomine.

74 Inſtabis: ens futurum vt futurum eſt ens verum, ergo vt ſic eſt cognoſcibile, ergo fuit ab anima Christi cognitum. Tùm 2. anima Christi fuit prudentiſſima, & non ſolùm habuit prudentiam commenſuratam humanæ naturæ, ſed poteſtati, & ſupremo dominio totius vniuerſi, quod dominium habuit propter vnionem hypoſtaticam, ergo debuit cognoſcere omnia ſingularia, & futura contingentia certè, diſtinctè, & infallibiliter, vt poſſet de omnibus habere prudentiam certam, aliter habuiſſet cõiecturalem, & probabilem cognitionem futurorum, & errori expoſitam, quod dignitati Christi repugnat. Tùm 3. Christus habuit donum prophetiæ, quæ eſt cognitio certa futurorum, non beatifica, vel naturalis, vt patet, ergo infuſa, ergo ſcientia infuſa oſtendebat futura contingentia.

75 Reſp. ens futurum, vt futurum, ſicut non eſt actu ens, ita actu in ſe non eſt cognoſcibile, niſi abſtractiuè, vel in decretis diuinæ voluntatis, à quibus accipit futuritionem: concedo igitur, ens futurum eſſe cognoſcibile in proprio genere, & in ſe, vt eſt ens, non autem vt futurum, quia futuritio non aliud dicit, niſi denominationem prouenientem à decreto diuinæ voluntatis, denominatio autem non cognoſcitur ignorato actu, à quo prouenit. Ad 2. prudentia ſumma in Christo orta fuit, non ex cognitione futurorum per ſpecies, & in proprio genere, ſed ex cognitione, quam habebat in Verbo, vel ex illa ſpeciali reuelatione; habuit etiam prudentiam ex cognitione intuitiua acquiſita, quæ fuit excellentior, quàm in alijs propter multitudinem virtutum, & perfectionum in ipſo exiſtentium, non tamen fuiſſet certa, & infallibilis, niſi cognitio in Verbo, vel aliqua ſpecialis reuelatio interceſſiſſet, idcirco propriè non comprehenditur ſub ſcientia infuſa, quæ ex ſe, & ex propria natura eſt certa, & infallibilis. Ad 3. dico, prophetiam in Christo fuiſſe propter cognitionem in Verbo, vel ſpecialem reuelationem.

Articulus Secundus.

Habitus, & actus ſcientiæ infuſæ declarantur.

76 QVò ad primum, certum eſt ex libris de Anima diſp. 3. in potentia intellectiua dari habitus productos ex frequentatis actibus inclinantes, & facilitantes potentiam ad conſimiles actus eliciendos: qui habitus multiplicantur ad multiplicationem obiectorum formalium, itaut nulla ſcientia ſit vnus, & ſimplex habitus phyſicus, ſed multiplex iuxta multiplicitatem concluſionum demonſtratarum in illa ſcientia, vt fusè oſtendi in Log. diſp. 12. q. 3. quamuis conueniant in vno habitu vnitate generis proximi, vel remoti; vide ibi.

77 Hoc præaccepto, nõ erunt iſti habitus obiectorum ſcientiæ infuſæ denegandi animæ Christi, quia perfectiùs poſſidet ſcientiam aliquam in actu primo intellectus ille, qui præter ſpeciem ſe tenentem ex parte obiecti eſt etiam habitu ſcientifico informatus, quàm qui caret illo, ergo hæc perfectio non eſt deneganda Christo. Ex quo ſequitur, habitus iſtos eſſe eiuſdem ſpeciei cum noſtris habitibus (licèt perfectiores quò ad gradus indiuiduales) vnde ſicut in nobis habitus non ſunt per ſe infuſi; quia viribus naturæ acquiſibiles, & ſi infunderetur, dicerentur per accidens infuſi, idem dicendum de habitibus ſcientificis animæ Christi: quamuis enim intellectus noſter non poſſet naturaliter elicere cognitionem v.g. circa Deũ diſtinctam, & ex proprijs deſumptam, ſed ſpecie intelligibili indigeat repræſentante diuinam eſſentiam, attamen hac ſpecie ſuppoſita intellectus ex frequenti elicitione actus poſſet habitum ad talem actum inclinantem acquirere, qui habitus eſſet per ſe acquiſibilis, & per accidens infuſus; quapropter nullus habitus ſcientificus ponendus eſt in anima Christi, qui ſit per ſe infuſus.

78 Aliter tamẽ philoſophantur Recentiores; nam aiunt, ſcientiam infuſam eſſe ſupernaturalem, ſaltim vt reſpicit obiecta ſupernaturalia, & conſequenter actus huius ſcientiæ ponunt intrinſecè ſupernaturales: hæc autem differentia verſatur circa actus naturales, & ſupernaturales, quòd ad illos potentia habet virtutem elicitiuam perfectam ex parte potentiæ, & ſolùm indiget concurſu obiectiuo, vel obiecti in ſe, vel ſpeciei; at ad actus ſupernaturales potentia habet virtutem inchoatam, & incompletam in ratione potentiæ, aliter ſi eſſet perfecta, actus illi eſſent debiti illi potentiæ, & conſequenter naturales, quod eſt falſum; cum igitur potentia exigat compleri, & eleuari, neceſſariò ponendus eſt habitus quidam ſupernaturalis conſtituens potentiam in actu primo completo, & ſupernaturali; & conſequenter hæc ſcientia eſt alterius rationis à ſcientia, quæ reperitur in nobis, ſed eiuſdem rationis cum ſcientia infuſa Beatorum, & Angelorum, ſaltim in ratione ſupernaturalitatis. Diſcrepãt tamen deinde Recẽtiores in explicatione huius habitus, nam quidam aiunt, eſſe eundem cum lumine gloriæ, quidam ponunt diſtinctum realiter, & ex his alij docent, eſſe vnam ſimplicem qualitatem, alij verò multiplicant in diuerſos ſpecie habitus.

79 Totum hoc diſſidium prouenit ex diuerſis principijs, quibus in materijs de Viſione, & Virtutibus declaratur natura ſupernaturalitatis actuum, & neceſſitas habituum infuſorum, an ſcilicet requirantur ad ſimpliciter agendum, an verò ad faciliùs, & expeditiùs operandum, quam difficultatem mouì in Phyſ. diſp. 7. q. 6. art. 5. Verùm admiſſo pro nunc, ad eliciendos actus ſupernaturales potentiam compleri debere per modum principij aliquid intrinſecè recipiẽdo; nõ video tamen, qua ratione actus iſtius ſcientiæ quò ad ſubſtantiam ſint ſupernaturales; licèt quò ad modum dicantur aliquo pacto ſupernaturales; nam ſi ſpectamus ſcientiam iſtam in ordine ad res creatas, non eſt ſuperna-

supernaturalis, quoniam licet obiectum aliquod sit ens supernaturale, quandocunq; tamen est positum in esse, naturaliter mouet intellectum, quia continetur sub obiecto naturalis attingentiæ intellectus ex natura potentiæ, ergò intellectus naturali intellectione illud intelligeret, non supernaturali; Dæmones enim cognoscunt gratiam, fidem, spem, &c. & tamen non habent habitus infusos, nec actus supernaturales eliciunt. Solùm potest esse difficultas de cognitione Dei abstractiua habita per speciem inditam à Deo, quę videtur esse supernaturalis secundùm substantiam, quia species ista nullo modo potest haberi viribus naturæ, vbi species aliorum entium supernaturalium sunt per se acquisibiles; attamen certum est, esse magis supernaturalem visionem beatificam, & intuitiuam Dei, quàm sit ista cognitio abstractiua, cuius supernaturalitas solùm attenditur ex parte speciei, quatenus non potest viribus naturæ haberi; ideoque quamuis ad visionem beatificam requiratur ex parte potentiæ lumen gloriæ eleuans intellectum, non sequitur, idem esse dicendum de cognitione abstractiua, vel saltim, quòd sufficiat eleuatio facta per speciem. Et tandem quòd si velimus aliquem habitum ponere eleuantem potentiam ad istum actum, debemus illum ponere distinctum à lumine gloriæ; ratio est, quia si Christus fuisset purus viator, & non simul comprehensor, vt fuerunt Angeli in via, adhùc habuisset istam scientiam infusam, & de facto Angeli secundùm Scotum habuerunt speciem diuinæ essentiæ, non tamen habuerunt lumen gloriæ, quia hoc solùm reperitur in Beatis, ergo si velimus admittere propter istum actum habitum eleuantem potentiam, debet poni distinctus à lumine gloriæ. Hæc sufficiant, quia petunt longiorem discussionem alienam ab isto tractatu.

80 Remanet tandem, vt actum scientiæ infusæ declaremus; pro quo aduertit Scotus in hoc 3. d. 14. q. 3. quòd cognitio est duplex, abstractiua, quæ est obiecti relucentis in specie, & intuitiua, quæ est obiecti vt in se existentis; hæc autem est duplex; perfecta, & imperfecta, prima est, quia cognoscitur obiectum præsens in actuali existentia; secunda est, qua cognoscitur obiectum non actu præsens, sed quod aliquando fuit, vel erit, qualis est memoria de præterito, & opinio de futuro, & dicitur intuitiua, quia non totaliter abstrahit ab existentia, vt facit abstractiua.

81 Ad propositum dico primò, actum istius scientiæ non fuisse vnum simplicem erga omnia obiecta, sed multiplicatum ad multiplicationem obiectorum, nec fuisse intuitiuum, sed abstractiuum; primum patet, quia actus specificatur ab obiecto, vt dixi de specie, & de habitu; secundum etiam; quia hæc cognitio fit per species infusas, ex dictis, quæ abstrahunt ab existentia, ergo non est intuitiua, sed abstractiua. Tùm quia non est intuitiua perfecta, quia non terminatur ad obiectum in se, neq; omnia obiecta istius scientiæ existunt; neq; imperfecta, quia oporteret attingere conditiones existentiæ, scilicet præteritionem, vel futuritionem, hanc non attingit, vt dixi num. 60. illam neq; attingit, quia præsupponit existentiam obiecti in aliqua duratione, pertinetq; ad scientiam experimentalem, ergo erit cognitio, & actus abstractiuus.

82 Dico 2. animam Christi eliciendo actum istum non necessariò debuisse phantasmata speculari. Hoc dictum est Scoti 3. d. 14. q. 3. in fine, & euidenter ostenditur, supponendo doctrinam Scoti in lib. de Anima q. 18. quam fusè explicui ibidem disp. 6. q. 1. videlicet, dependentiā intellectus à phantasmatibus in intelligēdo non oriri ex natura intellectiua, aut ex vnione animæ cùm corpore, sed ex peccato Adæ, in cuius pœnam datus est nobis hic infimus intelligendi modus per conuersionem ad phantasmata; quo supposito, quia certum est, Christum caruisse omni peccato, deducendum quòq; erit, non habuisse istam necessitatem conuersionis ad phantasmata in intellectione, sed à tali lege fuisse solutum, & consequenter pro libitò vti poterat phantasmatibus. Nam quod aiunt aliqui Recentiores, esse prorsus impossibile, cum vsu huius scientiæ animam Christi phantasmata respicere, prouenit ex falso fundamento, quòd ista scientia sit simpliciter supernaturalis.

83 Dico 3. hæc actualis scientia in Christo fuit discursiua; ita Doctor cit. ad 3. princ. pro quo aduertit, quòd non est necesse ad discursum, quòd semper acquiratur noua notitia illius, quod priùs nesciebatur, sed solùm necessariò requiri, vt cognitio conclusionis, ad quam discurritur, sit causata à cognitione præmissarum, atq; adeo ab ea sit distincta, vnde quādoq; facit præhabita cognitione vti; hinc nullum est inconueniens asserere, Christum secundùm hanc scientiam à præmissis ad cōclusionem discurrisse, itaut præmissarū cognitio fuerit vera causa in ipso cognitionis conclusionis. Ratio est, quia præmissæ, & conclusio sunt diuersa obiecta formalia ex dictis in Log. disp. 12. q. 3. ergo in Christo cognitio præmissarum est distincta à cognitione conclusionis; & quoniam ad causandum discursum cognitio præmissarum sufficit, quòd natura præcedat cognitionem conclusionis, hæc quòq; nata est cognosci per præmissas, necessariò dicere debemus, animam Christi hac scientia discursiuè cognouisse obiecta. Tùm quia hæc scientia similis est scientiæ, quam habent Angeli, & Beati in Patria, sed ista est discursiua, vt nunc suppono ex Tract. de Angelis, & Animæ separatæ, & ostendi in lib. de Anima disp. 8. num. 16. ergo &c.

Obiectiones Aduersariorum, vel supponunt supernaturalitatem huius scientiæ, vel vniuersalitatem specierum, & actuum, idcirco negatione soluuntur.

84 Hæc igitur scientia sic explicata fuit in anima Christi ab instanti conceptionis, & vt colligitur ex Isa. c. 11. *Requiesces super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus scientiæ, &c.* aliter in primo instanti fuisset vt viator imperfectus Christus cum aliqua ignorantia. Verum est tamen, quòd licet in illo instanti habuerit omnes species infusas, omnesq; habitus, & consequenter scientiam habitualem completam in actu primo; non tamen est necesse ponere, animam Christi in illo instanti omnia cognouisse in actu secundo, quia nec poterat omnia illa simul perfectè, & distinctè cognoscere, nec opus erat; quamuis igitur multa cognouerit in eo instanti, non tamen omnia.

Quæstio Quarta.

De Scientia Christi acquisita.

85 PEr scientiam acquisitam Recentiores cū Thomistis intelligunt scientiam per accidens infusam, quam expliuimus in præced. quæst. vnde quidā magis cōsequenter loquentes ipsam vocant scientiam per

per se acquiribilem, non autem acquisitam, cum fuerat ab instanti conceptionis à Deo infusa animæ Christi; quam etiam distinguunt ab infusa per se, eoquia ista potest fieri per species à Deo productas; immo aliqui scientiam istam infusam distinguunt in per se supernaturalem, quæ scilicet fit speciebus supernaturalibus; & in per se naturalem, scilicet quæ fit per species naturales quidem, sed à Deo infusas, quales aiunt, esse species, quæ infunduntur à Deo Angelis, & animæ separatæ; scientiam autem, quam nos vocamus acquisitam, ipsi appellant experimentalem. Attamen quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, tot scientiæ non solùm sunt superfluæ, sed etiam impossibiles ex dictis in præced. quæst. idcirco per scientiam infusam intelligimus illam, quam aduersarij dicunt esse per accidens infusam, & per se acquiribilem (licet non secundùm totum, quia aliquæ species sunt, quæ viribus naturæ nequeunt haberi, vt diximus num. 79.) per scientiam verò acquisitam intelligimus scientiam experimentalem, quam Christus progressu temporis acquisiuit, & in præsenti intendimus explicare.

86 Primò igitur statuendum est, obiectum huius scientiæ acquisitæ, non esse aliquod vniuersale per speciem repræsentatum, nec omnia singularia, sed tantùm illa, quæ fuerunt Christo præsentia in reali existentia, cuiuscunque ordinis fuerint, siue naturalis, siue supernaturalis, siue materialis, siue spiritualis, dummodo nõ dicerent intrinsecum ordinem ad Deũ ita Doctor 3. d. 14. q. 3. & sequitur ex dictis, nam vniuersalia vt per species repræsentata non spectant ad hanc scientiam, eoquia species illæ fuerunt à Deo infusæ ex dictis, ergo cognitio habita per istas species non spectat ad cognitionem proprijs viribus à Christi anima acquisitam, sed ad infusam. Nec etiam omnia singularia fuerunt hac scientia à Christo cognita, quia non omnia fuerunt præsentia in proprijs existentijs Christo; non enim est verisimile dictum Caietani, nec probabile, scilicet fuisse animæ Christi Angelorum ministerio applicata omnium rerum phantasmata; hoc namque asserere nulla est necessitas, tùm quia ab Angelis nequeunt phantasmata rerum produci, sed solùm applicare sensibilia obiecta potentijs sensitiuis, videtur autem incredibile, Angelos coram Christo attulisse omnia sensibilia creata. Si vero dicatur, esse à Deo infusa; præterquamquod idem posset dici de speciebus intelligibilibus, quas in sententia Thomistarum eruit ab illis phantasmatibus anima Christi; scilicet fuisse à Deo infusas; adhùc tamen non videretur hæc scientia per se acquisita. Tùm quia in rebus spiritualibus non habet locum, quæ carent phantasmatibus proprijs. Tùm quia tota hæc scientia fuisset simul habita in instanti conceptionis, quod est falsum, quia scientia acquisita, seù experimentalis successiuè fuit in Christo, vt dicemus. Verum est, quòd Caietanus loquitur de scientia per se acquisibili, non de experimentali; quæ acceptiones sunt valde animaduertendæ in hac materia pro intelligentia opinionum.

Habuit ergo pro obiecto omnia singularia in propria existentia præsentia, cuiuscunque ordinis, quia vt diximus num. 82. intellectus animæ Christi non fuit in via alligatus sensibus, quapropter in omne tendere poterat, quod sub obiecto naturalis attingentiæ ex natura potentiæ comprehenditur, tale est quodlibet ens creatum, cuius terminus non est Deus, vt diximus quæst. præced.

87 Vnum est hic aduertendum contra Vulpes, eo quia ipse 1. p. tom. 1. disp. 19. art. 4. sustinet vniuersaliter, omnia singularia materialia, & sensibilia à nullo intellectu siue coniuncto, siue separato cognosci posse intuitiuè, & in se ipsis, sed abstractiuè, & per species, qua opinione posita, sequeretur non dari in Christo scientiam acquisitam de rebus materialibus, quia ista secundùm Scotum est circa singularia, & intuitiua. Qua difficultate pressus ipse Vulpes hic disp. 43. art. 2. doctrinam, quam ibi tradiderat, limitat distinguendo, quòd indiuidua materialia possunt dupliciter considerari, vel secundùm proprias quidditates, & hoc modo possunt intuitiuè cognosci, vel secundùm actualem extẽsionem de genere quantitatis, & hoc modo nequeunt intuitiuè intelligi. Verùm quàm sit falsa, & à Scoto aliena opinio de inintelligibilitate intuitiua singularium materialium, satis abundè ostendi in lib. de Anima disp. 6. q. 7. art. 1. Deinde limitatio, quam hic adducit, friuola est; tùm quia iam negat, indiuidua quantitatis spectare ad hanc scientiam; tùm quia ideo per ipsum substantia materialis est potentia intelligibilis, & indiget fieri actu intelligibilis per speciem, quia est materialis, & consequenter improportionata potentiæ intellectiuæ spirituali, sed vt à quantitate præscindit, est etiam materialis, ergo vt sic non esset adhùc intuitiuè intelligibilis.

88 Ex his secundò dico, actum scientiæ acquisitæ perfectè non fuisse abstractiuum, sed intuitiuum; quia ex dictis disp. 6. de Anima q. 4. art. 2. & q. 11. cognitio abstractiua terminatur ad obiectum in specie, intuitiua ad obiectum vt in se existens, ergo si obiectum huius scientiæ fuit singulare vt in se existens, non erit actus abstractiuus, sed intuitiuus. Dixi *perfectè*, quia vt docet Scotus cit. cognitio præteriti vt sic spectat ad hanc scientiam, & tamen propriè est abstractiua, quia fit per speciem ex dictis ibidem, & solùm secundùm quid, & imperfectè vocatur intuitiua, quatenus non totaliter abstrahit ab existentia, sed illam aliquo modo concurrit.

89 Tertiò loquendo de cognitione intuitiua imperfecta, quæ est duplex, scilicet memoria de præteritis, & opinio de futuris, anima Christi non nouit hac scientia omnia præterita, sed illa solùm, quorum priùs habuit cognitionem intuitiuam perfectam, nec omnia futura, sed quorum habuit signum aliquod coniecturale præsens; quamuis probabilius sit asserere, nullum futurum contingens ad hanc scientiam spectare. Primum probatur; quia licèt Christus in instanti conceptionis habuerit cognitionem omnium præteritorum per species à Deo infusas repræsẽtantes res illas præteritas, hæc tamen cognitio non dicitur memoria, sed simplex cognitio præteritorum; ratio est, quoniam ex lib. de Anima disp. 8. q. 8. art. 4. & disp. 6. num. 77. & seq. cum Scoto 4. d. 45. q. 3. memoria est principium recordationis, recordatio autem est cognitio, seù cogitatio alicuius actus præteriti ipsius recordantis, in quantùm præteriti; ex quo elicitur, ad recordationem requiri inter alia, quòd sit duplicis obiecti, scilicet actus præteriti, & obiecti istius actus, qui tempore præcessit, impressitque speciem sui in potentia intellectiua, per quam concurrit ad actum recordationis; qui est actus imperfectè intuitiuus, & propriè abstractiuus, vbi prior fuit perfectè intuitiuus; ergo memoria Christi fuit solùm illorum præterito-

rum; quæ prius fuerunt intuitiuè cognita ab anima Christi in propria existentia, quæ memoria verè dici debet scientia acquisita, quia supponebat actum intuitiuum, vbi cognitio aliorum præteritorum fuit à Deo infusa in instanti conceptionis.

90 Deinde quòd non omnia futura spectent ad hanc scientiam, patet ex eodem, quia ad habendam cognitionem coniecturalem alicuius futuri contingentis, oportet habere præsens aliquod signum, vel aliquem effectum coniecturaliter illius præostensiuum, sed anima Christi non habuit ista signa omnium futurorum contingentium, ergo &c. Probabilius tamen est asserere, nullum futurum ad hanc scientiam pertinere, quia hæc cognitio est opinatiua, & imperfecta, dubia, & obscura, at Christus in Verbo habuit notitiam certam, & claram de istis futuris, ergo non debemus admittere notitiam opinatiuam; patet conseq. quoniam licèt duæ scientiæ diuersi ordinis, vt sunt matutina, & vespertina, seù scientia in Verbo, & scientia in proprio genere de eodem obiecto sint inter se compossibiles, quia vna non repugnat alteri, attamen scientia, & opinio non sunt inter se compossibiles ex dictis in Log. disp. vlt. q. 2. quòd si hoc est verum de scientia naturali, quanto magis verificabitur de beatifica? non igitur futura cadunt sub obiecto scientiæ acquisitę animę Christi: hinc Doctor 3.d.14. q. 3. C. loquens de cognitione intuitiua imperfecta, quamuis distinctionem de memoria, & opinione pręmiserit, applicando deinde ad Christum, solùm de memoria fecit mentionem.

91 Quartò dicendum, quòd hæc scientia fuerit in Christo ab instanti conceptionis, & progressu temporis aucta; probatur, quia si quid obstaret, esset, quia sensus, qui ad hanc experimentalem scientiam inseruiunt, non sunt apti ad gignendam cognitionem in intellectu in infantili ętate, & multò minùs, dum adhùc infantulus in vtero clauditur, ergo neq; Christus hanc scientiam habuit, nisi post infantiam. Hæc tamen ratio non officit; tùm quia intellectus animæ Christi nō fuit alligatus sensibus, ergo in instanti conceptionis poterat intuitiuè cognoscere omnia singularia debitè approximata, & in se existentia, nam ex lib. de Anima disp. 6 q. 7. art. 1. singulare etiam materiale est per se, & immediatè cognoscibile ab intellectu separato; tùm quia si sensus auditus in Præcursore Ioanne Baptista fuit miraculosè capax verborum B. Virginis, dum adhùc in vtero gestaretur, multò magis est de Christo dicendum, potentias ipsius sensitiuas fuisse cōfortatas ad eliciendas perfectas sensationes. Progressu tamen temporis, sicut noua singularia ipsi obijciebantur, ita nouas cognitiones intuitiuas perfectas, nouasq; memorias acquirebat; & de ista scientia verificatur illud Lucæ 2. *Puer Iesus proficiebat ætate, & sapientia apud Deum, & homines*, & illud Apost. ad Hebrę. 5. *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.*

92 Quintò, supposito, quòd Christus hac experimentali scientia proficiebat, & aliquid in dies acquirebat de nouo, quæri solet, an aliquid didicerit ab hominibus, vel ab Angelis; P. Vulpes disp. 43. art. 5. & 6. affirmatiuè respondet, quatenus Christus ea omnia, quæ distinctè cognoscebat scientia beata, vel infusa, si illa audisset ab alio narrata, poterat iterùm illis assentire ex medio fidei. Communis tamen opinio est negatiua.

93 Breuiter tamen dicendum, cum sit ferè quæstio de nomine; & omissa opinione Hæreticorum Valentinianorum asserentium, Christum more humano didicisse ab hominibus incipiendo ab Alphabeto; hæc enim opinio repugnat Euangelio Ioan. 7. *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit*; tùm quia habuit perfectissimam omnium scientiam ex dictis. Dico itaq; quòd si discere significat propriè cognoscere rem aliquā antea prorsus ignotam; sic nullo pacto potest Christo conuenire, vt omnes fatentur. Si verò sumitur pro cognoscere aliquid de nouo; sic multa Christus didicit ab hominibus, & Angelis, quia multa de nouo cognoscebat intuitiua cognitione, quæ ab hominibus, & Angelis fiebant, & dicebantur; quo sensu intelligendus est Apostolus cit. dum inquit; *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Si tandem discere sumatur pro iudicare, & assentire alicui rei ex testimonio humano, vel angelico, in quo sensu videtur accipi à P. Vulpes, sic falsum est, Christum ab hominibus didicisse, vel ab Angelis; & ratio huius est opposita fundamento ipsius, quia scilicet scientia, & fides non stant simul, vt ostendi disp. præced. contra ipsum num. 21. ex dictis in Log. disp. vlt. q. 2. cum Scoto 3. d.24. quòd si fides diuina, quæ solùm est obscura, non autem incerta, est cum scientia incompossibilis, quæ est cognitio clara, quantò magis fides humana, quæ non solùm est obscura, verùm etiam incerta?

94 Responsio, quam affert, confirmat nostram sententiam; ait enim, Christum de rebus non præsentibus potuisse accipere cognitionem per auditum aliorum, & deinde subdit, rem in seipsa præsentem per propriam euidentiam impedire, siue euacuare actum credendi ex testimonio aliorum causatum in actu, non in habitu. Si enim euacuatur in actu, iam Christus non didicit aliquid actu ab hominibus; præcipue quia res euidentius videtur in Verbo, quàm in seipsa.

95 Contra prædicta arguitur primò ostendendo, scientiam acquisitam fuisse in anima Christi abstractiuam per species ab intellectu animæ Christi naturaliter acquisitas. Tùm quia etiam secundùm Scotum respectu eiusdem obiecti datur habitus per se à Deo infusus, & habitus acquisitus, vt circa Deum datur charitas infusa, & charitas acquisita, ergo de eodem obiecto possunt dari species per se infusæ, & species naturaliter acquiribiles, ergo ex hoc, quòd Deus infunderit animæ Christi species infusas rerum, non sequitur, intellectum ipsius nō abstraxisse in tempore à rebus species intelligibiles. Tùm 2. potentiæ perfectæ, in quocunq; sint, possunt in suos actus, sed in Christo fuit perfectissimus intellectus agens, ergo potuit species abstrahere, ergo &c. Tùm 3. ista scientia est perfectio humanæ naturæ, ergo non est animæ Christi deneganda.

96 Resp. primum argumentum petere longiorem disputationem de habitibus infusis, quorum solos theologicos Scotus admittit, non morales, & theologicos præcipuè admittit propter authoritatem Sacræ Scripturę, non autem propter aliquam rationem euidenter conuincentem, dari hos habitus; idcirco non est firmum arguere ab existētia habituum infusorum per se ad existentiam specierum infusorum, quia harum existentia non habetur in sacra Scriptura; tùm quia falsum est, habitum infusum, & acquisitum esse circa idem obiectum formale; tùm quia species infusa est omnino superflua, pro vt ponitur ab Aduersarijs, imò impossibilis, nec vlla ratio adest ad ostendendam

dam

dam ipſius exiſtentiam, & naturam; vnde Aduerſarij, exiſtentiam ſtatim ſupponunt, & naturam ſolùm referendo aliqua dicta explicant, non probando; ſpecies igitur infuſa eſt talis per accidens, non per ſe, idcirco eſt eiuſdem rationis cum acquiſita, hinc multiplicari non debent. Ad 2. maior eſt vera de potentijs, quæ ſunt in potentia ad proprios terminos, ſed ſi tales termini fuerunt inducti ab aliquo agente præueniente, non poterunt illæ potentiæ agere, non propter hoc tamen erunt denegandæ illi naturæ, quia ſunt perfectiones illius, ſiue ex ſeipſis, ſiue aliunde habeant terminos, ſic ſe habuit intellectus agens in anima Chriſti, cuius termini, ſeu ſpecies intelligibiles fuerunt à Deo infuſæ; præterquamquod non eſt negandum, quin intellectus agens à rebus aliquã abſtraxerit ſpeciem, quia nec ponimus, omnes ſpecies ſingularium fuiſſe à Deo infuſas. Ad 3. neq; nos abſolutè negamus hanc ſcientiam ab anima Chriſti, quia eſt eiuſdem rationis cum noſtra quò ad ſubſtantiam, licèt non quò ad modum acquiſitionis.

97 Secundò arguitur, quòd non detur iſta ſcientia acquiſita ſingularium. Tùm quia magis diſtant ratio naturalis, & ſupernaturalis, quàm medium demonſtratiuum, & probabile, ſed idem nequit ſimul cognoſci per medium demonſtratiuum, & probabile ex dictis, ergo multò minùs idem ſingulare poteſt intuitiuè cognoſci ſcientia beatifica, & acquiſita. Confirm. argumento Scoti, quod conficit cõtra D. Tho. ad negandam ſcietiam abſtractiuam acquiſitam; aut enim aliqua, vel vtraq; harum cognitionum cognoſcitur obiectum perfectè, quantùm eſt cognoſcibile, & tunc altera harum ſuperfluit, aut non cognoſcitur perfectè, & tunc neutra eſt perfecta, ergo cum ſcientia in Verbo non ſtat alia ſcientia de eodem obiecto.

98 Reſp vtrq; magis diſtare, non tamen eſſe magis incompoſſibiles, quia vtraq; eſt ſine formidine, licèt vna ſit perfectior altera, quòd ſcientiæ, & opinioni non conuenit, quæ repugnant ex hoc, quòd ſcientia facit ſine formidine adhęrere, opinio cum formidine. Ad confirm. vtraq; harum cognitionum obiectum perfectè cognoſci, ſed vnaquæq; parit cognitionem perfectam in proprio genere, & ordine, nec altera propter hoc ſuperfluit, quia non ſunt cognitiones eiuſdem obiecti ſecundùm eandem rationem, & eiuſdem ſpeciei; vrget tamen argumentum contra D. Tho. quia ſupponit, illas ſcientias eſſe eiuſdem rationis propter impoſſibilitatem ſpecierum infuſarum vniuerſaliũ.

99 Tertiò arguitur oſtendendo, Chriſtum aliquid ab hominibus, vel Angelis didiciſſe. Tùm quia multa Ieſus ab hominibus audiuit, quorum obiecta non erant ipſi præſentia, imò multoties ipſemet interrogabat diſcipulos, vel alios, quorum reſponſiones audiebat, & in ipſo formabatur noua ſenſatio in auditu, ergo & noua intellectio in intellectu illius auditionis, & obiectorum eius, ergo aliquid ab hominibus diſcebat. Tùm quia Lucæ 22. habetur, quòd Chriſto in horto oranti apparuit Angelus confortans eum, hoc autem nequiuit fieri, niſi per aliquas rationes, quibus Angelus ſuadere conabatur Chriſto acceptationem mortis, ergo ab Angelis aliquid didicit.

100 Reſp. ad 1. probare ſolùm ſecundam partem noſtri quinti aſſerti; nam Chriſtus verè audiebat reſponſiones hominum, & verè noua intellectione illas reſponſiones cognoſcebat, attingebatq; obiecta vt repræſentata illis locutionibus; non tamen oſtendere, Chriſtum præbuiſſe nouum aſſenſum, vel diſſenſum de illis rebus ductum ex teſtimonio illo humano, vel angelico. Ad 2. multæ adſunt expoſitiones, quo pacto fuerit Chriſtus ab Angelo confortatus; optima tamen eſt, quam tradit Bernal diſp. 38. ſect. 2. Angelum confortaſſe Chriſtum quò ad tria, ſcilicet ſolitudinem propter horrorem noctis, laſſitudinem corporis propter ſanguinis effuſionem, & tandem animi agoniam propter volũtariam admiſſionem vehementiſſimæ triſtitiæ, quam Chriſtus ex ſe ipſo pati voluit impediendo cogitationes conſolatrices; quæ omnia potuit Angelus præſtare abſq; eo, quòd Chriſtum docuerit aliquid de nouo, & conſequenter verè ipſum confortauit, ſeu fortitudinem attulit Chriſto. Etenim ſolitudinem, & noctis horrorem repulit ſua pręſentia, præſertim quia probabile eſt, non ſolum, ſed plurimis Angelorum fulgentibus copijs appàruiſſe. Corporis laſſitudinem ſubleuauit, dum cum ſumma reuerentia corpus illud ſanctiſſimum erexit de terra, & ſudorem ſanguineum abſterſit. Animi tãdem agoniam depulit, dum humili deprecatione precabatur Chriſtum, vt cogitationes illas mœſtiſſimas, quæ erant origo, & cauſa totius afflictionis, à ſe repelleret, & lætificas admitteret, quibus firmaretur animus, & fluxus ſanguinei ſudoris ceſſaret; cum igitur hoc totum precando præſtiterit Angelus, non ſequitur, aliquid docuiſſe Chriſtum, ſicut neq; nos orando docemus Deum, ſi propter noſtras preces aliquid impetramur.

101 Quapropter totum in ſumma reducendo, dicimus, quòd anima Chriſti viſione beatifica cognoſcit omnia poſſibilia, & futura, non actualiter, ſed habitualiter: Scientia infuſa noſcita bſtractiuè quidd tates, & ſingularia per ſpecies à Deo infuſas, non quidem omnia, ſed quæ placuerunt Deo, inter quæ fuerunt omnia, quæ incarnationem præceſſeruut, etiam ſub ratione præteriti, & hoc habitualiter, & in actu primo, non actualiter, quia non neceſſariò intellectus animæ Chriſti illa omnia ſimul actu ſemper cognoſcebat; nullo tamen modo per ſcientiam infuſam intuitiuè nouit ſingularia, & futura contingentia: Per ſcientiam acquiſitam non cognouit ea, quæ per ſcientiam infuſam nouerat, & per conſequens nihil abſtractiuè percepit, loquendo de rigoroſa abſtractione; ſolùm intuitiuè perfectè ſingularia nouit, quæ fuerunt ipſi præſentia, de quibus etiam habuit cognitionem rememoratiuam, de futuris probilius nullam habuit cognitionem opinatiuam, & conjecturalem, ſed illa tantùm cognoſcebat in Verbo, aut ſaltim per infuſionem alicuius conceptus repræſentantis illud futurum cum aliquo lumine ſupernaturali, nullo tamen modo per ſpecies; ſed prior modus eſt expeditior.

102 Et de iſta ſcientia acquiſita, ſeù experimentali verificatur, quòd ſciebat aliquid de nouo, & conſequenter poſſet in Chriſto admitti aliqua ignorantia negatiua, ſeu carentia alicuius cognitionis, quatenus non poterat Chriſtus omnia cognoſcere hac ſcientia experimentali; quamuis cautè hoc termino vti debemus, quia ignorantia videtur ſignificare carentiam omnimodam cuiuſcumq; cognitionis de aliquo obiecto, quo pacto non potuit cadere ignorantia in Chriſto propter alias ſcientias, præcipuè beatificam; ſicut aer luminoſus lumine candelæ eſt priuatus lumine ſolis, non tamen dicitur tenebroſus, quia tenebra non dicit ſolùm priuationem lucis, ſed omnimodam priuationem cuiuſcunq; lucis.

Apparet quoque ex dictis, in intellectu animæ Christi nullum fuisse errorem, quia maximam dixisset imperfectionem. An autem de potentia absoluta potuerit Verbum assumere naturam errore capacem, affirmatiuè est respondendum, quia si potuit assumere naturam peccatricem, vt videbimus disp. seq. q. 3. multò magis naturam potentem errare, quia error est minor imperfectio, quàm peccatum.

Quæstio Quinta.

Vtrum scientia animæ Christi fuerit perfectior Angelorum scientia.

103 DE fide est, animam Christi excedere in scientia beata omnes Angelos, ita habetur ad Ephes. 1. vbi Apostolus loquens de Christo ait, *Secundùm operationem virtutis eius, quã operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomẽ, quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro*: Tùm quia Christus est primogenitus, & caput omnium electorum; sicut igitur anima Christi perfectiùs videt essentiam diuinam, eo quòd habuit summam gratiam, & summum lumen gloriæ, ita etiam perfectiùs videt creaturas in Verbo, imò & plures, si habitualiter videat omnia, quæ Verbum videt.

104 Circa alias scientias est cõtrouersia inter Thomistas, & Scotistas, nam Thomistæ 3. p. q. 11. art. 4. & 6. asserunt, scientiam Christi perfectiorẽ esse scientia Angelorum quò ad multitudinem cognitorum, quia plura cognoscit, & quò ad claritatem cognitionis, quia, inquiunt, perfectius lumen habet ad intelligendum, quàm Angeli, quæ duo pendent ex mera Dei voluntate; at esse imperfectiorem quò ad modum cognoscendi, quia intellectus est naturæ imperfectioris, & cõsequenter quia species sunt naturis commensuratæ, etiam species animæ Christi imperfectiores erunt speciebus angelicis; quod dictum approbant tàm de cognitione abstractiua, quàm intuitiua, quæ secundùm ipsos fit per species.

105 Dico primo, species infusas animæ Christi fuisse perfectiores speciebus infusis angelicis, & consequẽter scientiam habitualem infusam perfectiorem fuisse scientia habituali infusa Angelorum ex isto capite; ita Scotus 3. d. 14. q. 4. (& sequuntur communiter Recentiores) quam sic probat, sicut possibile fuit animæ Christi, habere summam gratiam, ita possibile fuit habere perfectissimas species intelligibiles, per quas potuisset elicere cognitionem perfectissimam abstractiuam, quod autem est possibile, si dicit perfectionem, tribuendum est animæ Christi.

106 Resp. Caiet. negando paritatem possibilitatis, quia species commensurari debent naturis, & quia perfectior est natura angelica, ideo perfectiores habuit species, nam inquit, species pertinent ad statum connaturalem. Contra, ergo nullo modo anima Christi habuit species infusas, quia secundùm ordinem naturæ ipsi animæ non debentur, imò solæ species acquisitæ ipsi commensurantur, & proportionantur; neq; cognitio actualis infusa erit perfectior propter eãdem rationem, quod neç ipsi concedunt; sicut ergo potuit anima Christi eleuari ad cognitionem perfectiorem, etiam in ipsorum sentẽtia, & ad receptionem istarum specierum infusarum, cur non potuit quoq; eleuari ad receptionem specierum magis perfectiorum? tàm enim species infusæ, quàm lumen, & alia huiusmodi sunt dona gratuita animæ Christi.

107 Accedit ad hominem; anima Christi plura cognoscit, quàm cognoscant Angeli, ergo per species vniuersaliores, & perfectiores; prob. conseq; quia in ipsorum sententia species quò plura repræsentant, eò sunt nobiliores, & perfectiores. Resp. hoc prouenire ex maiori perfectione luminis, non specierum, ponunt enim pro cognitione infusa aliquod lumen habituale simile, vel idem cum lumine gloriæ, eleuans potentiam ad cognoscendum ista scientia infusa (ex quo consequenter deducas contra primam responsionem, hanc scientiam non esse secundùm principia ipsorum connaturalem animæ Christi, quia si esset connaturalis, non esset hoc lumen necessarium) Contra, lumen nequit sine obiecto concurrere ad cognitionem, ergo non potest facere, quòd anima Christi plura videat, nisi ista plura per species repræsententur; patet exemplo luminis materialis, quantumcunq; enim lumen intendatur, non idcirco oculus potest aliquid videre, si illud in obiecto nõ reluceat; & ratio est, quia lumen non se tenet vt obiectum, sed vt medium, vel conditio potentiæ, & in obiecto solùm facit, vt id, quod erat in potentia cognoscibile, fiat actu cognoscibile.

Ex his patet secunda pars de scientia habituali, quę dicit potentiam cum speciebus perfectè constitutam in actu primo; vt mox etiam dicam.

108 Dico 2. cognitio actualis abstractiua, ex ea parte, qua ab intellectu procedit, non potest esse perfectior, sed quatenus est à speciebus infusis, potest esse, vel æquè, imò perfectior, quàm cognitio actualis Angelorum; ita Scotus cit. & prima pars patet, quia vel intellectus animæ Christi est eiusdem speciei cum angelico, vel diuersæ, si primum, ergo erit eiusdem perfectionis, quia substantia non suscipit magis, & minus ex lib. de Gener. disp. 5. q. 5. art. 2. ergo ex hoc capite cognitio animæ Christi nõ erit imperfectior; si secundum, ergo quia est identificatus cum natura imperfectiori, qualis est humana, potiùs erit imperfectior, quàm perfectior, ergo nec cognitio ex hoc capite erit perfectior; non enim placet, quod ait Vulpes, fuisse scilicet animæ Christi à Deo cõmunicatum intellectum perfectiorem angelico, licèt in nobis sit imperfectior; non placet, quia videtur supponere, substantiam suscipere magis, & minùs; tùm quia hæc maior, vel minor perfectio intellectus nõ videtur posse consistere cum identitate reali intellectus cum natura, qualem ponit Doctor in 2. d. 16.

109 Secunda pars sequitur ex dictis in præced. conclus. quia si potentia est imperfectior, talis imperfectio potuit suppleri ex maiori specierum perfectione, & sic si causa totalis est æqualis, æqualem quoq; effectum causabit, si verò excedit, perfectiorem producet effectum, & quia debemus animæ Christi tribuere perfectissimas species de potẽtia ordinaria producibiles, sicut diximus de gratia, ideo absolutè perfectior erit actualis sciẽtia animæ Christi, quàm Angelorum, quia perfectio specierum non solum supplebit excessum perfectionis in potentijs angelicis, verùm etiam superabit.

110 Dico 3. cognitio intuitiua animæ Christi, seu acquisita, & experimentalis non est perfectior cognitione intuitiua, & acquisita Angelorum, sed imperfectior;

fectiors ita Doctor cit. contra Thomistas, & prob. quia ad istam scientiam non concurrit obiectum in speciebus infusis relucens, sed in seipso ex dictis in præced. quæst. ergo si intellectus eodem modo se habet ad intellectum angelicum, & Christianum, non poterit esse supplementum imperfectionis repertę in potentijs, vt dicebatur in præced. conclus.

111 Contra primam, & secundam arguitur; species commensurari debent cum naturis, natura humana Christi est imperfectior, quàm angelica, ergo &c. Tùm 2. perfectio æquatur perfectibili, intellectus animæ Christi est imperfectior, ergo scientia, quæ est eius perfectio, erit imperfectior angelica. Tùm 3. quantò aliqua scientia est immaterialior, tantò est perfectior, scientia angelica est immaterialior scientia animæ Christi, quia hæc est actus corporis, & habet conuersionem ad phantasmata, fitq; per discursum, quod non conuenit scientiæ angelicæ, ergo &c. Tùm 4. receptum est in recipiente per modum recipientis, ergo species in intellectu perfectiori perfectiùs saltim intẽsiuè repræsentabit obiectum, ergo in intellectu angelico perfectiorem eliciet cognitionem. Tùm 5. ex Suarez disp.27. sect.1. Scotus negat, hanc scientiam esse per se infusam, ergo tenetur admittere, istas species non esse perfectiores speciebus angelicis; patet conseq. quia si sunt perfectiores, ergo nequeunt viribus naturæ acquiri, sed petunt infundi.

112 Resp. ad 1. negando assumptum, nam potiùs species debent proportionari cum obiectis, quòd scilicet illa repræsentent, sicuti sunt. Ad 2. maior debet intelligi de æqualitate quò ad non repugnantiam, scilicet quòd non ita excedat, quòd repugnet, aliter nullo modo posset dari visio beata, quæ vires excedit naturæ. Ad 3. dico, nec scientiam animæ Christi esse actum corporis; neq; fieri per conuersionem ad phantasmata, vt dixi num.82. discursus etiam Angelis conuenit; & si hoc negent Thomistæ de Angelis propter specierum infusarum naturam, etiam de Christo negare tenentur. Ad 4. propositionem illam hunc sensum habere, quòd scilicet receptum non repugnet recipienti, sed sit proportionatum, non tamen necessariò secundùm omnimodam proportionem; hinc distinguo consequens, repræsentabit perfectiùs extrinsece, quatenus scilicet perfectior intellectus perfectiùs vtitur illa, concedo, intrinsecè, nego, ex quo argumento solùm sequitur, quòd si species animæ Christi concessę fuissent Angelis collatę, perfectiorem cognitionem causassent in Angelis propter maiorem perfectionem intellectus. Ad 5. dico, Scotum negare, hanc scientiam esse per se infusam secundùm substantiam; non tamen secundùm modum, quia & si istæ species sint perfectiores, non tamen causant diuersam speciẽ cognitionem, sed eiusdem speciei, licèt perfectiorem, perfectum enim, & imperfectum nõ variant speciem.

Disputatio Duodecima.

De Voluntate Christi, eiusq; actibus, & passionibus.

ALtera rationalis animæ potẽtia est voluntas, quæ sicut in esse, & operari est posterior intellectu; ita quoq; in cognitione, idcirco rationabiliter post disputationem de intellectu animæ Christi, eiusq; actibus, hanc de voluntate, eiusq; actibus, & passionibus subnectimus disputationem. Actus autem voluntatis diuiduntur in necessarios, & liberos, in bonos, & malos, in actus efficaces, & inefficaces, de istis diuisionibus agemus, nam aliæ diuisiones in intentionam, & electionam, in supernaturalem, & naturalem, non faciunt peculiares difficultates; deinde quoq; aliqua de voluntate, prout cum sensitiuo appetitu confunditur, subiungemus, eiusq; passionibus.

Quæstio Prima.

Quot voluntates reperiantur in Christo.

1 QVamplurimi Hæretici negarunt, in Christo duplicem voluntatem reperiri, vel quia vnicam tantùm naturam in ipso posuere, diuinam, vel humanam; vel licèt vtramque naturam admiserint, negarunt tamen potentiam volitiuam humanam; vel quamuis istam concesserint, aliqui tamen nolebant, potuisse exercere aliquam operationẽ, & tandem si aliquam volitionem eliciebat, non tamen seipsam determinãdo, & ex propria deliberatione, sed tantùm ex motione, & determinatione voluntatis diuinæ elicuisse asseruerunt; citantur tanquam principales propugnatores huius erroris hæretici illi Monothelitæ appellati, de quorum genuina opinione agit inter alios B. rnal disp.48. per totum.

2 Aduertendum est tamen ex Scoto in 3. d.17. q. vn. quòd appetitus est duplex, naturalis, & est natura cuiuslibet rei, vt determinatæ ad sibi conuenientia, alter est vitalis, & hic propriè dicitur appetitus, estq; potentia vitalis consequens cognitionem, qua quodlibet viuens cognoscitiuum appetit commoda, & fugit noxia; hinc iuxtà varietatem cognitionis variatur quòq; appetitus, nam datur appetitus sensitiuus sequens cognitionem sensitiuam, qui dici potest vnus, quatenus sequitur virtutem imaginatiuam, quæ obiecta omnium sensuum potèst apprehendere, & consequenter potest suo appetitu delectari, & inclinari in illa, si sint conuenientia, & dolore, si disconuenientia, potest etiam dici multiplex, quia præter istam cognitionem communem sensitiuam virtutis imaginatiuæ dantur aliæ quinque sensationes externorum sensuum, & apprehensiones eorum particularium obiectorum distinctorum, ideoq; tot erunt appetitus distincti consequentes istas apprehensiones, de quibus latè egi in lib. de Anima disp.5. q.9. Datur etiam appetitus rationalis consequens cognitionem intellectus, primus est in brutis, secundus in Angelis, vterq; in homine. Voluntas verò largè potest sumi pro quocunq; appetitu, sed propriè accipitur pro rationali; vnde definiri solet, voluntas *est appetitus cum ratione liber*; quam definitionem explicui ibidem disp.7. q.1.

3 Dicendum est, quòd si voluntas largè sumatur, sic præter diuinam, tot erunt voluntates creatæ in Christo, quot potentiæ cognoscitiuæ, si verò propriè accipiatur; erunt tantùm duæ diuina, & humana. Prima pars patet ex not. & ex dictis in lib. de Anima disp.9. q.9. vbi contra Arriagam ostendi, appetitum multiplicari ad multiplicationem cognitiuæ potentiæ; præcipuè quia obiectum cuiuslibet potentiæ cognitiuæ, non solùm est perfectio totius viuentis, sed etiam imò immediatiùs est perfectio ipsius potentiæ, ergo erit iuxtà inclinationem totius viuentis, & particularis potentiæ, ergo sicut ex inclinatione vniuersali viuentis ponimus appetitum quendam communem, pariformiter

mitter ex inclinatione particulari cuiuslibet potentiæ ponere debemus proprium, & particularem appetitum.

4 Secunda pars sequitur etiam ex dictis, estq; de fide definita in 6. Synodo act. 4. 8. 11. 18. & in Concil. Later. sub Martino 1. can. 11. probaturq; ex diuersis Scripturæ locis, Matt. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu*; Lucæ 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat*; Ioan. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*. Accedit, quod in Christo fuerunt duæ naturæ ex dictis disp. 2. q. 1 ergo etiam omnes potentiæ, quæ naturaliter ad ipsam consequuntur, præcipuè quia in nostra sententia potentiæ non distinguuntur realiter ab anima. Tùm quia anima Christi fuit perfectè beata, ergo non solùm habuit potentias in actu primo verùm etiam in actu secundo, vnde habuit perfectissimam scientiam, & visionem beatam, & etiam summam fruitionem.

5 Contra prædicta argui potest primò; quia ex D. Aug. 12. de Trin. sensualitas significatur per serpentem, nihil serpentinum fuit in Christo, ergo &c. Tùm 2. voluntas propriè sumpta alia est naturalis, alia libera, ergo si voluntas creata fuit in Christo, non duæ, sed tres fuissent, scilicet diuina, naturalis, & libera. Tùm 3. voluntas diuina in Christo erat domina omnium actuum, quia omnia iuxtà ipsius imperium fiebant, ergo vel non debet dari voluntas humana, cum non esset domina actuum, vel si datur, non habebit proprium actum secundum. Tùm 4. Dam. 3. de fide c. 14. *Aliqualiter velle est nostræ intelligentiæ, scilicet personalis, non naturæ*, sed in Christo vnica fuit persona, ergo vnica voluntas. Tandem adest authoritas Honorij I. Summi Romani Pontificis, in epist. ad Sergium Monothelitam, *Vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi*.

6 Resp. ad 1. sensualitas secundùm quidditatem nô significatur per serpentem, quomodò fuit in Christo, sed pro vt corrupta, & à ratione discors. Ad 2. ait Doctor, quòd voluntas naturalis propriè non est potentia, sed inclinatio voluntatis ad sibi conueniens, non quidem ad agendum, sed ad recipiendum, hinc non sunt duæ voluntates, sed eadem voluntas, vt est inclinata ad recipiendum bonum, est naturalis, vt potest elicere actum, est libera. Ad 3. ex eodem, voluntatem diuinam non habere in Christo aliam actionem distinctam respectu creatæ voluntatis, quam non habeat respectu nostræ voluntatis, quia Verbum in natura humana non exercet aliquam actionem propriã, quæ non sit toti Trinitati communis, quamuis sit suppositum eiusdem humanitatis: sicut ergo quando nos diuinæ voluntati conformamur, adhuc dicimur domini illorum actuum; licèt etiam diuina voluntas cócurrat principaliter tanquam prima causa, quia nostra voluntas etiã ab intrinseco se determinat, & exit in actum per potentiam actiuam, quam habet, idem de voluntate Christi humana dicendum: itaut si argumentum valeret, concluderet de quacunq; voluntate creata. Ad 4. dico, sensum esse, quòd velle, cum sit operatio, concernit aliquod suppositum, non tamen, quòd sit aliqua proprietas suppositi, quia est proprietas naturæ; sic velle Christi creatum concernit suppositum Verbi, quod denominat, est tamen proprietas consequens naturam humanam.

7 Ad vltimum, est controuersia inter Doctores, an Honorius fuerit verè Monothelita; nam Melchior Canus lib. 6. de Locis Theolog. c. vlt. 5. *Huic loco affirmat*, tùm propter adductam authoritatem, tùm quòd Sexta Synodus Act. 13. post damnationem Sergij, Pyrri, & aliorum Monothelitarum, subiungit, *Cum his verò simul proijci à Sancta Dei Ecclesia catholica, simulq; anathematizari præuidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ; eo quòd inuenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est, & impia dogmata confirmauit*. Verùm communior sententia ab hac impostura absoluit Honorium, quod multis authoritatibus, & rationibus præcipuè ostendit Bernal disp. 30. vnde ad authoritatem Honorij ait, per ly *vnam voluntatem* intelligi vel vnum obiectum volitum, vel voluntatum, & affectuum consensum, quia ex hac positione duarum voluntatum in Christo non sequitur necessariò contrarietas earundem, vt inferebant Monothelitæ, sed semper vniformi concordia fuerunt coniunctæ, vt infra dicemus. Ad damnationem sextæ Synodi ait, vel illam esse suppostitiam, vt mos fuit Græcorum propter odium in Romanam Ecclesiam; vel irritam, vt pote sine Summi Pontificis authoritate; vel tandem si valida esset, non damnare Honorium vt vniuersalem Pontificem, quo pacto nequit errare, sed vt priuatum Doctorem.

Aliæ difficultates ex libertate, & impeccabilitate Christi deductæ soluentur ex dicendis.

Quæstio Secunda.

An voluntas humana Christi fuerit in omnibus actibus libera.

8 Libertas, prout ad præsens spectat, est duplex, vna dicitur libertas à coactione, & est, qua voluntas, non coactè, sed spontaneè, & voluntariè agit; altera dicitur libertas à necessitate, qua scilicet voluntas non necessitatur ad agendum, sed habet perfectum dominium sui actus, vt possit agere, & nó agere (omitto nunc, quo pacto libertas essentialis possit stare cum necessitate, quia non est præsentis negotij, quoniam talis libertas est solùm in diuina voluntate, in nobis autem nûquam ab intrinseco est cum necessitate cópossibilis respectu cuiuscunq; obiecti; de quo egi fusè in lib. de Anima disp. 7. q. 2. art. 1.) Hæc quoq; libertas est duplex, alia est contrarietatis, qua aliquis est liber ad oppositos actus, scilicet ad velle, & nolle, quæ etiam dicitur libertas specificationis, alia est libertas contradictionis, seu exercitij, qua aliquis, & si non possit elicere velle, & nolle circa aliquod obiectum, potest tamen velle, vel non velle, nolle, vel non nolle; de quibus omnibus egi loco cit.

9 Ad propositum, certum est, voluntatem humanam Christi in omnibus suis actibus elicitis fuisse liberam libertate à coactione, sicut quælibet alia voluntas, non enim potest voluntas in elicitione actus violentari, & cogi, vt ostendi in lib. de Anima disp. 7. num. 17. & seq. Rursus est indubitatum, circa aliqua obiecta habuisse libertatem contradictionis, & etiam contrarietatis, saltim obiecta indifferentia; Dubium tamen grauissimum est, an circa opera, quæ erant sub præcepto, poterat voluntas Christi dici libera, nam ex vno capite videtur affirmari debere, quia in his actibus Christus meruit, ergo fuit liber, quoniam libertas est vna ex conditionibus necessarijs ad meritum;

ex alio capite videtur negandum, quia si talem habuisset libertatem, iam potuisset transgredi præceptū, & consequenter peccare. Quod dubium est vnum ex grauissimis in tota Theologia, & extendi etiam solet à Recentioribus ad opera, quæ erant sub consilio, an scilicet voluntas Christi poterat non velle obiecta, quæ ipsi sub consilio proponebantur, de quo in seq. articulo.

Articulus Primus.

An voluntas Christi fuerit libera circa præcepta.

10 DOctores, vt hæc duo inter se concilient, scilicet libertatem Christi, & ipsius impeccabilitatem, multum laborant, variasq; adhibent responsiones, itaut in hoc verificetur illud dictum, quot capita, tot sententiæ.

11 Aliqui respondent, Christum præcipuè morte, & passione meruisse, de qua non habuit præceptum, sed consilium, & ideo liberè mortuū esse; imò alij hoc etiam asserunt de omnibus alijs præceptis, non solùm de morte, quia Christus est supremus dominus, & non poterat obligari. Hæc tamen responsio explosa manet ex dictis disp.9.q.1. art.1.& 2. vbi ostēdi, Christum fuisse legi diuinæ subiectum vt hominem, habuisseq; præceptum moriendi pro hominibus.

12 Alij concedunt, habuisse Christum præceptum de morte, sed dependenter à propria voluntate, quatenùs Pater æternus hoc mortis præceptum imposuit, Christo petente, & acceptante. Neq; ista responsio satisfacit; tùm quia difficultas adhùc vrget de præceptis primæ tabulæ, quæ sunt indispensabilia; tùm quia sequeretur, passionem, & mortem fuisse solùm liberam in causa, non in se, & consequenter meritoriam in causa, scilicet in actu illo acceptationis præcepti, non in se, & tamen ab omnibus conceditur, mortem ipsam actualem, & exercitium passionis fuisse causam meritoriam nostræ redemptionis; sequela patet, quia quia quod est liberum solùm in causa, non est liberum in se, & formaliter, & consequenter non est in se formaliter meritorium, quia libertas est fundamentum meriti.

13 Respondent aliqui concedendo totum, mortem scilicet fuisse liberam in causa. Lugus disp.26. à num. 105. negat sequelam, quia in eo instanti, in quo Christus habuit velle mori, non necessitabatur ad talem actum, nam præceptum non obligabat ad volendum pro illo instanti, sed alio tempore sequenti, in quo licèt obligaret præceptum, tamen poterat Christus petere dispensationem, & auferri præceptum; illud ergo libere fit, quod positis omnibus antecedentibus potest non poni, talis fuit voluntas moriendi in Christo. Bernal disp.52. à num.67. negat etiam sequelam, quia in primo instāti incarnationis occurrerunt Christo præceptum mortis, & dispensatio, vel commutatio præcepti, Christus absolutè acceptauit mortem, & ex tali acceptatione secuta est nolitio dispensationis; quare mors non fuit volita, & libera in causa, & propter nolitionem dispensationis, sed potiùs è contra, idcirco fuit absolutè libera.

14 Prima responsio de se ruit, quia vt dixi, actus ipse moriendi in se fuit meritorius, vt inquit Apostolus ad Rom. 5. *Per vnius obeditionem iusti constituuntur multi*, & ad Philipp. 2. *Factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Isa. 53. *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum.* Secunda responsio solùm concludit, mortem fuisse liberam quo ad circumstantiam temporis, de quo infra num. 28. Tùm quia stante nolitione dispēsationis, necessariò Christus debebat mortem acceptare, nec poterat non acceptare, aliter peccasset, ergo talis acceptatio non fuit in se libera, sed in causa. Tertia responsio etiam est insufficiens, nam si acceptatio mortis præiuit nolitionem dispensationis, ergo supponebat existentiam præcepti, sed stante præcepto non poterat nō esse acceptatio, ergo necessariò fuit elicita, non liberè; Quòd si recurris ad nolitionem dispensationis, iam ponis, nolitionem esse causam libertatis acceptationis, & cōsequenter debuit præcedere, & sic semper acceptatio fuisset libera in causa.

15 Aluarez de Aux. disp.126. ad 3. & de Incarnat. disp. 46. respondet, Christum Dominum liberè obedisse præcepto mortis, quia poterat obedire negatiuè, licèt non priuatiuè, seù contrariè; non obedire priuatiuè, inquit, est inobedire, seù peccare peccato inobedientiæ; non obedire negatiuè dicit negationem actus obedientiæ; sicut si quis feria 2. nō audit sacrū, non facit actum obedientiæ, non tamen facit inobedienciam, quia nō adest præceptum; sic Christus potuit non obedire, quia poterat non esse præceptum, sed stante præcepto, non potuit non obedire in sensu composito, quia non potest peccare; ista tamen impotentia non tollit libertatem, quia posse peccare non est de ratione libertatis; vnde Aug. de Prædest. Sanctorum c.5. *An in eo non libera voluntas erat? an non tantò magis erat, quanto magis peccato seruire nō poterat?* sed sufficit ad libertatem, quod possit obedire, & non obedire negatiuè, absolutè loquēdo; eodem ferè modo respondent Bannes 1. p. q.19. art.10. Cabrera 3.p. q.18. art.4. d.4. Pesant. art.1. dub. 4. & alij.

16 Sed hæc responsio, licèt satisfaceret quò ad præceptum moriendi, non tamen quò ad præcepta naturalia, quia nunquam Christus potuit habere potentiam negatiuè non obediendi illis præceptis, quæ neq; de potentia absoluta possunt dispensari, vel auferri; patet ista conseq. quia per ipsum in tantùm Christus liberè mortuus est, quia poterat negatiuè non obedire, quatenùs poterat non esse præceptum, ergo quia præcepta naturalia non possunt non esse, numquam Christus habuit talem potestatem, imò nec poterat habere.

17 Deinde ostendo falsitatem responsionis in se, quia si stante præcepto Christus non poterat nō mori, ergo necessariò, non liberè est mortuus; probo conseq. suppositio antecedens tollit libertatem ex D. Ansel. de Concord. & lib. *Cur Deus homo* c.18. & D. Aug.5. de Ciuit. c.18. sed suppositio præcepti mortis est antecedens respectu voluntatis Christi, ergo &c. min. prob. tunc suppositio est antecedens, quando habet duas conditiones, prima est, vt posita suppositione necessariò sequatur actus, secunda, vt illam poni non pendeat ex libertate voluntatis, sed omnino antecedat liberum consensum eius (per quam particulam excluditur quod ipse ait disp.22. de Aux. ad 8. videlicet sequi, reuelationem diuinam alicuius futuri tollere libertatem; etenim non sequitur hæc conseq. quia hæc reuelatio supponit nostrum liberum consensum

sum virtualiter in decreto diuinæ volũtatis inclusum) sed suppositio istius præcepti habet has conditiones, vt patet, ergo &c. Nec valet responsio, quòd in sensu composito non potest nõ sequi, benè tamen in sensu diuiso; non valet, quia requiritur ad vsum libertatis, vt positis omnibus necessariò prærequisitis ad agendum in sensu composito, possit adhùc voluntas agere, & non agere, aliter nulla esset differentia inter libertatem in actu primo, & vsum libertatis, seù in actu secundo, vt fusius in Tract. de concursu Dei.

18 Tertiò nec in sensu diuiso, pro vt ab ipsis Thomistis sensus diuisus explicatur, Christus posset mori, & non mori, & consequenter nec in sensu diuiso fuit liber in morte; assumptum prob. quæ pertinent ad complementum potentiæ quò ad actum primum, ab ipsis dicuntur spectare ad sensum diuisum, quæ verò non complent actum primum potentiæ, dicuntur attinere ad sensum compositum, vnde prædeterminationes physicæ, quas ponunt, quia supponunt voluntatem in suo ordine completam in actu primo, dicuntur spectare ad sensum compositũ, qua ratione, aiunt, quòd licèt voluntas cum physica prædeterminatione non possit non agere, non ideo necessariò agit, quia in sensu diuiso poterat non agere, idest præscindendo ab illa prædeterminatione, voluntas in se considerata habet potentiam agendi, & non agendi; hæc est communis Thomistarum doctrina, quam pro maiori assumo; subsumo deinde minorem, sed cognitio præcepti spectat ad complementum actus primi voluntatis, ergo quia posita cognitione præcepti, Christus non poterat non mori, positio præcepti non erit compossibilis cum libertate; min. prob. vt voluntas intelligatur completè in actu primo obediendi constituta, prærequirit cognitionem obiecti, quia nequit ferri in incognitum; neq; hoc sufficit, sed requiritur adhuc, quòd obiectum cognoscatur vt præceptum à superiore, quia actus obedientiæ tendit in obiectum vt præceptum, & esse præceptum est ratio formalis obiecti obedientiæ, sed mors Christi fuit actus perfectæ obediẽtiæ ex D. Paulo ad Phylip. 2. ergo vt voluntas Christi fuerit potẽs in actu primo eliciendi actum istum obedientiæ acceptãdi mortem, præsupponebat in intellectu cognitioné mortis vt præceptæ; sed talis cognitio etiam per ipsum est incompossibilis cum libertate Christi, aliter stante præcepto potuisset peccare, ergo nec in sensu diuiso Christus fuit liber circa mortem.

19 Confirm. per Thomistas, & ipsum Aluarez disp. 22. cit. ad confirm. octaui argum. & noni; tunc aliqua voluntas est determinata absolutè, & absq; libertate, quãdo intellectus iudicat, obiectum aliquod habere necessariam connexionem cum bono in communi, ad quod naturaliter secundum ipsos voluntas inclinatur, vt euenit, inquiunt, in Beatis, qui ideo necessariò amant Deum, & non liberè, quia intellectus ex visione clara iudicat, Deum habere necessariam connexionem cum bono in communi; sed intellectus animæ Christi nõ poterat ostendere voluntati, ea, quæ à Deo erant præcepta, non habere istam necessariam connexionem, aliter ostendisset falsum, ergo ad amplectenda ista obiecta non se habebat voluntas liberè, sed necessariò. Quod verò addit de libertate à peccato dicemus infra num. 42.

20 Suarez 3. p. disp. 37. sect. 3. ait, solam suppositionem antecedentem necessitare voluntatem, quæ fit cum physica prędeterminatione, suppositio verò pręcepti, licèt non pendeat à voluntate Christi, non tamen infert necessitatem operandi, sed infallibilitatem, quæ cum libertate cohæret. Obijcit postea, ergo si voluntas Christi, stante etiam præcepto, liberè est operata, poterat absolutè non operari, licèt infallibiliter fuisset operatura, sicut si Deus cognouit, me lecturum cras, licèt infallibiliter legam, possum tamen absolutè non legere, ergo absolutè voluntas Christi poterat peccare, quod est falsum. Respondet, quòd voluntas Christi si consideretur secundùm se, & suam intrinsecam dispositionem, poterat non acceptare, sed si consideretur, vt subest custodiæ diuinæ personæ, & in sensu composito, non poterat non acceptare; vt verò actus dicatur liber, sufficit, vt quantùm est ex intrinseca dispositione voluntatis, possit fieri, & non fieri, & voluntas possit agere, & non agere, qui modus operandi, quia est intrinsecus voluntati, non immutatur per aliquid extrinsecum, quale est præceptum, & diuina assistentia. Affert exemplum de Confirmatis in gratia, qui, vt sublunt auxilijs diuinæ gratiæ, non peccabunt, & tamen liberè agunt. Notat tamen, quòd nõ idcirco dicere possumus de Christo, quod absolutè possit peccare, licèt non in sensu composito, vt dicimus de Confirmatis in gratia; ratio est, inquit, quoniam isti ex seipsis non dicunt sensum compositum, idest illam assistentiam diuinæ gratiæ, at Christus vt sic dicit personam diuinam in natura humana, & per consequens in suo conceptu includit illam assistentiam, & custodiam diuinæ personæ, & sensum compositum, quomodò non potest peccare.

21 Ab ista responsione non multùm distat Auersa q. 12. sect. 3. ait enim, vnionem hypostaticam nullam inferre necessitatem voluntati Christi, quia nec determinabat, nec mouebat illam, nec ex se præbebat nouas vires ad operandum; sed solùm inducebat in Deo necessitatem, & obligationem tribuendo Christo auxilia efficacissima, & talem necessitatem, vt nec de potentia absoluta potuerit Deus denegare Christo talia auxilia, sicut ergo auxilia efficacia non inferunt in nobis necessitatem, sed solam infallibilitatem, ita vnio hypostatica in Christo; solùm est discrimen, quòd impeccabilitas in alijs est ab extrinseco, in Christo verò ab intrinseco, quia radix impeccabilitatis, quæ est vnio hypostatica, quatenùs necessario infert diuinam assistentiam, est Christo intrinseca.

22 Sed ista responsio est potiùs verbalis; nam vel anima Christi habuit concursum paratum ad non acceptandam mortem, & non implenda alia præcepta, vel non habuit talem concursum; si secundum, ergo non liberè, sed necessariò acceptauit, quia deficiebat sibi conditio prærequisita ad agendum, vt est etiam in Beatis; si primum, vt dicitur de Confirmatis in gratia, ergo absolutè poterat peccare, sicut Confirmati, licèt infallibiliter non peccabit; quod quidem est falsum. Idem quoq; quæri potest ab Auersa, vel enim vnio hypostatica necessitabat Deum non solùm ad conferenda omnia auxilia efficacia gratiæ, sed etiam ad negationem concursus parati, & ad oppositum, & sic auferebatur animæ Christi libertas; vel solùm necessitabat ad præbenda auxilia; non tamen ad suspensionem concursus, & sic anima Christi erat peccabilis. Discrimen verò de Christo, & de Confirmatis in gratia assignatum est vanũ, nam licèt dici nequeat, *Christus potest peccare*, dici posset, *hæc anima*, intelligendo animam Christi, *potest peccare*, nam sic non includitur

includitur sensus cōpositus, & tamen est falsum, quia nec de Beatis potest hoc enunciari, ergo multò minùs de anima Christi, quæ erat perfectissimè beata.

23 Accedit, quod si valet dicere, impossibile est, Christum nō adimplere præceptum, vt ipse concedit, quia Christus includit sensum compositum, ergo necesse est, Christum implere præceptum, ergo non liberè implebat præceptum; prima conseq. prob. per regulam Arist. 2. de interpret. c. 7. de consequentijs modalibus; cuicumq; dicto negatiuo tribuitur impossibile, dicto contradictoriè opposito tribuitur necesse, vt hominem non esse rationalem, est impossibile, ergo hominem esse rationalem, est necesse; secunda consequent. patet, quia necessarium, & liberum opponuntur.

24 Vasq. disp. 74. (quæ responsio multùm arridet Recentioribus) docet, Christum in adimplendis præceptis habuisse libertatem ex multiplici capite, nam poterat adimplere preceptum hoc, vel illo actu in particulari, cum hac, vel maiori intentione, hoc, vel illo tempore (quia præcepta affirmatiua non obligant regulariter pro instanti determinato, sed pro aliqua tēporis latitudine) hoc, vel illo loco, & tandem ex hoc, vel illo motiuo; præcepta enim solùm obligant ad positionem actus, non autem ad motiuum, si sunt affirmatiua, vt præceptum audiendi sacrum obligat ad actum simpliciter, potest tamen aliquis exercere actum illum, vel ex motiuo religionis, aut charitatis, vel pœnitentiæ, sic Christus poterat actus præceptos adimplere ex diuersis motiuis liberè, & quoniam motiuum est, quod specificat actum, ideoq; Christus fuit liber in elicitione actuum tàm in specie, quàm in indiuiduo.

25 Hæc responsio multipliciter impugnatur: & primò videtur, præceptum mortis fuisse quò ad omnes circumstantias, vt deducitur ex Ioan. 14. *Sicut mādatum dedit mihi Pater, sic facio*, vbi ly *sicut*, & ly *sic* denotare videntur circumstantias, vnde D. Hilarius ait, *Modū præscriptæ sibi operationis expleuit*. & in Actib. Apost. c. 4. *Conuenerunt Herodes, & Pilatus facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri*; ergo sicut passio, & mors fuit ab illis imperata cum omnibus circumstantijs, ita quoq; fuit decretata à Deo. Tùm quia sequitur, Christum non fuisse liberum in illis actibus, qui non solùm quò ad entitatem, sed et quò ad motiuum fuerūt præcepti, & præcipuè circa bonum in communi nō habuit libertatem. Tùm quia sequitur etiam, mortem Christi non fuisse simpliciter, & absolutè liberam, sed mortem vt ex tali motiuo, vel tali exhibitam fuisse liberam, & cum determinatis circumstantijs patet conseq. quia mors vt sic nō potuit non acceptari, sed solùm motiua, & circumstantiæ poterant respui, ergo mors secundùm se non fuit libera, sed quò ad circumstantias, & tamē redemptio tribuitur ipsi morti principaliter, vt simpliciter, & absolutè consideratur ex dictis num. 12. & 14.

26 Dices cum Hurt. & Auersa, mortem Christi esse absolutè liberam, quia poterat fieri, & non fieri ex hoc, vel illo motiuo, & sine omnibus sigillatim sumptis, non collectiuè acceptis, quia vt vnum motiuū erat necessarium ad exercendam mortem, sed indeterminatum, & vagum, sicut ergo homo non potest vitare omnia peccata venialia collectiuè accepta, potest tamen singula vitare, & hac ratione quodlibet liberè exercetur, ita mors necessariò fieri debebat ex aliquo motiuo vago, sed liberè ex hoc, vel illo in particulari, ideoq; fuit exhibita liberè. Contra, non loquor de morte vt subsiat tali, vel tali motiuo, sed de morte in se, ad hanc acceptandam Christus fuit necessitatus, ergo mors simpliciter fuit necessaria. Tùm quia falsum est, nullum motiuum determinatum fuisse sub præcepto, quia vt vidimus disp. 9. q. 2. art. 2. præceptum mortis fuit positiuum, & naturale, seu ex motiuo obedientiæ, & charitatis, ergo Christus his præceptis debebat se conformare, præcipuè quia habebat scientiam de illis præceptis, & non debebat solùm materialiter se conformare præceptis obedientiæ, & charitatis, hoc est, exercere solùm actum præceptum, non tamen ex motiuo honestatis obedientiæ, & charitatis, hoc enim est valde imperfectè operari, ergò mors non solùm in se, sed vt subsiat speciali motiuo, & determinato, fuit Christo necessaria, quamuis vt fuit exhibita ex alijs motiuis non præceptis, liberè fuit acceptata.

27 Deinde libertas illa quò ad elicitionem plurium actuum in indiuiduo nulla est; tùm quia causæ secundæ, etiam liberæ, non se determinant ad effectum in indiuiduo, sed determinantur vel à circumstantijs extrinsecis, vel veriùs à causa prima, vt ostendi in Phys. disp. 8. q. 2. art. 3. ergo voluntas Christi acceptando mortem non fuit libera ex hoc, quia acceptauit hoc numero actu, quem poterat non acceptare isto actu, licet necessariò debebat alio actu acceptare. Tùm quia dato quòd sit hæc libertas in voluntate, non facit ad rationem meriti, quia libertas ad meritum requisita est, quia voluntas potest agere, & non agere rem præceptam, itaut possit totaliter omittere rem illam, per quam omissionem deinde violaret præceptū, iuxtà illud Eccles. 31. *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; non autē sufficit, quod voluntas possit non agere isto actu, sed necessariò debeat agere alio actu, nam hoc deberent aduersarij admittere etiam in Beatis, in quibus tamen non concedunt libertatem. Neq; libertas quò ad circumstantiam loci aliquid iuuat; nam licet hæc fuerit in Christo, non tamen est præmio estimabilis; si quis enim esset determinatus, & necessitatus ad moriendum, parùm referret, si in hoc, vel illo lecto vellet mori.

28 Similiter libertas quò ad circumstantiam temporis non est sufficiens, vt actus dicatur simpliciter liber, nisi sit notabilis anticipatio, vt optimè notat Lugus disp. 26. à num. 89. sic quamuis mors sit hominibus ineuitabilis, Martires dicuntur simpliciter liberè mori, quia volunt occidi notabili anticipatione, quia mors poterat diù differri; at si quis morti condemnatus vellet anticipare mortem, etiam per diem, non diceretur mori simpliciter liberè; sed modò præceptum mortis fuit Christo impositum quò ad tempus, non quidē indeterminatè, sed determinatè, vt patet ex illo Ioan. 7. *Nemo misit in illum manus, quia non dum venerat hora eius*; & cap. 13. *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venerat hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem*; ex quo colligitur, Christum nō anticipasse notabiliter tēpus mortis, imò mortuū fuisse secundùm tēpus definitum à Patre, ergo ex libertate huius circumstantiæ nō infertur libertas mortis simpliciter, & absolutè. Et tandem idem dicēdū de libertate quò ad circumstantiam intensionis, aut remissionis, quòd scilicet non reddat actū simpliciter liberum. Tùm quia ad quod aliquid determinatur à causa superiori non potest esse in potestate determinati sic, vel

sic agere, agit enim sicut motum à determinante, ergo si Christus fuit necessitatus ad acceptandam mortem, fuit etiam necessitatus ad modum agendi, scilicet ad intensè, vel remissè agere.

29 Alij respondent ex Caiet. 3. p. q. 63. art. 5. concedẽdo, Christum habuisse præcepta, fuisseq; liberum libertate contradictionis, quatenus poterat actus præceptos omittere, non quidem actu quodam positiuo, quo diceret *volo omittere rem præceptam*, sed per simplicem, & puram omissionem; negant tamen, Christum ex hoc sequi fore peccabilẽ, quia negant, omissionem illam esse volũtariam, & demeritoriam. Hęc tamen responsio ex dictis in lib. de Anima disp. 7. q. 4. art. 2. impugnatur, vbi ostendi, puram omissionem esse possibilem, liberam, & voluntariam, quare si Christus potuit per puram omissionem omittere res præceptas, fuisset verè peccabilis. Tùm quia idẽ posset dici de Beatis, quòd per puram omissionem possent omittere præcepta, quòd est falsum, quia amor beatificus virtualiter est adimpletiuus omniũ præceptorum Dei. Tùm quia sequeretur, aliquem non obseruare præceptum, cum posset, & teneretur, & non facere contra præceptum, quod est falsum, quia violatio præcepti affirmatiui adhùc formaliter habetur, quando non fit res præcepta; sequela probatur, nam purè omittens vrgente præcepto non obseruaret præceptum, haberet debitum obseruandi, & posset obseruare per elicitionem actus præcepti, & tamen in sententia istorum non peccaret.

30 P. Vulpes 2. p. Summæ disp. 5. art. 9. nouam tradit respõsionem, inquit, quòd Christus, & quilibet Beatus possunt dupliciter considerari, vel in illo priori natura ad elicitionem actus beatifici, vel prout iam elicuerunt illum actum; primo modo adhùc sunt proximè liberi, quia proximè possunt elicere, & non elicere illum actum; secundo modo iam sunt determinati ad elicitionem, & continuationem illius actus ex decreto Dei nolente concurrere ad suspensionem, & ad aliquod incompossibile, quale est omne peccatum; & quoniam in illo priori sciebant istud Dei decretum, & tamen se determinarunt ad actus beatifici elicitionem, hinc etiam consequenter liberè acceptarunt cõtinuationem illius actus, & liberè etiam elicitionem cuiuscunq; actus conformis voluntati diuinæ, & non elicitionem cuiuscunq; repugnantis, & contrarij. Ex quo sequitur, ait, quòd quando postea hæc omnia ponunt in executionem, licèt non possint aliter facere, liberè tamen ponunt, quia liberè se determinarunt ad positionem actus beatifici, qui est causa huius impeccabilitatis; sicut cum quis se proijcit è turri, licèt in medio descensus nequeat non descendere, adhùc tamen liberè descendit, quia liberè posuit causam, quæ necessitas nõ tollit libertatem, cum sit concomitans, non antecedens, dependet enim ab ipsa voluntate. Quam doctrinã applicando voluntati humanæ Christi, subdit, Christum liberè omnia præcepta obseruasse, quia liberè elicuit actum beatificum, ad quem vt ad causam hæc obseruatio necessariò subsequitur.

31 Hanc doctrinam replicat 4. p. Summæ tom. 2. disp. 44. art. 5. imò magis ampliat, nam docet, in homine assumpto à Verbo fuisse liberum arbitrium à primo instanti suæ cõceptionis circa quodcunq; obiectum, siue creatum, siuè increatum per quamcunq; scientiam, siue beatam, siue infusam propositum; & art. 9. docet, hominem assumptum à Verbo verè, ac propriè fuisse liberum in omnibus actibus suis circa quodcunq; obiectum à se deliberatè electum, vt fuerit plenissimè in eius potestate suppositis omnibus necessariò requisitis in sensu composito quemcunq. actum suspendere, & oppositum eius elicere; vnde concludit, expeditum vsum liberi arbitrij non fuisse suspensum, neq; ab habitu aliquo, neq; ab actu amoris Dei super omnia.

32 Multa sunt in hac responsione diligẽti animaduersione digna; & primò falsum est, Beatos in elicitione actus beatifici esse proximè liberos; nam in illo priori vel Deus habet concursum paratum ad elicitionem, & non elicitionem, vel denegatum ad non elicitionem; si secundum, ergo voluntas Beati non liberè proximè elicit illum actum, sed necessariò, quia non poterat proximè agere, & non agere, sicut neq; modò dici potest, Beatum posse proximè suspendere actum beatificum propter talem denegationem; si primum, ergo stante visione clara Dei, adhùc voluntas de potentia Dei ordinaria potest peccare, quia proximè potest non elicere, quod tamen ipse absolutè negat conclus. 1. Sequitur etiam, quòd Verbum assumpserit naturam proximè peccatricem, quia poterat natura illa non elicere illum actum, imò oppositum elicere poterat (nam in nostra sententia vnio hypostatica ex vi sua nõ includit impeccabilitatẽ, vt in seq. quęst.) Sequitur etiam, quòd post mortem adhùc esset locus merendi, imò quòd Beati infinitè merebuntur; prob. quia iste actus post mortem elicitur liberè, ergo erit meritorius, sicut etiam fuit actus beatificus Christi; & quoniam Beatus in elicitione illius actus voluit, & se determinauit ad obseruationem præceptorum Dei per totam æternitatem, iam meruit tunc propter actus in æternitate eliciendos, qui erunt infiniti, vel quòd actualiter nunc merentur; istæ consequentiæ patent, eoquòd ponit istam libertatem sufficere ad rationem meriti, vt fuit in Christo; quæ omnia sunt erronea.

33 Tota hæc doctrina confirmatur euidentissimè Scoti authoritate in 2. d. 5. q. 1. B. vbi ostendens, Angelos meruisse beatitudinem per opera præcedentia, ait, quòd *Voluntas non simul vult mutabiliter, & immutabiliter, siue fixè, itaquod tunc in quantum elicit actum, nõ posset velle oppositum; & non fixè, itaquod tunc in quantum dicit actum, posset velle oppositum; quandò autem præmiatur, vult immutabiliter, hoc est, in quantum consideratur vt eliciens actum, & per consequens vt priùs naturaliter ipso actu comparatur ad illam, sed quandò meretur, non sic immutabiliter vult, sed vt eliciens actum cõtingenter videtur elicere*, ergo per Scotum voluntas immutabiliter elicit actum beatificum, quod est præmium; idem etiam repetit §. *Ad inquirendum*.

34 Secundò, etiam admissa hac doctrina, non colligit intentum, scilicet quòd mors Christi fuerit libera, & consequenter meritoria, nam fundamentum moralitatis, & bonitatis meritoriæ non est libertas in causa, sed in se, non solùm in principio, sed etiam in medio, & fine, aliter quæ in somno eueniunt, essent meritoria, vel demeritoria; sed admisso, quòd elicitio actus beatifici in Christo fuerit libera, mors postea exhibita non erat actu, & in se libera, sed solùm in causa, ergo nõ poterat dici actu libera, & meritoria, cum tamen Christus, nõ solùm in primo instanti, sed etiam toto suę vitę tẽpore nobis meruerit, ergo adhùc remanet difficultas; min. prob. tunc aliquis effectus est liber in causa, & nõ in se, quando causa fuit quidẽ in nostra potestate, postea tamen ampliùs non est, & præcipuè quãdo euenit effectus, vt patet de proijciente vnicum

breuia-

breuiarium in mare, & in exemplo ab ipso allato de proijciente se è turri, nam omissio officij, & descensus iam ceptus non sunt ampliùs in nostra potestate, nec sunt formaliter peccata, aliter non posset homo habere pro eo tempore contritionem illius omissionis, vel descensus, quia sequeretur, esse simul peccatorem, & iustum, esset peccator, quia liberè omitteret, vel descenderet, esset iustus, quia contritus, quod implicat; tunc verò effectus aliquis est in se liber, quando causa, ad quam actualiter sequitur, est actu in nostra potestate; sed post elicitionem actus beatifici non ampliùs erat in potestate animę Christi elicere actus peccaminosos, aut non continuare actum beatificum, qui est causa impeccabilitatis propter denegatum cõcursum ad talem suspensionem, ergo omnes actus Christi, & mors non fuerunt liberi in se, sed in causa.

35 Quod deinde addit in 4. p. disp. 44. cit. certè est erroneum in fide, nam vel loquitur de potentia remota, quam ex propria natura habet voluntas ad agendum, & non agendum circa quodcunq; obiectum, quæ est libertas intrinseca, & essentialis voluntati; & in hoc sensu verum est, voluntatem animæ Christi retinere hanc intrinsecam indifferentiam, vt etiam docui in lib. de Anima disp. 7. q. 2. art. 1. sed malè deinde appellat hanc indifferẽtiam expeditum vsum libertatis, quia vsus expeditus dicit etiam ordinem ad concursum Dei paratum. Malè etiam asserit, liberum arbitrium in Christo habere suam indifferentiam; vt in nobis, quia in nobis est in potentia proxima ad agendum, & non agendum. Malè quoq; ait, hanc libertatem sic explicatam, scilicet remotam, vniuersaliter esse fundamentum moralitatis, & meriti, quia Beati possent mereri, & damnati possent demereri. Et tandem nõ respõdet difficultati, quia quęstio procedit de libertate proxima, quomodò possit reperiri in Christo cum ipsius impeccabilitate. Vel per hanc intrinsecam actiuam indifferentiam intelligit potentiã proximam cum cõcursu parato Dei ad actum, & suspensionem eiusdem; & tunc contra fidem sequeretur, Christi animam posse proximè peccare, quod est impium; & ipse videtur docere in fine illius art. noni n. 7. dum ait, *Amor Dei super omnia, siuè in Christo, siuè in cæteris Beatis est simpliciter liber, sicut simpliciter imputabilis, & humanus*; obijcit deinde: *Si Christus re ipsa illum actum vellet suspendere, absolutè nequiret, sicut oppositum actum odij elicere nec simpliciter loco illius posset*; Cui obiectioni respondendo subdit: *Thomistæ in probatione assumpti semper defecerunt. Nihil est iam in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas, ex Aug. 1. retract. c. 9. & 22. scilicet, quàm actus eius deliberatè elicitus, præcipuè si fuerit meritorius, sicut est principaliter amor Dei super omnia in præceptis primæ tabulæ simpliciter cõtentus, de quibus definit Concilium Trid. sess. 6. can. 7. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, anathema sit.* Ecce quòd implicitè cõcedit, animam Christi potuisse suspendere actum amoris, oppositum elicere, & vias suas malas facere: aliter non responderet argumento; aut saltim non clarè, sed nimis obscurè, & perplexè suam explicuit sententiam.

36 Ad quæstionem igitur respondeo, præmittendo, quòd voluntas potest dici libera, vt supra innui, vel proximè, vel remotè, primo modo est, cum ita elicit actum, vt possit etiam absolutè non elicere; secundo modo est, cùm in elicitione actus est determinata, non quidem ex se, & ex propria natura, quia respectu cuiuslibet actus voluntas, quantùm est ex se, contingenter se habet, etiam includendo fruitionem Dei, sed ab extrinseco; non quidem ab aliqua forma à Deo sibi impressa, sed ab ipso Deo immediatè, quatenùs non vult concurrere ad oppositum illius actus, vt optimè ostendit Doctor in 4. d. 49. q. 6. & in 1. d. 1. q. 4. & explicui in lib. de Anima disp. 7. à num. 144.

37 Dico ergo, quòd Christus Dominus quò ad actus præceptos fuit vtique liber, non libertate proxima, vt potuerit non elicere, quia tunc etiam potuisset peccare, sed libertate remota, quantùm enim fuit ex parte ipsius voluntatis creatæ, poterat non obseruare, sed à Deo præseruante fuit suspensus concursus ad transgressionem præceptorum; & quamuis hęc libertas in nobis non sufficiat ad meritum, quia requiritur libertas proxima, tamen ex speciali dispensatione fuit sufficiens in Christo, præcipuè quia tota ratio meriti in nostra sententia ex diuina prouenit acceptatione, vt disp. 6. q. 2. visum est. Ratio verò huius dispensationis sumitur ex ipsa dignitate Mediatoris, & Redemptoris; nam quoniam Christus venerat ad destruendum peccatum, debebat omnino expers esse peccati, & nullo modo subditus peccato; ex alio capite quia mediator erat Dei, & hominum, redemptor, & aduocatus generis humani, debebat multos actus meritorios elicere; ecce necessitas dispẽsationis à posteriori demonstrata, quamuis euidenter in Scripturis non habeatur.

38 Dices, ergo etiam actus Michaelis eliciti in patria poterunt esse meritorij. Resp. de potentia absoluta non repugnare; adest tamen aliqua congruentia, qua actus Christi sunt magis acceptabiles, quàm actus Michaelis, quia Christus erat non solùm comprehensor, sed etiam viator, & poterat pati quò ad affectionem commodi; non enim gloria animæ redundabat in corpus, quod alijs Beatis non conuenit, qui tàm secundùm affectionem iustitiæ, quàm secundum affectionem commodi sunt perfectè Deo vniti, nec possunt aliquo modo pati. Tota hęc doctrina est Scoti in 3. d. 18. q. vn. D. & d. 12. vbi habet, quòd potestas merendi in Christo stat cum beatitudine dispensatiuè; si autem Christus haberet conditiones meriti, vt in nobis reperiuntur, scilicet quò ad libertatem proximam; nulla indigeret Christus dispensatione, nam alias conditiones perfectiùs habuit, & solùm quò ad libertatem à nobis differt, vt in disp. seq. etiam dicemus; Quem dicendi modum amplectitur P. Faber in 3. disp. 44. c. 5. & Rubionus in 3. d. 18. q. 2. art. 1. vbi rectè docet, quòd quare Christus mereri potuit, non est quærenda alia causa, nisi voluntas diuina, solus enim ille potest mereri, cuius actum Deus vult habere acceptum præmio dignum, ab æterno autem omnes actus Christi fuerunt ordinati vt digni pręmio; & si vlteriùs quæratur, quare hoc fuerit diuinitus ordinatum, respondet, quòd hoc Deus ordinauit propter nimiam charitatem, qua nos dilexit, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo*, scilicet pro salute nostra eius opera acceptando, cuius gratia saluati sumus; vnde concludit, quòd tota Trinitas omnes Christi actus acceptare voluit vt dignos præmio nobis reddendo, & hoc nõ pro Christi iam beati, sed pro nostra tantùm vtilitate extitit ordinatum; & ideo in hoc Deus, non Christo homini videlicet assumpto principaliter gratiam, sed alijs omnibus nobis fecit. Suarez quoq; disp. 37. sect. 2. citat pro ista sententia Gabrielem, Durandum, Riccardum, & alios.

Soluuntur Obiectiones.

39 Contra explicatam sententiam insurgunt Suarez, & Vulpes citati, primò authoritatibus Scripturæ; Isa. 7. *Butirum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*, electio autem est actus facultatis liberæ, & fuit exercita circa bonum, seu circa rem præceptam; & c. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*, idest, inquit Hier. *Non necessitate, sed voluntate crucem subiit*; & Ioan. 10. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso*; quam authoritatem, inquit Vulpes, exponitur à Scoto in 3. d. 16. q. 2. ad 2. tàm de Christo vt Deo, quàm vt homine, ergo etiam in actibus præceptis habuit perfectum vsum libertatis.

40 Resp. authoritates istas in actibus non præceptis significare perfectum vsum libertatis, at in actibus præceptis significare libertatem à coactione, quia Christus non fuit ab aliquo coactus ad moriendum, sed liberè, idest voluntariè se determinauit ad subeundam mortem; vel innuere volunt potestatem, quam Christus habebat postulandi dispensationem præcepti, cui liberè, & voluntariè renuntiauit, iuxta dicta in disp. 9. num. 103. Tùm quia in sententia Doctoris cum necessitate potest stare libertas essentialis, quatenùs voluntas non ab alio, vel naturali quadam vi vult obiectum, sed à seipsa, & ex proprio dominio elicit actum, quamuis ad oppositum non habeat potentiam proximam; vt dixi etiam in lib. de Anima disp. 7. q. 2. art. 1. & hoc significant ly *voluit*, & ly *voluntate* in aliis authoritatibus, loquuntur enim de necessitate, quæ voluntati opponitur, & est coactio, vel naturalis determinatio. Vltima authoritas explicatur à Scoto cit. quòd ly *ego, à me, & à meipso* significant suppositum diuinum, sed non secundum eandem naturam, nam ly *ego* significat suppositum diuinum secùdùm naturam diuinam, ly *à me*, & *à meipso* significant idem suppositum, sed secundùm naturam humanam, & est sensus, ego secundùm naturam diuinam separo animam meam effectiuè à meipso secundùm naturam humanam, quia separatio vt à termino à quo fuit facta à corpore, quod ipsi conuenit secùdùm naturam humanam, *& nemo tollit eam à me*, non quod nullus homo fuerit causa mortis, quia verè à Iudæis fuit occisus; sed quoniam nisi ipsemet secundùm naturam diuinam habuisset concursum ad illam separationem, nunquam fuisset mortuus, quia omnis creatura est subiecta creatori; Ecce quomodò ex ista scotica explicatione non colligitur aliquid pro Vulpes.

41 Secundò arguitur authoritatibus Sanctorum Patrum, nam D. Basil. super Isa. 7. ait, Christum etiā in infantia habuisse libertatem similem libertati Adæ in statu innocentiæ; & lib. 4. contra Eunomium cap. *Si nihil*, ait, *Si nihil Saluator à seipso facere poterat, sed imperante Patre, nec bonus est, nec malus, nullius enim eorum, quæ facta sunt, causa est: & quomodo absurdum non est, cum homines sint bonorum, & malorum liberi factores, Filium Dei nullius rei liberum esse factorem?* Chrisostomus hom. 59. in Ioan. ex authorit. adducta num. 39. colligit, Christum habuisse facultatem vitādi mortem. August. supra num. 35. adductus maximè vrget, nam si ex demptione potentiæ ad peccandum augetur libertas in voluntate, non rectè negatur, Christum esse in suis actionibus liberum, imò erit maximè liber; quod etiam repetit in Enchir. c. 105. & D. Ans. de lib. arb. c. 10. referente Scoto quol. 16. Concilia etiam, quæ duas in Christo voluntates determinarunt, in hoc sensu contra Monothelitas determinationem illam pronunciarunt, scilicet voluntatem humanam non omnino ex motione, & determinatione diuinæ voluntatis agere, sed à seipsa determinari, vt patet ex epist. Agathonis in 6. Synodo relata.

42 Resp. Patres docere, Christum habuisse libertatem expeditam circa res non præceptas, ita Basil. in primo loco, circa verò res præceptas habuisse libertatem voluntatis, & à coactione, & non ferri in illas naturali necessitate, ita Concilia. Secunda verò authoritas Basilij non vrget, eoquia in primis non constat, an illa sint verba ipsius, vel obiectio Eunomij. Deinde loquitur de Christo vt Deo, quia vt Deus est causa factorum, quia vt Deus habet principium actiuum idem cum Patre, quæ est diuina voluntas; Et tandem si est sermo de Christo vt homine, solùm infert libertatem in Christo, non tamen necessario in omnibus actibus, nisi de libertate à coactione intelligatur, & à naturalitate. Chrisostomus verò solum vult innuere potestatem petendi dispensationem, vel asserit, Christum potuisse vitare mortem, quia ly *ego* in illa authoritate supponit pro Verbo secundùm naturam diuinam, quomodo poterat dispensare supra præceptum, quod non erat de lege naturæ, non tamen, quòd stante præcepto habuerit liberum vsum elicitionis, & non elictionis. Ad Aug. respondeo ex Scoto 2. d. 44. quòd libertas potest dupliciter sumi, vel prout est perfectio simpliciter communis ad creatam, & increatam, vel prout in nobis limitatè reperitur; primo modo non includit potentiam peccandi, sed potentiam determinationis suipsius, & dominium actus, secundo modo includit, quia qualibet voluntas creata potest deficere; non quòd sit potentia actiua ad formalitatem peccati, quia vt sic est potius defectiua, sed ad substratum. Augustinus igitur inquit, quòd voluntas ad bonum determinata multò liberior est, loquendo de libertate in se, quia vt sic magis participat de perfectione libertatis, & multò perfectius est liberum arbitrium, prout etiam dicit perfectionem simpliciter, non tamen loquendo de libertate creata, cuius vsus demitur propter determinationem voluntatis extrinsecam ad vnum; aliter Beati ita liberè operarentur, vt possent mereri; possumus etiā dicere, quòd loquitur de libertate à peccato.

43 Tertiò, ex Scoto in 1. d. 1. q. 4. art. 3. & in 4. 49. q. 6. D. voluntas respectu fruitionis contingenter se habet, non necessariò, ergo in elicitione fruitionis Christus habuit vsum expeditum libertatis. Tùm 2. Scotus in 3. d. 12. recipit doctrinam D. Aug. 3. de lib. arb. dicentis, *Melior est natura, quæ peccare potest, quàm illa, quæ peccare non potest*, & est sermo de natura rationali creata, sed Verbum assumpsit naturam humanam, cū omnibus perfectionibus, ergo assumpsit cum hac potentia peccandi, ergo fuit anima Christi libera etiam circa præcepta. Tùm 3. ex Trid. sess. 6. can. 5. illuminatio Spiritus Sancti interior adiuuans, & excitans ad bona opera non aufert liberum hominis arbitrium, sed cum illa potest adhùc homo suspendere suum actum, ergo de fide est, inquit Vulpes, in Christo fuisse ab instanti conceptionis liberum arbitrium secundum rationem, circa quodcunque obiectum. Tùm 4. omnis actus creatus Christi fuit humanus, omnis actus humanus est in dominio hominis constitutus, & consequenter liber, ergo &c.

Resp.

44 Resp. ex dictis, Scotum per illam contingentiam intelligere libertatem intrinsecam voluntati, & remotam, quæ fuit in Christo, non proximam, aliter sibi contradiceret, nã litt. F. ait, Beatum esse impeccabilem, tàm in sensu composito, quàm diuiso sublatà proximam peccãdi potentiam propter actionem causæ superioris praeuenientis. Quam contradictioné non benè saluat Vulpes, dum ait, non habere potentiam proximam ad peccandum, sed benè ad non elicitionem; non saluat, quia eo ipso habet potentiam ad peccandum, vt nu. 16. arguebamus contra Caiet. vide Scotum. Ad 2. sensum illius propositionis esse, naturam liberam, creatam, & per consequens potentem peccare, meliorem esse non libera naturaliter determinata, Verbum assumpsit naturam In se liberam, sic ibi Doctor, & potentem peccare, non proximè propter vnionem beatificam, sed remotè. Ad 3. voluntas Christi nõ fuit determinata ad bonum præceptum propter aliquam specialem illuminationem Dei, sed à voluntate diuina nolente concurrere ad violationem præceptorum; quare potiùs de fide est, Christum nõ habuisse ab instanti conceptionis expeditum vsum liberi arbitrij, quia de fide est, ab illo instanti fuisse impeccabilem. Ad 4. minor, vt sit vniuersalis, intelligi debet de dominio essentiali, & intrinseco, & de libertate eiusdem rationis, si verò intelligatur de dominio, & libertate proxima, verificatur solùm in nobis viatoribus.

45 Quartò, Verbum priùs assumpsit naturã, quàm natura fuerit beatificata, ergo in sententia Scoti illa natura erat cum libertate proxima in illo priori; prob. conseq. quia tota ratio impeccabilitatis per Scotum in Christo est vnio beatifica, non hypostatica. Tùm 2. Christus fuit capax præcepti, ergo in illius obseruatione habuit expeditum vsum; patet conseq. quia inane esset, præceptum alicui imponere de aliquo actu, quem non potest non elicere, vnde Sancti Patres de nostra libertate disputantes, ex hoc principio potissimè, quod sumus capaces præcepti, colligunt libertatem, ita Hier. lib. 2. contra Iouin. *Vbi necessitas, ibi nec corona, ideo liberi arbitrii nos condidit Deus*: Accedit, quòd si liberum arbitrium potest stare cum necessitate, immeritò Caluinus, Baius, & alij heretici damnarentur.

46. Resp. ad 1. neg. conseq. quia in illo priori natura consideratur in actu primo, & quò ad ordinem substantialem, ideoq; solùm infertur potentia remota peccandi; in secundo instanti necessariò elicuit actũ beatificum, quia non habebat concursum paratum ad oppositum. Ad 2. Scotus in 3. d. 37. ad vlt. concedit, in beatitudine fore summam obseruationem præceptorum naturalium, & tamen certum est, quòd Beati nequeunt non obseruare; nego igitur conseq. ad probat. patet ex dictis disp. 9. num. 80. quòd præceptum habet duo, scilicet determinationem voluntatis superioris, & secundariò vim comminatiuam; ad præceptum, vt dicit primum, sufficit, vt sit voluntas inferior, quæ aliam superiorem tanquam regulam sui ipsius respicere teneatur; vt verò includit etiam vim coactiuam, requiritur potentia transgrediendi; tunc distinguo assumptum, inane esset, imponere præceptum Christo, vt includit præceptum illa duo, concedo, vt dicit solum primum, nego. Ad Patres respondeo, rectè in nobis arguere libertatem proximam ex præcepti impositione, quia præceptum respectu nostri vtrumq; includit, non enim debet imponi pœna respectu actus, quem non possum non elicere; hinc rectè damnantur illi heretici, cum quia modus merendi in nobis viatoribus non est ex dispensatione, vt fuit in Christo, qui simul comprehensor erat, & viator.

47 Quintò, si in rebus præceptis Christus caruit libertate, ergo in nullis actibus eam habuit, prob. conseq. supponendo, quòd voluntas necessaria finis infert voluntatem necessariam medij habentis necessariam connexionem cum fine, vt si non est in mea potestate, sed necessariò volo sanitatem, necessariò etiam, & non liberè volo remedia, ergo si amor Christi in Deum fuit necessarius, etiam omnis electio necessariò connexa cum isto amore erit necessaria, non libera; talis autem est volitio quęcunq; & operatio Christi, ergo nullus actus Christi fuit liber; prob. ista minor; Christus per visionem beatificam intuebatur in singulis momentis, & occasionibus, quid determinarit Deus ab æterno (quicquid enim contingenter euenit, fuit ab æterno determinatum in decreto diuinæ voluntatis) ergo videbat, quid esset consentaneum, & gratius diuinæ voluntati, ergo necessariò illud volebat; patet ista conseq. quia amor perfectissimus, qualis erat ille Christi, includit volitionem illius, quod est amanti gratius, vnde Scotus in 3. d. 33. q. 1. D. ait, quòd venialè ex genere esset mortale in Beato, quia habet præceptum de semper operando optimè. Confirm. voluntas Dei efficax, & absoluta, si sit mihi nota, & sufficienter proposita, videtur habere vim præcepti, quia tenetur homo parere diuinæ voluntati, nec potest ipsi resistere, ergo quia Christus sciuit omnes diuinæ volũtatis determinationes, etiam in quocunq; minimo suo opere, certè ex præcepto tenebatur, se illi conformare, & consequenter necessariò. Hæc difficultas petit solutionem sequentis controuersiæ.

Articulus Secundus.

An voluntas Christi fuerit libera circa res minimè præceptas.

48 PRæceptum, & lex diuina dupliciter vsurpari solet; vno modo pro regula diuina obligante ad aliquid absolutè, siue illud sit vtile, siue necessarium ad finem legis; secundo modo pro regula diuina obligante ad aliquod necessarium ad finem legis, sine quo finis legis haberi nequit; de qua duplici lege loquitur Doctor in 2. d. 41. B vbi secundam legem vocat tentionem necessitatis, primam verò appellat tentionem minorem; facere contra secundam legem est peccatum mortale, facere verò contra primam legem te obligantem aliquod vtile ad consequendum finem, sine quo, licet simpliciter non impediatur finis assecutio, tamen retardatur, est peccatum veniale; in hoc enim differunt mortale, & veniale inter se, vt nunc suppono ex Tract. de Peccatis. Prima lex, quamuis sit simpliciter, & absolutè verum præceptum, quia verè obligans, respectiuè tamen ad secundam legem potest vocari consilium, quomodò intelligendus est Scotus, dum in 2. d. 21. q. 1. asserit, peccatum veniale à mortali differre, quia veniale est contra consilium, mortale verò contra præceptum, nam regula obligans ad aliquid, sine quo finis haberi nequit, antonomastice est præceptum. Consilium autem propriè sum-

ptum

6.2

ptum ab omni obligatione præscindit, ideoq; contra ipsum agens non peccat, nisi hoc faceret ex contemptu, ex Scoto 4. d.3. q.4. E. nemo enim dicitur peccare ex hoc, quòd non ingreditur religionem, vel nubat, quod tamen recta ratio dictat, & lex consulit; quapropter consilium est lex directiua, & indicatiua solùm, non autem obligatiua, quia non eo ipso, quòd lex aliquid consulit, oppositum dissuadet; vide disp.9. num.78.

49 Verùm quamuis facere contra consilium propriè sumptum non sit peccatum mortale, nec veniale, erit tamen agere imperfectè in genere moris, sicut exequi consilium est perfectè agere; ita colligitur ex Matt.19. vbi Christus docens perfectionem supernaturalem, & in vita spirituali proposuit consiliorum obseruantiam, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.* Hinc multiplex perfectio in vita spirituali à Doctoribus assignatur. Prima est, qua homo est in statu gratiæ, & omnia peccata mortalia vitat, admittit tamen aliquod peccatum veniale, non solùm subreptitium, sed etiam ex instituto. Secunda est, qua homo non solùm mortalia respuit, sed etiam venialia cum vera aduertentia, sed aliquod veniale subreptitium patitur. Tertia, qua homo purus, & innocens ab omni prorsus culpa existit. Quarta, & vltima, qua homo non solùm est innocens ab omni culpa, sed etiam omnia consilia amplectitur, & omne id, quod melius est, semper operatur; & hæc est omnium maxima perfectio, quia omnem excludit imperfectionem, non solùm priuatiuam, quæ culpam inuoluit, sed etiam negatiuam, quæ solam carentiam perfectionis dicit.

50 His præacceptis, certum est, & ab omnibus admitti debet, Christum Dominum de facto, quamuis non fecerit optimum possibilium, quia res possibiles possunt esse perfectiores, & perfectiores in infinitum, vnde neq; Deus potest optimam creaturam producere, qua non sit dabilis alia perfectior ex dictis in Phys. disp. 10. elicuisse tamen actus proprios in summa perfectione, quæ naturaliter de potentia ordinaria, & secundùm occasionem applicationis obiecti, & concursus diuini poterat haberi, itaut volũtas humana Christi semper fuerit diuinæ conformis tàm in præceptis, quàm in consilijs exequendis, & consequenter de facto nunquam Christum egisse minùs bonum meliori relicto possibili de potentia ordinaria, vt ponatur in esse; ità colligitur ex Ioan. 6. *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me;* & c.8. *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper;* & c. 5. *Non potest filius facere quicquam, nisi quæ Patrem viderit facientem*, quem locum Chrisostomus, Cyrillus, Elias Cretensis, Cæsarius, Seuerus Antiochensis explicant de Christo vt homine. Dubium tamen est à Recentioribus præcipuè agitatum, an Christus vt homo in exequendis consilijs fuerit liber, vt potuerit non operari iuxtà consilia, an verò fuerit determinatus ad obseruantiam consiliorum, sicut diximus de præceptorum obseruatione in art. præced.

51 Prima opinio sustinet, Christum fuisse determinatum ad sequenda consilia, non secùs ac ad obseruationem præceptorum, itaut sicut non potuit peccare, sic neq; potuit actum minùs perfectum elicere; ita videntur sentire Suarez disp 37. sect.4.5. *Quomodo autem*, Moncæus disp. 9.a.7.5. *Sed vt nunc*, Ragusa disp. 13. §. vltimo; Hurt. disp. 92. sect. 4. & ex parte sequitur Bernal disp. 54.

52 Secunda opposita, & extrema opinio docet, Christum fuisse omnino liberum quò ad obseruantiã consiliorum diuinorum, vt potuerit non obseruare; ita cõsequenter docere tenentur Vasq. & Valent. dum ille disp. 74. num. 36. iste q. 19. punc. 2. propè finem asserunt, potuisse Christum acceptare mortem actu remissiori eo, quo acceptauit, & Salas 1. 2. tom. 2. Tract. 3. disp. 7. sect. 8. dum asserit, Beatos esse omninò liberos circa opera supererogationis, quæ scilicet sunt conformia diuinis consilijs.

53 Tertia media sententia est Lugi disp. 26. sect. 10. dicentis, Christum circa opera diuinis consilijs conformia fuisse liberum spectata physica ipsius potestate, & simpliciter loquendo, at quò ad potentiam moralem fuisse determinatum ad obseruationem illorum, itaut fuerit moraliter impossibile, non exequi diuina consilia.

54 Omnes tamen conueniunt, Christum in huiusmodi obseruatione fuisse liberum, vt de obseruantia præceptorum etiam docent, sed non eadem incedunt via, vt saluent libertatem cum determinatione. Nam Suarez idem iudicium facit de istis operibus, ac de præceptis. Lugus libertatem saluat propter illã physicam potentiam, & explicat exemplo venialium, quæ omnia possumus vitare cum auxilijs ordinarijs, etiam collectiuè sumpta quò ad potentiam physicam, licèt moraliter sit impossibile, adhùc tamen liberè cõmittũtur in particulari, & singillatim propter illam physicam potentiam. Hurt. ait, quòd fuerit liber, quia poterat petere dispensationem. Bernal verò disp. 54. sect. 5. peculiarem affert conciliationem, ait enim, ideo Christũ liberè elicuisse opera supererogationis, quia Deus omnia alia àb actionibus præceptis, constituit in arbitrio Christi, tàm quò ad intensionem, perfectionem, singularitatem, quàm quò ad speciem; itaut, quod Christo erat placitum, id quoq; Deo futurum gratius.

55 Attamen vt ab hoc vltimo incipiamus, falsum est, quod astruit Bernal, Deum scilicet constituisse voluntatem humanam Christi in pleno, & absoluto dominio suarum actionum, vt quodcunq; maluerit, futurum Deo gratius; Tùm quia hoc esset eximere Christi animam à diuina iurisdictione, & subiectione. Tùm quia voluntas diuina est prima omnium regula ab omni alia independens; & propter sui eminentem cõtinentiam virtualem est radix, & causa futurorum, ergo nequit voluntas humana Christi constitui prima regula suorum actuum, & quasi independes à diuina voluntate, istamq; determinare ad hunc, vel illum actum, non solùm quò ad physicam entitatem, sed etiã quò ad bonitatem moralem. Tùm quia bonitas moralis actus sumitur ex conformitate ad legem superioris, quæ lex præsupponitur actui, ergo actus voluntatis Christi, vt diceretur bonus, debebat fundare conformitatem ad legem superioris, talis non erat voluntas Christi in actu primo, quia nullus est superior sui ipsius; neq; in actu primo est determinata ad vnã contradictionis partem, sed indifferens manet, vnde neq; diuina voluntas in actu primo præcisè habet rationem legis; neq; potest esse diuina voluntas, quia hæc ponitur, licèt proprio arbitratu, subordinata voluntati creatæ Christi; quapropter idem actus voluntatis humanæ Christi esset sui ipsius regula, & ex se ipso esset bonus; quod est falsum.

56 Accedit principaliter, quòd totum oppositum habemus in Sacra Scriptura, in qua sæpissimè maxi-

mè

mè commendatur exactissima conformitas voluntatis humanæ Christi cum diuina in omnibus actibus vniuersaliter, tàm qui erant præcepti, quàm qui sub consilio comprehendebantur, si verò voluntas humana Christi talem habuisset potestatem, vt quicquid sibi placeret, futurum gratius Deo, quam laudem, quã cõmendationem voluntas Christi in hoc mereretur? certè nullam. Assumptum autem prob. ex Luc.2. vbi Christus respondens parentibus ipsum quærentibus ait, *Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quòd in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Ioan. 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcunq; enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit*, vbi Ambrosius, & August. docent, verbum illud faciendi non significare actionem externã, sed internum voluntatis consensum, ac si diceret; Filius non potest facere quicquam, nisi quod Patrem velle intellexerit; & subdit Christus, *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*, quæ verba Elias Cretensis, Seuerus Antiochenus, Cæsarius, Chrisostomus, Theophilactus, & Euthimius apud Maldonatum intelligunt de Christo vt homine; & verbum demonstrandi exponunt pro docere, itaut Pater sit magister docens omnia, quæ Christus homo vt discipulus exequi debebat; & infra adiecit Christus, *Non possum ego à me ipso facere quicquam; sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meã, sed voluntatem eius, qui misit me; Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*; & cap. 8. *Quæ placita sunt ei, facio semper*; quæ loca vniuersalem faciunt sensum, & de conformitate Christi hominis in qualibet minima actione cum voluntate Patris intelliguntur. Et confirm. quia Deus antequã Christi voluntas eliciebat actum supererogationis, habebat suum concursum paratum ad elicitionem illius actus, ergo erat in Deo desideriũ, vt eliceretur à Christo actus ille, ergo ante assensum voluntatis Christi voluntas diuina intelligitur inclinata ad illum actum ex se, & non quia placuit voluntati humanæ Christi.

57 Sed pro sua astruenda ratione arguit Bernal authoritate Sacræ Scripturæ, nã Matt. 22. ait Christus, *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te: omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; & cap. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*; & Ioan. 13. *Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus eius*; quibus locutionibus datur intelligi amplissima facultas Christo concessa efficiendi pro suo arbitratu, quodcunq; mallet, etiam quò ad consilia, nam ly *omnia, vel omnis*, sumi debent, vt complectuntur etiam consilia, quia, iuxtà regulam interpretandi Scripturã nõ debent ab illis terminis aliquid excludi, nisi aliqua absurditas, quæ sequatur, vrgeat. Tùm 2. ex D. Ansel. 1. *Cur Deus homo*, c.19. *Ipse est Deus, & homo, secundùm humanam, ex qua fuit homo, à diuina natura, quæ alia est ab humana, esse suum, quod habebat, vt nihil deberet dare, nisi quod volebat*. Tùm 3. si Deus de omnibus Christi actionibus dedisset Christo consilia, quorum obseruationem Christus fuisset determinatus, certè nimis coarctata fuisset Christi potestas, cũ tamen amplissima testimonijs adductis denotetur. Tùm 4. hæc potestas maximè congruit dignitati animæ Christi, cui præclarissimas dotes, præcipuè donum vnionis, omnium maximum concessit Deus, itaut alteram quasi Deum constituerit, ergo debuit habere potestatem, & dominium quasi diuinum, vt pro libito eligeret, quicquid vellet. Tùm 5. quia in Sacra Scriptura huius veritatis non obscuram habemus figuram; nã Gen. 41. Pharao Aegipti Rex annulum suum regium Iosepho donauit, quo propriã etiam potestatem communicauit, vt quodcunq; vellet, à rege ratum, gratumq; habendum, Ioseph autem fuit vmbra Christi. Imò Deus ipse authoritatẽ propriam concessit Moysi, dum dixit, *Constitui te Deum Pharaonis*, Moyses quidem figura est Christi Saluatoris eripientis humanum genus à seruitute Dæmonis, & vt hoc patraret, constituit ipsum vt hominem quasi alterum Deum. Nec semel in Scripturis habetur hæc communicatio, nam Psal. 144. de ipso Deo dicitur, *Voluntatem timentium se faciet*; & Apoc. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere potestatem, & diuinitatem*. Et tandem quia nisi hoc asseratur, difficillimè saluatur Christi libertas.

58 Resp. longè diuersos esse sensus, quos Patres tribuunt illis authoritatibus; nam per ly *omnia*, Hieronimus, & Beda intelligunt omnes homines, iuxtà illud Ioan. 6. *Hæc est voluntas eius, qui misit me Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo*; Irenæus, & Tertull. interpretantur omnia, quæ per ipsum facta sunt; Chrisostomus intelligit omnem potestatem faciendi miracula, vel gubernandi, saluandiq; homines, quomodo intelligitur quoq; secunda authoritas, potestq; aptè accomodari hæc expositio tertiæ authoritati, quatenus omnia, quæ ad salutem hominum pertinebant, ait Chrisostomus, commiserit Pater Christo, vt illa perficeret, atq; impleret; falsum itaq; est, ly omnia latissimè, etiam pro consiliorum executione accipi debere; & ratio implicationis est iam assignata. Ad 2. D. Anselmus intelligitur de esse humano, quod Patri in morte obtulit pro hominibus, de qua morte Christus potestatem habebat petendi dispensationem.

Ad 3. negatur sequela, si potestas illa consideretur in ordine ad creaturas; non tamen tàm ampla esse debuit, quòd eximerit Christum hominem à diuina potestate, & subordinatione; vnde vt homo non est verè Deus, sed quasi Deus. Per idem ad 4. & quintum; Nec figura de Ioseph in omnibus currere potest, quia Pharao poterat quasi proprio iuri cedere; non ita Deus, cuius potestati essentialiter omnia subiacent. Illud autem, quod additur de Psalmo, solùm indicat consensum diuinum, quo misericorditer nostras excipit deprecationes, non autem est sensus, quòd se timentes constituat à regula diuinæ voluntatis exemptos, imò superiores. Ad vltimũ patebit ex dicendis.

59 Secundò, neq; dictum Hurtadi sustineri potest, etenim vel petitio dispensationis v.g. ieiunij erat æquè grata Deo, ac consilium de ieiunio, vel magis grata, vel minùs grata; si hoc vltimum, ergo quia Christus ponitur determinatus proximè in actu primo ad faciendum, quod magis Deo placet, nõ poterat dispensationem petere, & consequenter non liberè ieiunabat; si erat magis grata, ergo eadem ratione non poterat non petere dispensationem; si æquè grata, hoc implicat, quia non potest esse consilium de aliqua re, & de opposito illius, nam consilium est iudicium, vel propensio voluntatis determinata ad aliquod obiectũ, citrà vim obligandi, nemo enim potest persuadere, & velle simul duo contradictoriè opposita, scilicèt ieiunium, & omissionem ieiunij, solùm potest de nullo curare, sicut neque præceptum potest simul cadere supra contradictoriè opposita, ergo nequit consilium

Dei

Dei equè cadere tùm supra entitatem ieiunij, quàm supra omissionem. Tùm quia si ambæ contradictionis partes caderent sub consilio secundùm æqualem gratitudinem, iam Christus esset determinatus ad vtramque partem, quod implicat; sequela prob. quia in exequendis consilijs Christus non est liber, sed necessitatus.

60 Tertiò nec valet responsio Aliorum docentium, Christum habuisse consilium de substantia actus, non autem de circumstantijs, quæ simpliciter erant in libertate Christi. Non valet, quia vt supra arguebamus de circumstantijs præceptorum, libertas ista non saluat, actum, qui cadit sub consilio, fieri simpliciter liberè; imò multò magis vrgetur hic de circumstantijs consiliorum, quia perfectior intensio actus, perfectius motiuum, & similia sunt circũstantiæ gratiores Deo, quàm minor intensio, & motiuum minùs perfectum, ergo cadunt sub consilijs diuinis, ergo etiam quò ad circumstantias fuisset determinatus Christus. Tùm quia posset quæri de circumstantijs in particulari, an fuissent gratæ Deo æquè, vel magis, an minùs, quàm earum omissiones, vt supra.

61 Quartò neque dici debet, Christum ad sequenda consilia fuisse determinatum, itaut non fuerit in eius potestate proxima eligendi minùs bonum; sed asseri debet, circa consilia habuisse expeditum vsum libertatis. Hoc dictum non habetur expressè à Doctore, colligitur tamen ex ipsius principijs; nã in Scoti sententia impeccabilitas in Christo non habuit originem ex vnione hypostatica, sed ex beatifica, vt in seq. quæst. quapropter impeccabilitas Christi, & Beatorum est eiusdem ferè rationis, quia ab eadem prouenit causa, quæ secundùm Scotum in 4. d. 49. q. 6. non est nisi diuina voluntas nolens concurrere ad actum peccaminosum, igitur secundùm Scotum si eodem modo Christus, vt cæteri Beati se habent circa præceptorum obseruationem, eodem modo quoque se habebunt circa consilia; sed Beati liberè libertate non solùm remota, sed etiam proxima exercent consilia, ergo etiam Christus; minor ista sublata colligitur ex Scoto in 2. d. 8. q. 1. nam quærens ibi, an Angeli meruerint beatitudinẽ propter obsequia hominibus præstanda, negatiuè contra Magistrũ respondet; ad quod probandum nunquam assumit medium, quòd illa obsequia non erant libera, quamuis iuxta beneplacitum diuinum; quod quidem manifestissimè ostendisset, non meruisse Angelos illis obsequijs propriam beatitudinem, quia de potentia ordinaria ad meritum requiritur libertas proxima; ergo signum euidens, illa obsequia in Scoti sentẽtia esse in se libera; imò ad primum argumentum concedit, Angelum per illa obsequia mereri aliquã beatitudinem accidentalem, ergo sunt in se libera formaliter, & libertate proxima, ergo idem in sententia Scoti dicendum de Christo.

62 Accedit ratio, quia nimis durum videtur, à Christo, & à Beatis omnem prorsùs libertatem proximam auferre in omnibus actibus; quod sequi ex hac positione apparet ex dictis in hoc, & præced. art. Tùm quia ex Sacra Scriptura, & Patribus Christus liberè mortuus est, quia poterat petere dispensationem præcepti ex dictis disp. 9. q. 2. art. 2. sed si Christus etiam fuisset ad consilia sequenda necessitatus, non habuisset proximè potestatem petendi dispensationem, quia potiùs non petere dispensationem erat secundùm diuinum consilium, quàm petitio, quoniam non petere magis accedebat ad præceptum mortis, ergo Christus fuisset necessitatus ad non petendum, ergo non habuisset libertatem. Tùm quia tota necessitas actus in Beatis prouenit ex diuino decreto, quo Deus denegauit concursum ad oppositos actus, non ex intrinseca ratione volũtatis; non apparet autem ratio efficax, quæ ostendatur, Deum denegasse Christo concursum paratum ad executionem consiliorum, & de facto denegare Beatis, sicut adest ratio conuincens denegationem talis concursus circa præceptorum obseruãtiam, vt patebit ex solutione obiectionum, ergo &c.

63 Fuit igitur Christus Dominus liber libertate proxima in exequendis consilijs, sicut etiam est quilibet Beatus, itaut poterat non exequi; de facto tamen illa omnia adimpleuit, quia ex plenitudine perfectionis amoris beatifici redundant illa opera, & consiliorum obseruationes in Beatis, vt ait Doctor in 2. d. 5. q. 1. ad 1. & ostendi num. 50. & hoc fortè voluit afferere Lugus illa distinctione duplicis potentiæ physicæ, & moralis; quamuis hæc doctrina illis terminis non rectè explicetur, quia potentia proximè libera est perfecta moralis potentia in actu primo; de quo fusè agit Bernal disp. 54. sect. 3.

64. Sed contra istam positionem primò arguitur authoritatibus adductis num. 50. quibus non solùm Christus docere videtur, nunquam secundùm humanam voluntatem à diuina in actu secundo discordare, sed neque in actu primo, & in potentia proxima, vt patet. Idem quoque docent multi Patres. Tùm 2. ex Scoto 2. d. 21. q. 1. D. Beati habent præceptum semper eliciendi actum beatificum, & non diuersificando non solum ad oppositum, sed nec disparatum, & hoc propter præceptum de semper operando optima, ergo quia optimè operari in nobis dicit conformitatem ad consilia diuina, sequitur secundùm Scotum, quòd in nobis est consilium, in Beatis esse præceptum, ergo in suis operationibus sunt necessitati, non liberi. Et in 3. d. 18. q. vn. supra C. assignans rationem, cur Christus in suis actionibus meruerit, non autem Angeli, vel Beati, ait, *Dico, quòd licèt Angeli habeant bonas operationes circa nos, vel alij Beati, quia tamen illi actus sunt inclusi in beatitudine illorum, hoc est ratione beatitudinis, & ex illius plenitudine, & collatione obligantur nobis a Deo; potest dici, quòd non merentur; sed huiusmodi operationes Christi prædictæ non includuntur in sua Beatitudine*; ergo secundùm Scotum, quod est in nobis consilium, est in Beatis præceptum.

65 Resp. quæ nunquã de facto euenient, licet possint euenire, secundùm humanum loquendi modum dicuntur etiam nõ posse euenire; de quo adhuc in Sacra Scriptura plura habemus exempla; Gen. 18. Dominus dixit ad Abraham, *Num celare potero Abrahã quæ gesturus sum?* & cap. 19. loquens Lot ait, *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc*; & cap. 39. Ioseph mulieri tentanti; *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Marc. 6. de Christo habetur, *Non poterat ibi virtutẽ vllam facere*; Luc. 14 homo ille ad nuptias inuitatus excusans se, dixit, *Vxorem duxi, ideo non possum venire*; In proposito authoritates illæ quò ad opera præcepta intelligi debent de negatione potentiæ proximæ, quò ad consilia de impotentia secundùm humanum sensum. Idem ad Patres dicendum: Ad primum Scoti locum respondeo, Doctorem ibi loqui de peccato veniali, & ait, peccatũ veniale in Beatis, si daretur per impossibile, esset mortale propter præceptum de semper operando optima, hoc est, nunquam agere contra legem diuinam,

tiam, quia maiorem obligationem haberent Beati de euitando veniale peccatum (si possent peccare) quàm nos modo habemus, propter donum beatificæ visionis, iuxtà illud D. Greg. Hom. 9. Euang. *Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum*; non loquitur autem de cõsilio propriè sumpto, vel loquitur de operari optima, idest non contra, sed iuxta legem præcipientem, non de operari optima iuxtà legem consulentem; præterquamquod si lex, quæ in nobis est cõsulens, in Beatis est præcipiens, iam authoritas illa nõ est contra nos, quia in præsenti loquimur de consiliis. Ad secundum locum respondeo, etiam oppositum ibi de Christo deduci, quidquid sit de aliis Beatis; Deinde addo, Scotum ibi problematicè procedere, dat enim plures vias defendẽdi meritum in Christo, & nõ in Beatis, quarum vna est ista, quòd Beati habeãt obligationẽ ex plenitudine beatitudinis, non autem Christus; sed in hac responsione non acquiescit, & alias duas subdit; quapropter non conuincit.

66 Secundò, Christus in sanctitate fuit perfectissimus, & irraprehensibilis, ergo nõ poterat facere cõtra consilia diuina; antec. patet, conseq. prob. si habuisset potentiam proximam omittendi cõsilia, fuisset in actu primo imperfectus, & reprehẽsione dignus, quia agere contra consilia, licèt nõ sit peccatum, est tamen imperfectè agere in genere moris; & ratione huius imperfectionis homo ità operans reprehensioni subiacet.

67 Resp. aliqui, negando conseq. quia quodlibet opus Christi, quamuis remissum, erat infinitæ dignitatis, & consequenter infinitè placebat Deo, & quoniam vnum infinitum non est maius alio, idcirco non erat Christus capax huius imperfectionis moralis, sicut euenit in nobis, eo quia nostra opera sunt finitæ dignitatis, & consequenter opus remissum minùs placet Deo, quàm intensum. Hæc tamen responsio innititur falso fundamento iam exploso disp. 7. q. 4. vbi hanc infinitatem intrinsecam negauimus ab operibus Christi. Resp. igitur distinguendo primam partem consequentis, & negando secundam; esset Christus imperfectus in actu primo propter potentiam proximam, concedo, in actu secundo, nego; neq; hoc repugnat, quia est quædam imperfectio consequens naturam creatam, quæ ex se libera est circa quodcunq; obiectum; sicut ergo Verbum assumpsit nostram naturam cum omnibus imperfectionibus præter peccatum, ita potuit habere hanc potentiam operandi, quæ minùs placerẽt Deo; eò vel maximè, quòd secundum Scotum potuit etiã assumere naturam proximè peccatricem. Nego deinde secundam partem, quia reprehensibilitas est passio consequens actum imperfectum secundum, non primum.

68 Tertiò, si intentio finis est necessaria, & non in potestate voluntatis, electio inde sequens erit necessaria ex dictis in lib. de Anima disp. 7. nu. 155. sed amor beatificus in Beatis non est liber libertate proxima; sed est necessarius, ergo obseruatio consiliorum, quę se habet vt electio, erit quoq; necessaria. Confir. amor beatificus non solùm est amor Dei super omnia grauia, qualis est ille cuiuslibet iusti in via, non solùm est super omnia grauia, & leuia deliberata, qualis est perfectorum in via, non solùm est super omnia grauia, & leuia etiam ex surreptione, qualis fuit amor Beatissimæ Virginis ex priuilegio speciali; sed etiam est supra omnia imperfecta, quia est perfectior quocunq; amore cuiuscunq; viatoris, ergo necessariò includit obseruationem consiliorum.

69 Resp. ex ibidem dictis tunc electionem esse necessariam, quando est de mediis habentibus necessariam connexionem cum fine, esse verò liberam, quando media illa non habent talem connexionem, modò res præceptæ solùm habent necessariam cõnexionem cum amore beatifico, ideoq; quò ad ista Beati sunt determinati, quæ verò sub consilio cadunt, non habent talem necessariam connexionem, aliter sicut Beatus, quia semper amat, necessariò semper operatur iuxta legem præcipientem, ita deberet semper agere iuxta legem consulentem formaliter, actu, & explicitè, sicut formaliter, actu, & explicitè, semper amat Deum; quod tamen est falsum, quia nõ semper actu vult Dei gloriam extrinsecam consequentem ex hominum conuersione; ratio huius est, quia quæ cadunt sub consilio, secundariò spectant ad perfectionem beatitudinis; vnde sufficit, quòd in actu secundo exequantur à Beatis, non autem requiritur determinatio in actu primo. Ad confirm. eodem modo respondeo, amorem beatificũ esse super omnia, etiam imperfecta quò ad actum secundum, non quò ad actum primum; nam si Deus haberet concursum paratum ad suspensionem actus amoris beatifici, adhùc Beatus diligeret Deum super omnia, non tamen quò ad actum primum, quia posset peccare, ergo si amor beatificus est compossibilis ex sua natura cum potentia proxima peccandi, licet non cum actu secundo, quantò magis erit compossibilis cum potentia proxima non operandi conformiter cõsiliis diuinis?

70 Ex his patet solutio rationis adductæ num. 47. Amor enim perfectus necessariò includit volitionem cuiuscunq; voliti ab amante voluntate præcipiente, non autem cuiuscunq; voliti voluntate simplici, & cõsulente, cuius oppositum ab ipso amante etiam in mea potestate relinquitur, neque enim hoc includi necessaria inclusione, quæ excludit actum primum, & potentiam proximè liberã, solùm hæc volitio cuiuscunq; voliti includi potest ex fœcunditate beatificæ perfectionis, inquit Scotus cit. quæ stat cum libertate proxima in actu primo, quia secundariò se habet ad perfectionem beatitudinis; magna enim differentia est inter media requisita ad finis cõsecutionem, & inter ea, quæ consecuntur adeptionem finis, nam illa se habent vt causæ instrumẽtales necessariò requisitæ ad acquisitionem finis, ideoq; supposita efficaci volitione finis necessariò eliguntur, si habent necessariam connexionem; ista verò potiùs habent rationem effectus; vnde finis nõ tàm efficaciter mouet ad ista, sicut ad illa. Ad cõfirm. etiam patet, nam homo tenetur solùm parere diuinæ voluntati præcipienti, non consulenti. Quod additur de scientia Christi, non vrget, quia quamuis Christus antea, & ab instãti cõceptionis sciuerit, quicquid esset toto vitæ tẽpore operaturus, non tamen hæc scientia abstulit libertatẽ in actibus nõ præceptis, quia hæc sciẽtia præsupponebat determinationẽ propriæ voluntatis virtualiter inclusę in determinatione voluntatis diuinæ, & ideo est cognitio cõsequens libertatẽ, nõ antecedens; quod patet, quia ideo v.g. Christus præuidit deãbulationẽ per Samariam, quia erat futura, nõ erat autem futura, nisi fuisset determinata à Deo, & consequẽter à propria voluntate Christi virtualiter in diuina voluntate contenta, ergo ista scientia præsupponebat determinationẽ liberã voluntatis Christi; sicut igitur infallibilitas scientiæ Dei non infert necessitatẽ, quia est suppositio consequens, non antecedens, idem pariformiter de scientia Christi dicendum.

Quæstio Tertia.

An fuerit omninò impossibile, voluntatem animæ Christi actum aliquem malum elicere; vbi radix huius implicantiæ aperitur.

71 NOn defuerunt Hæretici, qui impia perfidia ponentes in cœlum os suum asseruerint, Christum de facto habuisse peccatum, præcipuè Caluinus blasphemauit docendo, Christum in horto, & in cruce quosdam actus impatientiæ, & desperationis elicuisse. Quidam Archiepiscopus Nazarenus Augustinus de Roma nuncupatus, quamuis propriè nullum peccatum admiserit in Christo, est tamen ausus concedere, cum veritate dici posse, Christum peccasse, & quotidie adhuc peccare, quatenus fideles, qui sunt mistica Christi membra, quotidie peccata committunt. Communis Catholicorum opinio docet, Christum nunquam peccasse, nec potuisse peccare. Difficultas tamen est in assignanda radice huius impeccabilitatis, vnde duxerit ortum, an scilicet ab visione beatifica, an ab vnione hypostatica, vel ab vtraque. Nam Scotus 3. d. 2. q. 1. & d. 12. q. 1. docet; impeccabilitatem Christi ab visione beatifica prouenire, nō ab hypostatica, vnde consequenter asserit, de potentia absoluta posse Verbum assumere naturam peccatricem: ipsum sequuntur ferè omnes Nominales, & Dur. Gabr. Rubionus 3. d. 12. Ex opposito omnes Thomistæ, & Neotherici Recentiores pro radice assignant vtramque vnionem, & præcipuè hypostaticam, quia sustinet esse simpliciter incompossibilem vnionem hypostaticam cum aliquo peccato, etiam spectata Dei potentia absoluta. Idcirco hanc quæstionem in duos articulos diuidemus.

Articulus Primus.

Christus non habuit, nec potuit habere peccatum.

72 COnclusio est Scoti in 3. d. 3. q. 2. & d. 12. estque de fide definita in Concil. Ephes. can. 10. Lateran. sub Martino I. can. 5. Prima pars, quod non habuit peccatum, prob. quia omne peccatum vel est originale, vel actuale, vel habituale, nullum illorum habuit Christus, ergo &c. min. de peccato originali prob. ex Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*, & infra, *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, vbi non est sermo de natiuitate ex vtero ad hanc lucē, sed de natiuitate in vtero facta in conceptione, qua naturam humanam primò accepit, & eiusdem naturæ filij ira, de hac enim dubitabant Maria, & Ioseph, illa ne virginitatem conceptione amitteret, ille de incognito sponsæ dubitando. Tum quia peccatum originale contrahitur ab ijs, qui per naturalem propagationem ex Adamo sunt geniti, vt docet Scotus 2 d. 30. & nunc suppono ex Tract. de peccato originali: Christus non naturaliter, sed ex Spiritu Sancto fuit productus. Tum quia valde probabile est, Christum inter alia dona in instanti conceptionis habuisse iustitiam originalem, & colligitur ex Isa. c. 11. vbi post enumerationē donorum Spiritus Sancti subiungitur. *Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius*; iustitia cingulum dicitur, quia habet ligare, & retinere appetitum sensitiuū, vt recta rationi subijciatur. Et eadem quia ab instāti cōceptionis habuit plenitudinē gratiæ, vt vidimus disp. 10. q. 1. ergo caruit originali peccato, quod per gratiæ infusionem ex ordinatione diuina in nobis expellitur.

73 De peccato actuali eadē minor probatur, Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato*, 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*. Ad Hebr. 4. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*: cap. 7. *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus*: Ex quibus etiam probatur eadem minor de peccato habituali, hoc enim non reperitur in aliquo, nisi priùs in illo supponat actuale peccatum, quia habituale non est aliud secundum probabiliorem sententiam, quam ipsum actuale peccatū moraliter manens, & nō remissum, ergo si Christus omni actuali peccato caruit idem de habituali dicendum.

74 Secunda pars, quod nec etiam potuerit habere peccatum, probatur in nostra sententia, quia ab instāti cōceptionis Christus Dominus fuit perfectè beatus, sed cum beatitudine nequit esse compossibilis potentia proxima ad peccandum, aliter Beati non essent securi, vt ostendit Doctor in 4. d. 49. q. 6. ergo &c. Ex quo sequitur, potentiam remotā ad peccandum fuisse in Christo, quia hæc nil aliud dicit, quàm voluntatem ipsam creatam, & consequenter intrinsecè defectibilem, sicut ergo fuit in Christo hæc voluntas, pariformiter hæc potentia admitti debet, vnde & in cæteris Beatis quoque reperitur.

75 Ex his deducitur, temerariam, & scandalosam fuisse locutionē illam Augustini de Roma, meritò in Concil. Basiliensi damnatā: quia peccatores sunt membra facta propter peccatum suum quia nō ex voluntate Christi, sed potiùs contra ipsius voluntatē peccata cōmittunt, quapropter illis peccantibus nequit dici, Christum peccare, quod significat perpetrationē propriam. Hinc rectè dicitur ab aliquibus, peccata tribui Christo substantiuè, nō adiectiuè idest sunt peccata Christi, non commissa à Christo, & hoc quia peccata suorum membrorum propter obligationē, quam Christus habet ad satisfaciendū pro eis, possūt dici ipsius Christi.

76 Contra primam partem instatur de peccato originali ex D. Paulo ad Rom. 5. *Omnes in Adam peccauerunt*, quia scilicet in eo originaliter fuerunt, sed Christus etiam originaliter fuit in Adamo, ergo &c. Tum 2. ex eodem ibidem cap. 1. *Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem*, ergo etiam ex semine Adami. Tum 3. Christus multas pœnas sustinuit, quæ in nobis fuerunt causatæ à peccato originali, ergo habuit peccatum originale, quod fuit illarum causa.

77 Resp. Scotus cit. illos in Adam peccasse, qui originem habituri erāt ab ipso per rationem seminalem, hoc est, respectu quorum Adam habuit rationem patris naturalis secundùm communem propagationem; Christus nō fuit in Adam hoc modo, sed solùm secundùm corpulentam substantiam: nō enim est vera opinio Magistri, per peccatū fuisse substantiam Adæ infectam morbida quadam qualitate, & in cæteris postea diffusam, vt latiùs suo loco. Ad 2. ly ex semine nō sumitur pro ratione seminali, sed pro genealogia, & progenie Dauidica. Ad 3. pœnas illas cōuenisse Christo, non in ratione pœnæ, sed in ratione naturalis defectus consequentis naturam humanam, quas Christus

ftus assumpsit ad satisfaciendum pro genere humano.

78 Contra alias partes præter argumenta adducta in præced. quæst. art. 1. quibus ostenditur libertas proxima Christi erga res præceptas, quæ quidem si admitteretur, iam conuinceretur potentia proxima peccandi; adhùc arguitur ex Psal. 21. *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti, longè à salute mea verba delictorū meorum*, quæ verba videtur Christus ex disperatione dixisse in cruce, inquit maledictus Caluinus. Tùm 2. Ad Hebr. 2. *In eo, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur, auxiliari*, sed maximè contra peccatum indigebamus auxilio, ergo Christus habuit peccatum. Tùm 3. Christus præbuit nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius, ait D. Petrus, sed homo indiget exemplo, nō solùm ad rectè viuendum, sed etiam ad pœnitendum de peccatis, ergo in Christo debuit esse peccatum, vt pœnitentiam amplectendo pœnitentiæ nobis daret exemplum. Tùm 4. ex 2. Corint. 15. *Deus eum, qui non nouerat peccatum*, idest Christum, *pro nobis peccatum fecit*. Tùm 5. Ioan. 7. *Si dixero, quod non noui eum, ero similis vobis mendax*, sed si Christus dixit totam istam orationem, potuit quòq; dicere partem, ergo potuit dicere, *non noui Patrem*, & per consequens mentiri, & peccare. Tùm 6. quod quis potest, si vult, potest simpliciter, sed Christus potuisset peccare, si voluisset, ergo simpliciter potuit peccare. Tùm 7. debuit in omnibus assimulari fratribus, inquit D. Paulus, ergo etiam fuit similis in peccato.

79 Resp. ad 1. sensum esse, *Deus meus, quare in tot corporis ærumnis, & cruciatibus me dereliquisti?* vnde vox est admirantis, non desperantis; & subditur responsio admirationem auferens, *longè à salute mea verba delictorum meorum*, vbi ly *meorum* substantiue sumitur, non adiectiuè, idest, *non est mirum, quia delicta meorum*, idest hominum, *quæ in me suscepi, non possunt compati cum salute mei corporis, cum non possim aliter satisfacere, nisi has pœnas sustinendo*. Ad 2. auxilium nostrum à Christo est, quia Christus pro nobis meruit, & satisfecit pro nostris peccatis, hinc vt nos contra peccatum haberemus auxilium, non fuit necesse, Christum habuisse peccatū, sed solùm potuisse satisfacere. Ad 3. dedit Christus nobis pœnitentiæ exemplum, dum pro alienis peccatis tot pœnas est passus, ex quo deducere debemus, nos multò magis teneri ad pœnitentiam pro nostris peccatis. Ad 4. sensum esse, Deum fecisse Christum peccatum, idest hostiam, & sacrificium pro peccato. Ad 5. distinguo min. potuit dicere partem materialiter, idest in prolatione illius hypotheticæ protulit etiam vtramq; cathegoricam, concedo, potuit dicere formaliter, idest asserere illam partem, nego, quia nequit fieri sine aliquo errore, vel intellectus decipientis, vel voluntatis mentientis proferendo voluntariè aliquod signum discordans à signato, quod perfectè Beato repugnat. Ad 6. maior illa, vt sit vniuersaliter vera, debet ita determinari, quod quis potest, si vult, & potest velle, simpliciter potest, modò Christus potuerat vtique simpliciter peccare, si voluisset, sed stante vnione beatifica, & de potentia ordinaria non potuit hoc velle, quare negatur conseq. Ad 7. debet illa authoritas intelligi de his, quæ non inuoluunt imperfectionem, aliter debuisset naturali modo generari, cum peccato originali, absq; gratia concipi, & absq; beatitudine, quod est falsum. Alias rationes de fomite, & tentatione infra adducentur.

Articulus Secundus.

De potentia absoluta Dei potuit Verbum assumere naturā peccatricē, & consequenter in hoc sensu Christus potuisset peccare.

80 PRo intelligentia huius asserti est not. quòd dupliciter possumus loqui de his vnionibus hypostatica, & beatifica, vt optimè aduertit Doctor in 3. d. 2. q. 1. H. vel secundùm ordinariam Dei potentiam, vel secundùm absolutam; primo modo vnio beatifica est radix impeccabilitatis in Christo, & in cęteris Beatis, non quidem ex sua ratione formali, quasi quòd voluntas cum fruitione Dei necessitetur, nec maneat libera, quia si intrinseca natura voluntatis spectetur, etiam circa Deum clarè visum retinet libertatem exercitij ex Scoto in 4. d. 49. q. 6. & innui in lib. de Anima disp. 7. num. 145. & q. 3. art. 2. & 3. solùm igitur ab extrinseco necessitatur voluntas, scilicet à diuina voluntate concursum denegante ad actus peccaminosos; simpliciter tamen, & de potentia absoluta Dei, Beatus posset peccare potentia proxima, si Deus haberet concursum paratum ad vtrumlibet; vnio igitur beatifica est radix impeccabilitatis de potentia Dei ordinaria, non absoluta. Eodem modo loquitur Doctor de vnione hypostatica; nam spectata Dei potentia ordinaria, decreuit Deus naturæ assumptæ concedere summam charitatem, & summam fruitionem, quæ de facto necessariò inducit impeccabilitatem in Christo, sicut in cæteris Beatis; & consequenter de facto vnio hypostatica est etiam radix impeccabilitatis remota, quatenùs est radix summæ fruitionis, quæ immediatiùs excludit peccatum, vtpotè pertinens ad actum secundum, vbi hypostatica spectat ad actum primum. At si loquamur de potentia absoluta, sustinet Doctor, quòd potuerit Verbum, & adhùc potest assumere naturam humanam, absq; eo, quòd concedat summam fruitionem, sed illam relinquere in puris naturalibus, etiam cum cōcursu parato ad vtrumlibet, & consequenter cum potentia proxima ad peccandum, quæ adhùc posset exire in actum peccaminosum; sicut Beatus absolutè posset elicere actum venialiter malum etiam in sententia quorundam Aduersariorum.

81 Hæc conclusio sic explicata non solùm non est temeraria, nec blasphemia, aut aliqua censura digna, vt temerè Aduersarij audent in Scotum tàm pium Doctorem impingere; sed est fundata in euidenti ratione, quoniam extollit diuinam libertatem, & omnipotentiam ad extra; imò fundamentum habet in sacra Scriptura, nam D. Paulus ad Hebr. 7. loquēs de Christo ait, *Talis decebat, vt in nobis esset Pontifex sanctus, innocens*, &c. quibus verbis clarè innuit Apostolus opinionē Doctoris, nō fuisse scilicet absolutè loquendo necessitatē simpliciter ex parte Dei, reddere Christum impeccabilem, sed decentiam, & cōgruitatem.

82 Deinde prob. ratione; & primò quòd vnio hypostatica possit à beatifica separari; quia vnio hypostatica non est formaliter beans naturam humanam, nec habet necessariam connexionem cum beatifica, ergo potest ab illa separari; antec. quò ad primam partem prob. quia vnione beatifica natura mediis potentijs vnitur essentiæ diuinæ tanquam primario obiecto beatifico, supponitque hæc vnio actum po-

tentiæ, cum quo realiter est identificata, & spectat ad actum secundum; & vnio hypostatica immediatè terminatur ad Verbum, non ad essentiam, immediatè fundatur in tota natura humana, non in aliquo actu ipsius naturæ, & spectat ad actum primum, non ad secundum, quia est ad subsistendum, non ad operandum, ergo vnio hypostatica de sua ratione non potest naturam aliquam beare.

83 Quò ad secundam partem, quòd sit à beatifica separabilis, prob. idem anteç. à Scoto, prius vt prius non habens necessariam connexionem cum posteriori potest ab illo separari, sed vnio hypostatica est prior beatifica, neq; est necessariò connexa, ergo &c. maior est Arist. 5. met. c. 16. minor quò ad primam partem prob. vnio hypostatica est ad personari, & ad actum primum, beatifica ad operari, & ad actum secũdum, actus verò primus est prior secundo. Secunda pars prob. ratio connexionis potest esse vel identitas realis, vt inter genus, & speciem, vel quia sunt correlatiua, vel quia vnum est necessaria, & intrinseca causa alterius, vt partes vnitæ respectu tertius, vnio hypostatica nõ est realiter cum beatifica identificata, nec se habent vt correlatiua, vt patet, neq; hypostaticã est causa intrinseca constituens vnionem beatificãm, quæ ab illa essẽtialiter dependeat, aliter non posset beatifica sine hypostatica reperiri, ergo &c. Tum quia eadem ratione posset quis asserere, beatitudinem corporis esse à beatitudine animæ inseparabilis, & ab hypostatica vnione.

84 Ex qua doctrina sequitur tertium, quòd scilicet illa natura assumpta, cum sit non beata, remanet libera ad agendum, & non agendum, quia per vnionem hypostaticam non augentur vires naturæ, neq; præter illam relationem vnionis natura aliquid reciperet, quo posset ad bonum determinari (illa enim relatio non est tantæ virtutis, vt possit esse principium agendi, & determinandi) nam solùm per hanc vnionem supplentur vices suppositi creati, ergo vnio hypostatica potest stare cum potentia ad peccandum. Responsiones Aduersariorum commodiùs impugnari poterunt retorquendo ipsorum fundamenta, cum quibus habent connexionem; etenim in his quæstionibus de potentia Dei absoluta, nequit euidentiùs demonstrari possibilitas alicuius effectus, quàm ostendendo ex illius positione nullam sequi implicantiam, quod fit dissoluendo rationes in contrarium.

85. In oppositum arguunt primò authoritatibus, primo ex 1. Ioan. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & nõ potest peccare, quoniam ex Deo natus est*; si igitur filius Dei adoptiuus nequit simul esse peccator (sumendo peccatum ibi pro mortali) multò magis nequit filius Dei naturalis esse simul peccator. Tùm 2. ex 6. Synodo act. 17. & 8. Syn. post vltimam Sess. & quamplurimis Patribus, tùm Græcis, tùm Latinis asserentibus, Christi humanitatem non potuisse vllum peccatum committere, & pro ratione huius impotentiæ ad peccandum non assignant vnionem beatificam, sed hypostaticam, quia scilicet hac vnione humanitas fuit deificata, & *simul Dea* (inquit Nazianzenus) euasit, ergo sicut simpliciter repugnat, Deum peccare, ita repugnabit simpliciter, & non solùm de potentia ordinaria, humanitatem Christi posse peccare, quia ista vnione est deificata, & *simul Dea* facta est: Verba horum Patrum breuitatis causa omitto, habes illa apud Suarez, & alios.

86 Resp. ad 1. non concludere, nisi de potentia ordinaria, sicut gratia, quæ filium Dei adoptiuum constituit, non nisi de potentia ordinaria est incompossibilis cum peccato. Tùm quia sicut authoritas ista nequit intelligi de potentia proxima ad peccatum, & de actu primo, quæ simul est compossibilis cum gratia; ita neq; infert incompossibilitatem actus primi, & potentiæ proximè ad peccandum cum vnione hypostatica, sed actus secundi peccaminosi, vt infra. Ad Cõcilia, & Patres faciliter respondetur (vt etiam ex Aduersarijs aduertit Hurt. disp. 59. à §. 12.) ex Scoto 3. d. 2. q. 1. H. vnionem hypostaticam dupliciter cõsiderari posse, vel simpliciter, & secundùm suam formalitatem in ordine ad potentiam Dei absolutam, vel prout fuit de facto decretata à Deo, & secundùm potentiam Dei ordinariam; primo modo vnio hypostatica non est causa simpliciter necessitans Deum ad seruandam humanitatem innocentem, & impeccabilem, sed tantùm est causa dispositiua de congruo, & consequenter vt sic est compossibilis cum peccato, aut saltim cum potentia proxima peccandi; secundo modo est causa necessitans Deum ad seruandam humanitatem impeccabilem etiam in potẽtia proxima, dependenter tamen à diuino decreto, sicut de vnione beatifica etiam asserit Doctor. Tunc ad Concilia, & Patres respondeo, considerasse vnionem hypostaticam, non in primo, sed in secundo sensu, quo pacto humanitas hac vnione euecta est ad summam dignitatem, ita vt deificata, & simul Dea diceretur; aliter si vnio hypostatica ex sua ratione formali cõstitueret humanitatem deificatam, & simul Deam, iam si Verbum assumpsisset equum, vel lapidem, eosdem effectus formales tribuisset, & sic lapis, vel equus diceretur deificatus, & simul Deus, quod est falsum, vt infra.

87 Secundò arguit Doctor pro Henr. ostendendo, vnionem hypostaticam esse à beatifica inseparabilem, ex D. Aug. 13. de Trin. c. 19. *In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in vnitate personæ sit Deo coniunctus*; sed implicat, hominem coniunctum Deo per habitum gloriæ non frui illo, ergo implicat, hominem vnitum Deo hypostaticè non frui illo; patet conseq. quia illa est minor vnio, & adest regula logicalis, *Si de quo minùs videtur inesse, & inest, ergo & de quo magis*. Tùm 2. ex eodem Aug. ibidem cap. 9. vbi arguit per locum à minori, *Si filius Dei naturalis factus est filius hominis, magis credibile est, quod filius hominis naturalis sit gratia filius Dei*; si autem consequentia tenet vniuersaliter à minori, ergo cum Christus sit filius naturalis Dei, erit etiam filius Dei ex gratia, & consequenter fruetur Deo. Tùm 3. vt natura capax beatitudinis fruatur Deo, satis est, quòd Deus sit sibi præsens, & immutet intellectum, & voluntatem ad visionem, & fruitionem, sed per vnionem hypostaticam Deus fit hoc pacto præsens humanitati Christi, ergo &c. prob. min. impossibile est, quòd lux sit præsens oculo, quin sit immutatiua ipsius, ergo impossibile est, quòd Deus sit præsens humanitati, & non immutet illam ad videndum, & fruendum. Tùm 4. beatitudo, si est in essentia animæ, multò magis erit in potentijs, sed vi vnionis hypostaticæ essentia animæ est beata, ergo ex vi huius vnionis etiam potentiæ necessariò erunt beatæ; min. prob. quia anima non potest magis beari, quàm cum sit vnum aliquid cum Deo, intimiùs autem nequit esse Deus animæ, quàm per vnionem hypostaticã. Tùm 5. natura, quæ eleuatur ad summum esse eleuatur etiam ad sũmum

agere

agere, sed vnione hypostatica natura eleuatur ad summum esse, scilicet diuinum, ergo ad summum agere, quod est frui.

88 Resp. ex Scoto cit. præter ea, quæ disp. 2. q. 6. diximus de comparatione harum vnionum, quòd vnio hypostatica est summa gratia, sumendo gratiam, nõ pro habituali, sed pro Dei voluntate, licèt ad istam de facto comitetur summa gratia habitualis; vnde D. Aug. loquitur de facto, quia loquitu de rebus per tempus ortis, non de possibili, quomodò vnio hypostatica potest esse sine beatifica, & gratia habituali. Addo, quòd de possibili non implicat, hominem habitu gloriæ informatum non frui Deo, & consequenter, neque hominem hypostaticè vnitum non frui Deo. Ad 2. ex eodem Scoto, quòd loquitur D. Aug. de possibilitate, non de necessitate, itaut sensus sit, quòd si illud est possibile, multò magis istud, non tamen, quòd idem, qui est filius hominis, sit necessè Filius Dei per gratiam; imò potest authoritas exponi, non de eodẽ Filio Dei, qui simul sit filius ex gratia, sed de alio distincto, qui cum sit filius naturalis hominis, potest ex gratia fieri Filius Dei, quia & filius naturalis Dei potest fieri filius hominis; nõ tamen sequitur necessitas fruitionis, & filiationis ex gratia, & beatitudine. Ad 3. distinguo min. Deus ex vi vnionis sit præsens humanitati, secundùm esse personale, concedo, vt obiectum beatificum, nego, aliter humanitas esset vnita tribus personis; cum probatur de luce, nego paritatem, quia lux est obiectum naturale, & consequenter quando est præsens, necessariò immutat; Deus autem est obiectum volontarium, si vult, videtur, si nõ vult, non videtur, licèt sit intimè præsens. Ad 4. argumẽtum supponit, beatitudinem prius esse in essentia, postea in potentijs, quod est falsum, quia beatitudo consistit in operatione, & actu secundo ex Scoto 4. d. 49. q. 1. & 2. & consequenter priùs est in potentijs, & deinde redundat in essentiam; hinc neg. min. ad probat. respondeo, fit ex vi vnionis hypostaticæ vnum cum Deo in ratione obiecti beatifici, & quò ad actum secundum, nego, in esse personali, & quò ad actum primũ, concedo, sed nihil ad rem. Ad 5. maiorem esse veram, quando natura eleuitur ad summũ esse quidditatiuè, & essentialiter, quia tunc augentur vires potentię, non tamen, quando eleuatur personaliter, & hypostaticè, vt est in proposito, nisi de congruo, non autem necessariò.

89 Tertiò arguitur immediatè, quòd vnio hypostatica sit de potentia Dei absoluta cum peccato incõpossibilis. Si Verbum potest assumere naturam peccatricem, sequeretur, quòd per communicationem idiomatum valeret dicere, Deus peccat, vel potest peccare, sicut de alijs prędicatis dicitur, scilicet quòd Deus est passus, crucifixus, mortuus, & sepultus, quia verè istæ actiones conuenerũt humanitati Christi; consequens autem est falsum, quia quod per talẽ communicationem de Deo dicitur, peculiari modo ab ipso assumitur, approbatur, & quasi deificatur, estque venerabile, repugnat autem hęc dignitas peccato. Accedit, quòd dicere Deum mori non horrescit hominum mens, sicut dicere Deum peccare, non alia ratione, nisi quia non adest repugnantia inter Deum, & hoc prædicatum mortis, vt saltim per communicationem idiomatum nequeat Deo conuenire, vnde dici solet causa, & auctor mortis; at inter Deũ, & peccatum adest maxima repugnantia, quoniam nullo pacto Deus dici potest causa, & auctor peccati,

90 Resp. concedendo sequelam, quia conuenire aliquid Deo ratione communicationis idiomatum est illi conuenire secundùm extrinsecam tantùm denominationem, non autem formaliter, & eliciitiuè; hinc sicut per communicationem idiomatum dicitur de Deo mori, quod immediatè repugnat ipsi essentię diuinæ, cur non possit dici peccatum, quod solùm formaliter opponitur bonitati diuinæ? negatur igitur falsitas, & ad probationem dico, assumptum de facto verificatur, quia quodlibet opus Christi fuit bonum, & per consequens capax illius dignitatis, non tamen esset verum de possibili, non enim eodem modo opus bonum, & malũ tunc dicerentur de Deo, nam opus bonum dicitur de Deo, non solùm secundùm extrinsecam denominationem, verùm etiam vt id, ad quod Deus habet voluntatem antecedentem, at opus malum diceretur de Deo solùm secundùm extrinsecam denominationem, non tamen Deus haberet voluntatem ad illud, sed potiùs auersam. Per quod patet ad confir. ex hoc enim quòd Deus nequit dici causa peccati, solùm sequitur, non posse dici peccare elicitiuè, non autem non posse dici secundùm extrinsecam denominationem; neque mors, passio, &c. de Deo dicũtur, quia potest esse causa illorum, sed propter vnionem hypostaticam, quæ est ratio, vt attributa vnius naturę de altera in concreto prædicentur; quare quòd Deus sit, vel non sit causa illius attributi, per accidẽs se habet ad communicationem idiomatum. Non igitur peccatum, licèt de Deo dictum, esset venerabile, deificatum, &c. quia peccatum est incapax horum attributorum, sicut si Verbum assumeret equum, hinnitus non est venerabilis, & licèt crux ratione contactus sit adorabilis, non tamen manus percutientis Christum in maxilla; vt suo loco dicemus.

91 Hæc responsio elicitur à Durando, Rubiono, & alijs, estque plausibilis Hurtado, Lugo, & Bernal, quanquam sint acerrimi hostes nostræ sententiæ; attamen à P. Vulpes disp. 9. art. 4. vt impia reijcitur, & ex terminis contradictoria; quia, inquit, communicatio idiomatum fit in prædicatis explicantibus dumtaxat vnionem, & non in prædicatis vnionem auferẽtibus, vnde non fit in prædicatis vtrique naturæ repugnantibus, sicut est peccatum præseferens defectum à regula superioris, exinde repugnans Deo, sicut ei repugnat habere superiorem. Quare respondet ipse, in peccato duo esse, scilicet materiale, quod est actus peccaminosus, & causatur à Deo, & formale, quod est priuatio conformitatis ad legẽ superioris; quod nullo pacto causatur à Deo; in casu quòd Christus peccasset, scilicet mentitus fuisset, materiale mendacij denominaret Deum per idiomatum communicationem, foretque opus theandricum, non formale mendacij, quod re verà Deo contradicit, quia nequit habere superiorem, cui teneatur conformari.

92 Sed ista impugnatio cum respõsione falsa quidẽ est, & nullo fundamento innixa; nam cum ait, communicationem idiomatum non fieri in prædicatis auferentibus vnionem, & vtrique naturæ repugnantibus, vel intelligit de prædicatis ambabus naturis repugnãtibus, vt v.g. esse irrationale, & hoc est verum, nam ex ista vnione facta à Verbo cum humanitate non sequitur dici, Deum esse irrationalem, sed nihil ad rem, quia peccare, vel posse peccare non repugnat humanitati; vel intelligit de prædicatis vni naturæ repugnãtibus, & hoc est falsissimum, & contra fidem, quia sic omnis idiomatum communicatio tolleretur de medio,

dio, nec Deus dici potest mortuus, crucifixus, & sepultus, nec homo omnipotens, infinitus, omnisciens. Deinde quæro, quo sensu intelligit, hoc prædicatum *peccare* ex se auferre vnionem; nam si vult asserere, ad positionem peccati statim vnionem hypostaticam destrui, iam consentit Aduersarijs ponentibus incompossibilitatem peccati cũ vnione; vel intendit astruere, auferre vnionem, quia repugnat Deo, ergo omne aliud prędicatum Deo repugnans auferret vnioné, talis esset mors, passio, &c. Rursùs responsio non soluit; nam si formale peccati ideo non tribuitur Deo, quia non habet superiorem, cui se non conformet, ergo quia non habet superiorem causam, à qua destruatur, & occidatur, non posset dici occisus; sicut ergo sufficit, vt dicatur occisus, quòd humanitas habeat hanc causam, à qua occidatur, ita sufficiet, vt formale peccati denominatiuè dicatur de Deo, quòd humanitas habeat talem regulam superioris, à qua discordet. Tùm quia etiam per communicationem idiomatum dicitur, Deum esse subditum hominibus, fierique inferiorem, ergo habere superiorem dicitur hoc modo de Deo. Omitto illud, quod ait, Deum non esse causam peccati pro formali, quia non habet superiorem; hæc enim ratio licèt sit sufficiens, cur Deus non possit peccare, non tamen est valida, vt Deus nõ dicatur causa peccati; vt fusiùs in Tract. de Peccatis. Vera igitur est nostra responsio, & nihil impietatis apud Viros doctos continet.

93 Quartò arguunt (estque impugnatio præcedentis responsionis) data nostra sententia sequeretur, peccatum, nõ solùm denominatiuè dici de Deo, sed etiã vt ab ipso principaliter causatum, dicique, Deum peccare, non solùm denominatiuè, sed vt causam principalem, quod implicat; sequela prob. dupliciter. Primò, quia actiones sunt suppositi tanquam à principio *Quod*, & à causa principali, naturæ verò, vt à principio *Quo*, & causa quasi instrumentali. Addit Bernal disp. 43. num. 26. & seq. natura pendet à supposito Verbi à priori, & tanquam à causa particularissima, sustentante immediatè, quia productio humanitatis fuit formaliter ipsamet assumptio à Verbo, accidentia verò naturæ à priori quoque dependent à supposito Verbi tanquam à causa particularissima, sed mediatè sustentante, quæ munera exerceret subsistentia creata, si fuisset in natura assumpta, ergo si humanitati Christi conueniret peccatum, iam tale peccatum à priori penderet à Verbo tanquam à causa particulari mediante sustentante; & hæc est vis illius axiomatis, *actiones sunt suppositorum*.

94 Deinde probatur eadem sequela, quia Deus eoipso, quòd assumit aliquam naturam, tenetur illã regere, & gubernare, nè incidat in peccatum, & à lege diuina deflectat, non quòd Deus habeat legem aliquam superioris obligãtem ad hanc specialem gubernationem, quia nullum superiorem agnoscit, sed tenetur ex sua innata bonitate, vnde si contrarium faceret, efficeret saltim contra rectum dictamen rationis, & consequenter esset causa illius peccati; assumptum prob. quando plures naturæ, & appetitus sunt in eadem persona, ad superiorem spectat, regere inferiorem, vt patet in homine, in quo appetitus sensitiuus regulatur à rationali, idem etiam apparet in vita ciuili, nam maritus tenetur regere vxorem, pater filium, Rex subditos, &c. & si hoc à superiore negligeretur, defectus vt voluntarij ipsi tribuerentur, ergo quia Verbum assumpsit in vnitate personæ naturam humanam, tenetur illam regulare, nè in suis operationibus erret, aliter errores essent Deo imputabiles vt causæ principali, eò quia hæc obligatio multò magis reperitur in Verbo, cui nulla neghgentia potest attribui, omniaque cognoscit, quæ possunt euenire, & euitari.

95 Resp. neg. seq. ad primam probat. patet ex dictis disp. 1. q. 1. qualiter suppositalitas non est naturæ ratio agendi, neque suppositum habet (quando est alterius naturę) aliquem influxum in actiones illius naturæ, seu formæ, vt patet in aqua calida, quæ dicitur calefacere solùm secundùm vltimã denominationẽ, non elicitiuè, aut influxu physico; quando autem dicitur, naturam esse instrumentum suppositi diuini, vel est sermo de actionibus miraculosis, vel si de omnibus, est locutio hyperbolica propter dignitatẽ suppositi; propriè tamen actiones à natura prouenunt. Additũ à Bernal iam ostendi esse falsum disp. 2. nu. 46. & seq. quia productio humanitatis fuit ab actione vnitiua distincta; hinc falsum est, Verbum esse causam naturę, quia nequit Verbum exercere aliquem influxum physicum erga naturam, quin aliæ diuinæ personę etiam influant; quod etiam confirmari potest ex hoc, quòd Angelus secundùm communem opinionem nequit producere aliquem effectum materialem præter localem motum, & tamen si assumeret naturam humanam, quod esse possibile, concedunt Aduersarij, adhùc diceretur tanquam suppositum humanitatis producere effectus materiales, quod intelligi debet solùm secundùm vltimam denominationem; falsum igitur est, actiones peccaminosas à priori pendere à Verbo tanquam à causa mediatè sustentante; quia si per impossibile natura esset sine supposito, posset vtique operari; Potest quoque retorqueri argumentum de passionibus, ad quas deberet in sententia ipsorum suppositum specialiter subiectiuè cõcurrere, nam non magis actiones, quàm passiones dicuntur esse suppositi, quod tamen Verbo repugnat.

96 Ad secundam probationem respondeo, non inferre necessariò impeccabilitatem, admissa enim ista lege, & decreto ad dirigendam naturam assumptam, sufficeret pro istius legis adimpletione, quòd Deus suis auxilijs efficacibus prohibeat lapsum in peccatũ, vt fecit cum B. Virgine, & cum omnibus confirmatis in gratia; ex quo non sequitur absolute impeccabilitas, nam potentia proxima peccandi stat cum auxilio efficaci, non enim excluditur libertas, sed tantùm ponitur infallibilitas ad non peccandum, ergo ex ista lege non necessariò teneretur Deus ad denegandum concursum paratum respectu peccati, ex qua sola denegatione tollitur potentia proxima peccandi. Accedit, quia positis auxilijs, & concursu parato, quòd postea illa natura non peccet, magis ascriberetur directioni illius personæ, quàm si suspenderetur concursus, ergo potentia proxima ad peccandum non repugnat directioni diuinæ. Quod quidem magis ostenditur, quia non repugnat modò in Christo esse potentiam remotam ad peccandum, ergo neque repugnaret de possibili simplex potentia proxima, prob. conseq. ratio, cur potentia remota non implicat, est, quia illa potentia conuenit naturæ ex finitate propria, quæ nequit auferri, nisi etiam totaliter voluntas destrueretur, idem quoque diceretur de potentia proxima, quòd supposito diuino concursu parato esset in Christo ex finitate naturę; præcipuè quia potentia proxima à remota differt extrinsecè ex cõnotatione diuini concur-

fus

superari. Tùm quia potentia proxima ad peccandū non est culpabilis, quia stat cum gratia, ergo non apparet ratio, cur implicet cum vnione hypostatica.

97 Deinde, si argumentum valeret, concluderet etiam in nobis, quòd teneretur Deus nos regere, & omnia peccata impedire medijs auxilijs efficacibus; quod probatur eadem prorsus ratione. Neq; ex hoc, quòd Verbum sit hypostaticè vnitum naturæ, teneretur Deus, strictiori vinculo peccata assumptæ naturæ impedire, quàm nostra; vt inquit Auersa. Falsū etiam est assumptū; quia ista obligatio oritur per Aduersarios ex deformitate peccati, quod adeo est enorme, vt quilibet teneatur illud vitare, non solùm in seipso, sed etiam in quolibet alio, si potest, & maximè in inferioribus, ergo idem de Deo esset dicendū, quamuis ex vnione hypostatica adhùc magis teneretur. Sicut igitur ex hoc, quòd Deus præbet auxilia sufficientissima, quibus possemus nos quodlibet peccatum vitare, non dicitur illa causare; sed potiùs ex seipso odio habere, & adhùc nos regere, & gubernare, idem diceretur de natura assumpta cum potentia ad peccandum, Deum scilicet auxilia sufficientia præbendo illi naturæ, satisfacere perfectè huic obligationi regendi, & gubernandi inferiores, nè labantur in peccatum.

98 Dices, Patres impeccabilitatem Christi multoties referūt in diuinam directionem; ita Cypr. Ambr. Dam. & alij apud Suarez, sed præcipuè Epiph. dicēs; *Si supernè perfectus est, etiam infernè, quòd si infernè imperfectus esset, etiam supernè*; quibus verbis clarè conuincitur, eandem ferè necessitatem impeccabilitatis esse in Christo vt Deo, & vt homine, quia peccatum Christi hominis refunderetur in Deum. Resp. concedendo Christum impeccabilem, quia directum à Deo, nego tamen, hanc directionem ortam ex aliqua obligatione in Deo, neque hoc asserunt Patres. Nec verba Epiphanij vrgent, quia non fideliter adducuntur, vt etiam aduertunt Vasq. & Lugus, ait enim, *Si supernè imperfectus est, etiam infra imperfectus est, si verò supernè perfectus est, etiam infra perfectus est*; quæ authoritas est verissima de facto, & de potentia Dei ordinaria, vt diximus ad 1.

99 Quintò data hac sententia, sequeretur, Verbū fore odibile à Deo, damnabile, & punibile, quę omnia implicant; sequela prob. quia peccator secundum totam suam entitatem est obiectum diuinæ displicentiæ, & damnationis, quamuis ratio formalis displicētiæ sit peccatū; ergo si natura à Verbo assumpta peccaret, secundùm totā suam entitatem esset Deo odibilis, in qua includitur suppositalitas Verbi tanquam vltimum complementum ipsius naturæ. Tùm 2. gratia vnionis physicè repugnat peccato, physicè postulat producere gratiam habitualem, & vnionem beatificam, ergo est cum peccato incompossibilis. Neq; dicas, hoc esse verum de potentia ordinaria, nō de absoluta, sicut v.g. octauus gradus frigoris est physicè cum primo gradu caloris incompossibilis secundùm potentiam ordinariam, absolutè tamen possunt simul esse. Non valet, quia quando Deus conseruat duo repugnātia in eodem subiecto secundùm suam potentiā absolutam, agit tunc vt causa specialis specialiter illa duo simul conseruans, ergo si de potentia absoluta vnio hypostatica, & peccatum possent simul esse, tam Deus ambo specialiter conseruaret, & per cōsequens esset specialis causa peccati, quod implicat.

100 Resp. neg. seq. ad probat. verum est assumptum de supposito propriæ naturæ, non autem necessariò est verum de supposito alienæ naturæ, ratio discriminis est, quia suppositum propriæ naturæ non habet, vnde possit esse gratum Deo, & consequenter erit simul cum natura odibile, at suppositum alienæ naturæ potest esse gratum Deo ratione propriæ naturæ; idcirco totus discursus fuit; præcipuè quia vt terminat alienam naturam, merè naturaliter se habet, non liberè, ideoq; si natura assumpta peccaret, non posset propriè peccatum attribui supposito vt causæ morali, quia non concurrit ad illud peccatum ex propria voluntate. Exemplum est de Angelo assumente naturam humanam, quæ vtique posset peccare, non obstante vnione beatifica in Angelo, & tunc Angelus esset gratus Deo ex sua natura, sed inuisa esset natura assumpta. Quòd si contendas, saltim per communicationem idiomatum Verbum posset dici odibile, punibile, diabolus, &c. hoc nō repugnaret, quia solum esset iuxta illum extrinsecam denominationem, quod etiam de Angelo diceretur; quod magis patebit ex dicendis. Ad 2. vtiq; curreret argumentum, cum impugnatione, si repugnantia inter vnionem, & peccatum esset physica, & ex natura rei, & physicè peteret producere visionem beatificam; sed hoc in nostra sententia est falsum, quia est tantùm repugnantia moralis.

101 Sextò; de fide est, Christum vt hominem esse Filium Dei naturalem, aut saltim proprium, & consubstantialem ex dictis disp. 9. q. 1. ergo de fide est, Christum vt hominem esse prorsùs impeccabilem, etiam spectata Dei potentia absoluta; conseq. prob. filio naturali debetur in eodem momento, in quo est filius, hæreditas, aut saltim bona illa, quæ cum vita parentis sunt compossibilia, vt sunt honor, dignitas, alimenta, &c. ergo statim ac Christus fuit filius naturalis Dei, habuit ius in hæreditatem, vt inquit Apost. *Quòd si filius, & heres*, ergo peccatum est incompossibile simpliciter cum filiatione Dei; conseq. prob. quia implicat, eundem hominem simul habere ius in hæreditatem, & non habere ius, Christus propter filiationem habet ius expeditum, si autem haberet peccatum mortale, vel originale, non haberet ius, & si haberet peccatum veniale, non haberet ius expeditū, sed impeditum, quia pro illo tunc non deberetur gloria, ergo &c.

102 Resp. hæc omnia non improbare potentiam proximam peccandi, quæ est compossibilis cum omni iure ad hæreditatem, quia ista non est culpabilis; solùm impugnare actum peccaminosum. Respondeo tamen ex dictis disp. 9. q. 1. art. 2. & 3. Christum Dominum vt Deum esse Filium Dei naturalem, vt hominem esse Filium Dei proprium, & consubstantialem, quæ duo valde differunt; ius ad hæreditatem competit filio naturali, filio autem proprio solùm cōuenit congruentia quædam in hæreditatem. Insuper ex dictis ibi nu. 39. filiatio in Christo fundatur in gratia habituali, vnde si Verbum assumpsisset naturam in puris naturalibus, ille homo, licet fuisset substantialiter Deo vnitus, non tamen esset Filius Dei hac filiatione. Ex quibus patet responsio ad argum. nam negatur conseq. & ad probat. negatur etiam conseq. quia Christus vt homo non fuit filius propter vnionē hypostaticam, sed propter gratiam habitualem, quę filiatio non fuit adoptiua, vt in nobis propter extraneitatē, sed propria, & consubstantialis propter vnionem hypostaticam.

103 Septimò, humanitas Christi propter vnionem ad Verbum fuit infinitè sanctificata substantialiter, siuè infinitè in genere sanctitatis participatæ, siuè sola vnione, siuè sola personalitate, siuè etiam Deitate, parùm refert, ergo in sensu composito huius vnionis repugnat human tati non solùm peccatum, sed etiam potentia peccandi; conseq. prob. quia da oppositum, & sequeretur, humanitaté non fuisse infinitè, & summè santificatam, quia posset alia perfectior sanctificatio excogitari, scilicet illa, per quam naturæ sanctificatæ repugnat quodlibet peccatum. Tùm quia sanctitas summa reddit subiectum, summè sanctum, & per consequens summè amabile, & gratum Deo ratione suæ pulchritudinis in ordine ad hæreditatem, cui conceptui repugnat peccatum, quod reddit subiectũ odibile, & inuisum Deo. Antec. prob. tùm authoritatibus Patrum asserẽtium, humanitaté Christi propter vnionem ad Verbum fuisse deificatam, & vnctam ipsa Deitate, vnde explicant hanc vnionem exemplo ferri in fornace igniti, ponuntque differentiam inter Christum, & cęteros Sanctos, quòd isti participatiuè dicuntur Sancti, Christus verò substantiuè; hinc D. Aug. lib. 2. de Incarnat. Verbi ad medium, ait, *Oleo ergo lætitiæ vngitur, cum Verbo Dei immaculata fæderatione coniuncta est, & per hoc sola omnium animarum incapax fuit*; & infra, *Ista anima aliter oleo lætitiæ, idest Verbo Dei, & sapientia vngitur, & aliter participes eius, idest Sancti Prophetæ, & Apostoli, illi enim in odorem vnguentorum eius cucurrisse dicuntur; ista veri anima vasculum vnguenti ipsius fuit, ex cuius fragrantia participes digni quiq; Prophetæ, & Apostoli fiebant. Sicut ergo aliud est vnguenti odor, & alia est vnguenti substantia, ita & aliud est Christus, & aliud participes sui. Et sicut vas ipsum, quod substantiam continet vnguenti, nullum genus potest aliud recipere liquoris, ita anima Christi velut vas, in quo inerat substantia vnguenti, impossibile fuit, vt contrarium reciperet odorem*; quæ authoritas probat antecedens, & consequentiam. Tùm quia esse sanctum est habere in se aliquid diuinum, seù participare diuinitatem, sed vniri Verbo est habere in se aliquid diuinum, seù verè, & physicè participare esse diuinũ, ergo humanitas vnione hypostatica fuit substantialiter sanctificata. Tùm quia perfectiùs participat humanitas de esse diuino per vnionem hypostaticam, quàm per gratiam habitualem, quia vnione hypostatica realiter vnitur Deo, gratia verò solùm participatiuè & moraliter, sed per gratiam habitualem sanctificatur formaliter, ergo perfectiùs santificatur per vnionem hypostaticam.

104 Resp. hanc rationem vim sumere ex illo principio, quòd gratia, & peccatum, & vnio hypostatica physicè inter se opponantur, quod in nostra sententia est falsum, quia solùm demeritoriè, & moraliter repugnant, nec gratia ex natura rei reddit hominem sanctum, & Deo carum, sed ex ordinatione diuina; idem quòq; dicendum de vnione hypostatica, quòd scilicet ex ordinatione diuina sanctificet humanitatẽ, & perfectiùs vtiq; in ordine actus primi, quàm gratia habitualis, reddatq; humanitatem quò ad actum primum obiectum dilectionis diuinæ, & in hoc sensu intelligũtur Patres. De possibili verò hæc vnio est cum peccato compossibilis, quo pacto non sanctificaret humanitatem secundùm totum esse, scilicet essentiale, & personale, sed secundùm esse personale tantùm, at secũdùm esse essentiale humanitas illa esset Deo inuisa, & obiectum odij; nec implicat, idẽ sub diuersa ratione esse obiectum actuũ oppositorum; sicut si Angelus assumeret humanitatem peccatricem, hic homo constitutus esset dilectus à Deo secundùm esse personale, & auersus secundùm esse humanum.

Quapropter ad argumentum in forma respondeo negando antecedens de possibili loquendo, ad primã probationem ex Patribus iam dixi, loqui de facto, & potentia Dei ordinaria, de possibili tamen illa vnio nõ sanctificaret humanitatem, sed solùm illam redderet infinitæ Sanctitati diuinæ vnitam. Ad 2. probat. verum est assumptum de facto, quia ex ista participatione fit humanitas obiectum diuinæ dilectionis; at de possibili est falsum, quia licèt humanitas quò ad esse personale participaret esse diuinum, nõ tamen quò ad esse substantiale diceretur sancta, quia talis denominatio nõ posset conuenire humanitati propter peccati obicem; sicut si Verbum vniretur lapidi, non tribueret lapidi hunc effectum sanctitatis propter ipsius incapacitatem, & tamen lapis quò ad esse suppositale participaret esse diuinum. Ad 3. probat. patet ex dictis.

105 Ex his facilè deducuntur solutiones aliarum quæstionum in hac materia, an scilicet Christus potuerit habere reatum pœnæ, vel per peccatum potuerit amittere vnionem hypostaticam, sicut iustus per peccatum potest amittere gratiam, & aliarum similium; quibus affirmatiuè respondendum est de potentia absoluta, quia minus est hoc, quàm actuale peccatum; & multò magis id erit affirmandum de alijs defectibus, qui ex se ipsis nõ sunt culpabiles, vt est ignorantia, error, & similes.

Quæstio Quarta.

An voluntas humana Christi habuerit actus absolutos, & conditionatos, seu efficaces, & inefficaces.

106 HAnc, & sextam quęstionem Scotus in 3. d. 15. q. vn. complectitur, & quoniam more consueto distinctissimè, & adæquatè, nõ superficietenùs tantùm vult omnia declarare, est ibi multùm difficilis; conabor tamen breuiter, & faciliter suam sententiam aperire.

107 Primò itaque sciendum ex Scoto cit. litt. K. & in 2. d. 24. quòd ratio in homine, etsi pressius intellectum significet, consueuit tamen significare omne id, per quod homo differt à brutis, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem, & ratio in hoc sensu accepta diuiditur à D. Aug. 12. de Ciuit. c. 2. 3. 4. & 14. in portionem superiorem, & inferiorem, quę diuisio ab eodem Aug. & strictè, & largè sumitur. Portio superior strictè sumpta est illa, quæ sola æterna respicit, & diuina, ita quòd intellectus, & voluntas, quatenùs habent pro obiectis solas res æternas, & circa considerationem, & volitionẽ æternorum versantur, dicuntur portio superior: largè verò sumitur, prout non solùm æterna, sed creaturas quòq;, & temporalia respiciunt, in ordine tamẽ ad ęterna, & secundùm regulas æternas, & supernaturales. Portio verò inferior, prout à superiori primo modo sumpta condistinguitur, sunt intellectus, & voluntas, quatenùs versantur circa temporalia, & creata, siuè in ordine ad æterna (quomodò cum portione superiori in secundo

sensu

sensu coincidit) siue in se, & absolutè: portio inferior concreta à superiori in secundo sensu sunt intellectus, & voluntas, quatenùs versantur circa temporalia absque ordine ad superiora; vel secundùm regulas à Philosophis traditas: Exemplum; quando intellectus iudicat, Deum esse diligendum propter se, & voluntas diligit, dicitur portio superior primo modo; quando iudicat, proximũ esse diligendum in ordine ad Deũ secundùm regulas æternas, & voluntas vult, dicitur portio superior largè, & portio inferior, vt opponitur superiori primo modo; quando verò iudicat, bonum commodum esse diligendum, & noxium fugiendum, & voluntas vult, dicitur absolutè portio inferior. Vbi aduertendum, quòd istæ portiones non sunt duæ potentiæ distinctæ realiter, vel formaliter, ita vt sit alia potentia intellectiua, vel volitiua superior, alia intellectiua, vel volitiua inferior, sed sunt omnino eadem potentia, quæ in istas portiones diuiditur, quatenùs indiuersis actibus occupatur, & circa diuersa obiecta cum discrimine assignato; quemadmodũ intellectus practicus, & speculatiuus non sunt duæ potentiæ formaliter distinctæ, sed eadem, vt actui speculatiuo, vel practico subest.

108 Secundò sciendum ex eodem ibidem litt. O, & in 2.d.1.q.4. & 4.d.49.q.9. quòd voluntas potest dupliciter considerari, vel vt natura, vel vt potentia libera, & vtroque modo habet velle, & nolle, itaut voluntas vt natura habet velle, & nolle naturale, vt libera, habet velle, & nolle liberum, cum hac tamen differentia, quòd vt natura nõ habet velle, & nolle, tanquam actus elicitos, & verè productos ab ipsa voluntate vt natura, vt falsò putant Thomistæ; ratio est, quia vt ostendi in lib. de Anima disp. 7. q. 1. & 2. nequit idem principium habere duplicem differẽtiam essentialem operandi, quales sunt naturalitas, & libertas. Tùm quia isti actus non essent in potestate voluntatis, ergo præsentato disconuenienti obiecto, necessariò voluntas circa illud haberet nolle, v.g. circa mortem, vnde dicebat Apost. 2. Corinth. 5. *Nolumus expoliari* & tamen voluntas vt libera potest illam velle, sicut idem Apost. ad Philipp. 1. *Cupio dissolui*, ergo voluntas simul eliceret circa idem obiectũ actus oppositos, quod implicat. Dicendum est igitur, quòd isti actus naturales nihil aliud sunt, quàm inclinatio ipsius voluntatis ad propriam perfectionẽ, scilicet ad prosecutionẽ obiecti conuenientis, quod est obiectum naturale, & ad fugam disconuenientis, quod est nolle, quæ inclinatio est inseparabilis à voluntate, sicut quælibet alia inclinatio cuiuscunque rei. Vt verò libera, habet illos actus de nouo elicitos, & liberè: qui actus eliciti possunt distingui in absolutos, seù efficaces, & in conditionatos, seù inefficaces ex Scoto d. 15. cit. F. & 2. d. 6. q. 1. prior actus est, qui est principium operãdi, & mouet ad executionem, explicaturque hac voce *Volo*; posterior cõsistit in simplici complacentia boni, vel displicentia mali, quando scilicet aliquis nollet rem aliquam, quantùm in se esset, tamen in aliquo casu vult illã, vel vellet rem aliquam, quantùm in se esset, sed ob aliquam circumstantiam non vult illam, & enunciatur per *Nollẽ, si possem aliter*, vel *Vellem, si non adesset impedimentum*; quamuis hæc distinctio in actum absolutum, & conditionatũ possit quoque actui inefficaci adaptari, vt absolutus sit simplex velleitas impossibilis, conditionatus sit volitio alicuius impossibilis cum aliqua conditione. Quòd autem dentur isti actus inefficaces & conditionati, ostendi in lib. de Anima disp. 7. num. 102.

109 Tertiò aduertendum ex loco sæpè cit. litt. O. quòd in voluntate tàm vt natura, quàm vt potentia libera est distinguere portionem superiorem, & inferiorem, voluntas enim vt in propria obiecta inclinatur, quia in illa fertur secũdùm naturalem ordinem obiectorum, idcirco primò inclinatur in Deum tamquam primum, & summum perfectiuum ipsius; secundò in alia obiecta, quatenùs sunt aliquo modo perfectiua, & ad Deum ordinabilia, aliter non esset ista inclinatio perfecta; & hoc modo dicitur portio superior largè: insuper quia voluntas nõ solùm in propria fertur obiecta; verùm etiam propter colligantiam, quam habet cum appetitu sensitiuo, nata est inclinari in obiecta talia appetitui conuenientia, & refugere disconuenientia, secundùm istum ordinem dicitur portio inferior, quia vt sic ita se habet, ac si ad æternum referri non posset. Dicitur etiam voluntas vt libera portio superior, & inferior, quatenùs habet, & elicit actus illos explicatos nu. 108. qui actus possunt esse absoluti, & conditionati.

110 Tandem accipiendum ex litt. K. quòd voluntas animæ Christi, loquendo de obiectis alijs à Deo, potest ad tria comparari: primò ad fruitionem, tàm propriam, quàm alienam, secundò ad iustitiam, seù bonitatem quamcunque ordinatam ad fruitionem, quæ in actibus reperitur, & hoc vel in se, vel in alijs; tertiò ad bona media, & infima sibi, & alijs, vt sunt bona temporalia. Circa prima duo obiecta patet, quòd nõ potuit habere nisi volitionem, & circa opposita, vt sunt carentia fruitionis, & iustitiæ, seù peccata, nolitionẽ, & hoc secundùm vtramque portionem, aliter non fuisset recta: siuè enim fruitio ostẽdatur per regulas æternas, idest per doctrinam reuelatam, siuè per regulas temporales, & per doctrinam à Philosophis traditam, est volibilis, & oppositum est nolibile, quod etiam est dicendum de iustitia, seù bonitate actuum. An verò isti actus fuerint efficaces, vel inefficaces; dici posset fuisse efficaces, patet, quia debebat Christus conari, quantùm erat in sua humana potestate, vt homines auerteret à peccatis; ergo erant actus efficaces, licèt postea propter malitiam hominum non fuerit talis voluntas adimpleta, oppositum est verius, vt infra.

Circa Deum etiam nõ potuit habere nisi actũ volitionis tàm naturalis, quàm liberæ; patet de naturali, quia quælibet voluntas habet volitionem naturalem, seù inclinationem ad bonum; de libera patet, quia ex dictis non poterat peccare. Tota difficultas est circa tertium obiectum, sub quo sanitas, & vita illius indiuidui continetur, cuius oppositum fuit passio, & mors ipsius Christi; videndum est igitur, quomodo se habuit voluntas animæ Christi circa propriam passionẽ, & mortem, quos actus habuit secũdum vtramque portionem, tàm vt natura, quàm vt libera.

111 Dico primò, loquendo de voluntate vt natura, voluntas animæ Christi habuit nolle naturale, idest inclinationem ad fugam respectu passionis tanquam sibi disconuenientis, & hoc secundùm vtramque portionem. Prima pars, quòd secundùm portionem superiorem vt natura habuit nolle naturale, est Scoti cit. litt. P. & probatur, voluntas vt natura, & secundùm portionẽ superiorẽ inclinatur ad sũmum bonum, scilicet beatitudinẽ, tanquã sibi cõmodum, in ordine tamẽ ad æternũ, quia beatitudo, & bonum vitæ stant simul, ergo vt sic nolebat oppositum vitæ, scilicet mortem. Secũda pars, quòd etiam habuerit nolle naturalẽ secũdùm portionẽ inferiorem, est Scoti litt. S. & est clara, quia passio est disconueniens appetitui sensitiuo, ergo

volũtas vt natura nolebat illã passionẽ, & quatenùs colligata appetitui sẽsitiuo, & secũdũ portionẽ inferiorẽ.

112 Contra; maius bonum est naturaliter volendum, & etiam id, quod ad maius bonum ordinatur, sed redemptio humani generis est maius bonũ, quàm vita Christi ad tempus, & mors Christi ordinabatur ad illam, ergo naturaliter voluntas erat ad mortem inclinata secundùm portionem superiorem. Accedit, quòd mors Christi vt sibi disconueniens nõ est contra inclinationem portionis superioris, ergo &c. antec. prob. quia secundùm rationem sibi commodi non respicit primò æternum, sed aliquid aliud bonum proprium, magis enim est commodum alicui personæ aliquod intrinsecum, quàm extrinsecum, inclinatio autem portionis superioris est ad æternum.

113 Respondet Doctor litt. P. quòd voluntas vt natura inclinatur ad vltimum finem, tanquam sibi maximum commodum, & ad omnia, quæ vltimo fini naturaliter ordinantur, tanquam sibi commoda; quæ verò non naturaliter ordinantur vltimo fini, sed ex ordinatione diuina, non respicit voluntas naturaliter, & secũdùm affectionem commodi, sed solùm sequitur, esse magis eligenda secundùm affectionem iustitiæ. Ad propositum, mors Christi non naturaliter ordinabatur ad redemptionem, sed ex ordinatione diuina, & Dei dispositione; idcirco, & si maius bonum esset redemptio, quàm conseruatio vitæ Christi ad tempus, negatur conseq. quia nõ ordinatur mors ad illud maius bonum naturaliter, & consequenter non est magis cõmodum. Ad confir. negatur antec. cũ tota probat. Deus enim nõ solùm est summè iustum amãdum, sed etiam summũ cõmodum, & cõsequenter datur portio superior secundùm affectionem commodi, quia vt sic respicit primò æternum, & omnia in ordine ad ipsum.

114 Dico 2. voluntas vt libera absolutè voluit passionem, & eandẽ noluit cõditionatè secundùm vtrãq; portionem. Primò, quòd secundùm portionem superiorem absolutè voluerit passionem, est Scoti cit. lit. Q. & R. & prob. quia intellectus secundùm regulas æternas non potuit ostendere voluntati mortem pro illo tunc esse respuendam, sed potiùs amplectendam; aliter vel nõ rectè diuina volũtas voluisset illam mortem, vel intellectus animæ Christi errasset, quæ sunt falsa, ergo absolutè loquendo voluntas animæ Christi voluit liberè mortem, aliter potuisset peccare.

115 Deinde, quòd illam secundùm eandem portionem conditionatè noluerit, probatur ab ipso duplici authoritate, D. Aug. 13. de Trin. c. 7. & Arist. 3. Eth. c. 11. dicentium, iustum, & fortem aduersa sustinere libenter, malle tamen, vt non accidant, & si possunt, faciunt, ecce quomodò cum voluntate absoluta alicuius potest stare voluntas conditiona oppositis prob. etiam ratione, per quam etiam ostenditur, D. Aug. loqui de portione superiori, quia obiectum patientiæ, vt sunt omnia aduersa, non videtur secundũ se eligibile ex regulis æternis, quin oppositum esset eligibilius, si illud iustitia, & lex non vetaret, alioquin quare Beati nihil eligunt aduersum? ergo voluntas Christi cõditionatè noluit passionẽ secundũ portionẽ superiorẽ, hoc est, noluisset, quantùm in se erat, si omnia prospera; & iusta secundũ se appetibilia æquè fuissẽt sine ea: huc spectat illud Euãgelij, *Pater, si possibile est, trãseat à me calix iste*, ecce nolitio cõditionata, *Verũ tamẽ nõ mea, sed tua volũtas fiat*, ecce volitio absoluta.

116 Quòd autem nolitio dici debeat conditionata, & volitio absoluta, & non è contra, vt videntur loqui Thomistæ, pertinet ad modum loquendi, & ad disp. de Voluntario, & Inuoluntario; pro nunc ostenditur à Scoto lit. S. & 4. d. 4. q. 4. C. illud est simpliciter, & absolutè volitum à voluntate, quod prouenit ab ipsa, & ponitur in actu, quatenùs habet dominium in illud, patet, quia si potest non ponere, & ponit, iam simpliciter, & absolutè vult illud, sed volũtas Christi saltim secundùm potentiam remotam potuit nõ velle passionem, & tamen voluit, & potuit illam, ergo &c. sicut cum proijcit merces propter salutẽ, absolutè vult proiectionẽ mercium, quia potest non velle, si nimis amaret merces, dicitur autem nolle cõditionatè, quia nollet conditionem illam, scilicet periculum vitæ imminere. Accedit, quòd illud est absolutè volitum, quod per se intenditur, & ex cuius motiuo volũtas operatur, sed voluntas non vult passionem cum ista conditione, si scilicet rectè omnia euenirent, vult verò passionem vel propter redemptionem, vel propter attestationem veritatis, vel propter beneplacitum diuinum, ex quibus motiuis actu eligit passionem, quia isti fines ponũtur in esse, illa conditio non ponitur in esse, ergo volitio debet dici absoluta, & nolitio cõditionata. Quòd verò inuitè, & tristè eligatur, erit propter inuoluntarium admixtum, & propter illum finẽ nolitum, quia nollet voluntas animæ Christi, genus humanum in tali esse dispositione, vt redemptione indigeret, vel quòd veritati insisteret; tamen suppositis istis motiuis absolutè vult, & exit in actum; de qua re fusiùs disp. cit.

117 Tertiò, quòd etiam idem sit asserẽdum secundùm portionem inferiorem, colligitur ex Scoto sæpè cit. qui priùs ait, passionem secundùm hanc portionẽ fuisse nolitam absolutè; deinde superiùs ad argumenta docet, non esse necesse, ponere istam absolutam nolitionem, sed sufficere, ponere conditionatam, & volitionem absolutam, quæ via est expeditior, idcirco explicatur, & prob. quia ex principijs virtutum politicarum, & moralium, quæ ad inferiorem portionem spectant, infertur, mortem esse voluntariè sustinendam pro cõmuni bono, ergo cõsiderãdo bonũ cõmune hominum, ratio inferior Christi non potuit concludere, mortẽ suã esse nolẽdã, ergo vt sic nõ noluit, sed voluit ipsam, aliter si noluisset, non fuisset recta. Quòd autem habuerit nolitionem conditionatã, multo magis concluditur de portione inferiori, quàm de superiori.

118 Dices, si portio superior volũtatis debebat nolle vitam, quia ratio superior sic demonstrabat tàm ex principijs æternis, quàm ex regulis virtutum politicarum, ergo modò non posset anima Christi velle propriam vitam, quia principia semper eandem conclusionem concludunt. Resp. Doctor litt. Q. neg. conseq. ad probat. ait, hanc esse differentiam inter principia practica, & speculatiua, quòd ex istis semper infertur eadẽ cõclusio, absolutè loquẽdo, at ex illis infertur conclusio cum circumstantijs, & si circumstantiæ varientur, potest alia deduci conclusio; tunc mors Christi demonstrabatur vt eligenda, quia aderat circumstãtia volitionis diuinæ pro illo tempore, quæ circumstantia modò non adest, ideo ratio superior non ostendit modò, vitam esse nolendam, sed volendam.

119 Ex his sequitur, voluntatem animæ Christi voluisse passionem actu efficaci; noluisse verò actu inefficaci, quia actus conditionatus non est efficax, sed inefficax; tùm quia si actu efficaci noluisset, iam simul habuisset duos actus oppositos efficaces, & absolutos, scilicet volitionem, & nolitionem eiusdem mortis, quod implicat. Tùm quia sciebat iam

diuinum

diuinum decretum de subeunda morte, ergo non poterat non acceptare, & non velle mortem, aliter peccasset; at actus efficax volitionis non opponitur cum actu inefficaci, & cõditionato nolitionis eiusdẽ obiecti.

120 Hec doctrina, quamuis communior, nõ placet tamen Hurtado disp. 75. sect. 3. vbi docet, Christum desiderio efficaci refugisse mortem, & non sola velleitate; pro quo præmittit, Christum in instanti cõceptionis post actus charitatis, & aliarum virtutum independentibus à passione, quibus primam gratiam hominibus, & Angelis meruit, habuisse à Deo hanc cognitionem, *Quid ageres, si tibi pro satisfactione obeunda esset hæc mors cum his circumstantiis?* tũc Christus, quia adhùc ignorabat diuinam voluntatem ex horrore mortis permotus elicuit nolitionem mortis conditionatam, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*; cognita postea diuina volunta te, quatenùs nõnisi per ipsius mortem decreuerat, homines redimere, elicuit absolutam volitionem mortis, qua ratione dixit, *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, surgite, eamus hinc*. Quæ doctrina arridet quoq; Lugo disp. 24.

121 Ad argum. igitur respondet, concedendo, nolitionem fuisse conditionatã, negando tamen nõ fuisse efficacem, & ad probat. ait, duos actus oppositos efficaces nõ poss. simul esse, dũmodò vnus sit antecedẽs prioritate rationis, & conditionatus, alter consequens posterioritate rationis, & absolutus, negat; si ambo ex æquo se haberent, concedit; in Christo nolitio mortis fuit antecedens, & conditionata, volitio subsequens. Similiter ad aliud ait, Christum priùs ratione recusasse mortem, quàm nouerit diuinum decretum mortis.

122 Sed hæc sententia secum affert impugnationẽs; Primò quia ponit in instanti conceptionis duos actus oppositos, nam quæro, vel in posteriori rationis permãsit nolitio illa cõditionata, & sic redeunt argumenta facta, præcipue quia nolebat efficaciter mortem, quamuis sciret efficacem Dei voluntatem, vel nõ permansit, ergo instans esset diuisibile, qua ratione sæpè ostendi, non posse duo contradictoria simul esse in eodem instanti temporis, quamuis in diuersis instantibus naturæ, sed specialiter in Phys. disp. 4. q. 4. Tùm quia licèt admitteretur totum illud colloquium inter Christum vt hominem, & Deum in instanti conceptionis, adhùc non est ad propositum, quia est sermo de Christo vt in horto orante, quo tempore iam sciebat diuinam voluntatem, & mortis præceptum, iam habuerat volitionem absolutam acceptandi mortem, ad quid autem iterùm idem colloquium conficere, quasi de voluntate Patris nullam habuisset cognitionem? Respondet, quia redemptio ortũ traxit a Christo, non vt in vtero, sed vt in horto, & vt viro perfecto, hinc in præuisione Dei absoluta prior fuit existentia in horto, & oratio, dependente à qua visa est acceptio præcepti. Hoc tamen non attingit difficultatem, quia acceptatio præcepti fuit facta in primo instanti conceptionis, quamuis non fuerit adimpletum, nisi post triginta tres annos, ergo non incepit in horto, ergo neq; in præuisione Dei fuit vt in horto tantùm existens præuisa. Tùm quia adhùc argumentum stat in suo robore, quomodò Christus in horto erat inscius diuini præcepti, & poterat elicere nolitionem illam efficacem conditionatam, si à primo instanti conceptionis omnia perfectissime nouit in Verbo? Falsum igitur est, actum illum fuisse efficacem nolitionẽ mortis, sed asserendum fuisse inefficacem, conditionatum, & simplicem mortis noleitatem. Quomodò autem potuit hæc nolitio simul stare cum voluntatis Christi conformitate diuinis decretis, & cum prudentia eiusdem Christi, dicemus infra quæst. seq.

123 Instat tamẽ Hurt. ille actus debet in nobis censeri efficax volitio finis, quando ex ipsius motiuo adhibemus media ad illum obtinendum, siuè postea acquiratur finis, siuè non, parùm refert, vnde sumens medicinam efficaciter dicitur velle sanitatem, quamuis illam non obtineat, sed Christus ex odio necis adhibuit prudentissimum, & accomodatissimum medium ad fugiendam necem, ergo nolitio necis nõ fuit inefficax, sed efficax; min. prob. medium efficacissimum obtinendi à Deo gratias, est oratio, *Petite, & accipietis*, inquit Christus, sed ad obtinendam excusationem à morte Christus orauit in horto, & orationem adhibuit tanquam medium, Marci 14. *Orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora; Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me*, petiit ergo, ne mors ueniret, & hic fuit finis illius orationis. Confirmo quando nos à Deo petimus aliquod beneficium, vel omnium salutem, semper vtiq; in his petitionibus includitur diuinũ beneplacitum, si ita Deo placet, aliter imprudenter peteremus, & tamen ex hac conditione non sequitur, volitionem nostram esse inefficacem, sed est vere efficax, ergo quamuis Christus dixerit, *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*, non idcirco sequitur, Christum inefficaciter noluisse mortem, quamuis conditionate respuerit.

124 Resp. quòd media alia sunt de se efficacia ad consecutionem finis, alia inefficacia, vel non efficacia; tunc distinguo maiorem, si ex motiuo finis applicantur media efficacia, concedo, si inefficacia, nego; exẽplum habemus in voluntate diuina, quæ vult vtiq; salutem reproborum, & virtute huius volitionis exit in opus, quia præbet auxilia sufficientia ad salutem, quorum autem non dat auxilia efficacia, non dicitur volitio illa efficax, quomodo dicitur volitio salutis electorum, quibus præbet auxilia efficacia; item in humanis, qui vult sanitatem, & ex vi huius volitionis solùm adhibet remedia leuia, vel dulcia, quæ ex se tantùm mitigant morbum, nõ expellunt, non autem vult assumere remedia amara, vel dolorifera, quæ possint totaliter superare morbum, certè non dicetur volitio illa sanitatis efficax, sed inefficax; modò ad minorem respondeo, Christum ea oratione non adhibuisse medium efficax, sed inefficax, quia non habuit nolitionẽ absolutam, sed conditionatam, imò actu habuit volitionem absolutam passionis, & necis, vnde fuit simplex ostensio noleitatis, non absoluta postulatio; & præcipuè hoc est asserendum etiam in sententia Hurtadi, nam Christus poterat petere dispensationem illius præcepti ex dictis disp. 9. q. 2. art. 2. & hoc absolutè, quia erat in sua potestate, voluit tamen postulare, sed diuino decreto se subiecit, ergo non adhibuit media efficacia. Ad confirm. nego paritatem, quia in nobis illa oratio habet rationem medij efficacis, quia nescimus volũtatem Dei, ideoq; adhibemus omnia media possibilia, quæ sunt in nostra potestate; Christus autem sciebat diuinũ decretũ, sciebat potestatẽ petẽdi dispẽsationẽ, idcirco volitio illa nõ fuit efficax, sed inefficax. Vel 2. nego assumptũ, etiã in nobis, dum enim petimus aliud sub conditione diuini beneplaciti, certè absolutè volumus cõformitatem cum voluntate diuina, rem verò petitam solùm conditionatè, & inefficaciter; quod clarius apparebit ex sequenti quæstione.

Quæstio Quinta.

An voluntas humana Christi semper diuinæ conformis fuerit, & impleta.

125 QVò ad primam partem quæstionis communis est Catholicorum opinio, volũtatem animæ Christi nũquam fuisse discordem à diuina voluntate; ita extat definitum in 6. Syn. act. 4. in Epist. Agathonis Papæ, & act. 11. in Epist. Sophronij, & in Concil. Later. sub Martino 1. & expressè habetur ex Scripturis, Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuã in medio ventris mei*, qui psalmus de Christo explicatur à D. Paulo ad Hebr. 10. & Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me*, & cap. 8. *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper*, & cap. 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* Accedit ratio; si Christus operatus esset aliquid contra diuinum beneplacitum (non loquor de voluntate Dei efficaci, quia patet, neminem posse operari contra istam, vt habetur in lib. Ester c. 9. *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati*, sed de voluntate signi, cui peccator resistit, & opponitur, Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*) vel scienter hoc fecisset, & sic peccasset, vel inscienter, ergo imprudenter gessisset, quia vir prudens semper agit ex plena deliberatione, & omnibus circumstantijs consideratis, Christus igitur, quia erat prudentissimus, habebatq; perfectam notitiam diuinæ voluntatis, nõ poterat nõ attendere in qualibet sua actione diuinum beneplacitũm; nunquam igitur humana voluntas Christi fuit diuinæ voluntati contraria, sed semper conformis.

126 Sed contra instari solet ex hoc, quòd Christus aliqua noluit, quæ erant à Deo volita, & præcipuè dubitatur de morte, circa quam habuit nolitioné, quamuis Deus illam voluerit, vnde dixit, *Si possibile est, transeat à me calix iste*, & deinde expresse subdit oppositionem propriæ voluntatis cum diuina, *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*; ergo non semper Christus se conformauit diuinæ voluntati.

127 Ad huius difficultatis solutionem variè respõdent Doctores; Quidam enim aiunt, voluntatem humanam Christi vt liberam semper fuisse conformem diuinæ, & absolutè voluisse mortem, at vt naturam noluisse mortem, quæ nolitio, quia naturalis, non opponitur diuinæ. Sed falsò, quia in voluntate vt natura nõ datur actus elicitus naturalis ex dictis num. 108. tùm quia fuissent in Christo duo actus oppositi; quòd autem vnus fuerit naturalis, alter liber, nõ idcirco saluatur contradictio, quia voluntas tenderet, & non tenderet simul in idem obiectum.

128 Alij respondent, nolitionem mortis non fuisse diuinæ voluntati contrariam, quia contraria sunt de eodem, & secundum idem, modò Deus voluit Christi mortem tãquam medium redemptionis humanæ, voluntas autem Christi noluit mortem tanquam sibi disconuenientem, non ergo hæ duæ voluntates sunt de eodem obiecto formali. Sed contra, quia sequeretur, vt in plurimùm peccatorem peccando non auersari diuinæ voluntati, quia diuina voluntas prohibet mendacium v.g. quia malum in se, mẽdax autem vult illud, non quia malum, nemo enim aspiciens ad malum operatur, sed quia vtile, & idem in alijs peccatis euenit, rarissimè enim peccator intendit obiectum, quia prohibitum, sed quia vel vtile, vel delectabile, Dices, in his casibus peccatorem formaliter non auersari voluntati diuinæ, sed virtualiter, & interpretatiuè. Contra ergo saltim Christus nolendo mortem interpretatiuè fuit contrarius diuinæ voluntati, quod sufficit ad peccatum. Tùm quia in actibus voluntatis quandoq; vt adsit contrarietas, sufficit, vt versentur circa idem obiectum materiale, vt mox ostendam. Responsionem Hurtadi iam impugnaui num. 122.

129 Pro resolutione aduertendum, quòd duplex contrarietas reperiri posset in actibus voluntatis humanæ Christi, vna est inter ipsos actus ad inuicem comparatos, altera inter actus ipsius voluntatis humanæ, & inter actus voluntatis diuinæ. Primam contrarietatem admittit P. Vulpes tom. 2. partis 4. disp. 44. art. 4. quatenùs humana voluntas Christi secundùm affectionem iustitiæ volebat mortẽ, quam etiam nolebat secundùm affectionem commodi; nam non est contradictio, inquit num. 7. in genere naturæ voluntatem creatam simul elicere actus contrarios volendi idem secundùm affectionem iustitiæ, & nolendi secundùm affectionem commodi, etiam absolutè sublata quauis conditione, quia volitio, & nolitio eiusdem non procedunt ex eadem affectione. Quod etiã extendit in genere moris, vt non implicet, dari duos actus contrarios honestos, vnum, qui sit conformis regulæ superiori secundùm affectionem iustitiæ, alterum, qui sit conformis regulæ inferiori secundùm affectionem commodi. Solùm theologicè, subdit, actus illos repugnare, quia necessariò vnus esset conformis regulæ diuinæ, alter difformis, nisi hic esset cõditionatus, si scilicet nõ esset diuinũ præceptũ. Secundam cõtrarietaté admittunt Hæretici. Hanc secundã iam repulimus, non possumus autem explicare, quomodò non fuerit in Christo, nisi primam destruamus.

130 Primò itaq; falsum est, in eadem voluntate posse reperiri duos actus contrarios absolutos, & efficaces de eodem, licèt secundùm diuersam affectionem, vt asserit Vulpes, & suppono, hoc, quod est, voluntatem velle aliquod obiectum secundùm affectionem iustitiæ, circumscribere honestatem obiecti, sicut velle secundùm affectionem cõmodi circumscribere vtilitatem, itaut denotent ex parte obiecti diuersas rationes obiectiuas; sic argumentor; nequit voluntas duobus actibus contrarijs absolutis tendere in idem obiectum materiale secundùm vnam rationem, & nõ tendere in idem secundùm aliam rationem, ergo nequit voluntas elicere duos actus contrarios absolutos circa idem obiectum secundùm diuersas rationes; cons. q. patet, antec. prob. velle absolutum voluntatis non solùm quærit ponere rationem formalem obiecti, sed etiam essentiam realem obiecti, seù obiectum secundùm totum suum esse ponere à parte rei, nolle absolutum etiam quærit destruere totum esse obiecti, seù aggregatum illud ex materiali, & formali, sed implicat, voluntatem simul velle, & nolle eandem obiecti existentiam, ergo implicat etiam velle, & nolle simul secundùm diuersas affectiones. Tùm quia velle efficax ponit in esse, si potest, nolle efficax ponit non esse, ergo voluntas simul poneret esse, & non esse eiusdem. Ait, in casu volũtas operaretur iuxtà intẽsiorem actũ. Contra, ergo si actus illi essent æque intensi, voluntas simul ageret contradictoria vel nihil ageret, & sic non essent actus efficaces. Tùm quia si voluntas vult esse obiecti, ergo non vult nõ esse, & tamen nolitio obiecti est quædam volitio non esse illius, ergo quamuis esset remissior, adhùc volũtas simul vellet cõtradictoria.

Multò

131 Multò magis hoc implicat in genere moris; nam actus moraliter bonus est, qui conformatur legi superioris, & recto dictamini, sicut malus est, quia contra legem, vt nunc suppono ex Tract. de Actibus humanis, ergo nequeũt duo actus oppositi esse simul boni; prob. cõseq. quia lex præcipiens aliquid, eoipso prohibet oppositum, ergo si lex, & rectum dictamen dictat, hic, & nunc mortem amplectendam, prohibet hic, & nunc fugam mortis; nec conformitas ad regulam inferiorem, seù ad affectionem commodi constituit actũ moraliter bonum, vt docet Scotus in 2. d. 6. q. 2. § *Ad videndum*; quia vt ibi ait Doctor, affectio cõmodi est ipsa voluntas in ratione appetitus nudè considerata, quomodò conuenit cum cæteris appetitibus, nec vt sic peccat, nisi quia habet affectionem iustitiæ, quæ est libertas innata, secundùm quam tenetur moderate affectionem commodi; sicut igitur theologicè repugnant duo actus oppositi simul esse, ita quòq; moraliter, & naturaliter.

132 Quapropter dicendum, quòd volitio, & nolitio mortis non fuerunt in Christo actus contrarij; quia volitio fuit actus absolutus, & efficax, nolitio verò actus conditionatus, & inefficax, qui actus nõ opponuntur inter se, quia volitio supponit diuinum præceptum, estque mors obiectum volitionis, quatenus conformis diuino decreto, at nolitio abstrahit, & præscindit à tali decreto, imò præsupponit vt conditionẽ ablationem diuini decreti, ideoq; cum sit conditionatus actus, est compossibilis cum volitione absoluta, & consequenter nõ est illi contrarius. Exemplum habemus in ipso intellectu, nam intellectus dissentit absolute ab hac propositione, *homo potest volare*, nec potest simul habere assensum absolutũ, attamen potest habere assensum conditionatum, scilicet *si homo habet alas, potest volare*, idem de voluntate dicendum.

133 Cum igitur actus isti non sint inter se contrarij, sequitur, quòd neq; fuerint contrarij diuinæ voluntati; patet, quia volitio absoluta fuit conformis, nolitio verò, quia fuit conditionata, supponens beneplacitum diuinæ voluntatis, non fuit contraria, aliter fuisset quòq; contraria volitioni absolutę, quia in tantùm fuisset contraria diuinæ voluntati, quatenus non tenderet in obiectum volitum à diuina voluntate, ergo quia idem facit obiectum volitionis absolutæ humanæ voluntatis, iam nolitio debuisset vtriq; opponi. Imò addo, non solùm volitionem fuisse conformem diuinæ voluntati, sed etiam ipsam nolitionem. Etenim diuina voluntas vtrumq; actũ exegit in Christo, volitionem exegit tanquam necessariò requisitam ad meritum passionis, nolitionem exegit, vt magis augerentur cruciatus Christi; videns enim diuina volũtas, quòd humanitas Christi alacri animo passionem amplectebatur, maximamque lætitiam concipiebat, vnde dicebat, *Desiderio desideraui*, &c. & cõsequenter videns, quòd ex hoc interno gaudio dolores passionis parùm, vel nihil ab humanitate sentiri poterant, vt in Martiribus contigit; idcirco voluit diuina voluntas, quod humanitas Christi hanc nolitionem conditionatam eliceret, ex qua maxima tristitia ortum duxit, itaut sudor sanguineus emanarit è corpore, & remaneret humanitas omni prorsus consolatione priuata, intensiusq; mortis cruciatus perciperet, perfectissiméque satisfaceret diuinæ iustitiæ.

134 Dices, ergo si nolitio fuit diuinę voluntati cõformis, cur dixit Christus, *Non mea, sed tua voluntas fiat*? iam enim fatetur expresse, propriam voluntatẽ opponi diuinæ. Resp. nolitionem inefficacem fuisse conformem decreto diuino ipsius nolitionis, at respectu decreti diuini ipsius mortis nõ fuisse conformem, non tamen difformem, & contrariam, sed quasi disparatam, idcircò dixit Christus, *fiat voluntas tua*.

135 Secundò argui potest ex hoc, quod multa Christus efficaciter voluit in hac vita, quæ nunquam euenerunt, ergo in his voluntas humana Christi non fuit conformis diuinæ; antec. patet; tùm quia orauit pro persecutoribus, *Dimitte eis, non enim sciunt, quid faciunt*; obtulit quòq; propriam passionem pro totius mundi delictis, aliqua tamen peccata non fuerunt remissa; & clarissime Marci 7. dicitur, quòd Christus *abijt in fines Tyri, & Sidonis, & ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere*.

136 Hęc difficultas petit solutionem alterius partis quæstionis, an scilicet omnis Christi voluntas fuerit impleta. Cui dubitationi quidam distingunt, quòd ea, quæ Christus efficaciter voluit, vel erant à semetipso adimplenda, vel ab alijs, volitiones primi generis semper fuerunt impletæ, non autem volitiones secundi generis.

137 Hæc tamen responsio iam admittit, voluntatem Christi non fuisse semper conformem diuinæ voluntati; nam si aliqua efficaciter volita à Christo (siue à se, siue ab alijs adimplenda) nunquam essent futura, sequitur, voluntatem diuinam efficaciter noluisse illa obiecta, & decreuisse non futura, quam voluntatem Christus sciebat, ergo si ex se voluit efficaciter illa obiecta, iam voluit efficaciter, quod erat efficaciter nolitum à diuina voluntate, ergo fuit contraria humana voluntas diuinæ.

138 Idcirco nego assumptũ, quidquid enim Christus efficaciter voluit, impletum est, aliter maxima imprudentia fuisset in Christo, scilicet efficaciter optare, quod sciebat, nunquam futurum; ad probat. respondeo, volitiones illas fuisse impletas eo modo, quo fuerunt efficaces, nam Christus orando pro suis persecutoribus, & salutem omnibus optando, efficaciter à Patre petiuit largitionem auxiliorum sufficiẽtium, quæ voluntas fuit impleta; ad illud de occultatione respondeo, nõ fuisse volitionem illam efficacem quò ad occultationẽ, sed inefficacem, quia non adhibuit media efficacia ad latendum, sed aliqua in se quidem sufficientia, sed non efficacia, quia poterat adhibere etiam remedia supernaturalia, vt num. 124. docui, habuit ergo volitionem appositionis illorum mediorum, quæ fuit impleta, non autem volitionem absolutam latitantiæ.

139 Dices, Agatho Papa in Epist. cit. ex hoc, quòd aliqua euenerunt contra voluntatem Christi, infert, duas esse voluntates in Christo, diuinam, & humanã, quæ ratio non vrgeret, si Christus non habuisset circa illa obiecta actum efficacem, quia nec voluntas diuina inefficax semper adimpletur. Resp. faciliter, recte concludere rationem Agathonis ex hoc, quòd non fuerit voluntas illa impleta, esse distinctam à voluntate diuina, quoniam voluntas diuina, si adhibet omnia media sibi possibilia, impletur, non sic voluntas humana, quæ licèt omnia media secundùm vires humanas applicet, non semper obtinet suum finem; ex hoc tamen non sequitur, voluntatem illam fuisse efficacem, quia sciebat illa non euentura per illa media, sed per alia supernaturalia, quæ erant quòq; in sua potestate, igitur, quia hæc non applicuit, absolutè dicẽdum est, volitionem illam fuisse inefficacem.

Quæstio Sexta.

De passionibus potentiæ appetitiuæ.

140 Diximus quæst. 1. huius disp. voluntatem strictè sumptam significare appetitum rationalem, largè sumptam se extẽdere ad quamlibet potentiam appetitiuam, etiam sensitiuam, & materialem, quamobrem de ipsa hic agemus, vt comprehendit appetitus sensitiuos, & in confuso; appetitus autem diuiditur in concupiscibilem, & irascibilem, quæ non est diuisio in plures potentias distinctas, sed eiusdem potentiæ, vt diuersa obiecta partialia respicit. Vndecim autem passiones assignari solent, sex concupiscibilis, scilicet amor, odium, desiderium, fuga, delectatio, seu voluptas, tristitia, seu dolor; & quinq; irascibilis, scilicet spes, desperatio, audacia, timor, & ira; sufficiẽtia harum passionum est, quia duo obiecta possunt hæ potentiæ respicere, scilicet bonum, vel malum, & vtrumq; vel in se absolutè, vel vt futurum, vel vt præsens, de præterito non est sermo, quia non est appetitus circa præteritum; si obiectum consideratur in se, sic est amor circa bonum, & odium circa malum; si vt futurum, est desiderium circa bonum, fuga circa malum, si vt præsens, sic est voluptas, seu delectatio circa bonum, tristitia, seu dolor circa malum. Irascibilis verò respicit bonum arduum, seu victoriam impedientis assecutionem finis concupiti, quæ victoria si concipitur vt possibilis, est spes, si vt impossibilis, est desperatio, quando verò ostenditur aliquod malum vt ab aliquo inducibile vt potente superari, est audacia, quę est eleuatio appetitus ad superandũ; si verò ostenditur vt valde difficilè superari, est timor, quo appetitus desistit, & succumbit, & tandem si malum est præsens, & ineuitabile, ex tristitia in concupiscibili insurgit ira in irascibili. Hanc communem doctrinam aliter explicui in lib. de Anima disp. 5. q. 10. vide ibi, quia ad præsens parùm refert. Inter passiones quoq; & affectus voluntatis numerari solet admiratio.

141 Dari igitur in Christo passiones animi, vel omnes, vel aliquas, est certum, sed cũ limitatione, quatenùs nõ habent in Christo imperfectiones illas, quas in nobis retinent, quæ præcipue sunt tres, scilicet quòd frequentiùs tendant in vetita, secundò quòd perturbent rationem, & tandem quòd præueniant voluntatis imperium; in Christo autem his imperfectionibus caruerunt, qua ratione à D. Hier. non passiones in Christo, sed propassiones vocantur. De his ergo agẽdum speciatim, an & quomodò fuerint in Christo, & hac occasione aliqua de fomite, & tentatione subiungamus.

Articulus Primus.

An in Christo fuerint gaudium, & tristitia, voluptas, & dolor.

142 Hic accipiendum ex lib. de Anima disp. 5. q. 10. cum Scoto 3. d. 15. A. & cum D. Aug. 14. de Ciuit Dei c. 15. quòd dolor propriè ad potẽtias sensitiuas pertinet, tristitia verò ad voluntatem, prout est potentia rationalis, & consequenter voluptas, seu delectatio, quæ dolori opponitur, erit in sensu, gaudiũ verò, quod tristitiæ est contrarium, erit in voluntate, licèt multoties isti termini confundantur. Modus verò, quo istæ passiones causantur in potentijs, iam fusè est declaratum in disp. cit. cum Scoto litt. B. dantur enim multa obiecta, quæ in ordine ad potentias sunt vel conuenientia, vel disconuenientia, quatenùs apta sunt vel perficere, vel corrumpere potentias, ad obiecta conuenientia potentiæ sunt inclinatæ, à disconuenientibus sunt auersæ; cur autem hoc obiectum sit cõueniens, & illud disconueniens, non potest alia reddi ratio, nisi quia hoc est hoc, illud est illud. Posita igitur approximatione obiecti per notitiam, & apprehensionem, si est disconueniens, statim in potentia appetitiua sequitur dolor, vel tristitia, si est conueniens, sequitur gaudium, vel delectatio.

143 Obiectum concurrit ad istas passiones causandas, non quidem per illas relationes conuenientiæ, vel disconuenientiæ, aut actiui, aut passiui, sed per propriam naturam, deinde consecuntur illæ relationes, qui effectus dicuntur passiones, non quòd sint de prędicamento relationis, sunt enim qualitates absolutæ, sed grammaticaliter, quia potentiæ quasi merè passiuè se habẽt recipiendo istas qualitates, sicut operationes potentiarum dicuntur actiones grammaticaliter, eo quia per ipsas potentiæ quasi agunt in obiectum.

144 Nõ sunt autẽ actus eliciti à potentijs sensitiuis, quia sic essent in potestate voluntatis, quod est falsum. Tùm quia tristitia non est velle, vt patet, nec nõ velle, vel nolle, quia isti actus in Beatis, & in Deo reperiuntur, non tamen tristitia. Sunt igitur quædã qualitates, quæ in potẽtijs causantur ab obiectis cognitis, seù à cognitionibus obiectorum, & actibus voluntatis, tanquam causis inadæquatis ex dictis ibidem. Notanda tamen est differentia inter voluntatem, & alias potentias, quòd in alijs potentijs conuenientia, vel disconuenientia attenditur penès naturas rerum, at in voluntate, licèt vt natura eodem modo se habeat, tamen vt libera tota ratio conuenientiæ, vel disconuentiæ attenditur penès ipsius electionem, itaut si esset aliquod obiectum de se conueniens, & à voluntate vt disconueniens esset nolitum, iam causaretur tristitia, non gaudium; nec refert, quòd sit nolitio naturalis in voluntate respectu illius obiecti, quia fortius est velle liberum in agendo, quàm naturale.

145 Cum igitur tristitia sit circa obiectum nolitũ approximatum, vnde à D. Aug. cit. dicitur, quòd sit de his, quæ nobis nolentibus accidunt, deducitur, quòd sicut quatuor nolle reperiri possunt in voluntate ex dictis num. 108. scilicet nolle naturale respectu proprij obiecti, nolle naturale respectu obiecti appetitus sensitiui propter colligantiam voluntatis cum ipso, nolle liberum absolutum, & nolle conditionatum, quæ postea possunt subdiuidi secundùm portionem superiorem, & inferiorem, id circo quatrupliciter cõtingit tristari.

146 Primus modus est, quãdo voluntas nolens nolitione naturali obiectum disconueniens tristatur de ipsius præsentia; vt cum quis non vult naturaliter miseriam, ex quo habet naturale velle ad oppositum, puta beatitudinem, si adsit miseria, tristabitur; qui modus ostenditur, nam ex D. Aug. in Enchir. c. 104. voluntas ita vult beatitudinem, quòd non potest velle miseriam, quod velle est naturale, igitur istud velle potens est ad causandũ nõ posse velle oppositum, & p cõsequens ad nõ posse gaudere, ergo sicut velle naturale potens est ad causandũ gaudiũ, ita nolle naturale ad causandam tristitiam. Dices, vitia sunt contra naturam

[illegible] hominibus, & tamen istud nolle nõ causat tristitiam, quia omnis vitiosus sine tristitia agit. Resp. Doctor, quòd inclinatio naturalis est duplex, secundũ affectionem cõmodi, & secundùm affectioné iustitiæ, prima est magis naturalis voluntati, quàm secunda, quia immediatiùs consequitur naturam, vt distinguitur contra libertatem, voluntas enim vt natura immediatè inclinatur ad commodum, & consequenter hæc inclinatio fortior est ad causandum gaudium, quàm sit nolle secundùm affectionem iustitiæ ad causandam tristitiam; modò vitia sunt contra naturam hominis, non secundùm affectionem commodi, sed secundùm affectionem iustitiæ, idcirco in vitiosis est gaudium, & delectatio.

147 Secundus modus est, quando voluntas propter nolle naturale ex connexione cum appetitu sensitiuo circa obiectum isti disconueniens, tristatur de ipsius præsẽtia; prob. quia sicut velle naturale respectu obiecti conuenientis appetitui sensitiuo potens est causare gaudium, & delectationem in voluntate surreptitiam antecedentem omnem actum liberum, ita nolle naturale potest tristitiam causare in voluntate, si non adsit impedimentum, putà si intellectus non repræsentaret voluntati obiectum propter distractionem circa alia. Et hoc est, quod communiter dicitur, *impossibile est, quin visis tangamur, siuè tristabilibus, siuè delectabilibus*, quia præsentatis per intellectum voluntati consequuntur gaudiũ, & tristitia. Verum est tamen, quòd licèt hi duo modi probabiles censeantur à Scoto, probabilius tamen est asserere, in his casibus semper interuenire actum elicitum voluntatis, quales ponuntur à Doctoribus motus primò primi; aliter vel voluntas immediatè, & liberè in se causaret istas passiones, vel vt natura esset actiua, quæ omnia sunt falsa in principijs Scoti; quapropter veri modi causandi tristitiam sunt sequentes.

148 Tertius modus est, quando voluntas liberè, & absolutè nõ vult obiectum, & tamen euenit; qui modus est satis euidens. Quartus tandem est, quando voluntas habet nolle liberum conditionatum, vt cũ mercator projicit merces propter periculum vitæ, iste tristè projicit, & tamen circa proiectioné non habet nolle absolutum, sed solùm conditionatũ ex dictis num. 136.

149 Tristitia, quæ primo, & secundo modo euenit (supposita ipsorum probabilitate) dicitur necessaria, quia cõsequitur ad actus necessarios, & naturales, & consequenter non est peccatum, sicut nec gaudium oppositum, quæ verò alijs duobus modis prouenit, dicitur contingens, quia liberè saltem mediatè à voluntate prouenit, quatenùs potest voluntas liberè non ponere illas nolitiones, & quia libertas mediata sufficit ad peccatum, vt patet in actibus externis, ideo hæc tristitia, & gaudium oppositum possunt esse peccata; ex quo non valet inferre, vt faciunt aliqui Thomistæ, istas non esse passiones voluntatis, sed actus, quia scilicet sunt peccata, nam alia ab actibus voluntatis, dũmodo participent libertatem, possunt fundare rationem malitiæ. Tota hæc doctrina deducitur breuiter ex Scoto in 3. d. 15. q. vn. art. 2. & fusiùs declaratur in lib. de Anima disp. cit.

150 Ad propositum igitur dicendum, in Christo fuisse verum dolorem in appetitu sensitiuo, veramq; tristitiam in voluntate. Prima pars de dolore expressè habetur in Isa. c. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit; & nos reputauimus eum quasi leprosum, non habentem speciem, neq; decorem; nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem*; Tren. 1. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus*; Luc. 24. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*; & quamplurima alia testimonia passim habentur in Scriptura; nam Christus famem, sitim, lassitudinem, & plurimas ærumnas in hac mortali vita passus est, & pręcipuè tempore passionis; imò minimus Christi dolor excessit quemlibet alium dolorem, tùm propter corporis temperamentum valde attemperatum, & consequenter valde sensitiuum ad tollerandas passiones, tùm quia Christi corpus ex speciali Dei ordinatione, quamuis diù sub doloribus extiterit, nunquam tamen obstupuit, sed semper viuacissimum permansit, itaut tàm perfectè senstt acerbitatem vltimi cruciatus, quàm primi, vnde non habuit locum in Christo dictum Senecæ, *Nemo potest valdè dolere, & diu.*

151 Secunda pars de tristitia in voluntate habetur etiam in Sacra Scriptura, Matt. 26. *Cœpit tristari, & mæstus esse, tunc ait illis, tristis est anima mea vsq; ad mortẽ*, Marci 14. *Cœpit pauere, & mæstus esse*. estq; definitũ in 6. Syn. art. 4. vbi Agatho Papa in sua epist. ex hoc testimonio infert contra Monothelitas hæreticos fuisse in Christo duas voluntates, quod nõ rectè deduceretur, si tristitia non fuisset in voluntate, sed solùm in appetitu sensitiuo.

152 Quoniam autem voluntas pręcipuè potest cõparari ad Deum ipsum, quo pacto dicitur portio superior stricto modo, deinde ad tria obiectorum genera, scilicet ad fruitioné tàm propriam, quàm alienam, ad opera bona tàm in se, quàm in alijs, & ad bona media, & minima sibi, & alijs, vt sunt bona temporalia, & præcipuè vt sic comparatur ad passionem, vt dixi num. 110. Idcirco dicendum est consequenter, quòd vt portio superior strictè sumpta nullo modo tristabatur, quia oppositum obiecti, ad quod habebat nolle, quod est carentia diuini esse, & aliorum attributorum, non fuit positum. Secundò nolitio carentię propriæ beatitudinis, & aliorum electorum non causauit tristitiam, quia ista carentia nõ fuit posita, sed benè carentia beatitudinis in damnatis, quæ ponitur in rerum natura. Tertiò idem quoq; dicendum de nolitione peccatorum. Quartò respectu passionis volũtas Christi tristabatur, secundùm vtramq; portionem tàm vt natura, quàm vt libera, quia vt natura habuit nolle naturale, & vt libera nolle conditionatum secundùm vtramq; portionem, & obiectum nolitum scilicet passio fuit positum, & approximatum. Hæc tamen tristitia fuit minor illa alia, quam habuit propter peccata, & præscitorum damnationem, quia nolitio istorum fuit intensior nolitione passionis, quę fuit tantùm conditionata. E contra habuit gaudium circa illa obiecta ab ipso volita, & nullo modo etiam conditionatè nolita, dũmodò tamen fuerint posita, & euenerint; ita Scotus cit. art. 2. & 3.

153 Contra prædicta instatur primò ex D. Hil. 10. de Trin. dicente, *Cum pro Christo mori sit vita, quid ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est, qui pro se morientibus vitam rependit?* & infra subdit, *Vnigenitus Deus hominem verum non deficiens à se Deo sumpsit, in quem quamuis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi cõcurrerent, aut suspensio eleuaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, vt telum aliquod aquam perforans*; quibus

Verba

verbis expressè videtur negare à Christo verum dolorem, quod etiam repetit Can. 31. in Matt. & super Psal. 53. & 68. D. Fulg. quoque lib. 3. ad Trasimundũ c. 6. ait, *Verè passus passioni non subiacens, mortuus mortem non sentiens*. Et Clemens Alexandr. lib. 6. Strom. *Sancta enim virtute continebatur, & tantùm comedebat, nè phantasticum putaretur, ipse autem, vt semel dicam, impatibilis erat, quem nullus subijt motus affectionis, nec voluptatis, nec doloris*.

154 Resp. quòd quamuis D. Bon. affirmet, talem fuisse mentem Hilarij, sed postea retractasse; attamen alij, & ipsemet Bonau. exponunt D. Hilarium, vel quòd loquatur de persona Verbi, quã Arriani ex hoc, quòd dolores sit passa, creaturam asserebant, contra quos ibi disputabat; vel quòd loquatur de causa, & necessitate dolorum, quatenùs Christus non sit tot pœnas passus ex necessitate naturæ, vt in nobis, qui necessariò propter peccata doloribus, laboribusque subiacemus, vt ait Doctor cit. ad argum. princ. (quãuis sit vnum extra) & quidem quòd mens Hilarij non fuerit negare verum dolorem à Christi corpore, ostẽdit Suarez in Comm. q. 15. art. 6. multis eiusdem Hilarij locis. Eodem modo explicari possunt Fulg. & Clemens, quia Christi corpori ratione beatitudinis animæ non debebantur ærumnæ, poteratque sine cibo, & potu conseruari.

155 Secundò contraria nõ possunt esse simul in eodem subiecto, præcipuè contraria pertinentia ad potentias vitales etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, vt patet in assensu, & dissensu, sed gaudium, & tristitia sunt taliter contraria; & gaudium fuit in Christo ab instanti conceptionis, ergo nullo modo infuit tristitia.

156 Melchior Canus lib. 12. de locis c. 14 respondet, tẽpore passionis fuisse gaudium suspensum, vt daretur locus tristitiæ, & deducit ex D. Paulo ad Hebr. 12. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucẽ*. Tùm quia si beatitudo corporis fuit suspensa, nec implicat suspẽdi gaudium à beatitudine animæ; pro quo dicendi modo citatur Valent. q. 9. punct. 2.

157 Attamen communiter reijcitur hæc responsio. Tùm quia maior repugnantia est inter beatitudinem, & tristitiam, quàm inter gaudium, & tristitiam, quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ergo si illa sunt compossibilia, multò magis ista. Tùm quia non solùm in passione debuisset Christus suspendere gaudium, sed etiam toto vitæ tempore, quia eadem obiecta, quæ in passione fuerũt causa tristitiæ, fuerunt semper Christo præsentia, & consequenter semper habuit tristitiam, sic habetur in Psal. 87. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuẽtute mea*, & Psal. 37. *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper*; quæ loca ab Aug. & & Hier. de Christo explicantur. Tùm quia nullum adest fundamentum, nec ratio cogens; nam authoritas Apost. vel intelligitur de gloria corporis; vel de acceptatione mortis facta à Christo in instanti conceptionis, & nolitione petendi dispensationem. Nec est par ratio de beatitudine corporis, quia illius suspẽsio fuit necessaria ad redemptionem nostram, nõ autem suspensio gaudij.

158 Lugus disp. 22. sect. 2. respondet, tristitiam esse cum gaudio incompossibilem, quandò est concomitans, aut subsequitur, at quandò saltem naturà præcedit, nõ tollitur per gaudium subsequens, sic fuit in Christo, in quo actus tristitiæ naturà præcessit gaudiũ, & beatitudinem, vel quia erat vnum ex obiectis visionis beatificæ (suam enim tristitiam Christus videbat in Verbo) & consequenter prior, quia obiectum præcedit naturà actum; vel quia erat causa meritoria, saltem conseruationis actus beatifici, & gaudij.

159 Hæc quoque responsio nullum habet fundamẽtum; Tùm quia si gaudium, & tristitia ex suis rationibus formalibus opponuntur, etiam in ordine ad potentiã Dei, licèt tristitia præcedat, hæc præcessio solùm causabit, nè subsequatur gaudium, sicut si amor, vel assensus alicuius obiecti præcedunt in potentia, nõ idcirco erunt cum odio, & dissensu eiusdem compossibilia, sed potiùs impedient, nè subsequantur. Tùm quia vt sæpè dictum est, prioritas naturæ non est mẽsura existentiæ rerum, quare nequit dici, tristitiam in priori natura nõ esse simul cum gaudio. Tùm quia Beati, quæ vident in Verbo, vel vident eodẽ actu beatifico, sed per nouos respectus attingentiæ, vel diuersis actibus, sed causatis à beatifico; quodcunque asseratur, nunquam sequitur, actum tristitiæ præcedere, quia est obiectum secundarium, à quo non dependet essentialiter; & priùs intelligitur actus terminari ad obiectum primarium iuxta dicta in disp. præced. nu. 45. & seq. Tùm quia quicquid sit de ordine obiectiuo, ordine tamen executionis gaudium præcessit tẽpore tristitiam passionis, ergo falsus ordo assignatus. Et tandem quia fundamentum ipsius, non solùm est falsum, sed etiam contra suam sententiam, retorqueri potest, vt videbimus num. 163.

160 Resp. ergo communiter, quam responsionem approbat etiam Scotus cit. distinguẽdo min. gaudiũ, & tristitiam esse contraria, si sunt circa idem obiectũ secundùm eandem rationem, concedo, si circa diuersum, vel circa idem diuerso modo circumstantionatũ, nego, sic dicimus, scire, & ignorare, assensum, & dissensum non esse contraria, nisi in idem obiectum tendant, & sub eadem ratione; quod quidem peculiare est in actibus potentiarũ vitalium, quia non sunt merè absoluta, sed ordinem ad extrinsecum obiectũ inuoluunt.

161 Contra hanc responsionẽ instatur; Tùm quia repugnantia cõtrariorum attendi debet penès receptionem in eodem subiecto, & ex suis rationibus formalibus, non ab aliquo extrinseco, ergo falsum est, gaudium, & tristitiam opponi propter ordines ad diuersa obiecta. Tùm 2. anima Christi visione beata videbat passionem in Verbo, & de ipsa lætabatur, ergo non poterat de ipsa simul tristari. Tùm 3. impeccabilitas animæ prouenit ex coniunctione perfecta cum Deo, cum qua non stat aliqua coniunctio cum alio obiecto inordinato, ergo contrarietas non sumitur ex eo; quòd sunt circa idem obiectum, vel circa diuersum, sed ex proprijs rationibus. Tùm 4. arguit Lugus; gaudium, & tristitia dupliciter opponuntur, primò ratione status beatifici, quatenùs beatitudo excludit ex se omnem miseriam, quæ oppositio est à Deo superabilis; secundò ex proprijs rationibus, quatenùs obiectum ingentis gaudij minuit obiectum malum, vt non possit causare tristitiam, & si gaudium est summum, totaliter obiectum malum impeditur, & è contra obiectum delectabile impeditur ad causandũ gaudium ex consortio obiecti maximè disconuenientis; vnde dicebat Tobias, *Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video*. Quod etiam confirmari potest ex Arist. 7. Ethic. c. 18. docente, delectationem vehementem expellere tristitiam, non

tantùm

tantùm oppositam, sed etiam disparatam, & contingentem; & ex Auicen. 6. Natur. part. 4. cap. 5. potentias naturales intensas mutuò se impedire in suis actibus intensis; & per decimam septimam propo. sit. de Causis, *omnis virtus vnita maior est, dispersa minor*.

162 Respondet Doctor ad 1. assumptum valere de contrariis absolutis, non verò de his, quæ respectum ad obiecta intrinsecum inuoluunt, per quos respectus à posteriori explicatur intrinseca repugnātia rationum formalium illorum actuum. Ad 2. passio vt à Deo volita erat obiectum volitionis, vt contra affectionem commodi, & contraria humanitati, obiectum nolitionis, & consequenter si poterat simul velle, & nolle terminare propter istam diuersitatem rationum formalium, etiam poterat terminare gaudium, & tristitiam. Ad 3. concedit Doctor, quòd cum coniunctione vltimi finis non repugnat formaliter aliquis actus inordinatus propter obiectorum formalium diuersitatē; sed ratio, cur modò isti actus sunt incompossibiles, est ordinatio diuina, quoniam animæ post mortem sunt in termino. Vel dic, admisso anteced. negando paritatem, quia actus beatificus, & velle inordinatum habent repugnantiam saltim virtualiter, non sic velle Deum, & nolle passionem vt cōtra affectionem commodi repugnant inter se, aliter fuisset in Christo peccatum.

163 Ad 4. si valeret, concluderet contra ipsum; gaudium non potuisse subsequi tristitiam, quia obiectum tristę minuebat obiectum delectabile, nè ad gaudium moueret, vt maximè probat authoritas Tobiæ, vel si obiectum gaudij superabat, iam minuebat disconuenientiam in obiecto tristitiæ; & sic nullo pacto potuissent gaudium, & tristitia simul esse. Resp. igitur ex Scoto cit. litt. Y. argumentum concludere naturaliter, non autem de potentia Dei absoluta, quoniam per miraculum factum est, vt gloria animæ non redundaret in corpus, nec in portione inferiori, sicut simul viator erat, & comprehensor, quapropter illa repugnantia poterat à Deo superari; per quod patet ad Confirmat.

164 Tertiò, impassibilitas corporis est in corpore à Deo, & tamen non patitur secum passionem corporis causabilem ab aliqua causa inferiori, ergo quia gaudiū in voluntate Christi est à Deo, vt obiecto beatifico, non poterit simul esse cum tristitia causata ab aliqua causa inferiori, scilicet passione. Tùm 2. ad gaudium sequitur dilatatio cordis, ad tristitiam constrictio, ergo sicut nequit cor simul dilatari, & constringi, neq; simul gaudere, & tristari. Tùm 3. etiam nolitio alicuius obiecti in actu positi reperitur in Beatis, saltim conditionata, & tamen non tristantur, ergo neq; ex hoc, quòd Christus habuerit nolitionem obiecti in actu positi, debemus in ipso inferre tristitiam.

165 Resp. Doctor ad 1. non valere paritatem, quia impassibilitas esset quædam qualitas corporalis absoluta, nō dicens ordinem ad aliquod obiectum, & ideo potest cum qualibet passione repugnare; at gaudium, & tristitia sunt quædam contraria non merè absoluta; idcirco si non sunt circa idem obiectum, possunt simul esse, quia vt sic non sunt contraria. Quam responsionem dat Doctor in sententia Aduersariorum docētium, dotem impassibilitatis esse veram qualitatem; at sustinendo esse determinationem diuinæ voluntatis non concurrendi ad actionem alicuius contrarij, vt ipse sustinet in 4. d. 49. q. 13. magis apparet disparitas.

Ad 2. ait valere maiorem naturaliter, non de potentia Dei absoluta; vnde in Christo nō fuit simul dilatatio, vel constrictio cordis. Ad 3. negat paritatem, quia magnitudo gaudij in Beatis absorbet omnia potentias, & impedit causationem cuiusuis tristitiæ, non enim est impedita redundantia beatitudinis, vt fuit in Christo, in quo ex speciali miraculo fuit incompossibilitas illa sublata.

Articulus Secundus.

De cæteris passionibus, fomite, & tentatione.

166 QVod attinet ad passiones, certum est, in Christo fuisse amorem, tàm circa obiecta naturalia, & conuenientia, si est sermo de appetitu sensitiuo, quàm circa spiritualia, & honesta secundùm se conuenientia; & consequenter odium circa malum naturale, & inhonestum. Fuit quòq; desiderium circa bonum absens, quia desiderauit salutem animarum, & corporalem vitam, & è contra sui fuga circa malum absens. Tertiò fuit spes, quæ est amor obiecti ardui, aliquod enim obiectum comparatum viribus naturæ humanæ erat arduum; desperatio quòq; habuit locum in Christo, quatenùs sciebat aliquod malum futurum ineuitabile, aut saltim carentiam alicuius boni infallibiliter non futuri, qua ratione non adhibuit media ad euitandum malum, vel consequendum bonum. Ex quibus sequitur, fuisse quòq; audaciam, per quam vltrò imus obuiam periculis propter euitandum malum, vel acquirendum bonum, vnde sæpiùs fuit in magno vitæ discrimine propter attestationem veritatis. Ira quòq; fuit aliquando in Christo, ira enim est appetitus vindictæ propter illatam iniuriam, qui potest esse peccatum, quando non est secundùm rectam rationem, quandoq; est actus honestus, si conformis rectæ rationi, vt habetur in Psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare*, & hoc modo fuit in Christo, qui aliquotiès vindictam sumpsit de offensis diuinis, vt cum Ioan. 2. fecit flagellum de funiculis, eiecitq; ementes, & vendentes de templo; vnde de Christo dictum Psalmi 68. verificatur, *Zelus domus tuæ comedit me*, & illud Isa. 63. *Calcaui eas in furore meo*.

167 Maior difficultas est de timore, quem fuisse in Christo, omnia concedunt, habeturq; expressè Marci 14. *Cæpit pauere, tædere, & mæstus esse*, Matt. 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: & ipsa Christi ratio manifestat, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*; Agatho Papa in Epist. relata in 6. Synodo act. 4. ex hoc, quòd in Christo fuerit timor, & tristitia, deducit cōtra Monothelitas duplicitatē voluntatis; estq; communis apud Patres; & patet quòq; quia timor est fuga mali imminentis, & futuri, Christus habuit hanc fugam, seu nolitionem præcipuè circa mortem, ergo &c. non enim istæ passiones necessariò inter se specie differre debent, vt inoui disp. 5. de Anima q. 10. ita Doctor d. 15. cit.

168 Difficultas tamen est, quia timor est fuga mali imminentis cum spe euadendi ex Arist. 2. Rhetor. c. 5. sed Christus habebat certitudinem de morte, & nullam spem euadendi, ergo non habuit in rigore timorem, sed potiùs tristitiam.

Ee Caiet.

169 Caiet. q. 15. art. 7. ait, cognitione sensitiua Christum non habuisse certitudinem mortis, sed solùm intellectiua, ideoq; in appetitu sensitiuo potuit esse verus timor, quanquam non fuerit in rationali, scilicet volũtate. Reijcitur tamen, quia nõ solùm in appetitu sensitiuo, sed etiã in voluntate, Patres asserũt, fuisse timorẽ, quia ex hoc medio inferũt existentiã volũtatis humanæ in Christo; & patet ex dictis in art. præced. quia ĩ volũtate fuit vera tristitia, & nolitio mali futuri.

170 Lugus disp. 22. sect. 3. recurrit ad prioritatẽ naturæ, in qua Christus habuit cognitionẽ de imminẽte morte, nõ tamen certitudinẽ diuini decreti, nisi posterius natu. 2, & cõsequẽter poterat habere secũdũ priorẽ cognitionẽ spem euadendi, & cõsequenter timorẽ. Hæc tñ respõsio explosa manet ex dictis n. 122. & seq.

171 Auersa q. 12. sect. 2. asserit, Christum habuisse incertitudinem mortis, nõ quidem secundùm scientiam beatam, quia secundùm istam certitudinem habebat, sed secundùm scientiam experimentalem, quia in horto attentis solùm humanis indicijs mors non repræsentabatur vt ineuitabilis; nec implicat, de potentia Dei simul in eodem reperiri iudicium certum, & opinatiuum eiusdem rei; quam responsionem approbat etiam Vulpes disp. 9. art. 10. Attamen iam disp. præced. num. 90. impugnata fuit hæc simul existentia cognitionum certæ, & opinatiuæ de eadem re. Tùm quia admissa hac duplici simul cognitione in intellectu, nõ videtur volũtas Christi prudenter sinere se mouere ex sola cognitione opinatiua, quia prudentia exigit, vt in qualibet actione attendantur oẽs circũstãtiæ.

172 Communior igitur responsio, quam tradunt Suarez, Vasq. Bernal, & alij, distinguit de duplici timore, quòd alter sit efficax, qui mouet ad consultationem mediorum euitandi malum illud imminens; & iste nequit esse cũ certitudine mali futuri; alter est inefficax, qui est simplex displicẽtia mali certò futuri; & iste excludit spem euadẽdi illud malum, nec mouet ad executionem, & applicationem mediorum, talis est timor, quem habet, qui torturam, vel aliud tormẽtorũ genus sustinere debet; qui à tristitia distinguitur, eo quia tristitia est de malo præsenti, timor de malo futuro, sicut bonũ certò futurũ est obiectum spei, præsens verò est obiectum delectationis. Aristot. locutus est de primo timore, in Christo autem fuit secundus timor.

173 Circa admirationem, quæ inter passiones appetitus numeratur (an essentialiter, vel solùm accidẽtaliter à cæteris distincta sit, parùm refert, probabilius secũdũ assero) si quæ est difficultas, prouenit ex decisione, in quo formalitas admirationis cõsistat, & quot modis possit contingere; idcirco aliqua prius de ipsa admiratione disceptabo, deinde, an fuerit in Christo.

174 Admiratio inuoluit quãdã cognitionẽ in potẽtia cognoscente, ex qua oritur affectus quidã in potentia appetitiua. Multipliciter cõtingit, ex D. Aug. epist. 101. primò euenit, quando cognito aliquo effectu raro, & insolito, quærimus causã illius, quæ admiratio in potẽtia cognoscente præsupponit cognitionem effectus, & ignorãtiã causæ, in potẽtia appetitiua dicit affectũ desiderij sciendi causam; & hic modus est frequẽtior. Secũdò euenit, quãdo cognoscitur res aliqua singularis, vel in se, vel in ordine ad aliquid, quæ cognitio diuersũ parit affectũ in appetitu, quia si res illa est bona, & cõueniens, tunc insurgit in appetitu affectus quidam cõplacentiæ, & desideriũ laudãdi rem illã; si verò est mala, & discõueniẽs, inducit affectũ quẽdã displicẽtiæ, vel timoris, qui stupor, & horror vocatur à Dam. & Niss.

175 Verùm circa hunc secũdum modũ adsunt duo dubia; primum est, in quo sensu obiectum huius admirationis debeat esse magnum, & singulare; secundũ, an hoc admirationis genus sit vera, & propria admiratio, an solùm secundùm quid, & metaphorica.

176 De primo Suarez q. 15. art. 3. docet, hanc obiecti singularitatem non necessariò debere esse respectu cognoscentis, sed sufficere, quòd sit magnũ in ordine ad aliud; sic miramur scientiã, aut vires in puero, quæ respectu nostri nõ essent magna, & singularia. Nõ sequitur autẽ ex hoc, Deũ posse mirari, quia requiritur adhùc ad admirationẽ, quòd obiectũ illud nouo modo cognoscatur, Deus autẽ nihil de nouo cognoscit.

177 Vasquez autem disp. 62. c. 4. impugnat prædictam rationem, cur Deo non conueniat admiratio; quia inquit, potest dari admiratio absq; eo, quòd de nouo cognoscatur obiectum; exemplum est in horologio, vel alio simili, quod quamuis cognoscatur motus ille, & causa illius motus, attamen adhùc parit admirationem, quia est opus singulare. Quapropter ait ipse, obiectum admirationis debet esse supra vires naturales ipsius admirantis constituti in eodem statu, in quo reperitur ille, qui efficit obiectum admirationis; nam res aliqua non parit admirationem in animo v.g. Petri, si Petrus æquali facilitate efficit illam, & quoniã nihil est Deo difficile, idcirco Deus non miratur.

178 Lugus disp. 22. sect. 4. impugnat opinionem Vasq. quoniã sequeretur, non debere nos mirari opera Christi, & Dei, quia si nos essemus constituti in eodem statu Christi, & Dei, æquali facilitate possemus eadem opera producere; imò deberet Deus mirari opera nostra, quia si Deus esset in statu nostro constitutus, difficulter illa exerceret, ergo falsum est, obiectum admirationis debere excedere vires admirantis, vt consideratur in eodem statu, in quo reperitur, qui res admiratione dignas operatur. Hinc aliter rem explicat, præsupponitq; admirationem esse rei excedentis nostram cognitionem, quam priùs tẽpore, vel tunc cũ admirationẽ habemus, nõ tamen esse necessarium, vt excedat cognitionem, quã postea possemus habere, quia potest esse, quòd cognoscamus causam alicuius effectus, & tamen permaneat admiratio, vt patet in exẽplo horologij adducto, de quo manet admiratio, adhùc cognitis causis, quatenùs opus illud semper excedit nostrum captũ, & intelligentiã, quam primò habuimus, & nũquam potuissemus peruenire ad talẽ inuentionem. Tunc addit, admirationẽ dupliciter euenire; primò, quia obiectũ excedat nostrũ captũ, nostrãq; expectationem, & intelligentiam; secundò, quia licèt nõ excedat nostrã intelligentiam, quoniam perfectè concipimus illud, excedit tamen res alias eiusdem generis à nobis cognitas; primo modo Beati mirantur de perfectione Dei, quamuis ipsum semper videant; secundo modo nos miramur solem, mare, horologiũ, & similia, quia excedunt alia obiecta, quæ naturaliter cognoscimus; & ad hãc requiritur noua obiecti cognitio, quia postquam perspeximus v.g. alia corpora lucida, de nouo cõsideramus lucẽ solis, & magnitudinẽ, quã cũq; alia lucida excedit, & ex hac noua cõparatione adhùc admiramur solem; & hæc est ratio, cur Deo nõ cõueniat admiratio, nam Deus nõ admiratur creaturas, quia nõ excedũt ipsius captũ, neq; seipsum, quia licèt omnia alia creata excedat, nõ tñ seipsum de nouo cognoscit. Ideoq; cõcludit, admirationẽ esse subiectionẽ quandã, & humiliationẽ reuerẽtialẽ circa obiectũ, quatenùs excedit vel nostrũ captũ, vel res, quas reuera cogno-

cognoscimus; quoniam per admirationem quasi protestamur excellentiam, & singularitatem obiecti.

179 Aliter tamen explicari poterit hæc difficultas, distinguendo de obiecto admirationis, quòd scilicet vel est obiectum illud ab homine producibile, vel non est producibile; si primum, illud erit admirationis obiectum, quod excedit admirantis vires, vel absolutè, vel vt in eodem statu constituti, in quo reperitur, qui tale obiectũ causauit; qua ratione homines admirantur sapientiam alicuius, & vir sapientissimus admiratur sapientism pueri; vel obiectum non est opus ab homine producibile, & tunc illud erit admirationis obiectum, quod est magnum, & insolitum, vel in se, vel vt taliter apprehensum; requiritur etiam magnitudo, quia minims paruipendimus, requiritur raritas, quia vt ait D. Aug. tract. 24. in Ioan. etiã diuina miracula assiduitate viluerunt, vnde magis mouet minus, sed rarum, quàm maius, sed quotidianum; verùm hęc conditio non est simpliciter necessaria, sed vt in plurimùm, quia quæ sunt in se magna, quamuis consueta, adhùc possunt in admirationem mouere, si attentè perpendantur.

180 Ratio huius distinctionis est, quia si vniuersaliter obiectum admirationis dicatur illud, quod excedit vires admirantis constituti in eodem statu, in quo est, qui rem mirabilem efficit, vel intelligitur, quòd status ille debeat esse possibilis admiranti, & sic solùm actiones humanas miraremur, quod est falsum, vt patet, ergo hæc explicstio est insufficiens, & inadæquata; vel status ille non supponitur necessariò possibilis admiranti, & sic nullam rem possemus admirari, neq; diuina miraculs, vt arguebat Lugus num. 178. Si verò dicatur cum Suarez, obiectum admirstionis esse magnum, & rarum, difficulter negaretur à Deo admiratio; nam si asseratur, Deum non mirari, quia nihil respectu Dei est magnum; sequeretur, sciẽtiam pueri respectu viri sapientis non posse esse obiectum admirationis, quia respectu illius viri non est magna; si dicatur, rationem esse, quia obiectum admirationis debet de nouo cognosci, Deus autem omnia nouit ab æterno; hoc est falsum, quoniam licèt regulariter sic contingat, attamen potest esse admiratio absq; noua cognitione, vt arguebat Vasq; nsm cognito aliquo artificio perfectè, potest durare admiratio per multos annos, & quamuis cognitio interrumpatur, hoc est de per accides, quia supposito, quòd permaneret, nõ idcirco cessaret admiratio; Tùm quia Beati admirantur continuò essentiam diuinam absq; noua cognitione, quod maximè vrget in Christo, cuius anima ab instanti conceptionis habuit cognitionem de Deo, & consequenter illa cognitio non poterat respectu ipsius dici noua. At in nostra sententia facilè assignatur, cur Deo non conueniat admiratio creaturarum, quia scilicet creaturæ sunt opera manuum Dei, & consequenter vt essent obiectum diuinæ admirationis, deberent excedere vires diuinas, quod ipsis minimè competit.

181 Dices, saltim Deus deberet admirari seipsum, quia in se est magnus, & singularis. Tùm quia multoties in sacra Scriptura habetur, Deum mirari quosdam hominum actiones, præcipuè cum loquitur de peccatis. Lugus ad 1. respondet negando cõseq. quia ad admirationem exigit nouam cognitionem obiecti, si obiectum cõprehendatur. Sed iam diximus, hanc conditionem nõ esse prorsùs necessariam, vnde si anima Christi per impossibile comprehenderet Deum, adhùc miraretur infinitam eius perfectionem, licèt non haberet nouam cognitionem de Deo. Quapropter loquendo de admiratione in hoc sensu, quæ scilicet omnem ignorantiam excludit, & saluo meliori judicio, non negarem admirationem in Deo respectu sui ipsius; quia hæc admiratio dicit ex parte potentiæ cognitiuæ perfectam cognitionem obiecti, & ex parte potentiæ appetitiuæ affectum complacentiæ obiecti conuenientis, quæ omnia in summo sunt in Deo respectu sui ipsius; admiratio igitur excluditur à Deo in ordine ad creaturas. Ad 2. resp. locutiones illas intelligi debere secundum nostrum loquendi modum, ad denotandam scilicet displicentiam, quam Deus habet de ingratitudine hominum, qui licet tot, tantisq; beneficijs sint à Deo præditi, adhùc tamen in peccata dilabuntur.

182 Quò ad secundum dubium, an scilicet hæc admiratio nullam præsupponens ignorantism obiecti ex parte potentiæ, sit vera, & propria admiratio, an verò metaphorica, & similitudinaria. Bernal hanc secundam partem tuetur in disp. 41. sect. 4. quam probat authoritate, & ratione.

183 Authoritate quidem, quia D. Aug. epist. 102. docet, dari duplex admirationis genus, vnum, quod est cum latitantia causæ, alterum cum scientia eiusdẽ, quod est laus excellentiæ, exemplificatq; de tentatione, quæ duplex est, qua etiam Deus dicitur tentare, ergo sicut tentatio Dei est impropria tentatio, ita admiratio sine ignorantia erit in sentẽtia Augustini impropria admiratio. Tùm quia ex Arist. 1. Rhetor. c. 14. *In admirando discendi cupiditas inest*, estq; commune proloquium, *Ex admiratione cœperunt homines philosophari*. Accedit ratio, quia si hoc esset, deberet dari vna ratio, & definitio propriæ admirationis in communi tanquam generica, quæ non est dabilis, vt patet, ergo hæc admiratio cum perfecta scientia nõ erit propria, & vera, sed similitudinaria, & impropria admiratio.

184 Hæc difficultas potest esse de nomine; & quidem pro Bernal magis vrget authoritas, quàm ratio, ad hanc enim dici posset, admirationem in communi significare affectum appetitus circa rem magnam, & insolitam, qui postea diuidatur in desiderium, si causa nescitur, & in complacentiam, si res illa perfectè cognoscatur, desiderium tamen illud esse principaliorem speciem admirationis, & primum analogatum, qua ratione admiratio pro ipso vt in plurimùm supponit. Ex quo etiam responderi posset ad authoritatem, quòd admiratio pro complacentia dicitur impropria, non quidem vt in se spectata, sed comparatiuè ad desiderium, sicut accidens in se quidem est formaliter ens, attamen comparatum ad substantiam dicitur ent s ens, quem ordinem sæpe Aristoteles exemplificat exemplo æquiuoci analogi, vt est sanum, quæ similitudo attenditur solùm quo ad illum ordinem prioris, & posterioris, & quò ad analogiam, non autem quò ad æquiuocationem; idem dici potest de exemplo tentationis adducto à D. Aug. Attamen si res attentiùs consideretur, D. Augustinus magis videtur inclinare ad negandum, admirationem istam esse propriè admirationem, aut saltim est dubius, vt etiam fatentur Lugus cit. & Hurtadus disput. 68.

185 His præacceptis, circa dubium principale, an fuerit in Christo vera admiratio, est inter Doctores dissidium; affirmant Suarez, & Vasq. cit. de secunda admiratione, negant de prima; Lugus, & Hurt. cit.

Lorca disp.61. Auersa q.13.sect.2. Vulp.disp.9.art.11. affirmant de vtraq; Bernal cit. ex opposito negat veram admirationem in Christo, solùm cócedit improprianí, & secundùm nostrum concipiendi modum, quia sustinet, secundam admirationem non esse propriam, sed impropriam.

186 In hac re nullum est dubium de secunda admiratione, quia verè Christus & circa Deum, & circa aliquas creaturas in se magnas, & insolitas habuit affectum complacentiæ, & laudandi propter excellentiam, & singularitatem in illis repertam; quo sensu explicatur à pluribus locus ille Euangelicus Matt. 8. *Audiens autem Iesus miratus est*, & subdit Iesus de fide Centurionis, *Non inueni tantam fidem in Israel*, similiter Matt.15. de muliere Cananæa dixit Iesus, *O mulier, magna est fides tua.*

187 De prima admiratione pars negatiua est verior: tùm quia conformior D. Aug. cit. & lib. 1. de Genesi contra Manich. c. 8. & lib. 22. contra Faustum c. 13. & lib. 1. contra aduersarium Legis, & Proph. c.7 quibus in locis negat propriam admirationem in Christo. Tùm quia Christus scientia experimentali omnia sibi præsentia, & in debita proportione approximata cognoscebat, quia non habebat intellectum sensibus alligatum, ergo non poterat cognoscere effectum aliquem, quin etiam causam perciperet. Tùm quia omnia sciebat scientia beata, ad quid ergo causam inuestigare, & efficaciter desiderare, illam cognoscere scientia imperfectiori? hoc enim idem esset, ac si quis lumen solis haberet, & optaret ad videndum lumen candelæ, quod desiderium non esset prudens.

188 Deinde circa fomitem peccati aduertendum, quòd fomes dupliciter sumitur, vel in actu primo, vel in actu secundo, fomes in actu secúdo est actualis quædam motio appetitus sensitiui ad obiecta sensibilia, & rationi contraria, ipsam rationem præueniens, & ad peccatum impellens; fomes in actu primo est ipsemet appetitus, non quidem vt sic, sed vt proximè inclinatus ad prædictam motionem, & expeditus; qui fomes aliquando dicitur ligari, quando scilicet remouentur occasiones à Deo prouidente, & obiecta incitantia ad prædictam motionem; aliquando dicitur extingui, quando scilicet vel per habitus quosdam, vel per denegationem concursus ita subordinatur voluntati, & rectæ rationi vt proximè nequeat recalcitrare, sed omnino dependenter à recta ratione exeat in actum.

189 Dicendum est, fomitem peccati nullo modo fuisse in Christo. Est communis, & prob. non fuit fomes in actu secundo, sic enim determinatum fuit in 5. Syn. collat.8.can. 12. vbi damnatur quidam Theodorus asserens, in Christo fuisse aliquo tempore rebellione m carnis, & per exercitium virtutis illam superasse; & Aug. lib. 1. contra duas epist. Pelag. & lib. 2. de peccatorum meritis c.29. habet, non fuisse in Christo repugnátiam carnis. Colligitur quoq; ex Ioan.11. *Iesus infremuit spiritu, Turbauit seipsum*, ex qua locutione inferunt Patres, omnem motionem sensus fuisse in Christo ex electione, & secundùm voluntatem, nó autem præuenisse rationem. Tùm quia indecens erat impeccabilitati, & sanctitati Christi. Tùm quia neq; fuit fomes in actu primo, ergo multò minùs in actu secundo; antec. quæ est secunda pars conclus. prob. quia appetitus sensitiuus in Christo tùm per virtutes, & habitus iustitiæ originalis, tùm ex denegatione diuini concursus, tùm ex perpetua vigilantia voluntatis, & rationis perfectè subdebatur rectæ rationi, nec proximè erat potens inobedire; tùm quia non assignatur in Bestis.

190 Dices; appetitus sensitiuus habet necessariam inclinationem ad obiecta, etiam turpia, dummodò sint delectabilia, ergo fuit cú hac inclinatione in Christo, ergo saltim fuit fomes in actu primo. Tùm quia appetijt non mori contra Dei voluntatem, & præceptum, ergo etiá fuit in actu secúdo. Tùm 3. ex Hebr. 4. Christus fuit per omnia tentatus absq; peccato, ergo fuit etiam per fomitem tentatus, vt præberet nobis exemplum. Cyrillus 10. thesaur. c. 3. ait, in Christo fuisse commotas passiones appetitus, non vt illum superarent, sed vt vincerentur, ergo si fuit victoria, fuit etiam pugna, quæ est fomes. Beda super Marc. 1. inquit, Christum inuisibiles passiones habuisse.

191 Resp. fomitem non significare solùm inclinationem appetitus, sed potentiam expeditam, & proximè inclinatam ad motionem, quo pacto non fuit in Christo, sed solùm remotè, vt de voluntate rationali diximus, quæ solùm remotè poterat peccare, nó proximè. Ad 2. nolitionem illam non fuisse neq; contra dictamen rectæ rationis, quia non fuit absoluta, sed conditionata, neq; contra imperium voluntatis, sed à voluntate imperatam, vel saltim permissam, & consequenter non prouenisse ex fomite, qui est causa reluctantiæ, & pugnæ internæ; tùm quia fuit simplex displicentia absq; resistentia, aliud enim est, dolere de aliquo euentu, aliud verò pugnare, vel resistere, ne illud accidat. Ad 3. Christum fuisse tentatum omnibus illis modis, quibus positis, non peccaret; si verò per fomitem fuisset tentatus, iam peccasset; quia illi motus appetitus sensitiui fuissent Christo voluntarij, quatenùs poterat impedire, & non impediuisset, quod in nobis non semper euenit, quia multoties non præuidentur à nobis, nec possunt aliquando totaliter reprimi propter appetitus luctam, & rebellionem, idcirco non sunt antecedenter voluntarij, nisi sequeretur consensus; neq; fuit necesse, quod daret in hoc nobis exemplum; tùm quia hæc pugna fuisset interna, & occulta; tùm quia satis superq; nobis victoriæ, & patientiæ præbuit exemplum in alijs actionibus. Ad Cyrillú resp. loqui de alijs passionibus naturalibus, quas ita vicit, quod fuerunt ipsi omnino voluntariæ, & spontaneæ. Beda per inuisibiles passiones intelligit, quæ ab inuisibilibus inimicis proueniút, quáuis sint in se visibiles.

192 Dices; Diabolus verè tentauit Christum, vt patet Matt. 4. solùm ostendendo obiecta illicita, quáuis Christus non consenserit, ergo quia potentia sensitiua poterat voluntati Christi repræsentare obiecta, ad quę inclinabat, verè dicetur Christus tétatus à proprio appetitu. Resp. primò neg. antec. quia sicut Christus non potuit peccare, ita neq; potuit habere propriè tentationes, quæ immittútur ad inducendum peccatum, vnde infantes, & insani, etiam si à Dæmone ad iracundiam prouocentur, nó dicútur tentari, quia nequeunt peccare. Dicitur autem Dæmon tentasse Christum propter malum finem, quem habebat, & quia putabat, Christum posse peccare; vel tentasse, idest explorasse Christi mentem. Deinde nego conseq. quia potentiæ sensitiuæ illa tantùm obiecta repræsentabant vt appetibilia intellectui, & voluntati, quæ erant recto dictamini conformia, & semper cum dependentia à superiori potentia propter perfectissimam subiectionem potentiæ superiori. Per quod patet ad vltimam quæsiti partem, an fuerit in Christo tentatio, & pugna potentiarum.

Disputatio

Disputatio Decima tertia.

De Merito Christi.

EGimus iam de potentijs humanitatis Christi Domini, earumq; passionibus, & actibus quò ad esse physicum, quod habens, remanet pertractandum de istis actibus quò ad esse morale, & meritorium, de quo etiam obiter aliqua diximus disp. 6. an scilicet Christus meruerit incarnationis substantiam, vel circumstantias, & disp. 7. q. 4. dum valorem satisfactionis Christi perpendimus; in præsenti igitur, quæ remanent pro completa huius materiæ cognitione, pertractabimus.

Quæstio Prima.

An Christus potuerit mereri, quando, & quibus actibus.

1 PRO prima parte quæstionis supponenda sunt, quæ supra diximus disp. 6. q. 2. de ratione meriti in communi, & de conditionibus ad actum meritorium requisitis.

Dicendum est, Christum de facto meruisse apud Deum; ita Scotus d. 18. estq; de fide, habetur enim expresse in Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*; Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; Ad Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*. Concil. Trid. sess. 6. c. 5. docet, Christum in ligno crucis meruisse nobis iustificationem. Accedit ratio, quia in Christi actionibus fuerunt omnes conditiones ad actum meritorium requisitæ; nam Primò actiones Christi fuerunt liberæ, quæ scilicet non erant præcepte, libertate proxima ex disp. præced. q. 2. art. 2. quæ verò erant sub præcepto, libertate remota, quæ ex diuina dispensatione fuit sufficiens in Christo ex dictis ibid. art. 1. Secundò fuerunt hominis viatoris, quia Christus in hac vita, licèt fuerit comprehensor, fuit quoque viator ex speciali Dei ordinatione, quia erat passibilis, & mortalis, nec erat quò ad affectum commodi, & inferiorem portionem summè coniunctus Deo, vnde poterant ipsi multa incommoda accidere, quibus libenter sustinendo, poterat ad præmium ordinare. Tertiò fuerunt ab homine in gratia existente, quoniam ex dictis disp. 10. Christus ab instanti conceptionis fuit summa gratia repletus. Quartò omnes actiones fuerunt iuxtà inclinationem gratiæ, & moraliter bonæ, non solùm quia Christus non potuit peccare, verùm etiam quia nullum actum indifferentem elicuit, cum enim semper operatus fuerit perfectissimo modo, omnes actiones in Deum referebat. Et tandem fuit acceptatio, & pactum, vt euidenter colligitur ex Scripturis nuper adductis, ergo &c.

2 Dices, qui est capax meriti, est capax etiam recipiendi meritum ab alio, relatiuè enim se habet ad præmium, sed Christus etiam vt homo non est capax recipiendi præmium ab alio, ergo &c. min. prob. nõ potest alicui quippiam dari propter meritum in præmium, quod est aliàs debitum, sed Christo vt homini omnia erant debita, quia erant bona propria ipsius, vt habetur Ioan. 17. vbi inquit Christus ad Patrem, *Mea omnia tua sunt, & tua mea*. Tùm quia meritum est filij adoptiui, & extranei ad hereditatem adoptantis, Christus non est filius adoptiuus.

3 Resp. Christum vt hominẽ capacem fuisse præmij, etiam respectu sui ipsius, vt q. seq. dicemus; ideo neg. min. & ad probat. dicimus, authoritatem illam intelligi de Christo vt Deo, nõ vt homine, nisi subauthoritatiuè, quam authoritatem poterat Christus vt homo in præmium accipere. Ad confir. ex dicendis Christus non meruit sibi hæreditatem, seù gloriam, hoc enim verum est attinere ad filium adoptiuũ, dummodò sit adultus, at meruit alijs tale ius ad hæreditatem, & sibi alia bona.

4 Quò ad secundam partem quæstionis, quo tempore Christus meruit, tria possumus inquirere, initium, progressum, & terminum. Circa initium est vna opinio Vulpes disp. 33. art. 3. & vlt. docentis, Christum vt Verbum Dei meruisse ab æterno; sed de hoc in seq. disp. q. 1. Nunc enim loquimur de Christo vt homine. Alensis 3. p. q. 16. memb. 2. art. 1. negat, Christum meruisse in instanti cõceptionis, sed immediatè post instans, itaut illud instans fuerit initium meriti Christi, non intrinsecum, sed extrinsecum, quam sententiam probabilem putat D. Bon. 3. d. 18. art. 1. Durandus in 3. d. 18. q. 2. docet, neq; in infantili ætate Christum meruisse, quia nõ habuit tunc sensus accomodatos ad inseruiendum potentijs rationalibus. In progressu vitæ P. Faber 3. disp. 44. c. 4. docet, Christum non semper meruisse, quia debuit ordo naturæ seruari, aliter non fuisset verus homo, quapropter quando dormiebat, non merebatur. Terminum meriti aliqui assignant vsq; ad instans mortis inclusiuè, itaut actualis separatio animæ fuit secundùm istos meritoria, ita videtur sentire Caiet. 3. p. q. 50. art. 6. Alij extendunt vsq; ad tempus, in quo inflictum fuit vulnus in latere Christi Domini; ita tenentur sentire Collius lib. 5. de sangu. Christi disp. vlt. c. 2. & 3. vbi Honophrium Monsical. citat, & Ragusa tract. 2. de Incarnat. disp. disp. 5. dum concedunt, vulnus illud lanceæ fuisse in se meritorium; Alij extendunt vsq; ad tẽpus resurrectionis Christi; ita etiam tenetur sentire Vega lib. 3. super Concil. c. 18. dum sustinet, animã Christi in triduo satisfecisse adhuc diuinæ iustitiæ; satisfactio enim hominis iusti pro aliorum peccatis est quoq; in se meritoria.

5 Communis Theologorũ opinio sustinet, Christum Dominum ab instanti cõceptionis inclusiuè vsq; ad instans mortis exclusiuè meruisse, & in hoc tempore nunquam cessasse, quin aliquem actum meritorium exerceret; ita Doctor 3. d. 18. q. vn. Primò igitur prob. Christum in instanti conceptionis inclusiuè meruisse ex illo D. Pauli ad Hebr. 10. vbi Apostolus verba illa Psal. 39. in Christo profert dicens, *Ingrediens mundum dicit; Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocaustomata pro peccato non postulasti; Tunc dixi, ecce venio; in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam*, per ingressum in mundum omnes intelligunt instans incarnationis, in quo instanti, ait Apostolus, Christum habuisse voluntatem moriendi, de qua subdit, *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi*; Ratione etiam prob. à Scoto; habens actum primum perfectum, & obiectum præsens in ratione obiecti, si

non

non impeditur, & actus eius non est successiuus, sed permanens, potest agere pro quocunq; instanti, hæc omnia fuerunt in Christo in primo instanti, ergo potuit in illo mereri, ergo de facto meruit; hoc vltimum patet, quia quod est perfectius, concedendũ est Christo, sed perfectius est, esse in actu secundo, quàm solùm in primo, si possibile est, ergo &c. maior patet, quia non videntur plura requiri ad actum secundum; nã quod addit Alensis, causam debere præcedere tẽpore effectũ, quia esse præcedit operari, est falsum, vt fusè ostendi in Phys. disp. 8. q. 2. art. 2. & in lib. de Anima disp. 7. q. 2. art. 2. vbi demonstraui, voluntatem esse liberam in eodem, in quo operatur, instanti, sufficit enim, quòd præcedat priori natura suum effectum, quoniam totum tempus antecedens per accidens se habet ad productionem effectus, ac si causa non extitisset, vnde si in illo instanti causa non haberet potentiam perfectam, quamuis in tempore antecedenti habuisset eam, non causaret effectum. Min. prob. Christus habuit potentiam perfectam, scilicet intellectum perfectum scientia beata, & infusa, & voluntatem informatam summa gratia, & charitate, & obiectum præsens, scilicet totam Trinitatem, quia beatus in primo instanti, actus ex se sunt permanentes, & nullum fuit impedimentum, ergo &c.

6 Resp. aliqui, impedimentum fuisse duplex, primum, quia ad operandum moraliter requiritur electio, & consultatio, quæ tempus requirit, quia fit per discursum, & discursus exigit moram; secundum, quia potentiæ sensitiuæ propter imbecillitatem non poterant ministrari intellectui. Primum tamen impedimentum, ait Doctor, nullum est, quia discursus sillogismi practici requiritur, vt voluntas possit deliberatè exire in actum, itant in eodem instanti, in quo adest cõclusio sillogismi practici, voluntas potest operari, quapropter mora non requiritur propter voluntatem, sed potiùs propter intellectum, vt possit consultando rectè concludere; at subdit Doctor, intellectus animæ Christi non indiguit hac mora in discurrendo, quia erat perfectus in cognoscendo, sicut artifex in cytharizando perfectus nõ discurrit in percutiendo cordas; nec discurrit, aliter esset imperfectus, ex 3. Ethic. c. 10 ergo &c.

7 Secundum impedimentum quòque est falsum, quia si potuit Christus mereri in infantili ætate, vt probatur, sequitur, potentias rationales Christi non indiguisse ministerio sensuum in suis operationibus; assumptum verò, quæ est secunda pars conclusionis, prob. quia à primo instanti conceptionis Christus habuit perfectum rationis vsum, vnde Isa. 8. de Christo dicitur, *Antequam sciat puer vocare patrem, & matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ* & Ier. 31. *femina circumdabit virum*, non quòd Christus in vtero Virginis quò ad corpus fuerit vir perfectus, sed quò ad vsum rationis. Tùm quia actus Christi in Natiuitate, Circumcisione, Adoratione Magorum, fuerũt meritorij, nam D. Ambros. lib. 2. in Luc. cap. *de Natiuitate Saluatoris*, ait, *Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta lauant*; Aug. ser. 51. de tem. in fine; *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ*; & Ecclesia de Simeone canit, *Senex puerum portabat, puer autem senem regebat.* Tùm quia si rationis vsus fuit acceleratus in Christo quò ad scientiam beatam, & circa Deum, multò magis circa creaturas etiam quò ad scientiam infusam; quia habuit intellectum independentem à phãtasmatibus ex dictis disp. 11. num. 81. Ex quo etiam patet, Christum in somno adhùc meruisse contra P. Fabrũ, etenim D. Ambros. lib. 2. de Virginibus loquens de B. Virgine ait, *Dormire non priùs cupiditas, quàm necessitas fuit; & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus; qui frequenter in somnes, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat*; quòd si de B. Virgine asseritur, in somno etiam meruisse, quantò magis Christus? ab instanti igitur suę conceptionis per totã vitam semper Christus meruit absq; interruptione, nõ quòd semper fuerit sub eodem actu, sed varios diuersarum virtutum eliciendo, & iuxtà occasiones, quę ipsi offerebantur, ibat de virtute in virtutem.

8 Tertia pars, quòd terminus meriti Christi fuerit mors, prob. quia tempus viæ est solùm præsens vita, vt cõmuniter docent Theologi, & habetur Eccli. 11. *Ante obitum operare iustitiam*, & c. 18. *Nè verearis vsque ad mortem iustificari*; 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, pro vt gessit, siue bonum, siue malum*; imò Christus ipse expresse innuit, se comprehedi sub hac vniuersali lege de tempore viæ in hac vita, nam Ioan. 9. ait, *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari*, vbi per diem interpretantur Patres tempus huius vitæ, per noctem verò tempus mortis; & D. Paulus ad Heb. 10. *Vnam pro peccato offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexteram Dei, de cætero expectãs, donec ponantur inimici sub pedibus eius*; ad Philipp. 2. *Factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.*

9 Quòd autem mors fuerit terminus extrinsecus meriti, non intrinsecus, idest quod ipsa actualis mors non fuerit meritoria, nec in se fundarit rationem meriti, prob. quia opus meritorium debet esse humanũ, idest pendés ab hominis voluntate, cum ipsa vnitum, sed separatio animæ à corpore nõ est huiusmodi, quia cum tali separatione non coexistit homo. Quòd si dicas, saltem adesse ipsam animam. Contra est, quia anima non vnita corpori nequit mereri, aliter non posset assignari ratio, cur postea non mereatur. Ex quo sequitur, neq; vulnus lateris fuisse in se meritorium; neq; animam Christi in triduo satisfecisse pro nobis; nam si hoc esset, non rectè diceretur, Christum per mortem redimisse humanum genus, quia etiam post mortem redemit illud, & si in cælo adhùc mereretur pro nobis, adhùc nos redimeret, & pro nobis satisfaceret, quod est falsum.

10 Contra primam partem præter obiectiones inter probandam conclusionem adductas adhùc potest instari rationibus illis, quibus ostendi solet, causam debere tempore effectum præcedere, vel voluntatem non esse liberam in eodem instanti, in quo elicit actũ; quas dilui in Phys. & in lib. de Anima locis cit.

Deinde arguitur contra cæteras partes, quia Scriptura, & Patres totum Christi meritũ attribuunt passioni, & morti; ex quo sequitur primò, omnem aliũ actum non fuisse meritorium; secundò, mortem ipsam fuisse in se meritoriam, & consequenter non fuisse terminum extrinsecum, sed intrinsecum Christiani meriti. Tùm 2. Patres docent, Sacramenta fluxisse ex vulnere lateris Christi, sanguinem illum cum aqua mundasse nos à peccatis, ergo in illo vulnere fuit ratio meriti. Tùm 3. Christus modò in cælis orat pro nobis, ergo actu pro nobis meretur.

Resp.

11 Resp. Patres non tribuere totum meritum passioni, & morti, vt negent ab alijs actibus rationem meriti, sed quoniam opus redemptionis principaliùs à Deo fuit ordinatum per Christi mortem, itaut omnia Christi opera in ratione meriti veluti subordinata erant passioni, & morti, à qua recipiebant complementum, & vnam causam totalem, & adæquatam integrabant; vnde distinguo assumptum, meritum ascribitur passioni tanquam merito adæquato, nego; tanquã principaliori acceptato à Deo, concedo; præcipuè in nostra sententia asserente, opera Christi non habuisse intrinsecè valorem infinitum; sed extrinsecè ab acceptatione diuina; per quod patet ad primam sequelam. Ad aliam dico, mortem dupliciter considerari, vel in fieri, quo pacto dicit statum illum morti propinquum, in quo recipitur vulnus, cum quo mors habet infallibilem connexionem, & in hoc sensu est in se libera, & meritoria; vel sumitur in facto esse, scilicet pro eo instanti, in quo fit separatio animæ à corpore, & in hoc sensu sicut non est in se libera, & voluntaria, sed solùm in causa, ita nec est in se meritoria, sed tantùm in causa. Mors igitur Christi in primo sensu fuit in se meritoria, & causa nostræ redemptionis, in secundo sensu fuit meritoria, non in se, sed quia liberè acceptata, & in causa, sicut etiam contingit in morte cuiuslibet Martyris, qua ratione ipsa mors dicitur pretiosa in conspectu Domini, quia liberè volita. Per idem ad 2. vulnus scilicet, sanguinem, & aquã è latere Christi diffusam lauisse nos à peccatis, quia fuerunt à Christo præuisa, & liberè acceptata, & Patri pro nobis oblata; & in hoc sensu intelligi debent Patres, dum asserunt, Sacramenta omnia fluxisse è latere Saluatoris; quanquam explicari quòque soleant, quòd loquantur figuratiuè, quia repræsentabant sanguis, & aqua sacramenta præcipuè Baptismi, & Eucharistiæ, quibus à delictis mundamur. Ad 3. de antecedenti dicetur disp. seq. negatur cõsequentia, quoniam non omnis deprecatio est meritoria, sed aliqua est tantùm impetratoria, vt cum quis sine præuijs meritis intercedit aliquid à Principe, vel propter merita parentis defuncti.

12 Circa tertiam quæstionis partem supponendum est, in Christo non fuisse virtutes infusas supernaturales morales à per se aquisitis habitibus distinctas, & consequenter non esse distinguendum inter actus illarum, & actus istarum, vt faciunt Recentiores. Insuper notat ex Scoto in 3. d. 18. q. vn. quòd ratio meriti consistit in portione superiori voluntatis, non in portione inferiori, ratio est, quia meritum dicit ordinem ad Deũ præmiantem, & consequenter merens debet habere cognitionem Dei vt præmiantis, quæ cognitio nõ habetur, nisi per regulas æternas, hoc est per reuelationem factam in Sacra Scriptura, quæ cognitio spectat ad portionẽ superiorem largè sumptam ex dictis disp. præced. num. 102. portio verò inferior præscindit ab ista supernaturali cognitione. Tandem accipiendum, quòd licèt sit dissidium apud Theologos, an requiratur ad actum meritorium, quòd habeat relationem saltim virtualem ad Deum vt finem supernaturalem, an verò sufficiat relatio habitualis; hoc est, quòd actus sit ex se referibilis, seu moraliter bonus, & iuxta inclinationem gratiæ; hæc tamen difficultas non habet locum in Christo, quoniam sicut in omni operatione perfectissimè operabatur, ita quodlibet opus nõ solùm virtualiter, sed etiam actualiter dirigebat in Deum.

13 Quapropter dicendum, Christum Dominum omnibus suis actibus à voluntate prouenientibus siuè immediatè, vt sunt eliciti, siuè mediatè, vt sunt imperati, & ab alijs potentijs producti, meruisse, quia omnes isti actus habebant conditiones ad actum meritorium requisitas, vt consideranti patebit. Solùm est dubium de actu dilectionis Dei, an fuerit meritorius.

14 Suarez disp. 39. sect. 2. Pesantius 3. p. q. 9. art. 3. disp. 1. Tannerus d. 1. q. 6. dub. 4. Aueria q. 19. sect. 3. Bernal disp. 55. sect. 2. & communior pars Thomistarum distinguunt de actu dilectionis Dei, quòd alter sit beatificus procedens à scientia beata, & hunc, aiunt, non esse meritorium, quia necessarium, non liberũ; alter sit supernaturalis à sciẽtia infusa proueniens, qui fuit liber, & consequenter meritorius. Hanc etiam opinionem amplectitur Rubionus 3. d. 18. q. 1. art. 3. nec longè abest Vulpes disp. 23. art. 4.

15 Alij verò solam beatificam dilectionem ponunt in Christo, an autem fuerit meritoria, sunt diuisi; nã Vasq. disp. 64. c. 3. Abr. disp. 2. c. 2. q. 2. absolutè negant, fuisse meritoriam propter carentiam libertatis. Alij verò affirmant, sed vt saluent libertatem, variè distinguunt; quidam enim aiunt, dilectionem beatificam vt tendentem ad Deum esse necessariam, vt tendentem ad creaturas, vel ad Deum vt liberè ducit ad creaturas amandas esse liberam, ita Ioãnes Vincentius in Relect. de Gratia Christi c. 5. art. 3. Cabrera q. 19. art. 3. Aluarez disp. 45. Quidam docent, amorem diuinum esse necessarium, vt tendit in Deum, & bona ipsius intrinseca, esse liberum, vt tendit in bona extrinseca Dei, vt sunt honor, & gloria; ita Valent. q. 19. punc. 2. Lugus disp. 27. sect. 1. Alij asserunt, amorem beatificum fuisse liberum quò ad circumstantias intensionis, & perfectionis, ità Moncæus disp. 9. c. 11. At Petrus Hurt. disp. 63. sect. 1. subsect. 3. alia incedit via, distinguit enim tres visiones beatificas, & tres dilectiones beatificas inde consequentes; prima visio tendit in solum Deum in se, cui insequitur amor beatificus solius Dei necessarius, non meritorius. Secunda tendit in Deum, & in creaturas futuras, inter quas primò cognita fuit humanitas ipsius Christi cum omnibus donis acceptis à Deo, à qua visione ortum duxit altera dilectio beatifica Dei, quæ fuit quædam gratiarum actio pro omnibus beneficijs sibi, & hominibus concessis, & per consequens neque fuit libera, quia tenebatur Christus ex lege perfectionis, & amicitiæ elicere talem actum. Tertia visio repræsentat Deum cum omnibus creaturis futuris, & plurimis possibilibus, & hanc sequitur tertius amor omninò liber, quia nulla lege tenebatur Christus, hunc actum elicere, nam omnibus legibus satisfecit primis duabus dilectionibus, & hic solus fuit meritorius; admittit etiam amorem theologicum supernaturalem liberũ, & meritorium cum Suarez.

16 Hic primò dicendum est, Christum meruisse per actum dilectionis Dei; ita Doctor 3. d. 18. quod probat, quia primum obiectum, circa quod aliquis meretur primò, est ipse Deus, secundùm quod affectione iustitiæ vult Deo bonum, scilicet esse, & benè esse, scilicet esse iustum, sapientem, &c. meritũ enim est ordinatus motus circa Deum, volẽdo ipsi bonum; quapropter dicitur, meritum reperiri in portione superiori, & radicem omnis meriti esse in voluntate secundùm affectionem iustitiæ, non secundùm affectionem commodi, sed actus iste est charitatis, & dilectionis,

tionis, ergo Christus meruit actu dilectionis Dei, non solùm vt tali actu tendebat in Deum, sed etiam vt tendebat in alia obiecta, scilicet in electos, & alios innimicos propter Deum. Tùm quia omnium virtutum princeps est charitas, ergo si aliæ virtutes in Christo habuerunt proprios actus meritorios, nō erit hoc charitati denegandum. Tùm quia ex tali motiuo diuinæ dilectionis Christus operatus est, vt habetur Ioan. 14. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

17 Dicendum 2. talem actū dilectionis fuisse beatificum; ita Doctor cit. quam probat, omnis actus bonus, & laudabilis acceptatus à Deo, pro quo vult Deus aliquid retribuere illi, cuius actum acceptat, vel alteri, pro quo fit, est meritorius, actus beatificæ dilectionis Christi est huiusmodi, vt patet ex dictis nu. 1. ergo &c. Tùm quia probabilius est asserere, in Beatis vnicum dilectionis actum reperiri, & hunc beatificum, quàm geminare illum in beatificum, & theologicum, vt colligitur ex Scoto in 3. d. 31. vbi docet, charitatem non euacuari in patria, quia ex se non tendit determinatè in actū imperfectum dilectionis Dei absentis, qualem habemus in via, vt sunt fides, & spes, sed in dilectionem Dei in se, præscindēdo ab actu perfecto, vel imperfecto, ergo secundùm Scotum actus dilectionis in via non manet in patria. Nec est par ratio de intellectu, & voluntate, intellectus enim, quia est simplex potentia cognoscitiua, potest habere duplicem cognitionem eiusdem obiecti, intuitiuam, & abstractiuam; at voluntas, quia est potentia appetitiua, ex se fertur in obiectum, vt summè vniatur, & communicetur obiecto, & quantùm potest, intellectus enim veluti ad se trahit obiectum, voluntas verò trahitur, & veluti extra se it diligendo, hinc est, quòd si tenet obiectum perfectissimo modo, vt est præsens, non curat de tentione imperfecta eiusdem obiecti, vt absentis, & in specie relucentis. Sed quicquid sit de hoc, si daretur actus iste dilectionis theologicæ, adhùc simul cum beatifico esset meritorius; quod magis patebit ex solutione obiectorum.

18 Obijciunt Aduersarij primò, quia actus beatificus est præmium, ergo nequit esse meritum, aliter idem esset causa, & causatum. Facilè tamen diluitur, actum beatificum in Christo nō fuisse premium, vt in seq. quæst. quare non sequitur, idem fuisse meritum, & præmium, quia sibi non meruit beatitudinem, sed alia.

19 Secundò obijciunt, quia actus meritorius est de se liber, & in potestate merentis, actus beatificus est ex se necessarius, ergo &c.

Huic argumento variè respondent Doctores, quidam enim distinguūt diuersas formalitates in actu beatifico, & secundùm vnam, docent, fuisse necessariū, secundùm aliam liberum, vt vidimus referendo opiniones Doctorum num. 15. Alij, vt Moncæus, quòd fuit liber, quia poterat Christus elicere actum remissiorem, non solùm in perfectione indiuiduali, sed etiā specifica. Hurtadus verò admittit minorem de primo, & secundo actu, non de tertio. Vulpes negat absolutè minorem.

20 Prima tamen responsio est falsa, implicat enim, eundem actum in se continere duas formalitates absolutas, quarum vna sit intrinsecè necessaria, altera libera, nam quæ est intrinsecè necessaria, necessariò existit in sensu composito, quòd causa sit applicata, & non impedita, quia causa etiam est necessaria; at quæ est formaliter libera, sicut in sēsu cōposito, quòd causa sit applicata, & non impedita, potest illam non ponere, ita formalitas illa potest non poni, ergo potest separari à formalitate necessaria, ergo erit ab illa realiter, non formaliter distincta; patet ista conseq. quia ad distinctionem realem sufficit separatio saltim potentialis.

21 Secunda responsio nec etiam satisfacit, quia vt arguit Doctor 1. d. 1. q. 4. in cuius potestate non est agere, & non agere, nec in eius potestate est modus agendi, sed voluntas per ipsum necessariò, & naturaliter fertur in Deum clarè visum, ergo fertur, quantùm potest, ergo nō est in potestate voluntatis elicere actum intensiorem, vel remissiorem. Tùm quia saluat libertatem solùm quò ad circumstantias, non autem quò ad substantiam actus, quod fuit impugnatū disp. praced. num. 25. & seq.

22 Resp. Hurtadi tùm propter nouitatem, tùm propter carentiam alicuius rationis, & quia prorsus innititur in libito suæ voluntatis, est penitùs reijcienda; multiplicat enim tot actus absq; necessitate, solùm vt saluet libertatem amoris beatifici, quam tamē neque saluat; etenim secundùm ipsum voluntas circa Deum clarè visum ita rapitur, vt omni prorsus libertate careat, vt patet in primo, & secundo actu, quos admittit, ergo etiam in elicitione tertij actus necessitatur, patet conseq. quoniam si aliqua est differentia inter tertium actum, & alios, potiùs infert maiorem necessitatem, nam prima visione Deus videtur in se, & voluntas diligit necessariò, secunda visione videtur Deus cum creaturis futuris, & voluntas etiam necessariò iterùm diligit Deum, & creaturas, tertia videtur Deus cum creaturis possibilibus, ergo magis necessariò diliget voluntas, quia ex parte obiecti nō minuitur, sed augetur saltim extensiuè motiuum dilectionis, quæ est bonitas. Dices, ad primum, & secundum actum voluntatem Christi ex lege teneri, ideoq; necessariò elicere, ad tertium actum nulla est lex, idcircò liberè. Contra, quia per ipsum cum præcepto stat libertas, vt vidimus disp. præced. num. 26. ergo carentia præcepti non erit causa libertatis in tertio actu, nec positio præcepti causa necessitatis in primo, & secundo actu. Tùm quia ratio totalis, & adæquata necessitatis in primo, & secundo actu est infinita bonitas diuina, ergo quia eadem in ratione obiecti concorrit ad tertium actum, causabit eandem necessitatem.

23 Respondet §. 23. visionem claram Dei ex se esse causatiuam amoris necessarij, nisi alium supponat antecedētem in voluntate; modò tertia visio necessariò supponit secūdum actū amoris necessarium in voluntate Christi, quia terminatur ad ipsum, vt ad obiectum, idcirco non infert amorem consequentem necessarium, sed liberum.

24 Contra, ergo quia secunda visio præsupponit primum actum amoris necessarium, ad quem terminatur vt ad obiectum, non causabit amorem necessarium, sed liberum, & tamen per ipsum secūdus amor est necessarius; lex perfectionis, & amicitiæ non officit, vt dixi, quia præceptum per ipsum est cum libertate actus præcepti compossibilis. Tùm quia actus amoris præsuppositus non aufert à visione, seu à bonitate obiectiua cognita subsequenti visione vim attractiuam voluntatis ad se, imò potiùs auget, vt dixi, ergo si ex se nata est trahere voluntatem necessariò, vt ipse concedit, parùm refert præsuppositio alterius

terius amoris necessarij, ideò enim manens idē semper idem causabit. Tùm quia nulla est necessitas multiplicandi actus illos, nam prima visione, sicut Deus mouit ad sui cognitionem, poterat mouere quò ad cognitionem creaturarum; vel si ad sui cognitionem tantùm mouit, poterat deinde mouere ad solam cognitionem creaturarum, absq; eo quòd iterùm ad sui cognitionem moueret; vel tandē si tertia visione mouit ad cognitionē secundi amoris, cur etiam alia quarta cognitione non mouit ad cognitionem tertij amoris? & sic vel esset processus in infinitum, vel standum erit ad primam, aut saltim ad secundam visionem.

25 Respondetur ergo ad argumentum princ. retorquendo ipsum, quia nec amor ille theologicus fuisset liber in Christo, quia ad hunc elicīēdum habebat preceptum, cum quo nequit in Christo stare libertas, vt fusè ostensum est disp. præced. q. 2. art. 1. quòd autem habuerit præceptum, prob. quia præcepta positiuà, verum est, quòd in nobis non obligant pro semper, sed cum aliqua temporis latitudine propter nostram innatam imperfectionem in operando dependenter à sensibus, at in Angelis quia in instanti operantur, apprehendunt obiectum, & possunt statim illud diligere, vel respuere, præceptum positiuum obligat pro determinato instanti, qua ratione à Theologis morulæ Angelorum, in quibus fuerunt viatores, duæ, vel tres, aut quatuor assignantur; ergo quia Christus in instanti conceptionis habuit perfectissimam Dei cognitionem, omniumq; beneficiorum, quæ Deus largitus erat illi humanitati, & in posterum erat quòq; concessurus, tenebatur, Deo gratias agere in eodem instanti, ipsumq; diligere summè super omnia. Quapropter ad argum. distinguo maiorem, quòd si est sermo de libertate remota, hæc fuit in actu dilectionis christianæ, si de libertate proxima, negatur maior in Christo, quia ex diuina dispēsatione factum est, quòd Christus etiam in actibus necessarijs meruerit, ex dictis disp. præced. num. 37.

Quæ docet Vulpes cit. examinabo in seq. quæst. & ex dictis disp. præced. num. 31. patet, quàm falsò negetur minor.

Quæstio Secunda.

Quid sibi Christus Dominus meruerit.

26 SVb meritum Christi respectu sui ipsius possunt cadere propria Incarnatio, gratia, habitus supernaturales, beatitudo animæ, impassibilitas eiusdem, gloria corporis, nominis exaltatio, charitas, potestas iudiciaria, & similia. De Incarnatione fusè diximus disp. 6. q. 3. art. 1. tàm de potentia Dei ordinaria, quàm absoluta; & quidem de potentia absoluta idem dicendum de omnibus alijs, præcipuè de gratia, & beatitudine, videlicet potuisse Christum mereri tàm per opera præcedentia, quàm subsequentia, eadem enim est ratio de omnibus. Solùm vrgere potest authoritas Scoti in hoc 3. d. 18. q. vn. G. dicentis, beatitudinem Christi excedere quodcunq; meritum, & consequenter non posse sub meritum cadere. Sed resp. ex Licheto, Scotum loqui de potentia ordinaria, & de facto, non de absoluta, quia secundùm ipsum potest Deus quemcunq; actum bonum etiam minimum acceptare tanquam de condigno meritorium quocunq; præmio, vt vidimus disp. 6. q. 2. ergo non implicat, Christi beatitudinem cadere posse sub meritum in sententia Scoti, vt falsò putat P. Faber disp. 44. c. 6. & fusiùs ostendimus de Incarnatione disp. cit. contra ipsum; præterquamquod Scotus ibi non negat absolutè, beatitudinem Christi posse cadere sub meritum, quia deinde dat aliam solutionem. Solùm igitur quæstio procedit de facto, & de potentia Dei ordinaria, & de alijs ab Incarnatione, item de meritis præcedentibus præmium, nam de subsequentibus diximus satis disp. cit.

27 Putauit iniquissimus Caluinus, Christum Dominum nihil sibi meruisse, sed solis nobis, nam Scriptura hanc solam causam aduentus Christi commemorat, Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Tùm quia omnia erant Christo debita, ergo non poterant cadere sub meritum ipsius.

28 Nihilominùs veritas fidei est, Christum Dominum, ne dùm nobis, sed etiam sibi ipsi aliquid meruisse; estò enim verum sit, ea omnia, quæ ad pœnam, dolorem, & satisfactionem pertinent, propter nos, & occasione nostri peccat fuisse à Christo suscepta, nec Christo propter se fuisse necessaria, tamen postquam illa suscepit, aliquid propter ea sibi acquisiuit quò ad humanitatem; vnde ad Philipp. 2. *factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Hebr. 2. *Videmus Iesum Christum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum*; Luc. 24. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare, in gloriam suam*. Quòd si Scriptura cōmendat charitatem Dei erga nos, passionem, mortem, & similia ad nos refert, hoc ideo est, quia nostra redemptio fuit causa primaria passionis Christi, & nè putaremus, potiùs pro se, quam pro nobis esse incarnatum, & passum; non tamen propter hoc colligi potest, quod nihil sibi meruerit. Nec inconueniens, quod erat alias sibi debitum alio titulo, cadat sub meritum, præsertim quia debitum non erat fundatum in rigorosa iustitia, sed tantùm in congruentia. Nec inde minuitur charitas Christi erga nos, sed maximè relucet, quia cum propter gloriam suam non indiguerit morte, voluit pro nostra redēptione mortem subire. Omissa igitur hac impia opinione Caluini, & supposita catholica sententia, ordinatim videndum est, quid sibi Christus Dominus meruerit de facto.

29 Primò ergo dubitatur de beatitudine, an meruerit Christus per actus meritorios; pars affirmans defenditur ab Altisiodor. lib. 3. tract. 1. c. 7. Maior. in 3. d. 18. q. 2. Rubion. ibid. Albert. & ex Scotistis à Bassol. Mayron. ibid. & Vulpes disp. 23. art. vit. ex Recentioribus à Bernal. disp. 55. sect. 3. §. 3. non tamen eadem incedunt via, nam Bernal docet, primū actum Christi in executione fuisse beatificum, non tamen in præuisione Dei, in qua primò fuerunt actus meritorij, ex quorum intuitu Deus disposuit tribuere in executione beatitudinem tanquam præmium ex meritis præuisis per modum anticipatæ solutionis.

30 Vulpes verò nu. 7. in eodē instanti tēporis, quod fuit instās cōceptionis Christi, plura distinguit instātia naturæ. In primo cōcipitur Christus positus in actuali existentia per vnionē hypostaticā. In secundo intellectus ipsius informatus speciebus infusis omnium rerū, etiā essentiæ diuinæ. In tertio sub sanctis illuminationibus, & pijs desiderijs gratiæ mouentis, & excitantis,

& adiuuantis constitutua. In quarto sub actu diuini amoris in Deum super omnia dilectũ. In quinto sub habito summæ gratiæ sanctificantis, & continuatione prioris actus amoris. Addit deinde num. 13. Beatum non beari vltimatè per actum intellectus, sed voluntatis, in qua distingui debent actus amicitiæ, & actus concupiscentiæ, qui sunt realiter inter se distincti tàm obiectiuè, quàm subiectiuè, quia primus est in voluntate secundùm affectionem iustitiæ, secũdus in voluntate secundùm affectionem commodi; inter quos actus talis est ordo, nam post visionem claram Dei, primò voluntate diligimus Deum super omnia amore amicitiæ, secundò concupiscimus illi omne bonũ tàm intrinsecum, quàm extrinsecum. Tertiò ex eodem motiuo charitatis nos ipsos diligimus amore amicitiæ. Et tandè quartò cõcupiscimus nobis ipsis omne aliud bonum diuinum, in quo actu, inquis, consistit beatitudo. In fine illius articuli negat hanc propositionẽ; *intellectus animæ Christi in primo illo instanti suæ cõceptionis non priùs natura fuit sub priuatione visionis Dei*, & consequenter negat consequentiam, quæ erat ista, *ergo nec eius voluntas sub priuatione essentialis beatitudinis*. Eandem doctrinam repetit tom. 2. disp. 29. art. 2. vbi concedit, omnes actus præcedentes actum concupiscentiæ erga nos, in quo ponit beatitudinem, fuisse actus veri viatoris procedentes ex habitu fidei, & consequenter meritorios, Totum tamen oppositum docuerat priùs in 1. parte tom. 2. disp. 38. art. 8. conclus. 1. cuius rationem reddit hic disp. 23. art. vlt. in fine, quia ibi locutus fuerat ex suppositione, quòd primus actus voluntatis animæ Christi fuerit fruitio beatifica Dei clarè visi; quod suppositum, inquit, est absolutè falsum in principijs Scoti, quia beatitudo cõsistit in illo actu concupiscentiæ, quo appetimus nobis per modum complacentiæ Deum ipsum sub ratione delectabilis.

31 Ex his omnibus patet, quàm varius fuerit Vulpes, vt non appareat euidenter, quæ nam fuerit ipsius mens; nam primò videtur asserere, beatitudinem meruisse Christum per actus supernaturales ex scientia infusa elicitos, & ex habitu fidei; deinde videtur concedere, meruisse Christum etiam per actum amoris diuini erga Deum in se clarè visum, quia talis actus præcedit natura actum concupiscentiæ, in quo constituit essentiam beatitudinis. Videtur etiam hæc instantia naturæ explicare per verbum intelligi, & concipi; sed deinde dum negat illam propositionem, videtur explicare per verbum esse, & per negationem eiusdem.

32 Dico tamen, Christum non meruisse suam beatitudinem. Ita communior Theologorum pars cum Scoto in 3. d. 18. §. *Hoc viso*, vbi ex professo probat hanc veritatem; vnde valdè miror, Patrem Vulpes in doctrina Scoti versatissimũ oppositum è Scotico fonte docuisse, vt enim intuenti patet, Scotus ibi non est varius, & dubius de hac cõclusione, sed solùm soluendo obiectionem dat plures responsiones. Nec minùs contra Scotum est, quod asserit, beatitudinem cõsistere formaliter in illo actu concupiscentiæ erga nos; totum enim oppositum docet Doctor in 4. d. 49. q. 5. vbi quatuor præcipuè medijs probat, beatitudinem non consistere in actu concupiscentiæ, sed fruitionis, & amoris amicitiæ erga Deum; tùm quia ille actus potest esse non bonus, si immoderatus; tùm quia non est primus actus voluntatis respectu finis, & consequenter ignobilior; tùm quia est de obiecto minùs nobili, quoniam non est de obiecto vt in se, sed vt ab aliquo habitum, quæ habitio diminuit rationem illam obiectiuam, quam habet obiectum fruitionis, vt bonum est in se, & propter se; vide ipsum Scotum. En quomodò tàm opinio, quàm fundamentalis ratio ipsius Vulpes sunt directè contra Doctorem. Omitto, quæ asserit, amores amicitiæ, & concupiscentiæ esse subiectiuè realiter distinctos; insuper intellectũ prius natura fuisse sub priuatione visionis, & voluntatem sub priuatione beatitudinis; rursus habitum fidei fuisse in Christo: nam hæc duo vltima impugnata manent disp. 10. num. 21. primum verò de se ruit, quia volũtas secundùm affectionem iustitiæ, & secundùm affectionem commodi non sunt duæ voluntates realiter distinctæ, nec eadem voluntas sub duabus rationibus realiter distinctis, quia affectiones illæ sunt solùm formaliter à voluntate distinctæ, quia sunt duæ aptitudines ipsius voluntatis, vt expressè docet Scotus 2. d. 6. q. 2. G. ergo non distinguntur illi amores realiter subiectiuè.

33 Ostenso igitur, conclusionem istam Scoticam esse, eandem firmo ratione ipsius Scoti, quàm hic adducit; si Christus meruit suam beatitudinem, aut per actum voluntatis elicitum circa finem, aut circa ea, quæ sunt ad finem; non secundum, quia priùs habuit actum circa finem, scilicet fruendo Deo, quàm circa aliquid, quod est ad finem, volitio enim alicuius propter aliud præsupponit volitionem finis propter se; neq; primum, quia talis actus, inquit Doctor, fuit ipsa fruitio, & sic idem esset meritum, & præmium respectu eiusdem.

34 Dices cum Vulpes, Christum meruisse per actus prouenientes à scientia infusa, & per actus prouenientes à scientia beata præcedentes actum concupiscentiæ in ratione complacentiæ ipsius Dei vt delectabilis; quæ etiam responsio quò ad primam partem admittitur à Nominalibus; & etiam à Recentioribus, loquendo de potentia Dei absoluta. Contra primò, quia actus à scientia infusa prouenientes, si præcessissent, necessariò debebant præsupponere habitum fidei in intellectu, quia fuissent circa obiectum absens; fides autem est incompossibilis cum scientia beata in eodem instanti temporis, quamuis in diuersis instantibus naturæ ex dictis disp. 10. num. 21. ergo &c. (per quod ostẽditur impossibilitas huius asserti, etiam spectata Dei potentia absoluta) Tum quia si in eodem instanti temporis datur species alicuius obiecti, & obiectum ipsum intuitiuè mouens potentiam, potiùs dicendum erit, actum intuitiuum esse priorem natura, quàm abstractiuum, quia fortiùs potentia moueretur ab obiecto, quàm à specie, ergo nequeunt dari in voluntate actus præcedentes natura visionem beatam; quòd si supponeretur in intellectu visio beata, jam voluntas non poterit priùs habere actus consequentes scientiam infusam, quia voluntas moueretur à præsentia obiecti. Contra aliam partem de actibus circa Deum clarè visum, præter ea, quæ cum Scoto in 4. cit. supra diximus, sequeretur adhùc, visionem claram non cadere sub meritum, quæ tamen spectat ad beatitudinem, vnde dicebat Christus Ioan. 17. *Hæc vita æterna, vt cognoscant te*, &c. & D. Aug. 1. de Trin. c. penult. *Visio est tota merces*, & concedit ipse Doctor in 4. d. 49. q. 4. licèt non summa merces, ergo non totaliter, & adæquatè Christus meruisset propriam beatitudinem; prima sequela patet, quia præsupponeretur illis actibus.

Dices

31 Dices cum Bernal, Christum meruisse beatitudinem per actus subsequentes illam in executione, sed præcedentes in præuisione, quia primum decretū Dei,& motiuum ipsius de productione Christi fuit redemptio humana, quapropter primi actus in Christo præuisi fuerunt circa passionem, & redemptionem, per quos deinde decreuit Deus beatitudinem in instanti conceptionis præbere Christo. Hæc tamen solutio nititur fundamento iam reprobato disp. 7. q. 2. de decreto diuino incarnationis,quòd solùm fuerit hominis reparatio; Christus fuit primò prædestinatus à Deo ad summam gloriam, quia vt docet Doctor, ordinatè volens prius vult finem, quàm media ad finem, falsum igitur est, merita Christi in præuisione diuina præcessisse actum beatificum ipsius. Tùm quia de potentia ordinaria meritum etiam in executione præcedit præmium eiusdem personæ merentis, ergo &c.

36 Contra istam positionē arguitur primò ex Isa. 53. Pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur, visio autem, quæ satiat, est visio beata, iuxta Psal. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Confirm. gloriosius est, habere præmium per meritum, quàm sine merito, vt filius Regis, cui ex iure debetur regnum, maiorem gloriam haberet, si ex propriis meritis, & actionibus illud acquireret, ergo non erit hæc maior perfectio deneganda Christo, præcipuè quia nullum sequitur absurdum.

37 Resp. per ly videbit non intelligi visionem beatam,sed progressum exaltationis ipsius Christi,& suorum fidelium, & vniuersale dominium omnis creaturæ; quod colligitur ex verbis præcedentibus, Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Ad confirmat. respondet primò Doctor, assumptum valere de præmio, quod potest cadere sub meritum, talis non est beatitudo Christi. Huic tamen responsioni nō acquiescit, quia re vera non satisfacit. Ideo subdit aliam responsionem, quòd non fuit simpliciter gloriosius in ratione status beatifici, Christum habere beatitudinē ex meritis, quia decens erat, vt in illo statu reperirentur omnes gradus principales in actibus beatificis, vt scilicet inter Beatos esset aliquis perfectè beatus, sine omni merito præcedente. Nec fuit ingloriosius Christo,quia ex se potentiam sufficientem habebat ad merendum illam,nisi sufficeret ex diuina liberalitate prævenitus; quapropter quod Christus non meruerit beatitudinem, non contingit ex ipsius impotentia, sed quoniam merita eō præcesserunt. Dices,sufficit prioritas naturæ, voluntas autem est prior natura actu, ergo &c. Respondet Doctor, sufficere vtique prioritatem naturæ inter meritum ,& præmium , non tamen sufficere prioritatem ex sola voluntate.

38 Secundò dubitatur de gratia habituali, aliisq; donis supernaturalibus, vt sunt charitas, lumen gloriæ, species infusæ, & habitus virtutum; de quibus præcipuè de gratia affirmat D. Thom. 3. p. q. 34. art. 3. nam docet, Christum in primo instanti fuisse sanctificatum non ad modum imperfectum puerorum,sed ad modum perfectum adultorum, scilicet per proprium motum liberi arbitrij; circa quem locum valde insudant Expositores, eoquia q. 19. art. 3. oppositum docet. Eandem sententiam videtur docere Vulpes disp. 23. art. vlt. dum gratiam sanctificantem ponit in anima Christi in quinto signo naturæ post auxilia actualis gratiæ, & post amorem in Deum super omnia.

39 Attamen negatiua pars est communior, & colligitur ex Scoto cit. dum inter conditiones actus meritorij, etiam Christi, connumerat statum gratiæ habitualis; & prob. quia habitus illi iuxta dictiorem habitudinem dicunt ad potentiam, vt pote spectantes ad actum primum, quàm quilibet actus, ergo priùs natura fuerunt in anima Christi,quàm actus. Tum quia gratia est radix omnis meriti, etiam in Christo, præcipuè in sententia Scoti sustinentis, vnionem hypostaticam non sanctificare ex se formaliter.

40 Obijcitur illud Psal. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ quam vnctionem multi Sancti Patres exponūt de gratia habituali. Sed responsio patet ex dictis disp. 6. num. 44. ly propterea circumscribere causalitatem finalem. Dona verò subsequentia merita Christi elicita in instanti conceptionis potuerunt cadere sub meritum, quia nullum apparet impedimentum.

41 Tertiò dubitatur de gloria corporis, & animæ impassibilitate; ad quod vnanimiter omnia affirmatiuè respondent; Scotus verò sæpe cit. distinguit, quòd scilicet illa meruit indirectè, non directè; quæ difficultas non est magni momenti, quia spectat potiùs ad modum loquendi. Inquit igitur Doctor, quod Christus directè non meruit gloriam corporis, & impassibilitatem animæ, hoc est immediatè, quoniam si directè, & immediatè non meruit Christus, quod sibi necessario infusi erant quemcunque actum suum, nisi per miraculum fuisset impeditum, sed gloria corporis,& impassibilitas animæ infusissent Christo in primo instanti incarnationis, nisi fuisset per miraculum impedita, ergo &c. maior patet, quia meritum respicit præmium liberè dandum propter ipsum meritum, ergo quod regulariter habetur, & per miraculum suspenditur , non cadit immediatè sub meritum, præcipuè si fluit ab aliqua forma inexistente, talis est gloria corporis, & animæ impassibilitas, quæ regulariter habentur à Beatis, & ex ipsa animæ gloria redundant, ergo &c. Meruit igitur, subdit Doctor, indirectè, & mediatè, quia meruit auferri impedimentum, seu destitionem illius miraculi, qua destitione posita, statim beatitudo animæ redundasset in corpus; quod quidem clariùs patebit ex solutione obiectionum.

42 Instat Suarez disp. 40. sect. 3. Primò ex Scripturis adductis num. 28. Tùm quia meritum ex se respicit præmium, non ablationem impedimenti, sicut qui offert pretium pro captiui libertate, directè meretur libertatem, indirectè vinculorum solutionem, ergo meritum Christi directè respicit gloriam corporis, non ablationem impedimenti. Nec refert, quòd illa gloria erat alio titulo debita; tùm quia non implicat, idem deberi duplici titulo; tùm quia gloria corporis nonnisi ex diuina ordinatione redundat ex beatitudine animæ, non autem naturali consecutione, ergo non infuitur ex naturali necessitate, ergo poterat cadere sub meritum. Tùm 3. impedimentum istud fuit diuina dispositio, ergo meruit Christus, quòd Deus influeret gloriam in corpus, ergo meruit ipsam gloriam corporis, sicut merens, quòd Deus influat, seu tribuat beatitudinem animæ, mereri etiam dicitur ipsam beatitudinem. Tandem quia supposita separatione gloriæ corporis à beatitudine animæ nulla apparet ratio, cur non possit cadere sub meritum.

43 Resp. tamen ad 1. authoritates intelligi indirectè, mediatè,& secundariò, non directè, immediatè,& primariò,ad eum modum,quo aliquis propriè dicitur

 mereri,

mereri, scilicet de non debito facere debitum. Ad 2. assumptum esse verum, si illud præmium non esset aliàs debitum; nec exemplum de captiuo valet, quia libertas nullo modo erat debita. Nec impugnationes vrgent, quia gloria corporis ex communi lege redũdat à gloria animæ, & si non redundat, est miraculum, quod sufficit, vt immediatè non dicatur cadere sub meritum. Et idem potest deberi duplici titulo, dummodò non sit annexum ex communi lege alteri iam acquisito, & primariò debito; v.g. beatitudo animæ potest esse alicui debita, & propter actum charitatis, & propter actum obedientiæ, & directè istis actibus homo meretur beatitudinem; at quæ regulariter consecuntur beatitudinem, sicut non sunt primarium præmium, & immediatum, sed secundarium, & mediatum, ita si per miraculum auferrentur, meritum inde non respiceret illa immediatè, sed mediatè, primariò verò respiceret ablationem miraculi. Per idem ad 3. dispar enim est ratio de gloria animæ, & de gloria corporis, illa enim est primarium præmium, ista secundarium, & vt primario annexum. Ad vlt. patet ex dictis.

44 Ex quibus sequitur, Christum Dominum indirectè, & mediatè meruisse suam resurrectionem, & corporis gloriosi dotes, quatenùs meruit auferri impedimentum, quòd non obscurè colligitur ex sacra Scriptura, nam Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*, vbi Septuaginta Interpretes vertunt, *Et vult Dominus auferre de doloribus animam eius*, ac si diceret, quia posuit animam suam pro peccato, meruit videre semen longæuum, & auferri dolorem ab anima eius, quia meritum respicit ablationem impedimenti immediatè.

45 Dices, Psal. 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*; & Psal. 40. *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me*; ergo immediatè meruit resurrectionem. Tùm quia alij Beati meruerunt resurrectionem corporum, ergo moltò magis Christus. Resp. authoritates illas, vt de resurrectione intelliguntur, explicari debent mediatè. Ad confirm. negatur paritas, quia alij Beati meruerunt immediatè beatitudinem, & consequenter resurrectionem corporum; at Christus non meruit suam beatitudinem, ideoq; neq; corporis resurrectionem, quę vt dicit coniunctionem corporis gloriosi cũ anima beata, iam fuisset in Christo. Verùm si resurrectio formaliùs accipiatur, pro illa noua vnione corporis, & animæ, sic videtur significare ipsam ablationem impedimenti, nam separatio animæ à corpore erat vnum ex impedimentis, & vt sic poterat vtiq; cadere sub meritum.

46 Tandem dubitari potest de nominis exaltatione, dignitate capitis, iudiciaria potestate, & de ijs omnibus, quæ iure vnionis, & beatitudinis intrinsecè sequi necessarium non fuisset, vt sunt natiuitas ex Virgine, Angelorum laudes, adoratio Magorum, triumphus in ascensione, & similia. Pater Faber cit. respondet, hæc omnia Christum etiam indirectè meruisse.

47 Oppositũ tamen est verius; quia illa bona Christus directè meruit, quæ nullam habebãt necessariam connexionem cum beatudine ex communi lege, omnia enumerata sunt huiusmodi, vt patet, quia solùm in Christo præsupponebant congruitatem quandam ortam non ex vnione beatifica, sed hypostatica, ergo &c. Idcirco de nominis exaltatione dicitur ad Philipp. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen*, &c. & Apoc. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere diuinitatem, gloriam, & honorem*? De potestate iudiciaria, Ioan. 5. *Dedit ei potestatem, iudicium facere, quia filius hominis est*, vbi ly *quia* à Patribus, præsertim Aug. Tract. 22. in Ioan. explicatur pro causa meritoria. De capitis dignitate Matt. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*; ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnẽ Ecclesiã*; & Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; & vniuersaliter de omnibus, quæ ad externam gloriam attinent, dicitur Ioan. 17. *Ego te clarificaui super terram, opus consumaui, quod dedisti mihi, vt faciam, & nunc clarifica me tu Pater*; & cap. 12. *Pater clarifica me, & venit vox de cælo dicens, & clarificaui, & iterum clarificabo*.

Quæstio Tertia.

Quomodò Christus Dominus meruit pro alijs.

48 MEritum Christi dupliciter considerari potest, vel quò ad sufficientiam, vel quò ad efficaciam, primo modo consideratur in se; & veluti in actu primo, secundò modo cõsideratur, vt ponitur in esse, & vt infallibiliter habet suum effectum à parte rei.

49 Dico primò, Christum Dominum quò ad sufficientiam meruisse, & satisfecisse pro peccatis omnium, imò pro infinitis, si tot essent, & pro pœnis debitis peccatis omnium; quò ad efficaciam verò non meruisse pro omnibus. Conclusio, si absolutè intelligatur absq; eo, quòd progrediamur ad difficultatem valoris meritorum Christi, an scilicet fuerit finitus, vel infinitus intrinsecè, est communis cum Scoto 3.d. 19. A. Prima pars habetur ex Scripturis 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nõ pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*; 2. Corinth. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus*, & infra, *Erat Deus in Christo mundũ reconcilians sibi*; & hæc intelligi debent quò ad sufficientiam, non quò ad efficaciam, quia constat, plurimos damnari, quibus Christi meritum re ipsa nihil prodest ad effectum salutis. Ratione etiam patet, quoniam Christus Dominus obtulit suum meritum, quod ex se erat vniuersalis causa, & generale principium, quo quilibet vti poterat pro sua libertate; & à peccati seruitute redimi. Secunda pars habetur ex Sacra Scriptura, nam Ioan. 17. Christus specialiter orauit pro electis, *Ego pro eis rogo, non pro mundo; sed pro his, quos dedisti mihi*; & patet quoq; nam nõ omnes homines efficaciter facti sunt participes meritorum Christi, nec omnes consecuti sunt effectum redemptionis, & salutis, remissionem peccatorum, gratiam, & gloriam.

50 Dico 2. efficaciam meritorum Christi non consistere in eo; quòd applicata sunt à Christo sua merita his, qui se disposuerunt ad illa, qua dispositione mediante inde cõsequantur gratiam, & gloriam; sed potiùs quòd oblata sunt à Christo tantùm pro prædestinatis, & electis à Deo. Ita Doctor cit. Pars negatiua prob. si Christus meruit secundùm efficaciam his, qui habent dispositionem; ergo non meruit pueris gratiã baptismalem in lege euangelica, vel gratiam datam in circumcisione, vel gratiam datam in aliquo sacramento legis naturæ, quo delebatur peccatum originale,

Dico

le, vt in sacrificijs oblatis pro paruulis, quod est falsum; prob. conseq. quia ad illam primā gratiam nulla in paruulis est dispositio præcedēs. Tùm quia Christus non tantùm meruit, vt coniuncti Deo per gratiā, & charitatem cooperarentur ei ad augmentum, & sic tandem glorificarentur, sed etiam vt non coniuncti coniungerentur, non vniti vnirentur, qui non sunt membra Christi, membra eius fierent, & inimici amici, & in hoc maximè consistit eius meritum; ergo etiam his, qui nunquā se disposuerunt per aliquem actum elicitum ab eorum voluntate, & vniti non erāt, meruit, vt vnirentur, & reciperent gratiam. Tùm quia omnis dispositio, quæ potest suspicari, prævia ad gratiam habitualem iustificantem, necessariò prærequirit auxilium gratiæ excitantis, sed hæc gratia est dependēs à meritis Christi, vt in seq. quæst. ergo &c.

51 Pars affirmans prob. Deus prius secundùm nostrum modum intelligendi ordinauit electos, & prædestinatos ad gratiam, & gloriam efficaciter, quàm præuiderit passionem Christi tanquā medicinam acceptandam pro electis cadentibus in Adamo, ergo Christus efficaciter obtulit passionem suam tantùm pro electis, & prædestinatis, & tantùm fuit pro eis efficaciter à Deo aceptata, & non pro alijs; antecedens supponitur ex dictis disp. 7. q. 2. conseq. prob. Christus ita obtulit passionem Sanctissimæ Trinitati, sicut præuidit, ab illa fuisse ordinatam.

52 Dices, omne agens agit in passum dispositum, & vnitum sibi, quia ex 2. de Anima 24. actus actiuorum in patiente disposito, & vnito agenti, vt patet in agentibus corporeis, ergo etiam in actione meritoria, atq; ita meritum Christi valet his, qui se disposuerunt ad gratiam. Tùm quia si priùs electi sunt prædestinati ad gratiam, & gloriam, ergo si passio Christi nō fuisset, adhuc habuissent totam gratiam, & gloriam, ergo passio non fuit efficaciter meritoria; prima conseq. patet, quia voluntas Dei impletur, si est efficax.

53 Resp. requiri dispositionem, quando agens illā non causat, at si agens est etiam dispositionis causatiuum, sufficit sola applicatio cùm potentia, & capacitate subiecti; modò Christus est etiam causa meritoria dispositionis ad iustificationem, ideoq; sufficit capacitas, quam habet anima ad gratiam, & applicatio moralis, quæ consistit in hoc, quòd Christus fuerit à Deo constitutus omnium redemptor. Ad 2. aliud est ordinare, & eligere efficaciter ad gratiam, & gloriā, aliud est efficaciter dare, & conferre, electi fuerunt efficaciter ordinati, & efficaciter habuissent gratiam, & gloriam, si nullum fuisset impedimentum, & ad hoc nihil valuit passio Christi (non est sermo de meritis Christi independenter à præuisione peccati, de his enim in seq. quæst.) quantùm autē attinet ad collationem gratiæ post lapsum, & remissionem peccati, passio Christi fuit efficaciter meritoria, quia fuit ordinata vt medicina, & vt remedium contra peccatum, vnde præuiso peccato fuit ordinata passio Christi.

54 Dico 3. esto meritum Christi efficaciter applicatum sit pro electis, & prædestinatis, non propterea eos absolui à debito, & obligatione benè operandi, & pro delictis suis satisfaciendi. Est de fide contra Lutherum, Caluinum, & alios hæreticos nostri temporis, qui docent, post peccata commissa, etiam grauissima, nullam esse à nobis perperrandam satisfactionē, ne merito, & satisfactioni Christi derogemus. Damnatus est hic error præcipuè in Concil. Trid. sess. 14. de Sacram. Pœnit. c. 8. & 9. Probatur ex multis locis Sacræ Scripturæ; Iac. 2. *Fides sine operibus mortua est*; Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; & millies hoc inculcatum habetur in Sacra Scriptura, & à Patribus. Prob. etiam ratione, quia aliter passio, & meritum Christi esset velamen nostrarum iniquitatum, quod valde indignum esset, & reclamat D. Petrus in 1. epist. c. 2. *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem*; & c. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*. Tùm quia si à tali debito essemus absoluti pro Christi satisfactione, tunc vel homines essent priuandi libertate, ne peccarent, vel maximam occasionem, & licentiam haberent peccandi. Tùm quia contra gloriam Christi esset, vt homines efficerentur participes meritorum Christi, etiam si delicta commissa non retractarent, sed in sua pertinacia, & inobedientia persisterent. Tādem quia maximè congruebat, vt opera Christi nobis proficerent ad salutem, quòd in eadem salute procuranda nos essemus eiusdem Christi cooperatores, vt desinit Tridentinum sess. 6. c. 5. vt qui per peccatū auersi à Deo eramus, per eius excitātem, & adiuuantem gratiam ad conuertendum eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponamur; vnde Ioannes epist. 3. *Cooperatores simus veritatis*.

Quæstio Quarta.

Quid alijs meruit Christus.

55 EX ijs, quę Christus Dominus nobis mereri potuit, hæc prętertim inuestigari possunt, an scilicet meruerit prædestinationem electorum, an primam gratiam primorum parentum, & Angelorum, an remissionem nostrę culpæ, & collationem gratię, etiam pœnitentialis, & gloriæ augmentum, an dispositiones ad gratiam, quæcumq; illæ sint, an apertionem ianuæ cælestis iam per peccatum clausæ. Ex istis deinde facilè erit, de cæteris discurrere.

56 Primò igitur dubitatur, an Christus meruerit nobis prædestinationem, & electionem ad gloriam, sumendo prædestinationem, non vt dicit actum diuinæ voluntatis, vt sic enim nequit habere causam aliquam, sed vt dicit terminationem liberam diuinæ volitionis circa electos, & prædestinatos; Et quamuis hæc difficultas propriè spectet ad Tract. de Prædestinat. attamen breuiter hic, quantùm sat est, aliqua dicemus.

57 Suarez 3. p. disp. 41. sect. 4. & lib. 2. de Præd. c. 24. distinguit, electionem ad gloriam posse dupliciter cōsiderari, vel vt dicit diuinam dilectionem circa tale obiectum, vel vt concomitanter connotat habitudinem ad aliud non electum, seù vt dicit electionem huius præ illo; primo modo, ait, Christi meritum fuisse causam nostræ prędestinationis; secundo modo negat, sed quòd hi potius, & non illi, fuerint electi, prouenisse ex diuino beneplacito; dat exemplum, si enim Princeps aliquis propter propria merita exhibita postularet à Rege dignitatē aliquam pro vno ex filijs, quos habet, certe Rex dignitatem vni ex filijs conferret propter merita Patris; attamen quod hic potius, & non ille fuerit electus, proueniret ex voluntate Regis. Hanc opinionem amplectitur ex Nostris Vulpes 1. parte tom. 2. disp. 38. art. 8. & 4. p. disp. 19. art. vlt. At Vasq. 1. p. disp. 94. c. 2. & 3. & Lugus hic disp. 27. sect. 3. docent, Christum fuisse causam meritoriam

nostræ electionis, & electio est; inter has verò opiniones videtur solùm discrimen de nomine

58 Dico tamen primò, Christum non meruisse nobis prædestinationem, & electionem primam ad gloriam, etiam in ratione dilectionis. Hęc conclusio docetur à pluribus Antiquis apud Suarez cit. & pręcipuè illam ex Nostris defendit P. Faber in 3. disp. 48. c. 2. licèt insufficienti fundamento innitatur, vt videbimus; nec obscurè insinuatur à Scoto in 3. d. 19. A. vbi quamuis expressè loquatur de meritis passionis Christi, quę vtiq; non poterat esse causa meritoria, quia prædestinatio in Scoti sentētia pręcessit, potest tamen doctrina applicari etiam meritis à passione independentibus, de quibus est difficultas, nam cōmune axioma est in doctrina Doctoris, quòd ordinatè volens priùs vult finem, quàm media ad finem, ex quo sic arguo; voluntas, qua Deus voluit Christum vt causam meritoriam, est voluntas medij, voluntas qua Deus voluit electionem prędestinatorum ad gloriam, est voluntas finis, ergo ista præcessit, ergo Deus non elegit prædestinatos propter Christi merita, tanquam media, sed ex suo beneplacito.

59 Resp. Suarez, in illo priori signo, in quo Deus voluit Christum hominem Deum propter se, voluisse quoq; merita ipsius, non vt media, sed vt perfectio, & excellentia sunt ipsius Christi, vt ex se esset sufficiens causa in genere meriti, cuius intuitu posset Deus velle supernaturalia dona præbere ad sui beneplacitū, tàm quò ad gradum, & qualitatem præmij, quàm quò ad personas. Itaq; aliud est velle Christum, vt medium, aliud est velle ipsum vt primam causam in genere meriti; primum supponit voluntatem finis, non secundum; sicut neq; volitio causæ præsupponit volitionē effectus. Tùm quia meritū, vt est perfectio quędam Christi, habet rationem obiecti per se amati, seù coamati cū Christo vt primæ causæ in genere meritu vt autē est medium, consideratur vt peculiari modo ordinatum, & applicatum ad salutem hominum. Quapropter ad argum. negatur prima pars antec.

60 Contra, meritum vt meritum de sua ratione formali dicit relationem ad præmium vt ad finem, ergo volitio meriti semper est volitio medij, ergo sēper præsupponit volitionem finis; assumptum patet ex definitione meriti assignata disp. 6. num. 27 conseq. probatur, quia meritum nullam aliam causalitatem dicit ad præmium, nisi causæ instrumentalis in genere moris, non principalis, ergo sicut instrumentum nequit esse primariò volitum ex se, sed propter finem, ita meritum nequit esse volitum, nisi propter præmium. Tùm quia quando voluit Christum vt causam meritoriam, vel habuit volitionem alicuius pręmij in particulari, vel solùm præmij in communi, & in vniuersali, si primum, ergo pręcessit volitionem illius, quod quidem fuit ipsa gloria; si secundum, ergo volitio diuina fuisset terminata ad aliquod confusū, & in vniuersali, & par consequens etiam diuina scientia ad tale præmium fuisset terminata in vniuersali; quod est cognoscere, & velle imperfectè, ergo nequit Deo conuenire, quia Deus omnia distinctissimè cognoscit, & vult, etiam secundùm ipsum Suarez sect. cit. Tùm quia meritum vt meritum dicit pactum, & acceptationem diuinam, per quam completur in ratione meriti ex dictis disp. 6. q. 2. ergo si meritū Christi, fuit à Deo acceptatum, iam interuenit pactum, ergo fuit in ordine ad aliquod pręmium determinatū, ergo volitio præmij præcessit volitionem meriti.

61 Secundò prob. si Deus elegisset prædestinatos propter Christi merita, sequeretur, Christum fuisse causam meritoriam prædestinationis, non solùm in ratione dilectionis, sed etiam in ratione electionis, seù (nè litem de nomine habeamus cū Vasq.) fuisse causam, cur alij ab electis non fuerint à Deo efficaciter voliti ad gloriam; quod à nullo conceditur, nec etiam ab ipso Suarez, & ratio est, quoniam nō videtur conueniens, vt negotium tàm arduum, & præcipuum, qualis est nostra prædestinatio, reuocetur in dispositionem, & beneplacitum humanæ voluntatis Christi, itaut diuina voluntas debuerit se conformare voluntati createę. Prima sequela prob. supponēdo prius, quòd quando Deus præuidit Christi merita, & propter illa elegit aliquos ad gloriam, præuidit illa vt infallibiliter exibenda erant à Christo à parte rei, & cum omnibus circumstantijs, quia meritum, vt actu causet, non sufficit, quòd sit possibile, sed exigitur necessariò, vt existat, vel saltim præuideatur vt certò futurū. Quęro ergo, an Deus pręuiderit Christum oblaturum sua merita efficaciter pro omnibus hominibus, vel pro aliquibus tantùm, vel nullo modo oblaturum; non tertium, quia de facto Christus, non solùm passionē, de qua non loquimur, sed omnia sua merita obtulit Patri pro nobis, ergo Deus præuidit talē oblationem; non primum, quia sequeretur, voluntatem efficacem Christi non fuisse conformem diuinæ, contra dicta in disp. præced. q. 5. Tùm quia à parte rei Christus nō obtulit pro omnibus efficaciter sua merita, vt in præced. quæst. vidimus (quod enim ibi diximus de passione quò ad efficaciam, & sufficientiam, intelligendum est quoque de alijs meritis) ergo secundum, ergo Deus ideo voluit hunc, & non illum hominem, quia vidit, Christum delecturum hunc, & non illum; quod est falsum.

62 Dices, Christum Patri sua merita obtulisse pro illis, quos Deus voluerit, & consequenter electionem horum præ alijs refundendam esse in diuinam voluntatem, vt in primariam radicem. Contra, de facto Christus obtulit efficaciter sua merita determinatè pro electis, non in confuso, vt patet ex illo Ioan. 17. *Ego pro eis rogo, non pro mundo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt*; & infra, *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*, ergo vt sic fuerunt à Deo præuisa; conseq. patet, quia præscientia est de rebus, vt existent à parte rei, aliter esset falsa. Et tandem potest confirmari illis authoritatibus, quibus Scriptura reuocat prædestinationem in diuinam voluntatem, & misericordiam, ad Ephes. 1. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*; & ad Rom. 9. *Non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.*

63 Dico 2. probabiliter sustineri potest, voluntatem, qua Deus voluit, hominem lapsum reparare, non fuisse ex meritis Christi; voluntatem verò, qua post præuisum peccatum & voluit prædestinatos efficaciter, & infallibiliter consecuturos beatitudinem, certum est, prouenisse ex meritis Christi, idem quòque de consecutione gloriæ dicendum, si peccatum non fuisset. Prima pars, prob. meritum Christi supponit diuinam voluntatem ordinātem illud meritum ad nostram reparationem, sed hæc ordinatio supponit voluntatem præbendi hominibus lapsis remedium, ergo meritum Christi supponit voluntatem reparandi homines lapsos, ergo non ex meritis Christi, sed

ex

ex sua voluntate Deus voluit, homines lapsos reparare; hinc Sacra Scriptura semper tribuit hanc voluntatem misericordiæ, & charitati diuinæ, ad Ephes. 2. *Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiã charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccato, conuiuificauit nos Christo*; ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus, quia cum adhùc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est*; Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filiũ suum vnigenitum daret*.

64 Dixi probabiliter, quia posset etiam sustineri, hanc voluntatem fuisse ex meritis independentibus à passione, vt fuerunt actus interni; vnde cum Scriptura hoc misterium tribuit misericordiæ Dei, potest dici, vel quòd loquitur de Incarnatione in se, vel respectu nostri, qui nullum habebamus meritum ad istam reparationem.

65 Secunda pars prob. voluntas perducendi homines efficaciter ad beatitudinem post peccatum præuisum habet fundamentum in meritis Christi, ergo fuit dependenter ab illis; antec. prob. non potest intelligi assecutio effectus absq; medio, & causa, sed causa, & medium consequendi gloriam hominibus lapsis est passio Christi, ergo non potuit præuideri absq; passione Christi, ergo fundamentũ habuit in meritis Christi. Confirm. voluntas perducendi homines ad beatitudinem post peccatum, supposita illa ordinatione, qua voluit, homines redimi per Christum, necessariã habet connexionem cum Christo, ergo nititur meritis Christi. Tandem vltima pars prob. quia si peccatum non fuisset, adhùc per propria merita electi accepissent gloriam, ergo ista merita fuissent fundata in meritis Christi, prob. conseq. quia Christus adhùc fuisset caput electorum, vt fusiùs disp. seq. q. 3. dicemus.

66 Contra 1. conclus. arguit Suarez ex D. Paulo ad Ephes. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, vbi loquitur de voluntate efficaci dandi gloriam, vt colligitur ex verbis subsequentibus, *Vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate*, & subdit, *Qui prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum*, vbi præsertim ly *in ipso* significat causam meritoriam, iuxta illud, quod subiungit, *In quo habemus redemptionem*; & 2. ad Tim. 1. *secundùm gratiam, quæ data est nobis in Christo*, quibus in locis particula *in* cum ablatiuo significat causam meritoriam. Tùm 2. ex eodẽ Ephes. 1. *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, quæ propositio, cum sit vniuersalis, etiam benedictionem electionis comprehendere potest, vt exponit Chrisost. ibi hom. 1. *Per quem nos benedixit, per eundem nos elegit*, Tùm 3. Ioan. 17. Christus loquens ad Patrem ait, *Dilexisti eos, sicut dilexisti me*, vbi ly *sicut* stat pro *quia*, vt notauit Aug. & etiam Hier. lib. 2. contra Iouin. dicens *Ideo nos diligit, quia Filium dilexit Pater*.

67 Resp. ex ipsomet Suarez in lib. 2. de prædest. cit. omnes istas authoritates exponi posse de causa exemplari, & finali vt diximus disp. 8. q. 2. vel dicendum, Christum esse causam nostræ prædestinationis, non per quam primò fuit, sed per quam impléda erat, sicut nostra merita sunt causa nostræ prædestinationis, quia per ipsa obtinenda est; quod est dictu, esse causam prædestinationis quò ad consecutionem, non quò ad electionem.

68 Secundò arguit Vulpes in 1. p. authoritate Scoti in 4. d. 2. q. 1. ad 3. vbi cum D. Aug. 13. de Trin. c. 19. docet, quòd in vniuersis operibus Dei non fuit aliquod opus merè gratiæ, nisi sola incarnatio Filij Dei, ergo quia prædestinatio est opus diuinum, non fuit merè gratiæ, sed præcesserunt merita Christi secundùm Scotum. Et in 3. d. 7. q. 3. B. docet, animam Christi fuisse priùs electam, quàm cæteri Beati, vtpotè quia propinquior erat vltimo fini, ergo cæteri Beati fuerunt electi propter Christi merita. Et in 4. p. disp. cit. affert Doctorem in 3. d. 19. q. vn. ex professo dicentem, Christum fuisse causam meritoriam nostræ prædestinationis. Tùm quia Scotus in 3. d. 13. q. 2. H. pro regula irrefragabili habet, in commendando Christũ malle excedere, quàm deficere, ergo &c.

69 Resp. ad 1. locum, quòd D. Aug. loquitur *de rebus per tempus ortis*, & consequenter de ipsis quò ad executionem, in quo sensu verum est, quòd sola Incarnatio fuit opus merè gratuitum, cætera verò præsupponunt merita Christi, nam gratia, & gloria non datur, nisi mediis Christi meritis; & in hoc sensu quòq; intelligendus est Doctor. In secundo loco solùm docet antecedens, consequens autem voluntariò additur à Vulpes, quia solùm infertur, Christum esse causam finalem, & exemplarem nostræ prædestinationis, non autem meritoriam. In tertio loco tantùm abest, quòd ibi doceat, Christum esse causam meritoriam nostræ prædestinationis, quòd potiùs oppositum apertissimè asserit, vt intuenti patebit. Ad vlt. resp. regulam illam valere, quando non habemus rationes conuincentes pro parte negatiua; quod non euenit in præsenti, vt patet ex probat. conclus.

70 Tertiò arguit idem. Secundùm Scotum, si Adam non peccasset, Christus adhùc venisset vt glorificator, fuissetq; caput totius Ecclesiæ, nec meruit sola passione, sed alijs actibus à passione independentibus, quibus meruisset, si permansisset innocentiæ status, ergo Christus per istos actus meruit nostram prædestinationem, præcipuè quia fuerunt præuisi à Deo in primo signo ante electionẽ prædestinatorum.

71 Resp. argumentum conuincere P. Fabrum sustinentem nostram opinionem ex hoc fundamento, quia passio Christi fuit præuisa post electionem prædestinatorum, ergo non potuit esse illius causa meritoria; quæ ratio vtiq; est insufficiens; & quamuis illa vtatur Scotus in 3. d. 19. cit. non tamen ex illa infert conclusionem absolutam, sed limitatam, scilicet non fuisse Christum causam meritoriam nostræ prædestinationis per merita suæ passionis, quod vtiq; verissimum est; at vt inferatur conclusio absolutè negatiua, alia ratio est adducenda, vt vidimus. Quapropter respondetur, concedendo Christum venturum peccato non existente, futurum quòq; caput omnium electorum, & meriturum actibus a passione independentibus, sicut etiam de facto istis actibus meruit; non tamen exinde sequitur, fuisse causam nostræ prædestinationis meritoriam, & quò ad electionẽ, sed solùm finalem, & quò ad consecutionem, sufficit enim vt caput influat in membra, quando actu vnita reperiuntur in corpore, & vt actu participent vitam, qui est ordo executionis. Neq; absolutè est verum, merita Christi fuisse præuisa ante electionem Beatorũ, posset enim dici, priùs fuisse completum ordinem creaturarum quò ad actum primum, & esse substantiale, & beatificum deinde præuisos actus secũdos meritorios. Et quamuis concedatur assumptum, adhùc non sequitur intentum propter rationes assignatas. Quæ deinde congerit in 4. p. cit. nihil conuincunt.

Secunda

72 Secunda difficultas est, num Christus meruerit primis parentibus primam gratiam sanctificantem, & idem quæritur de Angelis. Cui negatiuè respondet Alens. D. Bon. Dur. Palud. & alij vetustiores, quos citat, & sequitur Vasq. disp. 40. item Beccanus c. 24. q. 9. Lugus disp. 27. sect. 3. Bernal disp. 55. sect. 4. Aluarez de auxil. disp. 40. & Auersa q. 19. sect. 7. loquendo de Christo homine (nã si consideretur Christus, vt dicit suppositum creaturæ rationalis, inquit, oppositũ esse verius) ex Nostris sequuntur Faber disp. 48. & Centinus disp. 12. c. 1. num. 21.

73 Affirmatiua pars est probabilior, quam sustinent Cather. lib. 1. de eximia Christi prædest. & lib. de Gloria, & peccato Angelorum; Galatinus lib. 3. de Arcanis c. 4. Suarez disp. 42. sect. 1. Valentia q. 8. punc. 3. Lorca disp. 45. Hurt disp. 63. sect. 8. Vulpes 1. p. disp. 38. art. 8. & quotquot sustinent, Adamo non peccante, Verbum assumpturum carnem; ex quo principio deducitur, hanc opinionem esse conformem principijs Doctoris, oppositum enim huius est Aduersariorum fundamentum. Supposito igitur illo principio non erit deneganda Christo hæc excellentia, cum nulla appareat vrgens ratio in oppositum, vt videbimus; & hæc est ratio fundamentalis huius asserti. Tùm quia Christus vt homo Deus est caput omnium electorũ, tàm hominũ, quàm Angelorũ ex dicẽdis disp. seq. q. 3. ergo omnis spiritualis influxus in mẽbris repertus erit à Christo capite, quia ad rationem capitis spectat, vitã, sensus, & motum reliquis membris tribuere, & idem de mistico capite, & misticis membris dicendum.

74 Accedunt quamplurime Patrum authoritates, nam Bern. serm. 22. in Cant. in illud Apost. *Factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio*, ait, *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, nè laberetur, sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens, & hac ratione fuit æquè vtriq; redemptio, & soluens illum, & seruans istum*: vbi nõ est sermo de Christo vt Deo, sed vt Deo homine, quia redimere non conuenit Christo vt Deo, sed vt Deo homini; & ser. 1. de Circumcis. circa medium, *Idem quippe & Angeli Saluator & hominis, sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ*, quia scilicet Angeli ab initio consecuti sunt beatitudinem, homines nonnisi post incarnationem. Cyrillus lib. 5. in Isa. *omnis fructificatio spiritualis tàm in Sanctis Angelis, quàm in nobis, per Christum insita est*. Greg. 1. Reg. c. 4. circa illa verba, *Non est alius extra te*, inquit, *Subauditur Sanctus, quia nullus hominum, atque Angelorum sanctus est, nisi per Christum*; & infra se declarat, loqui de Christo vt homine dicens, *Nemo electorum, nisi in ipso est, quod sic refertur ad diuinitatem eius, vt nequaquam intellectũ humanitatis excutet*. Fulgent. lib. 2. ad Trasimundum c. 3. *Vna est in vtroque* (scilicet Angelo, & homine) *gratia operata, in hoc, vt surgeret, in illo, nè caderet, in illo nè vulneraretur, in isto, vt sanaretur, illius esca, istius medicina*. Dicere autem, has authoritates quò ad homines intelligi de Christo vt Deo homine, quò ad Angelos de Christo vt Deo, est prorsus voluntariè dictum; & maior extorsio harum authoritatum est sensus, quem illis tribuit Auersa, quòd scilicet intelligantur de Christo vt supposito rationalis naturæ; talem enim distinctionem numquam somniarunt citati Patres, sed absolutè de Christo homine sunt locuti.

75 In oppos. arg. quia Sacra Scriptura nunquam. asserit, Christum venisse propter Angelos, quin potiùs nonaginta nouem oues (scilicet Angelos) reliquit, & ad quærendam vnam ouem, scilicet naturam humanam, quam perdiderat, descendit. Tùm 2. ad Hebr. 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes, propter quam causam non confunditur, eos fratres vocare*, & infra, *quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem*, quibus videtur requirere Apostolus inter sanctificãtem, & sanctificatos vel originem ab eodem parente, vel communicationem in eadem natura, quorum nullũ est inter Christum, & Angelos, idcirco subiungit postea, *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*. Tùm 3. meritum Christi per mortem fuit consumatum, mortuus est autem propter delicta nostra, ergo gratia Angelorum, & primorum parentum fuit independens à merito Christi. Tùm 4. gratia Angelorũ, & primorum parentum non fuit suppositi lapsi, & infirmi, Christus venit, & mortuus est propter lapsos. Tùm 5. sequeretur, gloriam non fuisse collatam Angelis, nisi post passionem Christi exhibitam, quod est falsum; sequela prob. quia vt inquit Doctor 3. d. 19. D. summum bonum, ad quod ordinatur passio Christi, dari non debuit ante merita exhibita; & similiter si Adam in statu innocentiæ stetisset, gloria non fuisset illi collata ante Christi aduentum. Tandem sequeretur, Christum dici posse Angelorum redemptorem, quod nullus Patrum asseruit.

76 Resp. Scripturam sæpiùs loqui de incarnatione sub nomine redemptionis propriæ, & liberationis à peccato, & ideo de ipsa loquitur in ordine ad homines; at quando loquitur sub nomine sanctificationis, benedictionis, gratificationis, etiam loquitur in ordine ad Angelos, vel illos non excludit; ad parabolam autem de ouibus, dico, etiam iustos intelligi sub illis nonaginta nouem ouibus ab aliquibus Expositoribus, iuxta illud *Non veni vocare iustos, sed peccatores*, quos relinquere non est, illis non mereri, sed non ita specialibus medijs, & modis quærere; idem de Angelis dicendum. Ad 2. authoritas illa intelligitur de sanctificatione per modum liberationis à peccato, & de propria redemptione, quam distinctionem declarabimus ad vlt. vel ly *ex vno omnes* intelligitur Deus. In hoc sensu quoqui intell gendus est Ambr. serm. 10. in Psal. 118. vbi loquens de Incarnationis misterio ait, *Habemus aliquid, quod fortasse Angeli non habent*, nota ly *fortasse*. Per apprehensionem etiam nõ intelligit Apostolus sanctificationẽ per gratiam, sed ipsam hypostaticam vnionem, quę soli humanitati fuit concessa. Ad 3. si non meruit per mortem, meruit per actus internos charitatis præuisos ante lapsum Adami; tùm quia Christus per mortem meruit sibi, & tamẽ non est mortuus propter seipsum, quia non pro seipso primariò mors fuit ordinata, idem potest dici de Angelis. Per idem ad 4. vel non fuit ex meritis Christi per modum redemptionis propriæ, pretij, & satisfactionis, concedo, sic enim tantùm lapsis meruit, per modum meriti, & impetrationis, nego. Ad 5. peccatum primorum parentum clausit cælorum regnum non aperiendum, nisi passiune exhibita, & soluto pretio; Angeli verò, antequam cælum esset clausum adepti sunt beatitudinem. Cum dicitur, summũ bonum per Scotum non debuit dari, nisi post merita exhibita, verum est de hominibus, pro quibus erat obstaculum, nam clausa erat ianua propter peccatũ, ideo difficiliùs fuit, hominibus aperire ianuam; nõ est verum de Angelis, pro quibus non fuit obstaculum; vide exemplum, quòd ex D. Ansel. adducit Scotus.

Ad

77 Ad vlt. meritũ Christi respectu Angelorũ habuisse tantùm rationẽ meriti, nõ pretij, ideoq; nõ est necesse, Christũ dici redemptorẽ Angelorũ, sed eorũ caput per influẽtiam donorũ gratuitorum in mẽbra. Vel Christus potest dici redẽptor Angelorũ non propriè, quasi eos à captiuitate liberarit, sed largè, quia præseruauit, nõ à peccato, quod necessariò debuissent incurrere, vt fuit B. Virgo in sententia asserentium, B. Virginẽ habuisse debitũ cõtrahendi peccatũ originale, de quo infra, sed à peccato, quod poterant incurrere pro sua libertate; vnde minùs propriè dicitur redẽptor Angelorũ, quia propriè non redimitur, nisi is, qui peccato seruit, vel qui est subditus legi seruiendi peccato, nõ is, qui potest esse seruus peccati. Et per istam distinctionẽ possunt multæ Patrum authoritates conciliari, quarũ aliquæ videntur negare, Angelos esse redẽptos, aliquę verò affirmare. vide disp. 16. q. 40. vbi ex professo idem dubiũ agitatur de B. Virgine. Ex his sequitur etiã, Christũ meruisse Angelis, & primis parẽtibus cętera dona supernaturalia, qđ magis patebit ex dicẽdis.

78 Vltimò dubitari poterit de cæteris donis supra enumeratis, an illa meruerit Christus hominibus; pro cuius resolutione.

Primò dicendum, Christum meruisse hominibus primam gratiam sanantem naturam à labe peccati, & consequenter remissionem peccati, tùm actualis, tùm originalis, & gloriæ consecutionem. Est Scoti d. 19. C. prob. Ioan. 1. *Gratia, & veritas per Christum facta est*; Rom. 3 *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*; ad Ephes. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum*, & idem docet Trid. sess. 6. c. 7. Tùm quia paruulis in baptismo confertur prima gratia ex vi Sacramẽti, cuius causa meritoria est ipse Christus; adultis etiã cõfertur gratia ex meritis Christi, nã dispositio præuia à meritis Christi depẽdet, vt infra. De remissione etiam patet, quia nõ remittitur peccatũ, nisi per infusionẽ gratię, ergo Christus vnũ sine altero mereri nõ potuit. Tandem de cõsecutione glorię patet, quia ex gratia acceptamur ad gloriam, ergo si meruit gratiã, meruit gloriã, hinc paruulis ex iustitia datur gratia propter Christi merita; vt docet Scotus in 4. d. 2. q. 1.

79 Secundò dico, auxilia gratiæ excitantis, & adiuuantis, quæ dantur homini, vt se disponat ad gratiã, à prima vocatione vsq. ad vltimam dispositionem esse ex meritis Christi. Colligitur ex Scoto in 3. d. 19. cit. supra A. dum docet, hoc potissimum meruisse Christum, nõ coniunctos coniungi, nõ vnitos vniri, etiã qui nunquam se disposuerunt; estq; contra Capr. & alios apud Suarez disp. 41. sect. 2. prob. ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, vbi Ambros. *Omne donum gratiæ Dei in Christo est, & si quis spreto Christo benedici se à Deo putat, errare se sciat*; Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*, vbi Chrisost. *Omnia bona supernaturalia per Christũ ad nos deriuãt*; 2. ad Tim. 1. *Vocauit nos vocatione sua sancta, nõ secundùm opera nostra, sed secundum gratiã, quæ data est nobis in Christo Iesu*; & ex Trid. sess. 6. c. 5. *Declarat præterea ipsius iustificationis exordiũ in adultis à Deo per Christũ Iesum pręueniẽte gratia sumẽdũ esse*. Hinc Ecclesia, quoties postulat aliquod donũ gratiæ, etiã excitãtis, statim offert merita Christi; & rationabiliter quidem, quia Christus est mediator Dei, & hominũ, nostræq; salutis causa, ergo omnia dona gratiæ ordinata ad nostrã redẽptionẽ ex ipsius meritis nobis pueniũt.

80 Tertiò dico, auxilia, & dona gratię, quæ hominibus iustificatis cõferũtur, perseuerantię donũ, augmẽtũ gratiæ, & gloriæ, & omnes actus, quibus illa meremur, esse ex meritis Christi; primũ ostenditur, quia si Christus meruit nobis primã gratiam, meruit quoq; ipsius cõseruationẽ, quãdiu obicem nõ ponimus. Perseuerãtia ostenditur, quia, ex Trid. sess. 6. c. 13. est magnũ donum, itaut nõ cadat sub merito hominis de cõdigno, ergo ex meritis Christi datur. Reliqua probantur ex Scripturis, Ioan. 4. vbi Christus se cõparat viti, & iustos palmitib⁹, ergo sicut palmes nequit crescere, neq; fructũ facere, si in vite non manserit, & virtutẽ ab ipsa receperit, ita iusti sine Christo nihil possũt facere, vnde subdit ibidẽ Christus, *Sine me nihil potestis facere*; & habetur in Trid. sess. 6. c. 16. Accedit ratio, quia gratia dupliciter augetur, ex opere operato, vt in Sacramẽtis, & ex opere operãtis, seũ ex operib⁹ nostris meritorijs; primo modo datur ex operibus Christi nouiter applicatis; secundo modo sicut radix meriti nostri est ex meritis Christi, ita omne meritũ gratiæ, & gloriæ, & eius augmentum est ex meritis Christi, & sicut causa particularis nõ causat sine vniuersali, sic iustus, qui est causa particularis ad merendũ, concurrit cum merito Christi tanquam causa vniuersali meritoria.

81 Vltimò dico; meritum Christi fuisse causam totalem aperitionis regni cælorum; est Scoti cit. C. probatur ex Heb. 9. vbi explicans Apostolus ritum illum veteris legis, quo summus Sacerdos semel in anno ingrediebatur Sancta Sanctorũ, nõ sine sanguine, quem offerret pro peccato, ait, in hoc Spiritum Sanctum significasse, nõ dum fuisse propalatam viam Sanctorũ, donec Christus assistens Pontifex futurorum bonorũ per proprium sanguinẽ introiuit semel in Sancta ęterna redemptione inuenta; & c. 10. *Habentes itaq; Fratres fiduciam in introitum Sanctorum in sanguine Christi, quã initiauit nobis viam nouam*, &c. vbi Chrisost. hom. 18. exponit de apertione Paradisi. Zacc. 9. *Tu autem in sanguine testamẽti adduxisti vinctos de lacu*. Probat Doctor, nullum meritum Patrum, quantumuis perfectissimum, est aliquid operatum ad aperitionem regnĩ cælorũ, neq; ad amotionẽ obstaculi, siuè tale obstaculum sit peccatũ actuale, siue originale, siue aliquid aliud, ergo solus Christus fuit totalis causa, & meritoria aperitionis regni cælorum; antec. patet, quia nec Abraham, nec Isaac, nec aliquis ex Patriarchis potuit amouere obstaculũ, quin oẽs descenderent in Limbũ; conseq. patet, quia Christus per suam passionẽ amouit obstaculũ paradisi spiritualis, ideoq; Latroni dixit, *Hodie mecum eris in Paradiso*; idest in clara Dei visione, in die verò Ascensionis per sui ingressum corporalem aperuit ianuam Paradisi corporalis; vide Scotum cit.

82 Dices, Patres receperunt gratiã ex meritis Christi præuisis, cur igitur nõ poterant vti gratia, quam eis meruit Christus, & cooperari ad ingressũ in regnũ cęlorũ, sicut modò nos cooperamur? Respondet Scotus, Patres cooperabantur passioni Christi præuisæ ad ingressũ habitualẽ, vt amoto impedimento ingredi possẽt, nos autẽ cooperamur passioni iã exhibitę, & quoniã remotũ est obstaculũ, cooperamur ad actualẽ ingressũ, nisi impotẽtia excuset, vt in paruulis, quib⁹ De⁹ dat ĩmediatè introitũ in cęlũ, vnde minimã gloriã habent.

83 Cõtra prædicta arguitur 1. Patres antiqui fuerũt ante Christũ, ergo gratiæ ab illis acceptæ nõ fuerũt ex meritis Christi; cõseq. prob. quia meritũ, cũ sit causa, debet præcedere præmiũ, qui est effectus. Nec sufficit cõis respõsio, meritũ scilicet præcedere in præuisione, quod satis est, nõ ĩ executione, quod nõ est necessariũ.

Non valet, quia non videtur assignabilis modus, quo Christus in executione obtulerit Deo proprium meritum propter aliquod antea acquisitum; etenim licèt præmium possit præcedere meritum præuisum, attamen requiritur applicatio merentis per propriā voluntatē, qua merens offert propter præmium, quod actu recipit, merita futura, vt patet in cōtractibus obligatorijs propter anticipatam solutionem; hæc igitur applicatio debet præcedere præmium, sed in Christo nō præcessit, ergo &c. Quòd autem requiratur præcedēs applicatio probatur, quia si nō præsupponeretur, tunc exhibitio operis meritorij esset vel gratiarum actio, vel solutio debiti; primum non sufficit, quia gratiarū actio præsupponit donum ex liberalitate concessum, nō ex iustitia, & dependet ab illo, & consequenter cōcessum nō habebit rationem præmij; secundū quoq; non sufficit, quia solutio debiti præsupponit debitum, estq; simplex satisfactio; at ad meritū requiritur amplius, quod sit ex se consecutiuum, & acquisitiuum præmij, ergo debet præcedere præmium, nō solùm in præuisione premiantis, sed etiam in voluntate merentis, vt patet in sponsione solutionis futuræ alicuius debiti, quod tunc contrahitur; talis sponsio, & promissio non fuit in Christo antecedens, ergo quamuis Christus proprijs actibus soluerit debitum à Patribus contractum propter recepta dona supernaturalia, & obtulerit suam passionem per modū solutionis, nō tamen hæc solutio fuit meritoria, sed simplex satisfactoria; exemplum est, quando aliquis soluit debitū alienum ex sua voluntate, quæ solutio, licèt extinguat debitum, non tamen est meritoria, & ex se consecutiua doni iam accepti.

84 Variè huic obiectioni respondent Doctores, facilior tamen modus illam soluendi est, quem innuit Doctor 3 distinct. 19. q vnic. § *Sed hic sunt*, quem amplectuntur Lugus disp. 27. sect. 3. & Auersa q. 19. sect. 10. inquit igitur Scotus, quòd actiones Christi vt præuisæ à Deo exhibendæ in tēpore fuerunt multùm acceptæ toti Trinitati, vt ratione illarum disposuerit Deus, antiquis Patribus aliquid boni conferre, & quoniam in sententia ipsius præcipua meriti ratio prouenit ex diuina acceptatione, idcirco sufficit, vt aliquid habeat rationem meriti apud Deum, quòd sit præuisum, & vt tale acceptatum, nec est opus voluntas oblationis præcedens exhibitionem præmij; Nec paritas assumpta in humanis valet, quoniam requiritur vtiq; talis oblatio præcedens in humanis, quia homines nō possunt infallibiliter scire futura, nec habent summum dominium, Deus autem, cum sciat infallibiliter omne futurum, & possit sua acceptatione eleuare quodlibet opus bonum, sufficit, vt præuideat opus exhibendum, & illud acceptet, vt fecit cum Christo. Christus igitur exhibuit proprios actus propter dona collata antiquis Patribus per modum solutionis, quæ ex ordinatione, & acceptatione diuina habuit rationem meriti, quatenùs actus illi vt præuisi fuerunt Deo motiua præbendi illa dona in ratione præmij actuum Christi.

85 Secundò, Matt. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores*, ergo dona iustis collata non sunt à Christo. Tùm 2. Rom. 4. ait Apostolus, *Christus mortuus est propter delicta nostra; & resurrexit propter iustificationē nostrā*, sed resurrectione Christus nō meruit, ergo &c. Tùm 4 Aug. de Prædest. Sanct. cap. 15. ait, nos gratis iustificari, sicut Christi humanitas gratis fuit Verbo vnita, sed ad hanc vnionem nullum meritum præcessit, ergo &c.

86 Resp. ad 1. si hoc esset, pro nullo Christus efficaciter meruisset vel quòd pro Iudæis meruisset, cum dixit, *Non sum missus, nisi ad oues, quę perierunt domus Israel*, sensus ergo est de iustis, qui se taliter esse profitentur, & medicū contemnunt, vt erāt Pharisæi, nō de verè iustis, qui se peccatores, & ægros esse fatebantur; vt quasi per ironiam iustos appellet; ita exponunt Hil. Chrisost. hom. 31. Hier. Beda, & alij. Vel vt ait Maldonatus, Christus his verbis solùm indicare voluit ardētem charitatem, qua vt redemptor humani generis venit, itaut si plurimi fuissent iusti, & pauci peccatores, Christus adhùc venisset ad redimēdos illos, quod etiam patet in illa Parabola de nonaginta nouem ouibus relictis, & vna sola aberrante, Matt. 18. Dicit etiā, fuisse ad Iudæos missum propter promissionē Abrahæ factam; non tamen gentes exclusit à gratia. Ad 3. resurrexit propter iustificationem nostram, non quia per resurrectionem illam nobis meruit, quia iam ante plenè meruerat, sed vt meritum ipsius nobis posset applicari, ad applicationem enim requiritur fides, quam nemo haberet, si non surrexisset Christus, quia nemo credidisset in Christum; & sine fide non iustificamur. Ad 4. intelligi debet August. de meritis proprijs de condigno, non de alienis, & in hoc est cōparatio.

87 Tertiò merita Christi quò ad efficaciā sunt oblata tātùm pro electis, vt diximus quęst. præced. ergo reprobi quādo in hac vita sunt in gratia, illa gratia vel non erit ex efficacia meritorum Christi, & sic aliquod opus gratiæ sine meritis Christi, vel Christus non tātùm obtulit efficaciter sua merita pro electis, verùm etiam pro reprobis, licèt ad tempus. Tùm 2. Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, idest nemo potest fieri particeps meorum meritorum, nisi Pater sua gratuita vocatione vocauerit, & disposuerit, ergo prima vocatio nō erit ex meritis Christi. Tùm 3. auxilia, quæ dantur adultis, non dantur ex meritis Christi, sed ex diuina benignitate, quia id postulat diuina prouidentia; neq; ea, quæ infidelibus dātur, quia non sunt Christi membra. Tùm 4. si Christus non fuisset, adhùc Deus dedisset nobis auxilia ad vitanda peccata, ergo modò neq; dantur ex meritis Christi. Tùm 5. ea tantùm recuperamus per Christum, quæ per Adamum perdidimus, sed per illum nō perdidimus fidem, ergo per Christum non recuperamus fidem. Tandem, Christi merita nō applicantur omnibus efficaciter, sed aliquibus, quod quidem prouenit ex diuina electione, ergo talis applicatio est independens à meritis Christi.

88 Resp. efficaciā meritorū Christi in eo sitā esse, vt nō quomodolibet præstent aliquē effectum, sed vt præstent effectū gratiæ ordinatæ efficaciter ad gloriā cōsumatam, & hanc meruit solùm electis, & de hac efficacia locuti sumus quæst. preced. in alijs verò hominibus, qui nō sunt prædestinati, esto quòd eis per infusionē gratiæ, & iustitiæ fiat remissio peccatorū, tamen quia gratia illa nō est mediū ordinatum efficaciter ad gloriā, sed tantùm sufficienter, ideò propriè nō efficaciter, sed sufficienter Christus pro eis meruit, & obtulit suā passionē. Ad 2. dico, etiam primā vocationē esse ex meritis Christi, quia Pater voluit, omnia media nostræ salutis pendere ex Christi meritis; vnde ly *venit ad me* intelligitur de participatione meritorū de cōdigno, & de participatione per charitatē, quomodò tūc in Christo dicimur manere; & ad hāc prærequiritur vocatio Patris, etiam ex Christi meritis depēdens, licèt nō ex nostris. Ad 3. auxilia cōmunia ordinis naturalis, quæ dātur

tur per prouidentiam naturalem nō pendent ex Christi meritis, sed tantùm auxilia supernaturalia, quæ per prouidentiã ordinis supernaturalis tribuuntur. Christus etiam dicitur in infideles influere, non quidem vt in membra, sed vt fiant ipsius membra, vt ait Scotus, & vt vniantur, & coniungantur. Ad 4. non loquimur de eo, quod fuisset, si Christus non venisset, sed de eo, quod de facto euenit, hinc negatur cōseq. Ad 5. dicunt Aliqui, Adamũ etiam amisisse fidẽ, quia nō credidit Deo dicenti, *In quacũq; hora comederis ex eo, morte morieris.* Vel si nō amisit sibi, amisit tamen nobis. Ad 6. iam diximus electionẽ, & primã voluntatẽ nō pẽdere à Christo, executionẽ tamen, & applicationem meritorum esse à Christo dependentem, nō quòd actus ille diuinus pẽdeat, sed effectus, scilicet applicatio, & donũ.

Disputatio Decima Quarta.

De Oratione, Potentia, & Officijs Christi.

HAec omnia vnica disputatione cōplectimur, quoniam nō multas continent difficultates; nè igitur Lectorem numero excedente disputationum prima fronte terreamus, in vnum has materias perstringimus, & breuiter tribus quæstionibus absoluemus.

Quæstio Prima.

De Oratione Christi.

1 ORatio dupliciter sumitur, primò largè, quo sensu significat omnem actum interiorem, quo anima eleuatur in Deum per meditationem, deuotionem, & similia; Secundò sumitur propriè, quomodò definitur à Scoto in 4. d. 45. q. 4. E. quòd sit *desiderium oblatum Deo ea intentione, vt ab ipso habeatur optatum*; de cuius ratione, inquit Doctor quol. 10. B. est, quòd sit placatiua Dei, & reconciliatiua Rei Deo, & hoc illius Rei, pro quo per ipsum orantẽ specialiter offertur; istud autẽ desideriũ, si est actus in mẽte elicitus, dicitur oratio mentalis, si voce explicatus, dicitur oratio vocalis. De oratione ꝓpriè sũpta præsertim loquimur in præsẽti, prout à Christo fuit exercita, quod quidem explicãdo aliqua dubia breuiter attingemus.

2 Primò igitur dubitatur, an talis oratio cōuenerit Christo, & quoniã Christus duplicẽ habet naturã, diuinam, & humanã, hinc præsens difficultas priùs procedit de Christo vt Deo, deinde de Christo vt homine.

3 Quidam antiqui Græci, sicut docuerunt, Christum vt personam diuinam esse inferiorem, & subiectum Patri, ita quoq; asseruerunt, Christum vt personam diuinã propriè orasse Patri primæ personæ; quẽ dicendi modum sequitur Vulpes hic disp. 33. art. 2. vbi cōcedit, Christũ vt Verbũ Dei orasse, & hanc orationẽ fuisse physicè, & infinitè meritoriã apud Patrẽ, ad quem vt ad primam personã suam orationem direxit.

4 Dico tamen, orationẽ nō posse conuenire Christo vt Verbo Dei; hæc conclusio expressè habetur à D. Aug. in præfat. enarrationis secũdæ in Psal. 29. vbi explicans illud Marc. 1. *Secedens autem ibi orabat*, ait, *Si diuinitatem Dñi nostri Iesu Christi cōsideras, quis orat? ad quẽ orat? quare orat? orat Deus? orat ad æqualẽ? Causam autẽ orãdi quã habet? semper beatus, sẽper omnipotẽs, sẽper incōmutabilis, æternus, & Patri coæternus? Intuẽtes ergo, quod per Ioannẽ ipse intonuit dicẽs, In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deũ, & Deus erat Verbũ, hoc erat in principio apud Deum, omnia ꝑ ipsum facta sũt &c. Hùc vsq; dicentes nō inuenimus orationẽ, nec causã orandi, nec locũ orãdi, nec affectũ orandi. Sed quoniã paulo post dicit, & Verbũ caro factũ est, & habitauit in nobis, habes maiestatẽ, ad quã ores, habes humanitatẽ, quæ pro te oret.* Ex his habes, D. August. clarè asserere, Christũ vt Verbum nō orare, nec habere, ad quem oret, nec causam orãdi, sed solùm vt hominem; vnde exponens deinde, quo pacto sit Christus Mediator, ait, quòd est mediator, non inter Patrem, & homines, sed inter Deum, & homines, Deus autem est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & vt mediator orat, ergo vt homo, nō vt Verbũ.

5 Non autem expressè habetur hęc cōclusio à Scoto, colligitur tamen ex definitione ab ipso assignata, quoniam si oratio est desiderium oblatum Deo obtinendi optatum, ex se infert in voluntate orantis volitionem alicuius rei absentis, in rogato verò connotat potentiam cōcedendi illud optatum, & si oratio exauditur, infert volitionem concessionis illius rei petitæ; ex quibus sequitur, in orante, & rogato debere esse distinctas voluntates, & potentias, prob. quia nequit eadem voluntas desiderare aliquid, & simul velle illud concedere alicui, si enim concedit, iam habet, si habet, non desiderat; nequit etiam esse eadem potentia, quia si orans habet optatum in sua potestate, ad quid illud ab alio postulare? sic argumentor, Christus vt Deus, seu vt Verbum Dei nō habet distinctam voluntatem, & potentiam à Patre, sed easdem prorsus, nec distinctos voluntatis actus, ergo Christus vt Verbum Dei nō potuit rogare Patrẽ; antec. patet, quia essentialia sunt omnibus diuinis personis cōmunia; conseq. patet ex doctrina tradita. Cōfirm. quia quod vult Pater, vult etiam Filius, & è cōtra propter idẽtitatẽ voluntatis, & volitionis in vtroq;, ergo si Filius vt Deus oraret, etiam Pater oraret, & si Pater exaudit, Filius quoq; exaudiet, ex quo sequitur etiam, Filiũ, vel Patrem simul orare, & exaudire, quæ omnia sunt absurda. Ex his etiã patet absurditas illius, quod addit Vulpes, Verbũ diuinũ infinitè meruisse apud Patrẽ suum, meritũ enim, cum sit actus merẽtis, nequit esse actus retribuẽtis, cuius actus est acceptare meritũ, & retribuere mercedẽ, & consequenter supponit distinctionẽ actuum, & voluntatum inter ipsos, quod asserere inter Verbum diuinum, & Patrem est hæreticum.

6 Resp. Vulpes, Filiũ in diuinis esse omnipotentẽ, omniscientem, & omniuolentem, sed à Patre, à quo producitur, ideoq; nō scire, nō velle, non facere, nisi quę Pater scit, vult, & facit, vt ait ipse Christus Ioan. 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quæ viderit Patrem faciẽtem.* Deinde n. 5. subdit, Christus vt Deus essentialiter non orat, nō rogat Patrem, nec illi gratias agit, sed ratione personæ, qua ratione est inferior, inæqualis, & subiectus Patri; at art. 3. n. 7. ait, eandem voluntatẽ esse in Patre, & Filio absolutè, sed aliam relatè.

Primum tamen dictum confirmat nostram rationem, nam si Filius Dei scit, vult, & facit solùm, quod scit, vult, & facit Pater, ergo si Pater non orat, neque Filius orat; Tùm quia ex ipsa responsione, quæ vtiq; catholica est, iam habetur identitas actuum in Filio, & in Patre, quę identitas excludit orationem; nec alietas relata aliquid iuuat, quoniam est alietas extrinseca, & quasi accidentalis respectu actus; ad orationem autem requiritur alietas actus absolutè, vt ostensum est. Tùm quia hæc alietas conuenit etiam, vt voluntas est in Spiritu Sancto, ergo Spiritus Sanctus oraret Pa-

trem, & Filium, à quibus procedit; quod neq; ipse Vulpes concederet; secundum dictum non benè sonat in fide, quia si Christus vt Deus non orat, sed vt Verbum, ergo vt Verbum habet actum voluntatis distinctum ab actu, quem habet vt Deus; quod est hæreticum; sequela prob. quia oratio est actus voluntatis; hæresis patet, quia fides docet, vnicum esse actum operatiuum diuinæ voluntatis ad intra communem tribus personis diuinis, quia essentialia, qualis est volitio diuina, sunt communia; vide infra à num. 66. quod etiam hic de inferioritate, & inæqualitate, iam refutauimus disp. 9. q. 2. art. 1.

7 Contra arguit Vulpes, ex Scoto 3. d. 19. A. Verbum præuidit passionem offerendã à se Patri pro electis hominibus, eamq; sic in effectu efficaciter obtulit, at offerre est quędam oratio, ergo Verbum vt sic orauit. Tùm secundò, Christus rogauit Patrem, non essentialiter, sed notionaliter acceptum, ergo rogauit vt Verbum Dei; antec. prob. quia si rogasset Patrem essentialiter sumptum, seu pro tota Trinitate, & non pro prima persona, & notionaliter acceptum, iam Christus fuisset filius totius Trinitatis, quod est falsum, quia hoc solùm conuenit filijs adoptiuis, Christus autem est filius naturalis; cõseq; prob. quia Christus vt homo nõ est filius solius Patris, sed vt Verbum diuinum, ergo vt Verbum rogauit primam personã, & Patrem. Tùm 3. Ioan. 17. loquens Christus Patri ait, *Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt, quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis; & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui; & crediderunt, quia tu me misisti*, Christus hic loquitur vt Verbum Dei, non quatenus hic homo, dum ait, *à te exiui, tu me misisti*, quia vt sic fuit à Patre missus, & à Patre exiuit; subdit deinde, *Ego pro eis rogo*, ergò etiam hic loquitur vt Verbum Dei, ergo vt Verbum Dei orauit. Tùm 4. addi potest authoritas Ioan. 11. vbi orationem illam, quam Iesus fecit in resurrectione Lazari, protulit vt Verbum Dei secundùm expositionem Chrisost. hom. 63. in Ioan. Euthimij, Theophilacti super illud caput, & Ambros. 4. de fide c. 3. quod deducitur ex illis verbis, *Ego sciebam, quia semper me audis*, quod dictum infert voluntatis conformitatem. Tùm 5. Spiritus Sanctus etiam orat, ergo Christus vt Verbum Dei orat; antec. prob. Rom. 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilib⁹.* Tandem Ioan. 14. ait Christus, *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, hic est sermo de Patre notionaliter accepto, non essentialiter, quia Spiritus Sanctus non mittitur à tribus, sed à Patre, & Filio, ergo Christus direxit suam orationem ad primã personam, ergo orauit vt Verbum.

8 Resp. ad 1. satis se declarare Scotum ibi, non loqui de Verbo Dei secundùm voluntatem diuinam, sed humanam, dum ait, passionem oblatam fuisse acceptatam à tota Trinitate, ergo oblatio non fuit facta à Verbo secundùm voluntatem diuinam, quæ communis est toti Trinitati; & certè maximè à longè deducit Vulpes suam opinionem ex hoc loco Doctoris. Ad 2. resp. vtrumq; posse admitti, Christum scilicet orasse Patrem essentialiter acceptum pro tota Trinitate, & impugnatio non vrget, quia Christus vt homo est verè filius totius Trinitatis, vt diximus disp. 9. num. 40. Potest etiam admitti, rogasse Patrem pro prima persona, sed negatur conseq; quia homines possunt suas orationes dirigere ad quamlibet ex diuinis personis; sic Antiqui Patres orabant, *Mitte, quem missurus es*; quæ oratio erat in fide directa Patri pro prima persona, cui competit mittere Filium, quia ab ipso producitur; Ecclesia canit, *Veni Sanctè Spiritus, emitte cælitus*, &c. sic Christus vt homo rogauit Patrem primã personam; in hoc etiam sensu locutus est, cum dixit Matt. 14. *Pater maior me est.* Tùm quia Christus, quoniam est suppositum in vtraq; natura diuina, & humana subsistens, idcircò specialiter vt homo potest rogare Patrem primam personam. Ad 3. resp. ex Scoto in 3. d. 16. q. 2. ad 2. quòd eadem authoritas potest exponi secundùm aliquid de Christo ratione increatæ naturæ, & secundùm aliquid ratione creatæ naturæ, vt ipse Doctor ibi exposuit authoritatem illam Ioan. 10. *Ego pono animam meam à meipso, & nemo tollit eam à me*; sic in proposito, prima pars authoritatis exponitur de Verbo diuino, secunda pars de Verbo vt homine. Ad 4. Patres illi, præcipuè Chrisostomus, solùm indicare voluerunt, orationem illam non fuisse Christo necessariam ad illud miraculum patrandum, vt dicebant Arriani, ex hoc minoritatem Verbi à Patre, & inæqualitatem in natura deducentes, & hac ratione ly *semper me audis* explicant de conformitate, & identitate voluntatis, in quo sensu vtiq; est sermo de Christo vt Deo, attamen non est vera oratio. Communior tamen expositio est, illam fuisse veram orationem, & de Christo homine intelligi, & illis verbis solùm ostendisse conformitatem voluntatis humanæ cum diuina. Ad 5. communiter exponitur, quòd Spiritus Sanctus postulat, idest facit nos postulare. Ad vlt. ait D. Aug. ibi, *In quantùm homo rogat, sed in quantùm Deus dat*, & patet ex dictis. Ex his patet, quàm falsò asserat Vulpes, Verbum diuinum meruisse, meritumq; Christi fuisse infinitum; quod dictum disp. 7. q. 4. erat refellendum, attamen quia ipse Vulpes in disputationibus hùc vsq; prælo datis ex professò nõ agit de merito diuini Verbi, sed obiter hic suam aperit opinionem, idcircò & nos obiter quò ad hoc ipsum impugnauimus.

9 Quò ad alteram difficultatis partem de Christo vt homine, Dam. lib. 3. de Fide c. 24. & lib. 4. c. 19. videtur negare, Christum vt hominem orasse, nisi tantùm in persona nostra. Hilarius lib. 10. de Trin. videtur negare, Christum pro se orasse, sed solùm pro nobis; idem videtur sentire Ambros. in Luc. lib. 5. c. de oratione Iesu in monte.

10 Attamen oratio largè sumpta non est à Christo neganda; habuit enim continuam meditationem de diuina perfectione tàm per scientiam infusam, quàm per beatam, exercuit etiam multos religionis actus, scilicet gratiarum actiones, Matt. 19. & Ioan. 11. Laudes externas Matt. 11. *Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ*, adorationes, & submissiones, Matt. 26. *Procidit in faciem suam orans, & dicens*, &c. meditationes, & contemplationes, in quo sensu explicantur authoritates ex Matt. 14. *Ascendit in montem solus orare*; & Luc. 6. *exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.*

11 Neque est neganda à Christo oratio strictè accepta, tàm pro se, Ioan. 12. *Pater saluifica me ex hac hora*; & c. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*; Matt. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*. Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad Deum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrimis offerens exauditus est pro sua reuerentia*; pro alijs etiam, Luc. 22. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, Ioan. 17. *Ego pro eis ro-*

go non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo; non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, & toto illo capite salutem postulat fidelium.

12 Quapropter ad Patres illos dicendum, Damascenum nō absolutè negasse, Christum propriè orasse, sed docuisse, quandoq; Christum orasse in nostra persona, & modo quodam simulato, scilicet per occultationem propriæ potentiæ, sicut quando occultabat propriam intentionem, & scientiam, interrogando discipulos de aliqua re. Hilarium verò locutū fuisse de oratione vocali, quæ vtiq; non erat Christo pro se necessaria, sed tantum ad nostrum exemplum.

13 Dices, Christus habebat omnimodā potestatē à Deo collatā, Matt. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; Ioan. 13. *Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus*, itaut poterat facere, quæcunq; voluisset, ergo superflua erat Christo vera oratio. Tū quia Christus sciebat infallibiliter futura, & non futura, ergo frustra petebat res futuras. Resp. potestatem illam non fuisse physicam, sed moralem, vt in seq. quæst. ideirco res miraculosæ à Deo physicè prouenlebant, & consequenter rationabiliter Christus adhibebat orationē pro medio, tùm propter nostrum exemplum, tùm vt ostēderet submissionem Deo, tùm etiam quia sciebat, multa futura concedenda fore à Deo propter suas preces tanquam per medium, sicut determinanit gloriam præbere prædestinatis medijs meritis. Per quod patet ad confirmat. ita colligitur ex Scoto 4. d. 45. q. 4. G.

14 Secunda difficultas est, nùm omnis Christi oratio fuerit exaudita, & impleta. Affirmat Vasq. disp. 82. c. 5. eoquia sustinet, orationem nonnisi de voluntate efficaci debere dici; inefficacem verò non esse veram orationem; sequitur Vulpes disp. 33. art. vlt. licèt alio nixus fundamento.

15 Communior opinio tūm apud Veteres, tùm apud Recentiores Theologos docet, non omnē Christi orationem fuisse exauditam, varieq; distinguitur, quòd scilicet voluntas Christi vel consideratur, vt sequitur partem rationalem, & talis oratio semper fuit exaudita, vel consideratur, vt sequitur partem irrationalem, & sic non semper fuit exaudita. Alij, quòd oratio alia fuit absoluta, & efficax, & hæc fuit semper exaudita, alia conditionata, & inefficax, & hæc non fuit exaudita. Quæ distinctio magis explicat punctū difficultatis; nec obscurè colligitur ex Scoto 3. d. 15. vbi volūtatem efficacem, & inefficacem, absolutam, & conditionatam admittit in Christo, ergo quia secundùm ipsum in 4. d. 45. q. 4. E. oratio supra actum velleitatis addit, quòd sit desiderium Deo oblatum ex intentione, vt ab ipso habeatur optatum, & tale desiderium potest esse efficax, & inefficax, sequitur, orationem in sententia Doctoris esse duplicem, scilicet efficacem, & inefficacem, & consequenter quia desiderium inefficax Christi non fuit impletum ex disp. 12. q. 5. concludendum erit, non omnem Christi orationem fuisse exauditam.

16 Dices, Doctor cit. ait, desiderium Deo oblatū ex intentione, vt ab ipso habeatur optatum, esse orationem; tale autem desiderium est efficax, quia est ex intentione finis obtinendi. Contra, non omnis intentio finis sub spe obtinendi est efficax volitio finis, ex dictis disp. 12. num. 124. ergo malè negatur, desiderium inefficax non habere rationem orationis.

17 Ex his igitur apparet, hanc difficultatem esse ferè de nomine, quicquid dicat Bernal disp. 39. sect. 3. reducitur enim ad hoc, nùm desiderium inefficax habeat rationem orationis; an verò sit simplex quædam velleitas Deo ostensa, & manifestata; negant Vasq. & Vulpes, affirmant communiter alij; & rationabiliter quidem, quia etiam in nobis petitiones conditionatæ dicūtur orationes, ergo & in Christo etiam quia petitio, quam fecit Christus in horto, vt transiret ab ipso calix passionis, fuit inefficax, & conditionata, & tamen ab Euangelistis appellatur oratio, ergo &c.

18 Dices esse orationem largè, & impropriè. Vel orationem Christi cōsistere in illis verbis, *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*. Contra, ex hoc, quòd asseratur, orationem illam esse veram, & propriam, nullum sequitur inconueniens, vt patebit ex solutione obiectionum, ergo non debet Scriptura explicari in sensu improprio; conseq. patet ex Canone interpretandi Scripturas, scilicet semper explicandam esse in propria acceptione; quando nullum sequitur inconueniens. Contra responsionem adest Euangelij textus, nam Marc. 14. habetur, *Orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora*; ergo non solùm efficax voluntas acceptandi mortem fuit oratio, sed etiam voluntas inefficax, & conditionata fugiendi mortem appellatur oratio.

19 Totum hoc posset confirmari authoritatibus, nam quòd oratio efficax fuit semper exaudita, colligitur ex Ioan. 11. verbis Marthæ ad Christum, *Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*, & verbis Christi ad Patrem ibid. *Ego sciebam, quia semper me audis*. Quòd verò inefficax oratio non fuerit exaudita, patet ex oratione in horto, & ex Psal. 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi*.

20 Instat Vasq. petitio semper procedit ex voluntate efficaci, ergo ex se includit efficaciam; antec. prob. quando voluntas adhibet media ad consecutionem finis, est voluntas efficax, at petitio, & oratio est optimum medium ad impetranda à Deo dona, ergo semper supponit voluntatem efficacèm. Tùm quia petitio est semper cum spe, & fiducia obtinendi petitum, ergo volitio Christi inefficax non fuit vera oratio, & petitio; antec. prob. quia si sciretur, petitum esse impossibile, frustra adhiberetur, & imprudenter; conseq. patet, quia Christus, quæ nouit esse contra diuinum decretum, non voluit voluntate efficaci, sed inefficaci, quare voluntas inefficax in Christo fuit impossibilium suppositis diuinis decretis. Tùm 3. ex Vulpes, impossibile est, simplicem velleitatē alicuius rei esse veram orationem, ergo &c. assumptum prob. quia simplex velleitas est motus quidam volūtatis indeliberatus, primo primus, subreptitius, ex peccato originali in nobis causatus, hi motus non fuerunt in Christo, imò licèt dentur in nobis, nequeunt tamen habere rationem orationis, quia oratio est actus deliberatus.

21 Resp. ad 1. ex dictis disp. 12. num. 124. non omnem adhibitionem mediorum esse ex volūntate efficaci, nisi media sint efficacia; & adhuc patet exemplo voluntatis diuinæ iubentis omnibus præcepta, & præbentis auxilia sufficientia, quamuis sciat Deus, & decreuerit, non ab omnibus obseruanda fore; & tamen à nobis postulat, & exigit obseruantiam, non igitur omnis petitio necessario requirit voluntatem efficacem, & spem consequendi optatum: Vel quod patet

ad 2.

ad 2. nam neq; Deus imprudenter, & frustra exigit à reprobis obseruantiam præceptorum, quamuis sciat infallibiliter inobseruantiam. Imò Christus prudenter petijt, quæ sciebat non futura, tùm vt ostenderet, ipsum habere humanitatem cum omnibus passionibus, & desiderijs, tùm vt præberet nobis exemplum, nè desperaremur, si aliquando Deus nos minimè exaudit, & nè desistamus ob repulsam datam à diuinis obsequijs, & orationibus. Hoc voluit innuere Christus illis verbis Dauidis, *Clamabo per diem, & nō exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi*, idest quamuis aliquando fundam preces, & non exaudies, non idcirco debet hoc mihi ad insipientiam, & imprudentiam imputari, quia ex motiuo prudenti, & rationabili hoc faciam. Ad vlt. respondeo, laborare in vocabulo velleitatis, falsum enim est, omnem velleitatē esse actum indeliberatum, quia datur aliqua velleitas deliberata, qualis est actus conditionatus, vnde & potest esse peccatū; & apertè habetur à Scoto in 3. d. 15.

22 Tertia difficultas est de tempore, in quo Christus orauit, & potest inquiri principium, progressus, & terminus istius orationis. Vulpes disp. 33. art. 3. docet, Christum vt Verbum Dei ab æterno rogasse Patrem, qua oratione meruit, & de condigno impetrauit à Patre communicationem diuinæ naturæ ad intra simpliciter necessariò Spiritui Sancto, ad extra communicationē eiusdem diuinæ naturæ hypostaticè propriæ humanitati, gratuitè, & beatificè omnibus electis, & omnia alia beneficia à Deo creaturis collata.

23 Hæc tamen opinio iam est euersa num. 4. & seq. & quidem maiorem absurditatem continere conijcitur ex hac doctrina, dum asserit, productionem Spiritus Sancti fuisse à Verbo Dei per orationem de condigno impetratam à Patre; hoc enim est inauditum in Theologia, nam preter absurda superiùs allata, sequeretur adhùc, productionem Spiritus Sancti non esse simpliciter necessariam, quia præmium non habet necessariam connexionem cum merito, nisi ex suppositione voluntatis præmiantis, quæ vtiq; libera est, & absolutè potest non esse, ergo si Spiritus Sancti productio fuisset præmium Verbi Dei, intercessisset liberum pactum inter Patrem, & Verbum diuinū, non solùm libertate essentiali, sed etiam contingentiæ, ergo productio Spiritus Sancti tali libertate fuisset libera. Tùm quia quomodò actus Verbi Dei fuit meritorius de condigno? nullam enim conditionem videtur habere ex assignatis disp. 6. q. 2. Nec vnquam Doctor aliud meritum docuit reperiri, præter ibi explicatum. Falsum igitur est, Christum ab æterno orasse vt Verbum Dei; vnde communis opinio docet ab instanti cōceptionis rogasse Patrem pro nobis. Attamen si orationem extēdamus ad omnem actum religionis, dicere debemus, semper deinde orasse, & oraturum per totam æternitatem, quia semper fuit, & erit sub actuali contemplatione, & dilectione diuinæ perfectionis. Idem quoq; est dicendum, si sumatur oratio strictè pro desiderio oblato Deo, loquendo de tempore huius mortalis vitæ quoniam per totum vitæ Christi tempus Deus hominibus concessit multa beneficia, & dona supernaturalia habito respectu ad Christi merita, ergo quia Christus hæc omnia sciebat, debebat vtiq; talia dona continuò postulare, & pro acceptis gratias agere. Est tamē difficultas, nùm Christus in vita immortali, & nunc in cęlo pro nobis oret, & si orat, nùm hoc erit per totam æternitatem, an verò vsq; ad diem iudicij.

24 Duplex autem orandi modus assignatur, primus est oratione quadam interpetratiua, & virtuali, repræsentando scilicet propria merita moraliter permanentia, cicatricesq; in corpore retentas; secundus est oratione formali, & expressa postulando per actū desiderij Deo oblatum pro receptione alicuius doni. Prima extrema opinio solùm primam orationem admittit Christo immortali, ita Vasq. disp. 82. Beccan. c. 27. q. 4. Medina q. 21. art. 1. Gaspar Hurt. disp. 16. diffic. 3. & alij. Secunda extrema affirmat, Christum orare oratione formali, & expressa, estq; cōmunior, ita Suarez disp. 45. sect. 2. qui alios refert, prælertim D. Bonau. Opusc. 39. de vita Christi c. 98. & Bernal disp. 59. sect. 2. Auersa q. 21. sect. 3. Inter has opiniones mediat Lugus disp. 27. in fine, admittit enim in Christo actum postulationis expressæ, negat tamen, hunc actum esse veram orationem, quoniā, inquit, ad orationem exigitur, seù connotatur ab oratione in orante impotentia exequendi optatum, quæ non fuit in Christo post resurrectionem ex Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Aliter mediat Petrus Hurt. disp. 79. sect. 2. loquendo enim de facto, inquit, Christum verè orare, non tamen noua oratione, sed eadem, quam fudit in Cruce, quo tempore omnia dona, quæ præuiderat esse nobis concedenda in posterùm, postulauit à Patre ex ardentissimo desiderio, quo nostram optabat salutem; nec ab illa cessauit, donec postulata adimplerentur.

25 Secunda tamen sententia est verior, & conformior doctrinæ Scoti, quam tradit in 4. d. 45. q. 4. de Beatorum orationibus; & prob. primò ex Scripturis, Rom 8. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*; ad Hebr. 7. *Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis*; 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*; imò ipse Christus Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, vbi est sermo de tempore post ascensionem, vt etiam colligitur ex c. 16. *In illa die in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia rogabo Patrem, ipse enim Pater amat vos*; idest vt explicat Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 9. *In illo die non solùm exaudiemini in nomine meo petentes, quia ego rogabo Patrem, sed etiam quia ipse Pater amat vos*. Idem docent quamplurimi Patres apud Suarez, & præcipuè D. Aug. adductus num 4. Quæ authoritates nequeūt exponi de oratione interpretatiua, quoniam hic orandi modus est valde imperfectus, & veluti mortuus, si non adest expressa petitio, vnde etiam corpori Christi in triduo poterat cōuenire, tunc enim corpus Christi cicatrices retinebat, & repræsentabantur ipsi Deo, & meritum passionis habebat esse obiectiuum in mente Dei, ergo præter ostensionem vulnerum simplicem, & materialem coniunctus est in Christo petitionis, & impetrationis actus.

26 Accedit ratio, quia Christus nostram optat salutem ardentissimè in cælis, ergo potest hoc suum desiderium manifestare Patri, & per consequens orare, prima conseq. prob. quia manifestatio ista nullam inuoluit imperfectionem, imò maximam dicit perfectionem, quia est actus religionis, per quem Christus recognoscit infinitam Dei maiestatem, & propriæ humanitatis subiectionem, & subordinationem diuinitati; vnde etiam in Beatis reperitur; secunda cōseq. patet ex definitione orationis assignata num. 1.

27 Dices cū Lugo, ad rationem orationis requiri impoten-

impotentiam in orante obtinendi optatum, quæ non est in Christo immortali. Cõtra, ergo Christus mortalis non orasset propriè; quia non habebat talem impotentiam, virtus enim omnia faciendi non fuit solùm in Christo post resurrectionẽ, sed ante, vnde Ioan. 13. *Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus*, & patet ex tot miraculis patratis. Solùm post resurrectionẽ dicitur fuisse communicata Christo potestas quò ad manifestationem; quapropter oratio ex se solùm connotat in orãte vel impotentiam faciendi optatum, vel potentiam dependentem à rogato, quæ dependentia dat intelligere impotentiam radicalem, quæ vtiq; fuit in Christo, & adhùc adest secundùm humanitatem.

28 Dices cum Petro Hurt. hoc desiderium non esse nouum, sed antiquum. Contra, Christus pro nobis se offert quotidie in Sacrificio Missæ, ergo de nouo orat pro nobis; conseq. prob. quia Missæ Sacrificium est etiam impetratorium, ergo si de nouo fit, erit noua oblatio, & noua impetratio facta à Christo. Quamuis igitur concederem, Christum omnia dona nobis concedenda postulasse in carne mortali, non tamen fuit necesse, quòd semper in eadem numero oratione permaneret, aliter non solùm à tempore crucis, sed etiam ab instanti conceptionis permansisset in eadem numero oratione, quia ab illo instanti propter nimiam charitatem, qua nos dilexit, obtulit seipsum, suosque actus pro nobis. Tùm quia Christus innuit hanc nouitatem orationis, dum dixit Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem*, quod de tempore post ascensionem intelligi diximus supra ex Cyrillo. Tùm quia nulla est necessitas, quòd permaneat in actuali petitione alicuius effectus producẽdi post multa annorum millia. Tùm quia dona per totam æternitatem concedenda sunt infinita, quia sicut actu nequeunt simul sciri ex dictis disp. 11. q. 2. ita neq; simul possunt esse volita, ergo aliquid de nouo est volitum à Christo.

29 In oppositum instat Vasq. plurimis authoritatibus Scripturæ, & Patrum docentium, Christum pro nobis orare ostendendo vulnera, & merita passionis; & præcipuè Ruperti lib. 9. de diu. Officijs c. 3. & Nazianz. orat. 36 dicentis, *Aduocatum habemus Iesum, non se nostra causa ad Patris pedes aduoluentem, seruiliq; modo abuientem, procul sit ista seruilis sanè suspicio, neq; enim Patris est hoc exposcere, aut Filij pati, nec de Deo hoc cogitare pium, atq; æquum est*. Tùm 2. si verè oraret, & ratione illius orationis nobis impetraret dona, iam oratio illa esset meritoria, & sic adhùc in cęlo mereretur Christus, quod respuimus disp. preced. q. 1. Tùm 3. Christus in cruce omnia beneficia nobis petijt, & sciuit, quæ erant à Deo impertienda nobis; ergo nihil de nouo petit in cælo; prob. conseq. quia quod est concessum, non amplius petitur. Tùm 4. Christus in cælo habet omnem plenitudinem potestatis, ergo non est necesse, quòd denuò recurrat ad Deũ orando, quasi non haberet omnimodam plenipotentiam. Tùm 5. *Christus per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta æterna redemptione inuenta*, ad Hebr. 9. at nemo re inuenta orat pro illa, vt inueniat eam, sed potiùs gratias agit, ergo si Christus adinuenit in cęlo nostram redemptionem, idest quę faciunt ad nostram salutem, pro nulla re pertinente ad nostram salutem, nunc orat in cælis. Tandem si Christus pro nobis oraret, ergo possemus dicere, *Christe ora pro nobis*, quod est contra communem sensum Ecclesię.

30 Resp. ostensionem illam non significare simplicem humanitatis existentiam à parte rei, & obiectiuam meritorum in mente diuina, sed simul obsecrationis actum admixtum cum propositione meritorũ, vt solent efficere doctissimi Oratores, & Aduocati, dum causam alicuius agunt apud Regem, exagerando enim illius merita adhùc miscent obsecrationes, & petitiones, vt simul maiestatem Regis, & supremam potestatem fateantur. Rupertus fuit vtiq; illius opinionis; at Nazianz. solùm negauit Christo seruilem modum orandi, qualem habet vile mancipium, quod neq; potentiam, neq; certitudinem habet rei optatæ; Christus autem habuit nobiliorem orandi modum, & propter potentiã producendi effectus illos, & propter certitudinem, vnde adhibuit orationem per modum applicationis medij. Vel negasse Patres orationem à Christo immortali vt satisfactoriam, & meritoriam, non autem vt impetratoriam. Ad 2. resp. nouam orationem Christi non requiri vt meritum nouum, sed potiùs vt exigitiuam iuris acquisiti; vel dari in Christo ex infinito desiderio; quo appetit nostram salutem, itaut quamuis nullo modo sit necessaria, & exigatur, adhuc tamẽ Christus vt declaret feruorem charitatis, quam erga nos habet, nouam adhibet orationem. Vel potuit ita determinari à Deo, vt aliquis effectus, quamuis Christo ex meritis prommissus, nõ exequatur tamen, nisi noua adhibita oratione tanquam conditione, & tandem Christus orat modò, sicut operarius post transactum laborem postulat præmium, qui nõ meretur de nouo per illam orationem præmium, sed quod priùs meruit, exigit; nec talis postulatio est simplex meritorum repræsentatio, quia si rogatus est maximæ dignitatis, vt Rex, adhùc inter meritorum repræsentationes miscentur rogationes, quibus agnoscitur dignitas Regis, & liberalitas in acceptando illa opera tanquam de condigno meritoria; cùm possit illa alio titulo exigere; quòd si hoc fit in humanis, quantò magis cum Deo, qui est omnium supremus Dominus, & Christus secundùm humanitatem etiam est illi subiectus?

31 Ad 3. patet ex dictis; tùm quia vt ait Doctor in 4. cit. potuit Christus scire, donum illud non concedendum sine noua petitione. Ad 4. Christus accepit omnem potestatis plenitudinem, non independẽtẽ, sed dependentem, & sicut valde consentaneum est, quòd filius Regis, licèt acceperit omne ius in Regnũ à Patre, recognoscat tamen Patrem, & postulet eius assensum in conferendis gratijs, idem de Christo dicendum. Ad 5. inuenit vtique nostram redemptionem, sed ordine, & modo à Deo disposito, & sicut Christus continuò gratias agit pro collatis donis hominibus, ita potest denuò promissa postulare. Vltima difficultas vrget etiam orationem Christi in hac vita, in qua vtiq; propriè orauit, ergo licebat dicere, *Christe ora pro nobis*, si igitur tunc licitè poterat hoc dici, etiam nunc licebit, & si modò repugnat, etiam tunc repugnabat, & tamen ex hoc nõ infertur, Christum in via non orasse. Ad difficultatem igitur dico, quòd si quis sciret rectè distinguere inter suppositum Christi, & humanitatem, non erit illicitum postulare à Christo vt habente humanitatem, quòd pro nobis oret, & suæ orationis participes nos efficiat; vt infra dicemus de adoratione humanitatis, regulariter tamen nõ est hæc oratio in vsu, tàm in publico, quàm in priuato in Ecclesia, tùm quia debemus, quãtùm possumus, euitare errorem Arrij asserentis, Verbum esse puram creaturam, & Nestorij docentis, Christũ esse purum hominem, tùm quia quando aliquis rogatur à

tur à nobis, in nostra mente regulariter consideratur ille secundùm excellentiorem dignitatem, quam obtinet, & vt talis etiam exteriùs honoratur, vnde Cardinalem alloquimur titulo Eminentissimi, non Illustrissimi, quamuis rogetur v.g. vt Episcopus, non vt Cardinalis; sic in proposito, regulariter Christus rogatur à nobis secundùm excellentiorem dignitatem, quam habet, & consequenter vt suppositum diuinũ, cui non conuenit orare, idcirco dicimus, *Christe miserere nobis*, non autem, *ora pro nobis*; Huic argumento non satisfaceret Vulpes, quoniam si in ipsius sententia Christo vt Verbo Dei cõuenit propriè orare, cum omni proprietate, & secundùm omnem considerationem possemus dicere, *Christe ora pro nobis*.

32 Ex his sequitur, Christum assiduè pro nobis orare apud Patrem noua oratione, nec solùm vsq; ad finem mundi oraturum, sed per totam æternitatem, sicut gratiæ concedendæ electis à Deo non cessabunt post diem iudicij, adhùc enim per totam æternitatem Deus conferret noua dona, & beneficia Beatis, ergo quia omne datum optimum est per Christum, illa dona Christus à Deo postulabit; ita Bernal cit.

Quæstio Secunda.

De Potentia Christi.

33 TRiplex potentia est in Christo, prima est diuina, quæ est omnipotentia; secunda est humana, quę ipsi naturaliter conuenit, quatenùs est homo, & de istis nõ loquimur; tertia est supernaturalis, quæ est concessa Christo ad causandam gratiam, peccatorum remissionem, & ad facienda miracula, & de ista est quęstio, an sit physica, vel moralis. Causa physica ex disp. 7. Phys. q. 1. est, quæ verè, & realiter influit in effectum, vel principaliter, vel instrumentaliter. Causa moralis moralitate imputationis dicitur, quæ est ratio, cur alia causa operetur ex aliquo pacto, sic sacramenta dicuntur moraliter causare gratiam, opera nostra meritoria causare gloriam, quia ad positionem sacramentorum, & meritorum Deus physicè causat gratiam, & gloriam ex pacto; quærimus igitur, an potentia Christi supernaturalis fuerit causa physica, siuè principalis, siuè instrumentalis operum supernaturalium, & miraculorum, an verò moralis, itaut ad positionem v.g. volitionis alicuius miraculi in voluntate Christi humana Deus decreuerit, producere opus illud supernaturale.

34 Prima opinio communis apud Antiquos docet, esse moralem, sequuntur Vasq. disp. 52. Ragusa disp. 106. & 107. Beccanus c. 10. Auersa q. 13. sect. 3. Bernal disp. 39. sect. 2. & omnes Scotistæ negantes, dari in rebus potentiam obedientialem actiuam, quos citaui disp. 7. Phys. q. 6. art. 5. isti enim consequenter negare debent, humanitatem Christi physicè se habuisse ad aliquam actionem supernaturalem, sed tantùm moraliter, quatenùs ad tactum, vel verbum, aut volitionem Christi statim aderat diuina virtus ad cõficiendum opus, quod Christus volebat fieri, & hoc firmiter, & infallibiliter ex diuino decreto.

35 Secunda opinio est multorum Thomistarum, quos citat, & sequitur Suarez 3. p. disp. 31. sect. 3. asserens, per istam potentiam humanitatem Christi, nõ solùm moraliter, sed etiam physicè attigisse gratiæ productionem, & omnia miracula; sed valde discrepant in explicatione, primò quò ad concursum, nam aliqui volunt, concurrisse tanquam agens principale; alij vt Suarez, tanquam instrumentum solùm. Secundò differunt in explicatione istius supernaturalis potẽtiæ; aliqui enim vt Capreol. volunt esse qualitatem quandam supernaturalem datam humanitati Christi, quæ sit virtus instrumentaria ad has actiones efficiendas, & hoc, vel per modum permanẽtis, vel per modum transeuntis; Alij, vt Soto, volunt esse quendam motum artificiosum, quem Deus imprimebat actionibus illis, per quem eleuabat ad supernaturales effectus, & hunc motum vocant instrumentariam virtutem; Alij tandẽ, vt Suarez cit. & Hurt. disp. 57. sect. 3. & in Phys. disp. 9. sect. 14. volunt esse entitatem ipsius humanitatis connotantem extraordinarium concursum Dei volentis cum illa concurrere ad opus supernaturale. Tertiò differunt quò ad effectus, nam multi docent, humanitatem Christi concurrere ad effectus loco distantes extra propriam sphæram, alij, concurrere ad effectus præcedentes Incarnationem, ad creationem, & annihilationem.

36 Pro hac opinione est etiam Vulpes, qui disp. 45. per totam docet, vnionem hypostaticam fuisse in humanitate Christi rationem quandam in genere naturæ instrumenti naturalis, qua Christi humanitas inseruiebat diuinæ omnipotentiæ tanquam physicum instrumentum ad conficienda omnia opera supernaturalia, imò & omnia entia creata etiã ab initio mundi cõdita, quæ tempore præcesserunt ipsam hypostaticam vnionem, eo quia hæc vnio fuit veluti ratio quædam seminalis omnium miraculorum, & ad ipsius positionem veluti effectus prævij diuina omnipotẽtia applicabatur ad patranda miracula, & ad creãda omnia entia creata; notat tamen, vnionem istam esse rationem instrumentalem, non quidem actiuam, quia non est de ratione instrumenti, quòd agat, sed solum se habere vt effectum præuium ab agente principali productum; quam opinionem art. 4. ait esse de fide.

37 Dico primò; humanitati Christi non fuisse cõmunicatam potentiam aliquam, qua physicè attingeret productionem gratiæ, & omnia miracula, & multominùs entia præcedentia incarnationem. Hæc conclusio colligitur ex Scoto in 4. d. 1. q. 5. vbi negat hanc potentiam in Sacramentis, & d. 2. q. 1. in fine concedit, esse quasdam operationes repugnantes alicui naturæ, quas non potest exercere, etiam cum speciali concursu Dei; vt notaui in Phys. disp. 7. q. 6. art. 5. & probatur ex ibi dictis; quia talis potentia ab humanitate distincta, illiq; cõmunicata vel esset qualitas quędam, vel motus artificiosus, vel vnio hypostatica, nullum istorum, ergo &c. min. prob. non est qualitas, quia vel esset materialis, & sic esset improportionata effectibus spiritualibus, vel spiritualis, & sic improportionata esset rebus materialibus; vel multiplicaretur ad varietatem effectuum, & sic in infinitum deberet multiplicari, sicut in infinitum variari possunt effectus supernaturales. Tùm quia hæc qualitas esset actiua secundùm ipsos, ergo esset infinitæ virtutis, prob. conseq. quia posse actiuè concurrere ad plures, & plures effectus specie distinctos dicit maiorem perfectionem, quàm posse concurrere ad vnum dumtaxat specie effectum, vt argutum est supra disp. 1. t. à num. 13. ergo si hæc qualitas haberet intrinsecam actiuitatem erga omnes supernaturales effectus, iam esset infinitæ virtutis.

38 Per quod prob. secunda pars de motu, quia hic

motus

motus est accidens, & de se non videtur prærequiri ad productionem alicuius substantiæ, neq; explicari potest, in quo consistat essentia, & quidditas huius motus. Tùm quia motus solùm habet adducere agens ad passum, quare si agens ex se non habet virtutem producendi, vel attingendi effectum, etiam si adducatur ad passum, non dicetur in illud agere, ergo si humanitas Christi ex se non est actiua effectuum supernaturalium, neq; cum tali motu attinget.

39 Tertia pars de vnione hypostatica prob. quia instrumentum physicum, si non est de genere actiuorum, debet saltem habere cõnexionem aliquam cum effectu, & physicam proportionem, per quam famulatur principali agenti, non enim ad hoc, vt aliquid dicatur physicum instrumētū à Deo eleuatum ad opus supernaturale, sufficit, quòd Deus ad sui præsentiam rem aliquam producat, hæc enim est causalitas moralis; sed exigitur, vt instrumentum in genere naturæ sit proportionatum effectui, sed vnio hypostatica, cum sit relatio extrinsecùs adueniens de prædicamento Habitus, & accidens, nequit esse proportionata, & physicè cõmensurata cum omnibus entibus tàm spiritualibus, quàm materialibus, tàm substantialibus, quàm accidentalibus, tàm naturalibus, quàm supernaturalibus, ergo &c.

40 Negat Vulpes min. art. 3 num. 55. & art. 4. num. 11. eo quia vnio hypostatica de se est via ad diuinum Verbum vniendum, per quod facta sunt omnia, est diuini ordinis magis, quàm quæuis alia supernaturalis forma, ex natura rei inducens personam omnipotentem, & consequenter potest esse proportionata diuinæ personæ, vt ei inseruiat ad producendum omnia entia, & commensurata omnibus rebus supernaturalibus inferioris ordinis; vnde est quædam seminalis ratio omnium entium.

41 Contra, proportio requisita instrumento, quod se habet vt effectus præuius, vel dispositio ad effectum principalem, non attenditur penes perfectionem entitatis, aliter omne ens perfectius posset ad productionem imperfectioris concurrere, quod est falsum, sed attendi debet penès famulatum ad agens principale in ordine ad effectum principalem, cùm quo instrumentum debet habere physicam connexionem, qua ratione videmus, non quodlibet instrumentum esse aptum, & proportionatum ad quemlibet effectum, tàm in artefactis, quàm in naturalibus, vnde semen, quamuis esset passiuum, non actiuum, non inseruit, nec est proportionatum eud bet effectui, etiam si habeat in se maiorem perfectionem, sic semen humanum est perfectius semine tritici, non tamen est proportionatum instrumentum ad producendum triticum, ergo quamuis vnio hypostatica esset perfectior omnibus alijs entibus supernaturalibus, sitq; ratio vniendi naturam diuinæ personæ, non idcirco ipsius entitas poni debet proportionata omnibus entibus: Tùm quia si ex ista perfectione vnionis hypostaticæ supra omnia entia supernaturalia infert Vulpes hanc rationem seminalem omnium miraculorum in ipsa vnione, sequitur, rationem illam dicere perfectionem ex se, & consequenter infinitam: prob. vltima conseq. quia esse rationem seminalem duorum miraculorum est maioris perfectionis, quàm solùm vnius, ergo infinitorum erit infinitæ perfectionis. Tùm quia licet vnio hypostatica in genere donj sit omnium maxima, at in genere entis, & in sua formalitate non excedit in perfectione accidentia absoluta supernaturalia, & substantias secundùm principia Scotica, ergo non est proportionata omnibus entibus propter suam perfectionem. Tùm, quia si Verbum assumeret naturam brutalem, in tali natura esset vnio hypostatica, ergo esset semen omnium miraculorum Dei, quod est falsum, ergo si modò dicitur semen, non ex sua ratione formali, sed ex diuina institutione dicetur, quod est moraliter, non physicè influere; prima conseq. prob. quia talis vnio esset via ad suppositum diuinum, sicut modo in Christo; falsitas prob. quia illa natura non posset dici causa actuum vitalium, & supernaturalium effectuum, quos nequit in se recipere; & idem de lapide si assumeretur, dici debet.

42 Accedit principaliter, quòd instrumentum vel debet esse coniunctum cum agenti principali saltem in causando, vel cum effectu principali, vnio hypostatica non est vbiq; coniuncta Deo, quia humanitas Christi non est vbiq;, neq; est vnita cuilibet effectui à Deo producto, ergo non erit vniuersale, & generale instrumentum diuinæ omnipotentiæ. Et præcipuè vanitas huius asseritur ex illo, quòd art. 7. docet, vnionem scilicet hypostaticam esse instrumentalem virtutem diuinæ omnipotentiæ se extendentem ad omnes res extra Deum ab initio temporis vsq; ad finem mundi futuras in quouis ordine rerum naturæ, gratiæ, & gloriæ siue regulariter, siue miraculosè; quo enim pacto res non existens potest esse actu causa physica alicuius effectus? vt enim ostendi in Phys. disp. 7. q. 4. art. 1. existentia causæ est conditio ita necessaria ad physicè actu causandum effectum, vt non existens neq; supernaturaliter potest eleuari ad causandum actu, ergo vnio hypostatica non potuit esse instrumentum physicum actuale ab initio temporis.

43 Resp. dupliciter, primò assumptum concedi de instrumento, cuius existentia non pendet simpliciter à principali agente, Secundo vigere Thomistas ponentes instrumentum omne per se actiuum secundùm aliquod per sibi proprium, non Scotum docentem, instrumentum omne inseruire dumtaxat agenti principali, homo verò assumptus potuit inseruire Deo non solùm vt existens, sed etiam vt obiectiuè præsens, qua ratione Antiqui Patres fuerunt sanctificati ex meritis Christi tàm moraliter, quàm physicè.

44 Prima tamen responsio non saluat, quia instrumenti existentia est simpliciter necessaria ad actualiter physicè causandum, quoniam actus secundus præsupponit actum primum, à quocunq; dependeat talis existentia. Secunda quoq; responsio nil iuuat, quoniam quod non est, nõ potest actu inseruire, ergo tàm secundùm Thomistas, quàm secundum Scotum existentia est simpliciter necessaria actuali instrumento; Exemplum de iustificatione Antiquorũ Patrum petit principium, quia hac ratione dicimus, Christum solùm meritoriè & in genere moris esse causã nostræ iustificationis, quoniam existentia obiectiua non sufficit ad causalitatem physicam; vide in Phys. disp. 7. q. 4. art. 1. cit. & q. 8. art. 3. & 5. vbi ex hoc principio ostendi, finem non esse causam physicam, sed moralem; vide etiam Doctorem ibi citatum.

45 Dico 2. humanitas Christi secundùm suam entitatem potuit eleuari ad productionem alicuius effectus supernaturalis saltim quo ad modum per potentiam obedientialem actiuam habentis aliquam analogiam cum effectu naturaliter producibili, ad quem concurrit physicè tanquam causa, non instrumen-

talis; sed principalis in suo ordine; ad cæteros tamen concurrit moraliter, non physicè. Hæc conclusio cui sentet ostenditur ex dictis in Phys. disp. 7. q. 6. art. 5. vbi determinauimus, non dari potentiam obedientialem actiuam in quolibet ad quodlibet, sed solùm in ordine ad aliquem effectum supernaturaliter producibilem, sed habentem analogiam, & proportionem cum effectu, qui naturaliter ab illa causa producitur; & prob. ex Scoto 3. d. 4. D. vbi potentiam B. Virginis ad formationem miraculosam corporis Christi vocauit potentiam obedientialẽ actiuam, ergo hæc potentia nõ erit deneganda humanitati Christi; tales effectus erunt visio, & fruitio beatifica; potentia quoq; motiua inorganica, quam habet anima in corpore glorioso secundum Scotum 4. d. 49. q. 14. poterat eleuari ad productionẽ alicuius motus inorganici in corpore Christi passibili, vnde quando ambulabat super aquas, dici potest, physicè influxisse ad illum motum, & vniuersaliter, quæ possunt naturaliter fieri à nobis, si à Christo fiebant modo quodam, supernaturali, dici debet causa physica illorum effectuum; & quidem principalis, nõ instrumentalis, quoniam causa instrumentalis ex disp. cit. q. 5. non attingit actiuè terminum principalis agẽtis, nec habet virtutem actiuam in esse quieto, sed in actuali motione, humanitas verò hac potentia, quã habet in esse quieto, attingit effectum diuinæ omnipotentiæ. Et tandem quòd in ordine ad alios effectus potentia ista non fuit physica, sed moralis, sequitur ex dictis, quia non datur potentia actiua in quolibet ad quodlibet, sed humanitas Christi fuit causa multorum effectuum supernaturalium, vt patebit ex authoritatibus adducendis, ergo fuit causa moralis.

46 Contra prædicta præter rationes pro potentia obedientiali actiua in quolibet ad quodlibet adductas disp. cit. potest adhuc instari; nam Lucæ 6. habetur, *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, & c. 8. *Noui virtutem de me exisse*; Matt. 9. *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata*, &c. quæ authoritates, præcipue prima, videntur significare quandam physicam virtutem emanasse ex humanitate Christi. Tùm 2. humanitas Christi Domini dici solet brachium Domini in Scripturis, vt Isa. 51. & 52. quia scilicet per illam Deus faciebat miracula. Et in Concil. Ephes. can. 11. definitur, carnem Christi fuisse viuificatricem, hoc est vitæ effectricem. Tùm 3. causalitas moralis est per modum obsecrationis, non per modum imperij, sed Christus multa fecit miracula imperando, & iubendo, ergo physicè, non moraliter. Tùm 4. arguit Vulpes, Christus excellentiori potentia fecit miracula, quàm alij Sancti ex Ioan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, sed cæteri Sancti moraliter efficiebant miracula, ergo Christus physice. Tùm 5. effectus vniuocus est demõstratiuum signum naturæ suæ propriæ causæ, opera miraculosa Christi vniuoce demonstrant, Christũ esse hominem hypostaticè Verbo vnitum, ex Ioan. 10. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me*, ergo vnio hypostatica est causa physica, saltim instrumentalis miraculorum Christi. Tum 6. ex Apost. ad Coloss. 1. *In ipso, & per ipsum condita sunt vniuersa*, ergo ad omnia physicè concurrit, nam *per*, & *in* explicant duplex genus causæ finalis, & efficientis. Et tandem quo pacto hæc potẽtia dici poterit obedientialis actiua? obedientia enim dicit subiectionem, & consequenter passiuitatem, ergo nequit potentia obedientialis esse actiua, nam vt actiua respicit passum, vt obedientialis respicit superiorem.

47 Resp. ad 1. illas authoritates intelligi de potestate morali, non physica. Per idem ad 2. Ad 3. etiam imperando causantur miracula moraliter, non physicè, vtroq; enim modo Sancti miracula conficiunt, vt Iosue c. 10. *Sol nè mouearis contra Gabaon*. Ad 4. maior excellentia in potentia Christi fuit, quia ad aliqua miracula physicè concurrit, & quoniam Deus determinauit vniuersaliter cõcurrere ad quemlibet effectum, quem voluisset fieri Christus; & quoniam secum vnitam habebat diuinam omnipotentiam. Ad 5. præterquam quod inconsideratè miracula dicuntur effectus vniuoci hypostaticæ vnionis, quia effectus ille dicitur vniuocus, qui est eiusdem speciei cum sua causa, nullum autẽ miraculum, nullumq; creatum ens est eiusdem naturæ cum vnione hypostatica; negatur minor, quia vt notaui disp. 1. num. 80. nullum Christi miraculum, nec omnia collectim accepta erant sufficientia signa ad demonstrãdam Christi diuinitatem, quia teste ipsomet Christo Ioan. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Verum vt facta in testimonium propriæ diuinitatis, & veritatis prædicationis Christi erant sufficientia ad demonstrandum, Christum esse hominem Deum, in quo sensu intelligitur illa authoritas, *Si opera non fecissem in eis*, &c. vnde antea dixerat, *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, &c. quod non opera præcisè, sed etiam attestatio, & prædicatio propriæ diuinitatis simul reddiderunt Iudæos inexcusabiles. Ad 6. solùm inferri, Christum fuisse omnium finalem causam, & efficientem meritoriam, vt ostendi disp. 7. q. 2. & disp. 8. q. 2. Ad vlt. patet ex dictis disp. 7. Phys. q. 6. art. 5. in principio, quòd potentia obedientialis actiua nõ dicitur talis respectu eiusdem, sed dicitur actiua in ordine ad effectum producendum, obedientialis verò in ordine ad cõcursum Dei specialem, quem exigit propter sui incompletionem quò ad actum primum; argumentum solum ostendit, rationem obedientiæ nõ esse rationem actiuitatis, quod fatemur, non tamen, non posse simul coincidere in eadem potentia.

Quæstio Tertia.

De Officijs publicis Christi.

48 OCto, vel nouem numerãtur præcipua officia, & dignitates Christi Domini, quatenus est persona publica, videlicet esse Caput, seu Monarchã Ecclesiæ, esse Mediatorem inter Deum, & homines, esse Sacerdotem, Pontificem, Legislatorem, Prophetam, Regem, Dominum, Iudicem; de his omnibus breuiter dicemus.

Articulus Primus.

De Christo Capite, Sacerdote, Mediatore.

49 ESse caput in præsenti metaphoricè, & similitudinariè sumitur, in ordine scilicet ad caput corporis materialis, sicut enim caput est præcipuum

inter

inter omnia corporis membra, vtpotè quia in eo omnes sensitiuæ potentiæ vigent, perfectioresq; operationes exercētur, vnde totum corpus regit, & gubernat; pariformiter in qualibet alia coadunatione, & plurium vnione, quod est præcipuum, caput illorum dici potest, cætera verò dicuntur membra: hinc talis similitudo quandoq; nimia ampla delumitur, nā aliquādo sumitur ex primitate ordinis, quam caput habet inter cetera mēbra, sicut enim caput est primum membrū in corpore (incipiēdo ab alto, qui est præcipuus locus) ita omne initium alicuius rei caput dici consueuit; aliquando sumitur metaphora, & similitudo ex primitate imperij, dignitatis, & excellentiæ, sic Reges, & Principes capita Regni dicuntur, quia omnes subditos excellunt, imperant, & gubernant; strictior similitudo sumitur ex influentia, quod sicut caput in cætera influit membra viuificando illa, spiritusq; animales subministrando, vt possint proprios exercere motus, & operationes, ita si in aliqua congregatione datur vnum, à quo cætera dependent in esse, & conseruari, caput illorum dicetur.

50 Ex his primò patet, quòd si vniuersum consideremus, omniaq; in illo contenta, Christus Dominus vt homo caput omnium dici poterit secundùm primam, & secundam acceptionem, & quia primus est primitate ordinis, propter summam propinquitatem ad Deum, & quia dignitate omnia excedit, cum sit omnium finalis causa, & quia omnia alia imperar, & dominatur; hùc spectat illud Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, ad Coloss. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*; Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, &c.* Hæc tamen, vt dixi, est ampla similitudo, præcipuè cū irrationalium rerum, quarum potiùs est Dominus, quàm caput.

51 In tertia acceptione Christus ut homo dici solet caput, quo sensu respicit creturas rationales, non quidem quò ad esse naturale, sed supernaturale, quatenùs sicut caput influit vitam in alia corporia membra, ita Christus influit vitam spiritualem in creaturas rationales, ordinando illas ad bonum supernaturale gratiæ, & gloriæ, quarum adunatio solet appellari Ecclesia, quæ duplex est, militans, quæ est viatorum, & triumphans Beatorum in cælis. Christus igitur caput dicitur vtriusq; Ecclesiæ, quia omne donum spirituale, quod membra participant, à Christo vt à capite prouenit; sic inquit Apostolus ad Ephe. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*; ad Col. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Vt autem vt clarius innotescat hæc dignitas capitis in Christo, aliqua sub a breuiter dissoluemus.

52 Primò igitur dubitari potest, quid formaliter dicat hæc dignitas capitis in Christo. Duæ sunt principales opiniones; Prima docet, hanc dignitatem esse ipsammet hypostaticam vnionem, ita Vasq. & sequitur Vulpes. Secunda communior asserit, esse ipsam habitualem gratiam; Aliqui verò has opiniones concordant, nam si gratia capitis sumitur pro illa, qua Christus constitutus est super omnem creaturam, fuitq; radix omnium donorum supernaturalium, sic erit vnio hypostatica; si verò sumitur pro illa, qua Christus magis assimilatur iustis, sic est gratia habitualis.

53 In nostra tamen schola secunda opinio est verior, colligiturq; ex Scoto 3. d. 13. q. 1. §. *Hic iusta*, vbi docet Doctor, nō fuisse de potentia ordinaria gratiam cōcessam alij Beato similem gratiæ Christi, *quia secundùm leges iam positas à sapientia diuina non erit nisi vnum caput in Ecclesia, à quo fit influentia gratiarum in membris*, ergo per Scotum gratia capitis est ipsamet habitualis gratia. Tùm quia Christus ponitur caput Ecclesiæ, quia influit meritoriè vitam spiritualem, quæ consistit in habituali gratia, in membra, qui sunt fideles, sed ratio merendi fuit gratia habitualis, non vnio hypostatica, nisi vt congruitas quædam ex dictis disp. 7. q. 2. ergo &c. Gratia igitur habitualis Christi fuit gratia capitis, non quidem nude accepta, & secundum propriam entitatem, sed vt subest ordinationi diuinæ, qua decreuit Deus, gratiam Christo concessam esse radicem, & principium omnis meriti. Ex quo etiam infertur, Christum dici caput Ecclesiæ, vt est homo, quia vt est homo, conuenit ipsi gratia, non vt Deus.

54 Secundò dubitatur circa similitudinem, quia si Christus influit spiritualem vitam cæteris membris, potiùs dici debet cor Ecclesiæ, quàm caput, quoniam princeps membrum in corpore humano est cor, vtpotè quoniam est origo, & fons omnis vitæ ex dictis in lib. de Anima disp. 2. q. 9. art. 3. Tum quia caput, licèt influat in alia membra, habet tamen ab illis depēdentiam, quia est commembrum cum cæteris totius corporis, ergo si Christus erit caput Ecclesiæ, consequenter erit membrum Ecclesiæ, & ab alijs dependeret, quod est falsum.

55 Resp. ad 1. vtiq; Christum dici posse Cor Ecclesiæ ex isto principio; attamē similitudo ad caput trāslata est, quoniam influxus capitis in cætera membra magis apparet, vbi influxus cordis est inuisibilis, & occultus, ita D. Tho. q. 8. art. 1. ad 3. tùm quia secundùm communem existimationem caput videtur præcipuum membrum in corpore propter omnium sensuum organa; controuersia enim de principatu inter corporis membra non est inter cor, & caput, sed inter cor, & cerebrum. Ad 2. nō desuerunt, qui Christum membrum Ecclesiæ concedere non verentur, fundati in dicto Apostoli 1. ad Corinth. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro* idest de Christo. Oppositum tamen communiter asseritur propter rationem dubitandi adductam, quia esse commembrum dicit imperfectionem dependentiæ ab alijs membris, ideoq; Christus est caput sine imperfectione, quia non dependet ab alijs in hac vita spirituali gratiæ, Paulus verò exponitur, quòd loquatur de se ipso, quia fideles erant membra Christi propter suam prædicationem.

56 Tertiò dubitatur, an Christus sit caput omnium hominum, & in quocunq; statu. Quidam affirmant; alij negant de damnatis, & pueris in limbo; alij negant etiam de animabus in purgatorio; quidam excludunt quòq; infideles; quidam verò etiam peccatores remouent.

57 Resp. tamen primò, Christum non esse caput damnatorum quò ad influxum spiritualem, quia nullum influxum supernaturalē participant, neç possunt participare; de pueris in limbo probabilius idem dici potest; quòd si ex meritis Christi habent aliquod donum speciale (quod quidem est dubium) potest affirmari, non tamen ita perfectè erunt Christi membra, sicut cæteri; idem quòq; dicendum de pueris in vtero materno existentibus, qui potiùs erunt membra in potentia, quàm in actu; infideles quòq; nequeunt dici actu membra corporis Christi, quia sunt separata

ab isto corpore, sunt tamen membra in potentia proxima, quia sunt apta ad recipiendam vitam spiritualem habitualis gratiæ; vnde si habent ad modum humorum in corpore, qui vtiq; non sunt propriè membra actu corporis, sed in potentia proxima, qua ratione non habent ab anima esse vitale, sed dispositiones recipiunt, quibus proximè viuificari possunt; qua ratione licèt non sint membra, dicuntur tamen spectare ad integritatem corporis. Pariformiter infideles non sunt actu membra Christi, quia non vniti per fidem communioni fidelium, attamen recipiunt dispositiones quasdam actualis gratiæ propter Christi merita, quibus possunt per fidem spiritualiter viuificari; quod etiam de Hæreticis, & Schysmaticis fateri debemus, vtpotè propter infidelitatem à corpore Ecclesiæ sunt membra recisa. Peccatores tamen fideles dicuntur actu membra Christi, non viua, sed mortua propter peccatum; sicut membrum aridum, quamuis actu non viuat, dum tamen manet in corpore, dici solet membrum illius, quia est vnitum corpori, non recisum; sic peccatores habent vtiq; vnionem cum Ecclesia propter fidem, sed sunt membra mortua, quia *fides sine operibus mortua est*. Tum quia Ecclesia militans integratur ex iustis, & peccatoribus, vt patet ex parabola decem Virginum, & sagenæ, & exponit Gregor. hom. 12.

58 Quartò inquiritur, an Christus sit caput hominum tàm secundùm animam, quàm secundum corpus. Cui affirmatiuè respondetur, quoniam Christi meritum ab vtraq; parte prouenit; & nos secundùm vtramq; partem participamus de donis supernaturalibus, de anima patet, de corpore etiam, quia in hac vita propter Christi merita sedantur corporeæ passiones, & in futura vita habebimus dotes gloriosas.

59 Vltimo dubitatur, an Christus sit caput etiam Angelorum; & quidem de Dæmonibus idem, ac de damnatis hominibus, dicendum, solùm enim dici potest caput ratione imperij, & iurisdictionis, non ratione influxus, in quo sensu hic loquimur. De Angelis communiter affirmatiuè respondetur; habeturq; ex D. Paulo ad Colosf. 2. *Estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatus, & Potestatis*; quod explicatur de Christo vt homine, iuxta eundem Apost. ad Ephes. 1. *Suscitans eum à mortuis, & constituens eum ad dexteram suam in excelsis super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius*; Apoc. 19. Angelus Ioanni dixit, *Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu*; & D. Aug. conc. 3. in Psal. 36. ait, *Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus, numquid soli nos? & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? omnes, qui ab initio sæculi fuerunt iusti adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, vt illa vna ciuitas fiat sub vno Rege, & vna prouincia sub vno Imperatore.*

60 Sed difficilium est, num Christus eodem modo dicatur caput Angelorum, & hominum; qui enim sustinent, gratiam Angelis concessam fuisse independentem à Christi meritis, docent, Christum fuisse Angelorum caput, non quidem quò ad influxum gratiæ, & gloriæ, sed quò ad aliquas illuminationes, & accidentalem gloriam, item quò ad gubernationem, & ministerium; ratio est quia caput debet esse homogeneum cum membris, Christus vt homo nõ est cum Angelis homogeneus, seu eiusdem naturæ. Tum quia multi Patres Græci adductas authoritates exponunt de Christo vt Deo.

61 Oppositum tamen est verius in principijs Scoti, vt vidimus disp. præced. q. 4. & prob. quia vnitas corporis Ecclesiæ præcipuè attenditur penes vitam spiritualem, & supernaturalem gratiæ, & gloriæ, ergo si Christus est perfectissimum caput huius mistici corporis, constituetur propter influxum in omnia membra, valde enim difforme, & disunitum esset hoc corpus, si Angeli in gratia, & in gloria essentiali essent independentes à Christo; antec. patet, quoniam multi Patres asserunt, homines beatificari ad reparandas Angelorum ruinas, & ad constituendum cum Angelis vnum regnum, quod est Ecclesia, ergo vnitas Ecclesiæ præcipuè cõsistit in essentiali beatitudine. Tùm quia si Angeli in ministerijs subduntur Christo, ipsumque agnoscunt vt Principem, & caput, multò magis idem dicendum de gloria essentiali, magis enim hoc redundat in gloriam Christi. Neq; quod ad ducitur in oppositum, vrget; quia Christus, quamuis homo, est tamen caput homogeneum Angelorum, non quidem quò ad physicas entitates, sed quò ad vitam supernaturalem, in qua est similitudo, gratia namq; Christi, & Angelorum, hominumq; est eiusdem rationis. Quòd autem aliqui Patres exponunt authoritates adductas de Christo vt Deo, solùm infert probabilitatem alterius opinionis; tùm quia non idcirco negarunt de Christo vt homine.

62 Ex his patet, quid dicendum ad illud dubium, an Lucifer sit caput damnatorum; non enim est propriè caput per influxum spiritualem vitæ, vt patet, neq; quod demeruerit damnatis; impropriè igitur dicetur caput, quatenùs omnes alios excedit in malitia, & auertere conatur à Deo vltimo fine, & ad sui sequelam, & imitationem omnes malos quærit inducere; & in hoc sensu Ioan. 12. vocatur *Princeps huius mũdi*, & Iob 41. dicitur esse *Rex super vniuersos filios superbiæ*

63 Quò ad secundam partem articuli de Christi sacerdotio, dicendum est primò, sacerdotem esse relatiuum ad sacrificium; quamuis enim varia, & multa sint Sacerdotis munera, vt docere populum, iudicare, populi pastorem agere, & similia, præcipuè tamen in ordine ad sacrificium sumitur, quapropter quot modis sumitur sacrificium, tot modis sumitur sacerdos. Sacrificium quandoq; sumitur latè pro omni opere bono, Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ*, Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, Hebr. 13. *Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci*, pariformiter sacerdos quandoq; sumitur latè pro omni offerente tale sacrificium, qualis est omnis operans rectè; Apoc. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes*; 1. Petri 2. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*. Sacrificium quandoq; sumitur strictè pro oblatione alicuius rei creatæ facta Deo in honorem summæ ipsius excellentiæ ex publica authoritate cum mutatione rei oblatæ, vt cum in veteri lege occidebantur victimæ, cremabatur incensum, &c. & per hanc mutationem differt sacrificium à simplici oblatione; (quicquid dicat Vulpes in oppositũ) & antiquitus triplex erat, nã vel sacrificium offerebatur pro remissione peccatorum, & dicebatur *hostia pro peccato*, vel pro hominum pace, & salute, & vocabatur *hostia pacifica*, vel pro conseruatione gloriæ, & appellabatur *holocaustum*. Sacerdos similiter propriè sumptus erit persona habens legitimam potestatem offerendi

di

à Deo tale sacrificium; vt autem hæc potestas in aliquo sit legitima, exigitur, vt publica authoritate persona illa sit instituta ad tale munus offerendum, sicut sacrificium propriù eadē authoritate instituitur; & de isto sacrificio, & sacerdotio loquimur in presēti; quod totum colligitur ex D. Paulo ad Hebr. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus cōstituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia*, & infra. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Vt autem breuiter perstringamus, quæ prolixe à Doctoribus de Christi Sacerdotio examinari solent, aliqua dubia dissoluemus.

64 Primò igitur dubitatur, an Christus fuerit propriè Sacerdos. Cui affirmatiue respondetur, estq; de fide pronunciatum à D. Paulo cit. & c. 7. & 8. estque definitum in multis Concilijs, præcipuè Trid. sess. 25. c. 1. & 2. & patet, quoniam Christus seipsum obtulit pro remissione peccatorum, & adeptione gloriæ in sacrificium, ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis*: obtulitq; alia sacrificia, vt videbimus, ergo &c.

65 Secundò dubitatur, an Christus fuerit Sacerdos vt Deus, an verò vt homo, vbi particula vt sumitur specificatiuè in sensu propriu explicato disp. 5 nu. 201.

Stanislaus Sarnicius hæreticus docuit, Christum vt Deum præcise fuisse sacerdotem, vt hominem fuisse victimam, & sacrificium. Caluinus asseruit, Christum tàm vt Deum, quàm vt hominem fuisse sacerdotem. P. Vulpes disp. 34. art. 2. ait, Christum fuisse sacerdotem, non quidem vt Deum, sed vt hominem, & vt Verbum diuinum; quatenùs ad intra procedit veluti sacerdos ad fundendum Patri preces sacras per modum sacrificij ad postulādum Spiritum Sanctum, & creaturis omnia dona naturalia, moralia, gratuita, & beatifica.

66 Communis, & catholica opinio est, Christum vt hominem præcise fuisse sacerdotem, nō vt Deum, nec vt Verbum Dei: prob. ex dictis num. 63. Sacerdos enim habet offerre sacrificium Deo vt superiori, & in signum supremi dominij, Christus nec vt Deus, nec vt Verbum Dei habet superiorem, aut aliquod proprium, quod offerat, ergo &c. min. prob. quia esse superiorem, & dominum sicut in persona illa dicit perfectionem, ita in subdito denotat imperfectionem; Tum quia Verbum propter personalitatem nihil habet, quod non sit commune Patri, ergo &c.

67 Resp. Vulpes, in quolibet sacrificio tres personas interuenire; Superiorem, cui offerendum est sacrificium, qui in proposito fuit Deus in quantum indiuiduum Deitatis, vel vt in prima personalitate Patris; Medium ex se habentem officium sacerdotis, qui fuit diuinum Verbum; & Inferiorem, pro quo offertur sacrificium; qui fuit Spiritus Sanctus, deinde omnes creaturæ; nec esse superiorem, & inferiorem in diuinis dicunt imperfectionē aliquam, quia solum denotaot ordinem originis. Ad confirmat. ait, Verbum in eo signo originis, in quo intelligit se habere vim spiratiuam à Patre, posseq; Spiritum Sanctum simul cum Patre spirare, velle Spiritum Sanctum spirare, ideoqs postulat à Patre illius spirationem subordinans se illi, offert ei se totum per modum sacrificij in recognitionem illius supremi dominij, & in gratiarū actionem, quòd ipsum Verbum Pater omnino sibi æquale produxerit; simulque postulat dona omnia creaturis.

68 Hæc tamen responsio non est tuta in fide, nam videtur astruere volitionem in Verbo esse aliam à volitione in Patre, quia Verbum postulauit, se totū obtulit, & gratias egit Patri, non Pater, ergo postulatio, oblatio, & gratiarum actio sunt in Verbo, non in Patre, sed hæc omnia sunt actus voluntatis, ergo diuina volūtas alios actus operatiuos habet in Patre, alios in Verbo, quæ sunt erronea. Tùm quia, si Verbum se totum offert Deo vt indiuiduo Deitatis, quia Verbū etiam includit Deum indiuiduum Deitatis, iam idem se offerret sibi ipsi. Tùm quia, si Verbum se ipsum offert in sacrificium pro gratiarum actione, eoquia Pater sibi æquale produxit, etiam Spiritus Sanctus deberet se totum offerre in sacrificium Patri, & Filio pro gratiarum actione, quòd æqualis ipsis fuerit productus; deberet etiam se offerre pro nobis in sacrificium, præcipuè quia oblatio est actus amoris, qui Spiritui Sancto appropriatur, ergo esse Sacerdotem magis conueniret Spiritui Sancto, quàm Verbo Dei. Et tandem quia deberet admitti in Verbo virtus religionis, cuius virtutis sacrificium est actus; quod à nemine Catholicorum conceditur, quia omnia attributa in diuinis sunt omnibus personis communia; vide, quæ supra diximus de oratione à num. 4.

69 Dices, Sacerdos est medius, Spiritus Sanctus nō est medius, hic enim est Verbum inter diuinas personas, hinc est, quod Verbum diuinum ex vi suæ processionis est Sacerdos, non Spiritus Sanctus. Contra, licèt Verbum postulando Spiritum Sanctum (vt doctrina eiusdem Vulpes etiam vtar) sit medium ad intra, attamen gratias agendo Patri de æqualitate productionis non est medium, & tamen vt sic à Vulpes Verbum dicitur Sacerdos, ergo etiam Spiritus Sanctus gratias agendo Patri, & Filio dicetur Sacerdos. Tùm quia non magis mediat Verbum inter Patrem, & creaturas, quàm Spiritus Sanctus; ergo ex hoc capite vterq; deberet dici Sacerdos; quæ omnia sunt falsa.

70 Sed instatur authoritate Cyrilli Hierosol. Catechesi 10. dicentis, *Christus est summus Sacerdos immutabile habens sacerdotium, quod neq; à tempore cepit, neq; successorem alium habebit sacerdotij.* & infra, *Non ex corporea successione accipiens sacerdotium, neqi factitio oleo vnctus, sed ante secula à Patre*; & Catech. si 11. *Christus non ex hominibus promotione aliqua in sacerdotium ascendit, sed semper Sacerdotij habuit dignitatem.* Item Dam. orat. 2. de Natiu. B. Virg. ait, *Vtramque dignitatem*, scilicet esse Sacerdotem, & Regem, *nactus est, sic tamen vt non humanitatis ratione sacerdos ac rex censeatur, verùm iuxta indelebilis vsiæ potentiam dignitatē vtramq; suapte natura habere declararetur.* Tùm quia inter errores Francisci Stancari hæretici, vt refert Bellarm. lib 5. de Christo c. 8. numeratur, quòd asseruerit, *Sacerdos, & Sacrificium est homo Christus, non Deus Christus, hoc est Christus secundùm hominem, non secundùm Deum.* Tandem, quia sacrificium Christi habuit infinitum valorem, qui non nisi à diuinitate suppositi prouenit: bst, ergo Christus vt suppositum diuinum fuit Sacerdos.

71 Resp. Patres illos disputasse contra Nestorianos asserentes, Christum fuisse purum hominem, nec ab initio conceptionis sacerdotem, sed hanc dignitatem obtinuisse progressu tēporis propter actus plures virtutum, quos in dies exercebat; quod quidem est contra

tra fidem, & damnatum in Concil. 1. Ephes. can. 10. *Si quis Pontificem nostrum factum dicit, non ipsum Verbum, quando factum est caro, & secundùm nos homo, sed tanquam alterum præter eum seorsum hominem ex muliere, anathema sit*: Cyrillus itaq; in primo loco, vt ostenderet Christi diuinitaté, quę pluries oleum nominatur in Sacra Scriptura, docuit, hoc oleum non habuisse Christum filium Dei in tempore, sed ante sæcula cõmunicatum à Patre, quod oleum vocatur ab ipso Sacerdotium; in secũdo loco clare refutat errorem Nestorij negantis, hanc dignitatem semper, id est ab instanti conceptionis, fuisse in Christo. Similiter Damascenus idem innuere voluit, nõ fuisse scilicet Christum in Sacerdotem constitutum humana al qua, & visibili consecratione, & institutione, sed ex sua natura, hoc est, ratione hypostaticæ vnionis in sensu mox declarando. Stancarus damnatur, quatenus de persona Christi sentiebat cum Nestorio, diuidens personã Christi Dei à persona Christi hominis. Ad vlt. respõdetur, valorem infinitum nonnisi de congruo prouenisse à diuinitate suppositi, formaliter tamen deriuatum ab acceptatione diuina, idcirco negatur conseq.

72 Tertiò dubitatur, de forma constituente formaliter Christū Sacerdotem, an nùm scilicet fuerit character, vt in nobis. Ad quod breuiter respondemus, Christum dici Sacerdotem, nõ per characterem eiusdem rationis cum nostro, sed altioris ordinis, sicut Sacerdotium Christi fuit mainris excellentiæ; hunc autem characterem, ab aliquibus dicitur, lu sse vnionẽ hypostaticam, ab alijs formam aliquam supernaturalem excellentioris ordinis. Verùm hoc vltimum, sicut difficulter ostenditur, ita difficulter oppugnatur. Primum autem est insufficiens, quoniam non solum in nostra Schola sustinẽtur, vnionem hypostaticam esse compossibilem cum peccato de potentia absoluta, verùm etiam in omni Schola, Christus potuit nõ esse caput Ecclesiæ, vel Sacerdos, aut Rex, quia vnio hypostatica ex sua ratione formali non includit necessario hæc omnia, sed solùm congruentiam dicit ad illa, ergo vnio hypostatica se sola nõ est adæquata forma Sacerdotij Christi. Requiritur igitur diuina ordinatio, & decretum, quo Deus instituit Christum Dominum in Summum Pontificem, quæ ordinatio, & acceptatio Patris est forma completiua Sacerdotij Christi, vnio hypostatica, & gratia capitis sunt radix congruẽtiæ huius dignitatis; & hanc congruentiam innuere volunt aliqui Patres, vt Dam. cit. dum aiunt, Christum ex natura sua fuisse sacerdotem. An autem hæc Patris institutio, & acceptatio facta à Deo dicat simpliciter denominationem extrinsecam, an verò formam aliquam supernaturalem; vtraq; pars, vt diximus, defendi potest.

73 Quartò dubitari potest, quæ nam sacrificia obtulerit Christus. Et quidem cum sacrificia veteris legis solùm à Sacerdotibus, qui ex Tribu Leui existẽbãt, offerrentur in templo, Christus verò fuerit de Tribu Iuda, & consequenter non fuerit huius generis sacerdos, sequitur quoq; sacrificia illa minimè obtulisse; ab omnibus enim itaquam fabula reputatur, quod refert Suidas ex quodam Rabino, verbo *Iesus*, Christum scilicet ex electione aliorum fuisse inter Sacerdotes numeratum, solus Vulpes disp. 34. art. 6. vt verum hoc dictum recipit; sed immeritò quia expresè habetur oppositum à D. Paulo ad Hebr. 7. dicente de Christo, *De alia Tribu est, de qua nullus alteri præsto fuit, manifestum enim est, quod ex Tribu Iuda ortus sit Dominus noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses loquutus est*. Nec refert, quòd Christus cognatos habuit ex genere Sacerdotali, vel quod in Synagogis legerit, & docuerit. Non refert, quoniam parentes illos ex linea materna, & fœminili habuit, Sacerdotes autẽ ex linea paterna, & masculina deriuare debebant ex Aaron, & Leui; legere autem, & docere omnibus indifferenter conueniebat ex quacunq; Tribu. Non enim decens erat, vt Christus ex se omnium Sacerdotum nobilissimus, & ex diuino decreto Sũmus Pontifex electus, eligeretur deinde ab hominibus; nullum igitur sacrificium veteris legis obtulit, Solùm excipi debent agni paschalis immolatio, quæ à quolibet capite familiæ fiebat, in propria domo ex speciali institutione diuina tanquam vero Sacerdote, quod sacrificium obtulisse Christum, vtpotè Collegij Apostolici caput, expressè habemus in sacris litteris. Similiter de fide est, Christum in vltima cæna in institutione Eucharistiæ seipsum incruẽtè obtulisse Patri in sacrificium; ita definitum est presertim in Trid. sess. 22. c. 1. Missam scilicet esse propriè, & vere sacrificium incruentum, nã Christus immutatur tali oblatione quò adesse sacramentale.

74 Specialis difficultas est de sacrificio cruento oblato ab ipso Christo in ara crucis, quod esse verum sacrificium expressè habetur à D. Paulo ad Hebr. c. 7. 8. & 9. & à Trid. cit. & à Sanctis Patribus; verè enim Christus seipsum immolãdo obtulit Patri pro hominum reconciliatione; & hoc ex speciali diuina institutione, qua ratione mors Martyrum, quamuis in Dei honorem à Martiribus acceptata, & Deo oblata, non dicitur sacrificium, quia scilicet ad sacrificij rationem exigitur, quòd sit publica authoritate institutum, sola autem Christi mors, non autem mors Martyrum, fuit à Deo in sacrificium instituta.

75 Sed instari solet, quoniam ad verum sacrificium exigitur, quod sacerdos immutet rem oblatam, saltem moraliter, Christus autem neq; physicè, neque moraliter immutauit seipsum, aliter fuisset causa propriæ necis, ergo mors ista non fuit sacrificium, neque Christus in morte fuit Sacerdos. Variæ fuere responsiones; breuiter dico cum Scoto 3. d. 20. q. *Tunc ad quæstionem*, Christum moraliter seipsum immutasse, & fuisse causam propriæ necis, quatenùs non solum libẽrè illam acceptauit, verùm etiam quia non impediuit, cum posset, imò elegit mortem ipsam, quamuis potuisset à Deo petere dispensationem præcepti. Neque ex hoc sequitur, Christum fuisse homicidam sui ipsius, aut propria vita priuasse seipsum. Non sequitur, quoniam ad hoc non sufficit simplex negatio impedimenti mortis, qualis fuit in Christo, sed adhuc exigitur applicatio causæ inferentis mortem, quæ solùm fuit in crucifixoribus.

76 Instat Bernal, simplex acceptatio mortis, vel nõ impedire mortem non est esse causam actiuã mortis, sed solùm passiuam, & infert tantùm, mortem esse voluntariam, & consequenter rectè sequitur, Christum ex hoc capite fuisse hostiam spontaneam, at ad rationem Sacerdotis exigitur, vt sit causa effectiua mortis, mortemq; inducat, & inferat, ergo responsio allata est insufficiens.

77 Respondeo, simpliciter acceptare mortem, cõcedo, non esse inducere effectiuè mortem; at non impedire, cum potest, est effectiuè inducere mortem, non physicè, sed moraliter, quia verè mors illa censetur moraliter effectus, & non impediens censetur causa,

causa, quia interpretatiuè videtur applicare actiua paſſiuis, licet non phyſice; ſic potens impedire naufragium nauis, & nō impediens, moraliter cenſetur cauſa effectiua naufragij, naufragiumque inducere, & inferre. Hæc igitur cauſalitas latis eſt, vt Chriſtus dicatur Sacerdos, maximè quia ſic fuit à Deo inſtitutum.

78 Dices, Scotus in 3. d. 16. q. 2. docet, non fuiſſe in poteſtate animæ Chriſti impedire mortem, & ſolùm circa illam habuiſſe acceptationem, & complacentiam. Reſpondeo ex dictis diſp. 9. nu. 103. & ſeq. Chriſtum habuiſſe poteſtatem petendi diſpenſationē præcepti de ſubeunda morte, at ſuppoſito præcepto, ſolùm habuiſſe voluntariam mortis acceptationem.

79 Ex his colligitur, Chriſtum Dominum ſimul fuiſſe ſacerdotem, & hoſtiam, vt expreſſè docet D. Paulus ad Ephe. 5. *Tradidit ſemetipſum pro nobis hoſtiam, & oblationem Deo in odorem ſuauitatis*.

80 Quinto dubitari ſolet de conditionibus Sacerdotij Chriſti, & præſertim de duabus relatis a Dauide in Pſal. 109. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinē Melchiſedech*, & à D. Paulo ad Hebr. 7. & 9.

81 Quomodò Chriſti Sacerdotium dicatur æternum, varij ſunt modi dicendi; Thomiſtæ reſpondent, dici æternum quò ad effectus, qui ſunt gratia, & gloria in perpetuum duraturæ. Sed eſt dubium, quoniā effectus aliorum ſacrificiorum etiam in æternum permanebunt, & tamen ſolùm Chriſti ſacerdotium dicitur æternum. Alij aſſerunt, dici æternum, quia forma, à qua ſumitur denominatio Sacerdotis, quæ eſt vnio hypoſtatica, ſemper erit. Sed non ſufficit, quia etiam in Sanctis Sacerdotibus character in æternum manebit, & tamen non dicuntur Sacerdotes in æternum.

82 Scotus in 4. d. 2. q. 1. A. exponens illud Matth. 26. *Noui, & æterni teſtamenti*, inſinuat vnam reſponſionem, quòd ſcilicet dicatur æternum ad differentiā Sacerdotij veteris legis, nam poſt ſacerdotium Chriſti nullum aliud eſt futurum, quod de Sacerdotio veteris legis nequit affirmari, cū ad illud ſucceſſerit ſacerdotium Chriſti; hæcque iſta expoſitio fundamentum in D. Paulo ad Hebr. 7. *Si ergo conſumatio, id eſt redemptio, per ſacerdotium leuiticum erat, quid adhùc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici? Translato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, vt legis translatio fiat*.

83 Adeſt quoque alter dicendi modus, & colligitur ex Trid. ſeſſ. 22. c. 1. quòd æternum ſit ſacerdotium, quia Chriſtus vſque ad finem mundi offeret ſacrificium incruentum Miſſæ, ſacerdotes enim euangelici ſunt Miniſtri, & inſtrumenta Chriſti, vnde in conſecratione vtuntur verbis ipſius Chriſti; & ſecundùm hanc expoſitionem ly *æternum* non ſignificabit propriam æternitatem, ſed durationem longi temporis. Rectiùs officiū Chriſti ſacerdotis extēdi poteſt etiam per totam æternitatem, quatenùs Chriſtus ſemper interpellabit pro nobis, & applicabit ſacrificium cruentum, ſiue ad poſtulandam gloriam aliquam accidentalem Beatis, ſiue ad gratias agendum Patri pro acceptis beneficijs, ad hoc enim vt aliquis dicatur Sacerdos, non exigitur neceſſariò, vt ſemper ſiſtat in actuali occiſione victimæ, ſed ſufficit, ſi poſtea perſiſtat in actuali oblatione, & gratiarum actione. Nec obſtat, quod ait Bernal, ex hoc ſequi, Sacerdotes beatos dici poſſe habere ſacerdotium æternum, quatenùs à gratiarum actione, & laudibus minimè ceſſabunt.

Non ſequitur, quia tunc ſe habebunt vt perſonæ priuatæ, non publicæ, quoniam dignitas ſacerdotalis ſit illis collata pro hac vita tantùm; at Chriſtus per totā æternitatem erit perſona publica, & caput omnium electorum, ideoque ipſius actiones erunt actiones veri Sacerdotis.

84 Altera conditio eſt, quòd ſit ſecundùm ordinē Melchiſedech, quod explicat D. Paulus propter quaſdam ſimilitudines inter Chriſtum, & Melchiſedech, eorumque ſacerdotia repertas. Melchiſedech namque interpretatur rex iuſtitiæ, rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens (non quod his omnibus ſecundùm ſe caruerit, ſed quò ad nos, ſeù quò ad ſacerdotium, quatenùs illud non habuit per ſucceſſionem, vel quia non fit de his expreſſa mentio in Scriptura) fuit quoque excellentior Abrahamo, quia decimas ab illo accepit, illumque benedixit, & tandem panem, & vinum obtulit in ſacrificium. Pariformiter Chriſtus fuit, ſine matre, vt Deus, ſine patre vt homo, ſine genealogia vt Sacerdos, quia ſacerdotium non obtinuit per ſucceſſionem, vt in veteri lege; fuit rex iuſtitiæ, quoniam ex iuſtitia ſatisfecit pro genere humano, rex pacis reconciliando ima ſummis; fuit excellentior Abrahamo, obtulitque ſacrificium incruentum ſui corporis, & ſanguinis ſub ſpeciebus panis, & vini.

85 Ex his colligitur, ſacerdotium Chriſti fuiſſe altioris ordinis quocunque alio Sacerdotio ſiuè legis naturæ, ſiuè legis Moſaicæ, ſiuè legis euangelicæ, quod præcipuè oſtenditur ex excellentia ſacrificij tàm cruenti, quàm incruenti, quod obtulit, ſupra omnia alia ſacrificia naturalis, & Moſaicæ legis. Et quamuis Sacerdotes nouæ legis idem incruentum ſacrificium offerant, quod Chriſtus obtulit, attamen hoc faciunt vt miniſtri eiuſdem Chriſti.

86 Tandem dubitatur de effectu ſacerdotij, ſeu ſacrificij à Chriſto oblati vbi duo examinari debent, primum, an ſacrificia oblata à Chriſto nobis profuerunt; ſecundum, an etiam profuerint ipſi Chriſto.

Circa primum res eſt clara, per ſacrificium enim cruentum fuerūt nobis condonata peccata, gratiam, aliaque dona ſupernaturalia, ipſamque gloriam conceſſa, ita D. Paulus ad Hebr. 10. *Et omnis quidem ſacerdos præſto eſt, quotidie miniſtrans, eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic autem* (ſcilicet Chriſtus) *vnam pro peccatis afferens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos*; vbi Apoſtolus demōſtrat excellentiam ſacrificij cruenti Chriſti ſupra ſacrificia veteris legis ex hoc, quòd iſta non remittebant peccata, & ideo denuò repetebantur; Chriſtus autem ſemel ſe obtulit in ara crucis, quoniam ſufficientiſſimum fuit illud ſacrificium ad expianda delicta.

87 Ex hoc autem inferri ſolet dubitatio de ſacrificio incruento Miſſę, nam ſi ſacrificia veteris legis repetebantur ſingulis annis, quia ex ſeipſis non remittebant peccata, ergo quia Miſſæ ſacrificium quotidie in Eccleſia efficitur, videtur eſſe eiuſdem rationis cū ſacrificijs veteris legis. Reſp. tamen, aliter ſacrificia veteris legis repetebantur, & aliter ſacrificium Miſſę, illa enim denuò adhibebantur ad merendum de nouo, quod per ſacrificium præcedens non fuit meritum, Miſſa verò adhibetur ad applicandum, quod iam per ſacrificium cruentum mortis ſuerat meritum, vnde

sacrificium cruentum se habuit vt causa vniuersalis, à qua omnia Sacramenta emanarunt, quæ se habent vt causæ partiales, per illud tanquam per fontem, & caput omnia dona Christus nobis meruit, per sacramenta verò, & præcipuè per Missæ sacrificium applicatur nobis mer tum mortis, & passionis Christi.

88 Circa secundum, certum est, Christum non obtulisse sacrificium pro expiatione proprij delicti, quia nullam habuit peccatum, estq; hoc definitum in Concil. Alex. anathem. 10. & in Ephes. t. c. 14. illis verbis, *Si quis Christū etiam pro se ipso oblationem, & nō magis pro nobis obtulisse dicit (nō enim opus habuit oblatione, qui peccatum non nouit) anathema sit.* Deinde certum est, per mortem, & passionem Christum meruisse aliqua dona, scilicet corporis impassibilitatem, & nominis exaltationem, ex dictis disp. præced. non quidem tanquam fines primariōs, quia si peccatum non fuisset, Christus non fuisset passus, potu ffet tamen mereri nominis exaltationem, & manifestationem, ergo motiuum primarium mortis Christi non fuit exaltatio nominis Christi, sed expiatio peccati. Dubitatur tamen, num Christus obtulerit propriam mortem vt sacrificium, itaut verè participarit de effectu saltim secundario sui Sacerdotij, & sacrificij, an verò meruerit per mortem in ratione meriti, non sacrificij; quæ difficultas extenditur quòq; ad orationē, nam Christus pro se orauit, tùm in horto, *Transeat à me calix iste*, tùm in cruce, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; ideo quæritur, an orauerit vt Sacerdos, an verò vt à dignitate Sacerdotij præscindebat.

89 Hæc difficultas videtur potiùs esse de modo loquendi; & quamuis Vulpes disp. 34 art. vlt. asserat, Christum participasse de sacrificio oblato, non quidē vt satisfactorio, sed solùm vt meritorio. Cōmunior tamen opinio est negatiua; & omissa ratione Vasq. tanquam insufficienti, sit enim, sacrificium de sua ratione formali inuoluere placationem Dei irati propter commissa peccata; quod assumptum est quidem falsum, quia etiam in statu innocentiæ poterant à Deo institui sacrificia tùm ad impetrandum, tùm ad gratias agendū, & tamen nullum fuisset peccatum. Optima ratio est, quam adducit Lugus disp. 29 sect. 2. quia scilicet Sacerdos vt talis est persona publica, & constituitur vt Medius inter Deum, & illum, pro quo orat, ergo non potest pro se orare vt Sacerdos; quando enim alij Sacerdotes pro seipsis offerunt sacrificiū, tunc debet distingui in illis duplex ratio, scilicet personæ publicæ ratione sacerdotij, & personæ priuatæ ratione indigentiæ, & auxilij, quod optat, & tunc idē Petrus v.g. vt Sacerdos orat pro seipso vt persona priuata, & sic est quodammodo Medius. At in Christo nō possumus distinguere has duas formalitates, quomodocunq; enim consideretur, semper est persona infinitè digna; & consequenter non indiguit seipso vt Medio inter Deum, & semetipsum, sed immediatè pro seipso orauit, & obtulit propriam mortem in ratione meriti, non sacrificij; & in hoc sensu explicari debet Apostolus ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad Deum, qui possit illum saluū facere à morte cum clamore valido, & lachrimis offerens exauditus est pro sua reuerentia*; quamuis etiam explicari posset de oratione, quam tempore mortis pro nobis fudit.

90 Tandem quòd ad aliud officiū Mediatoris sciendum, quòd Mediator, & sacerdos inter se differunt vt magis cōmune, & minùs commune, omnis enim Sacerdos est mediator, non è contra. Hinc tripliciter aliquis dici potest Mediator, vel secundùm substantiam, & entitatem, si scilicet participat de entitatibus extremorum; vel secundùm statum, si gaudet vtroque statu extremorum; vel tandem secundùm officium, si scilicet inter personas dissidentes interuenit pro conciliatione, & hæc est propria acceptio, nam primis duobus modis potiùs dici debet Medius, quàm Mediator. Quatrupliciter autem potest hoc modo mediare inter duas personas (Mediator enim vnius non est, inquit Apostolus ad Gal. 3.) primò discernendo, & iudicando, vt arbiter; secundò referendo hinc inde pacta, & conditiones vtriusq; partis, vt internuncij, & proxenetæ; tertiò supplicando, & intercedendo vni parti pro altera; quartò soluendo, & satisfaciendo vni parti pro altera.

91 Christus dicitur Mediator inter Deum, & homines tàm secundùm substantiam, quàm secundùm statum, quia verè participauit de natura diuina, & humana, habuitq; statum comprehensoris, & viatoris; potestq; etiam dici Mediator Dei ex vna parte, & Angelorum, & hominum ex altera, si consideremus gradum genericum rationalis naturæ creatæ. Dicitur quòq; Mediator secundùm officium inter Deum, & rationales creaturas, quamuis sæpius dicatur Mediator Dei, & hominum, quàm Angelorum, quia in ordine ad Angelos solùm se habuit per modum soluentis, solùm scilicet per propria merita debita ab Angelis contracta propter receptionem gratiæ, aliorumq. donorum supernaturalium ob Christi merita prauisa ex dictis disp. præced. q. 4. num. 84.

92 In ordine igitur ad homines Christus fuit Mediator, non quidem iudicando, quia iudex vt talis est superior vtraque parte iudicanda, nullus autem potest esse superior Deo; impropriè tamen posset Christus hoc pacto dici Mediator, quatenùs constitutus fuit iudex à Deo viuorum, & mortuorū, vt iudicaret causam inter Deum, & homines, quomodò intelligendus est D. Ambr. in illud 1. ad Tim. 2. Secundo, tertio, & quarto modo Christus dicitur Mediator, cum hac tamen differentia, quòd secundo, & tertio modo non dicitur solus, & vnicus Mediator, quia hoc officium in tali acceptione potest aliis competere, nam Moyses fuit mediator secundo modo inter Deum, & populum Israeliticum, Deut. 5. *Medius fui inter Dominum, & vos*; omnes iusti possunt dici Mediatores in tertio sensu, licèt non in tanta perfectione, & excellentia, quantam habuit Christus. At quarto modo dicitur vnicus Mediator, quia solus ipse satisfecit pro nobis diuinæ iustitiæ, 1. Tim. 2. *Vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.*

93 Ex quibus sequitur, esse Mediatorem conuenire Christo vt homini, non vt Deo contra Vulp. disp. 35. art. 3. asserentem, Christum vt Verbum diuinum esse quòq; Mediatorem Dei, & hominum, quatenus pro illis orauit, & obtulit sacrificia ab æterno; quod quidem esse falsum, ostensum est supra à num. 4. vsq; ad num. 7. & à num. 66. hinc ad probandum nostrum assertum sufficit hoc, quia Christus fuit Mediator soluendo, satisfaciendo, precādo, intercedendo, discernendo, & referendo mādata diuina; hæc omnia exercuit per naturam humanam, quia sunt actus voluntatis humanæ, non diuinæ, aliter omnes tres personæ dicerentur Mediatores, ergo &c.

94 Accedit authoritas D. Aug. 9. de Trin. c. 15.

Nec

Nec tamen ob hoc mediator est quia Verbum, sed mediator per quod homo; & in lib. de peccato origin. c. 28. *Ideo Apostolus nõ ait, Vnus mediator Dei, & hominũ Christus, sed homo Christus Iesus. Per hoc ergo mediator, per quod homo inferior Patre, per quod nobis propinquior.* Et in præfat. primæ Concionis super Psal. 29. exponens dictum Apost. ad Rom. 8. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, inquit, *Quare interpellat pro nobis? Quia mediator esse dignatus est. Quid est mediatorem esse inter Deum, & homines; non inter Patrem, & homines, sed inter Deum, & homines. Quid est Deus? Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Quid sunt homines? Peccatores, impij, mortales; inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem, & iniquitatem mediator factus est homo non iniquus, sed infirmus, vt ex eo, quòd non iniquus iungeret te Deo, ex eo quòd infirmus, appropinquaret tibi; atq; ita vt inter hominem, & Deum Mediator existeret, Verbum caro factum est.* Respondet Vulpes num. 11. quàmuis Augustinus assererit, Verbũ vt immortale, & beatum non esse Mediatorem, nunquam tamen dixit, dignitatem Mediatoris nõ accepisse Christum vt hominem à Verbo Dei. Sed hoc non interest, quia licèt hanc dignitatem acciperet Christus vt homo à Verbo diuino, non sequitur, esse mediatorem secundùm quòd Verbum; hoc enim negat expressè D. Aug. relatus.

95 Dices, multi Sancti Patres docent, Christum fuisse Mediatorem vt hominẽ Deum, ita Chrisost. & Ambr. super illud Apost. 1 Tim. 2 Hilar. 9. de Trin. Fulg. de Fide c. 2. & alij. Tùm quia satisfecit, non vt purus homo, sed vt homo Deus; ergo vt sic est mediator. Tùm 3. Ioan. 10. *Ego pono animam meam pro ouibus meis*, hic loquitur vt Mediator, & non vt homo, quia vt sic non habet potestatem, & arbitrium vitæ, & mortis, ergo vt Deus. Tùm 4. 2. Corinth. 5. *Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Christum*, & infra, *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi*; & ad Coloss. 2. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siuè quæ in terris, siuè quæ in cælis sunt*; hic asserit Apostolus, Deum reconciliare, & pacificare, quæ tamen sunt officia Mediatoris. Tãdem ex Aug. in Enchir. c. 33. renouare corda, & dare Spiritum Sanctum sunt officia Mediatoris, sed hæc soli Deo conueniunt, ergo &c.

96 Resp. Christum vt hominem redemisse peccatores tanquam principium actiuum redemptionis, & meritorum, vt Deum verò fuisse principium redemptionis in ratione congruentiæ, qua Deus acceptauit opera Christi vt infiniti valoris; idem dicendum de officio Mediatoris, quòd conuenit Christo vt homini tanquam principio effectiuo; vt Deo verò tanquam principio de congruo acceptationis diuinæ, quia stante decreto purus homo nequit satisfacere ad equalitatem pro offensa in Deũ; & hoc voluerunt innuere illi Patres, non autem quòd Christus vt Deus, vel vt Verbum Dei per proprios actus ab ipso vt Dei Verbo elicitos redemerit humanum genus, officiumq; Mediatoris exercuerit. Per quod patet ad 2. Ad 3. ponere animam est mori, Christus autem ait, se moriturum pro ouibus, quod ipsi conuenit vt homini; non tamen dicit habere potestatem, vt homo est, sed vt Deus est; ad mediatorem autem pertinet mors, non potestas. Ad 4. reconciliare, & pacificare non semper sunt officia Mediatoris, sed quandoq; etiam partis offensæ, præsertim quando satisfactio non est ex rigore iustitiæ ex hoc, quòd gratia personæ offensæ interuenit, vt est in præsenti ex dictis disp. 7. q. 5. art. 2. Ad ult. Deus effectiuè renouat corda, & dat Spiritum Sanctũ ratione gratiæ, quam causat in nobis; Mediator verò meritoriè, & moraliter.

Articulus Secundus.

De Christo Propheta, Pontifice, Legislatore, Rege, Domino, Iudice.

97 Christum vt hominẽ fuisse Prophetã patet ex dictis disp. 10. q. 2. vbi statuimus, habuisse Christum donum prophetiæ; & adhùc confirmari potest; quoniam munera Prophetarum in veteri testamento erant docere populum, reformare in vero cultu Dei, arguere errãtes, futura prædicere, & secreta cordium cognoscere; hæc omnia fecit Christus; vt patet ex Euangelio. Quamuis autem Scriptura videatur asserere, Prophetas fuisse tantùm in veteri, non in nouo testamento, vt Matt. 11. *Omnes Prophetæ, & lex vsq; ad Ioannem prophetauerunt*; Hebr. 1 *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio*; & similes reperiantur authoritates. Attamen loquitur de Prophetis veteris testamenti prophetãtibus de Christo, & aduentu Messiæ, non autem est sensus, quòd in nouo testamento non fuerint adhùc Prophetæ.

98 Altera dignitas est esse in Ecclesia Sũmum Pontificem, & Regem spiritualem animarum; quod quidem colligitur ex dignitate Capitis totius Ecclesiæ militantis, & triumphantis, ex hoc enim sequitur, datam fuisse Christo vt homini potestatem circa spiritualia per se, & directè, nempe ad regendam, & ordinandam rempublicam christianam, ad rectores, & superiores instituendos, ad præcipienda ea omnia, quæ ad bonum Ecclesiæ statum spiritualem attinent, eiusque finem, scilicet beatitudinem, obtinendum, vt sacramenta, præcepta, &c. Circa verò temporalia datam fuisse potestatem vt Pontifici secundariam, & indirectam, nempè ad statuendum de quibuscumque rebus creatis, & temporalibus ea omnia, quæ ad finem spiritualem conducunt; quam potestatem habet modò Summus Pontifex tamquam Christi Vicarius. Ita habetur Matt. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, & cap. 16. *Tu es Petrus, & super hãc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* &c. ad Ephes. 4. *Vnicuiq. nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*; & D. Petrus 1. epist. c. 2. vocauit Christum Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum; D. quoque Paulus in epist. ad Hebræos sæpissimè appellat Christum Pontificem. Hùc etiam spectant authoritates infra adducendæ, quibus ostenditur, Christum fuisse Regem, nam multi Doctores illas explicant de regno spirituali. Hanc autem potestatem habuit Christus ab instanti conceptionis, non enim est maior ratio de alio tempore, quàm de illo instanti; quamuis quò ad manifestationem, & actum secundum non exercuerit in illo instanti, sed in progressu vitæ, & post resurrectionem; in quo sensu intelligenda est illa authoritas, *Data est mihi omnis potestas*. Tùm quia si vnio hypostatica fuit congruentia conferendi hanc potestatem, ergo congruum erat, vt in instanti vnionis hypostaticæ concederetur.

99 Ex hac dignitate Summi Pontificis oritur dignitas Legislatoris, vt definitum est in Concil. Trid. sess. 6. can. 21. contra quosdam Lutheranos asserentes, Christum fuisse tantùm redemptorem, non legislatorem; & habetur expresse Isa. 33. *Dominus legifer noster*; Matt. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meũ leue*; Ioan. 14. *Si diligitis me, mandata mea seruate*. Matt. vlt. *Docentes eos seruare omnia, quæcunq; mandaui vobis*; Ratio est, quia si Christus est Superior supremus, ergo potestatem supremam habet gubernandi, & regendi, ergo & condendi leges, aliter fuisset talis potestas imperfectior qualibet alia potestate regali, cui annexa semper est dignitas Legislatoris. Ista autem præcepta, vel sunt moralia, vt sunt præcepta decalogi, quæ præcepta, quoniam erant iam lata in veteri lege, Christus in noua lege explicuit, & perfecit, præcipuè Matt. 19. vbi prohibuit libellum repudij; vel sunt sacramentalia, & cæremonialia, vt Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, &c. & c. 6 *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. vel sunt præcepta fidei, Ioan. 8. *si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro*; Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*; vide Scotum in 3. d. 40. q. vn.

100 Dices, Ioan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, ergo Christus non protulit legem, vt Moyses. Tùm quia lex euangelica est lex gratiæ, & libertatis, ergo non est obligatoria. Resp. denominationem vt plurimùm sumi à nobiliori, & præcipuo effectu; hinc quia lex Mosaica fuit simplex lex, fuit etiam lex appellata; lex autem euangelica, quoniam confert gratiam abundanter, idcirco dici solet lex gratiæ. Vnde ad confirm. dico, euangelicam legem dici legem gratiæ, & libertatis, non quia nos liberat ab omni obligatione, sed quia ex opere operato confert gratiam, liberat à reatu pœnæ, & seruitute diaboli, nosq; conducit in libertatem beatitudinis.

101 Circa regiam dignitatem temporalem, & dominium vniuersi (quæ duo simul inquirimus) primò excludenda est opinio, quam sustinuerunt Bachonus q. 11. prologi art. 2. & q. 11. art. 3. Burgensis in cap. 1. Matth. Armacanus lib. 4. de Quæst. Armen. c. 16. & fauet Abul. in cap. 21. Matth. q. 30. docentes, Christum vt hominem habuisse ius in regnum Iudæorum; quoniã ex stirpe Dauidica ortum duxit, tàm ex parte Beatissimæ Virginis, quæ fuit vera Mater, & traxit originem à Dauide per Nathan, qui fuit vnus ex filijs Dauidis, vt habetur Lucæ 3. estq; plurium Expositorum opinio, quàm ex parte D. Ioseph, qui oriundus fuit à Dauide per Salomonem, vt expresse habetur Matth. 1. & fuit pater Christi, vel adoptiuus secundum aliquos, vel saltim putatiuus.

102 Hæc inquã opinio ab omnibus reijcitur; Tùm quia stirps Dauidica fuit à Deo priuata regno in Iechonia, qui sexcentis ferè annis regnauit ante Christi aduentum, & habetur Ier. 22. *Nec erit de semine eius, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda*; omnisq; potestas translata primo fuit in Duces, deinde post bella Machab. in Summos Sacerdotes ex 1. Machab. c. 14. Tùm quia B. Virgo non traxit originem è Dauide per Salomonem, eiusq; descendentes, qui post Dauid primus obtinuit regnum, ius autem hæreditarium regni non erat in omnes filios Dauidis. Et quamuis fuisset etiã in Nathan istud ius, nec est certum deinde, B. Virginem processisse semper ex primogenitis. Licèt etiam ex istis fuisset procreata, non tamen constat, tunc ipsam solam, & nullum virum extitisse ex illa stirpe; fœminæ namq; non nisi post obitum omniũ masculorum succedere poterant in hæreditatem, ex Num. 27. *Homo cum mortuus fuerit absq. filio, ad filiam eius transibit hæreditas*. Idem quoq; dicendum de Ioseph, incertum scilicet fuisse, num ex primogenitis duxerit ortum. Cui accedit, quòd Christus non fuit verus, & realis filius Ioseph, sed putatiuus, aut saltim adoptiuus, cui non debetur hæreditas de iure, maximè in præiudicium tertij.

103 Nec refert, quod pluries in Sacra Scriptura Christus dicatur sedere in solio Dauid, & Rex Israel, vt Isa. 9. *Super solium Dauid & super regnum eius sedebit*; Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*; Marci 11. *Benedictum quod venit regnũ patris nostri Dauid*; Matth. 2. *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum?* & c. 27. ipse Christus Iesus fassus est, cum interroganti Pilato, & loquenti de terreno regno Iudæorũ *Tu es rex Iudæorum?* respondit, *Tu dicis*; quæ responsio noluit esse iuxta mentem, & interrogationem Pilati. Quidem ex Patribus asserunt Athan. serm. de Sanctiss. Deipara, & Epiphan. Hæresi 29. Non refert quidem, nam his authoritatibus nõ solùm dicitur, Christum habuisse ius, sed actu regnasse, quod tamen temporaliter non fuit verificatum, ergo ne dicamus, Scripturã Sacram esse mendacem, debent illa loca exponi de regno spirituali, & regia dignitate spirituali, ad quam Christus non solum habuit ius, sed etiã illã obtinuit in actu exercito. Nec fuit necesse, Christum respondere iuxta mentem Pilati; tùm quia Pilatus nõ erat iudex competens Christi; tùm quia si absolutè negasset, se esse Regem, videbatur totaliter, & omnino negare à se omnem regiam dignitatem; quod esset falsum. Idcirco, & affirmauit se esse Regem, & declarauit, in quo sensu diceretur Rex Iudæorum, dum subdidit, *Regnum meum non est de hoc mundo*. Similimodo respondeti potest ad aliam authoritatem Actor. 1. nam quando Apostoli interrogauerunt Christum, *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel*, loquebantur enim de terreno regno, & tamen Christus respondit, *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta*, quibus verbis tacitè videtur approbasse opinionem Apostolorum, Christum scilicet esse Regem Israelis. Responderunt autem concedendo, Apostolos habuisse opinionem illam, quod Christus fuerit Rex temporaneus Israelis, sicut & cæteri Iudæi idem de Messia æstimabant, vtpote qui adhùc carnales. Negatur tamen, Christum tacitè approbasse, quamuis enim nõ negauerit expressè propter rationem adductam, innuit tamen responsionem, dum addit, *Sed accipietis virtutem Spiritus Sancti*, &c. idest tunc scietis, quale fuerit regnũ meum, & imperium super Israel. Idem quoque dicendum ad Patres.

104 Hac igitur opinione reiecta, & ostenso, quòd Christus iure hæreditario ex parentibus nõ habuerit speciale ius in regnum Israeliticum; quæritur, nùm alio iure fuerit Rex totius mundi.

105 Pro resolutione aduertendum ex disp. 7. num. 125. quòd dominium est duplex, aliud iurisdictionis, aliud proprietatis, primum est potestas imperandi, quæ spectant ad bonum commune, qua ratione dici solet dominium altum, & politicum, conuenitq; Superioribus, & Regibus; secundum est potestas vtendi pro libito aliqua re in propriã vtilitatẽ, vnde vocatur etiam dominium despoticum, bassum, & priuatũ, denominatq; subiectum, in quo reperitur, dominum

illius

illius rei, non Regem, aut Superiorem, & ficut res inferiores subordinantur superioribus, ita dominium bassum subordinatur dominio alto, vt innui disp. cit. num. 188. sic Petrus v.g. dicitur dominus sui agri, non Rex, at Philippus IV. dicitur Rex illius agri, non dominus, quia solùm habet dominiũ altum illius agri, in ordine scilicet ad bonũ cõmune, nõ bassum in ordine ad propriã vtilitatẽ; potest tamẽ Rex vtrũq; dominiũ habere in ordine scilicet ad bona lodialia, vt dicũt Iuristę, licèt nõ proueniãt illa dominia ex eadem radice.

106 Hac distinctione supposita, vt communis, alij alias addunt. Quidam enim vtrumq; dominium diuidunt in dominium radicale, & in actu primo, & est potestas illa, siue iurisdictionis, siue proprietatis in se spectata, & in dominium proximum, & veluti in actu secundo, & exercito, quo pacto dicit perfectum vsum illius potestatis; ita Lugus disp. 30. sect. 1. & 2. Auersa q. 26. sect. 3. & 4. Quidam autem aliter distinguunt, quòd vtrumq; dominium est duplex, vel excellentię, estq; potestas independens à quolibet alio, quomodò solùm est in Deo, vel est dominium humanum, quale habent Reges in proprijs regnis, & homines in proprijs bonis. Inter ista tanquam extrema quidam constituunt aliud dominium medium tàm iurisdictionis, quàm proprietatis, & vtilitatis, quòd sit imperfectius illo, vtpotè ab illo dependens, & participatum, perfectius isto, tùm propter vniuersalitatem, quia ad omnes creaturas se extendit, tùm propter originem, quia non ex hominum voluntate, & electione, sed à Deo immediatè cõcessum, tùm propter stabilitatem, & firmitatem, quia æternum, non caducum, & consequenter alterius ordinis ab humano; ita Suarez disp. 49. sect. 2. & Bernal disp. 61. sect. 3. & disp. 62. sect. 2.

107 Ad dubium igitur variè respondent Doctores. Quidam enim absolutè negant omne dominium directum, siuè iurisdictionis, siuè proprietatis in Christo, & consequenter negant, Christum fuisse Regem, & Dominum temporalem, citantur Abulensis in cap. 21. Matt. q. 3. Victoria relect. de potest. Eccles. q. 5. Soto lib. 4. de iust. & iure q. 4. art. 1. Bellarm. lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 4. & 5. Medina 3. p. q. 59. art. 4. Beccanus cap. 24. Tannerus q. 7. dub. 2. Valent. q. 22. punc. 6. Bonacina disp. 2. q. 21. punc. 2. ex Nostris Vulpes 4. p. tom. 2. disp. 36. art. 3. & 4. Verùm Vasq. 3. p. disp. 84. admittit in Christo regiam dignitatem, seu dominium iurisdictionis in omnes res, negat tamẽ dominium proprietatis. Suarez, & Bernal citati, ac etiam Hurt. disp. 81. sect. 1. & 3. admittunt dominium illud medium tàm iurisdictionis, quàm proprietatis circa res omnes, dominium verò humanum solùm concedunt circa res aliquas, nec semper. Lugus, & Auersa adducti vtrumq; dominium tribuunt Christo in actu primo, non in actu secundo.

108 Dico primò, Christum vt hominem habuisse vtrumq; dominium super omnes creaturas, & consequẽter fuisse Regem, & Dominum temporalem Vniuersi. Hanc conclusionem colligo ex Scoto quò ad primam partem in 4. d. 48. q. 1. §. *Ad quæstionem*; quò ad secundam verò 3. distin. 37. in fine, vbi declarans, quo pacto filij Israel, spoliando Egyptios argento, & auro, non commiserint furtum, ait, *Ad aliud, quod tangebatur in primo argumẽto de filiis Israel spoliantibus Egyptios, potest dici, quòd ibi nõ dispensauit contra præceptum de furto, quia ipsi non acceperunt simpliciter alienũ, tùm quia Deus erat superior dominus, & potuit transferre dominiũ illarum rerum in eos, etiam inuitis inferioribus Dominis: & hoc modo non peccauit Christus licentians in porcos intrare dæmones, qui statim præcipitati sunt in mare; non enim iniustè priuauit illos porcis suis.* Vbi duo pondero, primũ est, Scotũ ibi loqui de Christo vt homine contra Vulpes cit. quia ait, Christũ non peccasse in hac actione, nõ peccare nãque enunciatur de Christo vt homine, non vt Deo, quia vt homo saltim remotè poterat peccare, vt Deus autẽ nec proximè, nec remotè. Secundum est, quòd ratio, cur non peccauit Christus, est eadẽ cũ assignata de filijs Israel, scilicet quia erat superior dominus, & consequenter si inuitis Genesarenis tradidit porcos in potestatẽ Dæmonum, non idcirco commisit iniustitiam, quoniam dominiũ habebat in porcos vt superior dominus, ergo per Scotũ Christus habebat dominiũ in res sub alterius dominio constitutas, ergo est omnium Dominus, nõ enim est maior ratio de vna re, quàm de alia. Quòd si est Dominus omnium, erit etiam Rex, quæ est maior dignitas.

109 Authoritatibus probatur vtraque pars, nam Apoc. 1. Christus dicitur *Princeps Regum terræ*; & cap. 19. *Habebat in femore eius scriptum Rex Regum, & Dominus dominantium*, vbi est sermo de Christo vt homine, ly enim *femore* explicant Glossa, & alij pro humanitate; nec est sermo de dominio indirecto, & in ordine ad regnum spirituale (quam responsionem amplectitur etiam Vulpes) sed de dominio directo; quoniam dominiũ indirectũ vniuersale habet quoq; summus Pontifex, & tamen non dicitur Rex Regum, & Dominus dominantium. Tùm quia Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; Reges eos in virga ferrea*; Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, & erit Idumæa possessio eius*, quę loca expendens D. Bern. lib. 3. de Considerat. ad Eugenium Summum Pontificem explicat, non de regimine, & dominio indirecto, & in ordine ad spiritualia, sed de directo, & temporali, redditq; rationem, quia scilicet dominium indirectum est communicatũ summo Pontifici, non autem directum; primum vocat dispositionem, secundum verò possessionem, ait enim, *Dispositio tibi super orbem tradita est, non possessio: Non tu ille, de quo Propheta ait, Et erit omnis terra possessio eius* (sic enim legit locũ Num. adductũ) *Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris; cui enim alteri dictum est, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuã terminos terræ? possessionem, & dominium cede huic, tu curam illius habe.* & Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, quod explicans Remigius ait, *Antequam Dominus surrexisset à mortuis, nouerant Angeli se subiectos homini Christo.*

110 Ratione prob. prima pars, quoniam Christus nõ solùm habet potestatem præcipiendi nobis, quæ ad salutem animarum spectant, sed etiam, quę ad gubernationem tẽporariam, & politicam attinent; pono casum, quòd Christus præcipiat Petro aliquid pertinens ad bonũ Reipublicæ (quod potest facere, si vult) nùm teneretur Petrus obedire? negatiua pars maximè derogat dignitati Christi, quòd magis teneatur subditus obedire alteri homini, quàm Christo; si affirmatur, ergo Christus habet dignitatem regiam, & tẽporariã. Tùm quia talem iurisdictionem exercet Christus vt homo in Angelos, vt patet ex Remigio adducto, potestq; illos imperare ad aliquod opus pertinens ad gubernationẽ tẽporalem, ergo multò magis asserere debemus, Christum iurisdictionem habere in homines.

111 Secūda pars probatur ratione, quam tangit Doctor, quia si Christus nō haberet tale dominium, si vellet pro libito auferre aliquam rem, & sibi, vel alijs applicare, non posset absque iniustitia, & peccato efficere. Tum quia nos sumus Christi mancipia, & serui, Christus noster Dominus; Matt. 10. *Non est discipulus super Magistrum, nec seruus super Dominum suum*; Ioan. 13. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis; sum etenim*: quemadmodum fundatur, vt dicebat B. Thom. cit. tàm in titulo redemptionis, quatenùs nos redemit à seruitute diaboli, cui propter peccatū serui eramus secundùm animam, & corpus, tàm in dono Patris, quoniam Christus est finis omnium, & nos propter Christum produxit Deus, constituitque Christum hæredem vniuersorum, vt inquit Apost. ad Hebr. 1. vbi D. Ansel. *Quem ipse Pater secundum humanitatem constituit immutabilem hæredem vniuersorum, idest possessorem omnium creaturarum, atque totius mundi dominum*, &c. ergo Christus est Dominus omnium bonorum, quæ in nostro sunt dominio; quicquid enim seruus acquirit, Domino acquirit.

112 Tandem fundamentalis ratio vtriusque partis est excellētia ipsius Christi proueniens ex vnione hypostatica, si enim propter hanc vnionem Christus est proprius filius Dei, caput totius Ecclesiæ visibilis, & inuisibilis, sūmam gratiam, & gloriam habuit, scientias perfectissimas, potentiamque faciendi omnia miracula, & quicquid pro libito vellet, vt in superioribus visum est; cur postea dignitatem hanc regiam, dominiumque temporale in cunctas creaturas denegare debemus, quæ vtique sunt minores dignitates, quàm aliæ recensitæ? In commendando enim Christum, inquit Doctor 3. d. 13. H. malo excedere, quàm à laude sibi debita deficere, eo vel maximè, quòd nullum sequitur absurdum, vt patebit ex solutione obiectionum. Certè si B. Virgo propter dignitatem maternitatis Christi effecta est Regina, & Domina omnium creaturarum authoritate directa, vt habet Bern. in illud Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cælo*, idest, *Maria, eo quòd Mater Dei est, Regina cælorum, & Domina mundi esse probatur*; & Athanas. serm. 1. de Natiu. Virg. *Quandoquidem Christus Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque & Dominus, & Deus; eapropter & Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propriè, & verè censetur*; Damasc. lib. 4. de fide c. 15. *Sanè propriè, ac verè Dei Genitrix est Domina, atque omnium rerum conditarum hera, vt quæ simul & ancilla, & Mater illius summi Opificis extiterit*. Quantò magis idem de Christo erit asserendum, cui vt homini concessa est dignitas vnionis hypostaticæ, quæ valde excedit Maternitatis Dei dignitatem, & donum?

113 Dico 2. dominium iurisdictionis, seù regia dignitas erga homines, & Angelos potuit quidem reperiri in Christo tàm in actu primo remoto, & proximo, quàm in actu secundo, & exercito, de facto tamen erga Angelos solùm fuit expeditum dominium in actu primo, & secundo, at erga homines viatores fuit, & est dominium in actu primo, & tantùm exit in actum secundum, quatenùs internè, & occultè dirigit, & gubernat per alios homines, vel inspirando, vel applicando hunc, aut illum hominem ad gubernationem politicam. Prima pars, quòd potuerit Christus immediatè regere, & gubernare mundum, instituendo Vicarios, & Proreges in diuersis Regnis, patet, quia si Christus fuit à Deo constitutus supremus Princeps omnium, certè poterat, si voluisset, exire in actum secundum huius potestatis, nullum enim fuisset impedimentum; & quidem hoc pacto se gessisse, & se gerere cum Angelis, & Beatis, suaderi potest; quoniam Matt. 4. habemus, Angelos ministrasse Christo in deserto, ergo vt subditi se habebant erga Superiorem, & Regem. Tùm quia Christus in cælo est in summa gloria tanquam in proprio Regno, ergo actu imperat Beatis, si opus est, ad gubernandum politicè mundum.

114 Quòd autem erga viatores homines non ita se gesserit in hac mortali vita, expressè habetur in Sacra Scriptura, nunquam enim Christus in hac vita regalem dignitatem actu exercuit, imò dum Ioan. 6. turbæ quærebant instituere eum in Regem, aufugit in montem: Similiter Luc. 12. homini roganti ipsum Christum, vt fratri suo persuaderet diuisionem hæreditatis; respondit, *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos?* & in hoc sensu dixit Pilato Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*, & canit Ecclesia, *Crudelis Herodes Deum Regem venire, quid times? Non eripit mortalia, Qui regna dat cælestia*. Insuper quòd eodem modo nunc se habeat in cælis regnans, prob. ex illo Apoc. 1. & 19. *Princeps Regum terræ, Rex Regum*, nam si homines, qui in mundo præsunt, dicuntur veri Reges, sicut absolutè imperant alijs hominibus, certè Christus in actu exercito non exercet actuale dominium, quoniam ex dictis disp. 7. q. 6. art. 1. nequit eiusdem rei dari dominium in solidum penes duos, solùm igitur Christus habet dominium radicale, & remotum circa regna mundi, non proximum, & in actu secundo, & hoc ex sua liberali concessione, quatenùs licèt fuerit à Deo constitutus Rex supremus, etiam in temporalibus, & consequenter cesserint omnia iura regia in hominibus, noluit tamen Christus hanc potestatem exercere; quapropter per hanc voluntatem confirmauit Reges in suis iuribus, & veluti inuestituram concessit eodem modo, quo Imperator solet quibusdam Principibus concedere inuestituras quarundam Prouinciarum, quibus concessis, verè illi homines dicuntur Principes, & Reges, cum dependentia tamen ab Imperatore; sic Christus liberaliter concessit hominibus vti iuribus suis, nec voluit illa reuocare, solùm de nouo in Regibus aduenit noua depēdentia ad Christum hominem, vbi priùs à solo Deo dependebant. Hoc autem sufficit, vt homines gubernantes dicantur veri Reges, & non Vicarij Christi in temporalibus; quoniam licèt à Christo dependeant, quatenùs posset illud ius reuocare, de facto tamen non se ingerit Christus in politica gubernatione mūdi immediatè, neque impedit illorum gubernationem, sed sinit omnes vti iuribus suis pro libito. Quod potest etiam declarari exemplo donatoris donatione aliqua reuocabili, donatarius enim stante donatione est verus dominus, sed cum dependentia à donatore, vt fusiùs explicui disp. 7. num. 191. Et hoc fortè innuere voluerunt Suarez, & Bernal, dum regiam hanc dignitatem Christi posuerunt mediam inter diuinam, & humanam.

115 Si quæras, cur Christus immediatè in cælis regit, & gubernat, in terris autem concedit liberum dominium hominibus, alia ratio nequit assignari, quàm ipsius voluntas, adest tamen congruentia, quoniā hic est status viæ, & libertatis, ideoque sicut in spiritualibus dat nobis plenissimā potestatē ad faciendum pro libito etiā contra legē diuinā, non est mirum, si in politia, & ciuili vita relinquit homines, vt vtantur iuribus suis.

Dico

216 Dico 3. dominium proprietatis de facto fuit in Christo solùm quò ad aliquas res in actu secundo, sed non semper; de possibili verò dicendum, vt de dominio iurisdictionis. Hoc vltimum patet ex dictis num. 213. primū verò, quòd scilicet habuerit Christus dominium proprietatis in actu secundo, & proximè tamen solùm quò ad aliquas res, est definitum à Ioan. XXII. in Extrau. *Cum inter nonnullos* de Verb. signif. & patet, quia Christus vsque ad trigesimū annum vixit sub obedientia parentum, illorumque facultatibus, licet exiguis, sustentabatur, non enim adeo pauperes erant, vt mēdicare fuerit necesse: hoc etiā dominio fuit vsus Christus, cum dæmones immisit in porcos, & permisit discipulis, vt segetes colligerent, & spicis cibarentur. Ex quo sequitur euidenter, non fuisse dominum omnium rerum in actu secundo, quia non applicauit de facto sibi omnia.

217. Tandem quòd etiam tale dominium nō semper retinuit, probatur, quia à trigesimo anno, in quo baptizatus est, & cœpit euangelizare, quod primò docuit, fuit renuntiatio omnium bonorum temporaliū, seque posuit vt exemplar imitandum, Luc. 14. *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me*; ad hoc etiam attinet, quod ait Luc. 9. *Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet.*

218 Contra primam conclus. arguitur, quoniam sequeretur, Summum Pontificem, quia Christi est Vicarius, esse Regem, & Dominum temporarium totius mundi, quod est falsum, Tùm 2. si vnio hypostatica has dignitates exposceret, ergo si Verbum assūmisset duas humanitates, illi homines fuissent ambo Reges, & Domini, & sic dominium in solidum penes duos; quod implicat. Tùm 3. sequeretur, in vsu alicuius rei contra voluntatem Christi adesse semper peccatum furti, & iniustitiæ, quia esset vsus rei alienæ inuito domino, quod à nemine conceditur. Tùm 4. ait Vasq. si Christus esset dominus omnium, iam daretur de facto dominiū in solidum in duobus, vel denegandum erit hominibus omne dominium. Tùm 5. ait Vulpes, Deus ab initio concessit homini sui ipsius dominium, Gen. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, & omnium rerum infra se, Gen. 1. *Dominamini piscibus maris*, &c. vnde Scotus in 4. d. 15. q. 2. art. 1 quilibet homo nascitur liber sui iuris, & nulli subiectus, & solùm ex libera electione humana, & iusta diuisione facta ob infirmitatem naturæ est alteri subditus: ergo implicat, Christum esse Regem omnium temporalem; conseq. prob. quia non fuit Christus ex hominum electione constitutus Rex, neque à Deo, quia implicat, Deum reuocare dominium ab initio homini concessum.

219 Resp. ad 1. neg. sequelam, quia sicut Christus non communicauit omnem potestatis spiritualis plenitudinem Summo Pontifici, ita neque potestatem hāc temporariam. Ad 2. iam diximus, vnionem hypostaticam solùm dicere congruentiam quandam, non ipsam potestatem, vt videtur asserere Vasq. contra quē dicendi modum vrgeret argumentum; potestas igitur fuit in Christo ex diuina concessione, quapropter supposito casu, Deus non constitueret illos homines ambos Reges ex æquo, sed sicut sibi placuerit. Ad 3. neg. sequela; quoniam ad furtum requiritur, quòd ablatum sit sub dominio proximo alterius, itaut sit illi applicatum tanquam res propria, Christus autem de facto non habuit de omnibus tale dominium. Ad 4. etiam vrget ipsum Vasq. concedentem dominium iurisdictionis in Christo in omnia regna, si enim daretur dominium iurisdictionis in solidum penes duos. Quapropter respōdetur, dominium expeditum proximum, & quò ad actum exercitum repugnat esse in solidum penes duos; at quando dominium in vno est radicale, & remotum, & altioris ordinis, non est cum dominio proximo in alio incompossibile, solùm infert subordinationem, & dependentiam istius ab illo, tale est dominium Christi, vt diximus. Ad 5. per idem dominium fuit Christo concessum à Deo, qui tamen non reuocauit dominium concessum hominibus ab initio, quia hoc est cum Christi dominio compossibile. Vel meliùs, concedendo Deum ex se reuocasse tale dominium, non quidem in tempore, sed ab æterno, licet non pro æterno, sed pro tempore aduentus Christi, quamuis ex Christi liberalitate permanserint homines in iuribus suis.

220 Quæres, quando accepit Christus has dignitates? Resp. ab instanti conceptionis, sicut & omnes aliæ excellentiæ in illo instanti fuerunt communicatæ Christo; Tùm quia in illo instanti fuit Princeps, & dominus Angelorum, vt ait Apost. ad Hebr. 1. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei*; ergo tunc etiam fuit Princeps, & dominus aliarum rerum. Verum est tamen, quòd tale dominium manifestatum fuit, cognitum, & acceptatum ab hominibus post resurrectionem; in quo sensu explicari debet, quod ait Christus Matt. vlt. *Data est mihi omnis potestas*; & Apostolus ad Rom. 14 *In hoc mortuus est, & resurrexit, vt viuorū, & mortuorum dominetur.*

221 Vltima dignitas ex his, quę in præsenti considerantur, est potestas Christi iudiciaria, quæ quidē dupliciter spectari potest, vel in se, vel vt executioni mandatur, & exit in actum; secundo modo pertinet ad tractatum de iudicio diuino, primo modo spectat ad præsens; hanc igitur potestatē in se declarabimus, & obiter aliqua de ipsius executione dicemus.

222 Pro resolutione not. ex Scoto 4. d. 47. q. 1. quòd iudicium multipliciter sumitur, primò pro quacunque notitia certa, quo pacto etiam sensus communis dicitur iudicare de obiectis aliorū sensuum 3. de An. 145. Secundò sumitur pro quacunque notitia certa intellectuali, quomodò etiam apprehensioni cōuenit. Tertiò pro notitia alicuius complexi. Quartò pro notitia illius complexi, quæ est conclusio. Quintò pro notitia conclusionis practicæ. Et tandem sumitur pro certa determinatione de præmijs, vel supplicijs reddendis iuxta qualitatem bonorum, vel malorum operum. Hæc autem determinatio, vel est in persona non habente authoritatem (quilibet enim potest secundùm leges iudicare, & discurrere circa præmium, vel pœnam alicui debitam) & in hoc sensu latè dicitur iudicium, vt ad præsens spectat; vel est in persona habente authoritatem determinandi, & in hoc sensu sumitur in præsenti. Quapropter iudicium, seù potestas iudiciaria, inquit Doctor, est *completa, & authentica determinatio reddendi alicui secundùm merita sua*; dicitur *completa*, quia includit determinationem firmam intellectus; dicitur *authentica*, quia includit determinationem volūtatis efficacem, hoc est, voluntatis potentis, & intendentis secundùm determinationem intellectus retribuere. Quoniam autem actiones, quæ cadunt sub iudicio, vel sunt digna præmio, si bonæ,

vel

vel pœna, si malæ; hinc si iudex actiones repræsentatas vt bonas inueniat esse tales, tunc est iudicium approbatiuum; si non inuenit esse bonas, est iudicium repulsiuum, quia repellit illum hominem à præmio. At si actiones iudicandæ sunt repræsentatæ iudici vt malæ, si à iudice inueniuntur tales, est iudicium condemnatiuum; si verò non sunt inuentæ malæ, sequitur iudicium absolutiuum, quatenùs iudex coram se accusatum pronunciat innocentem.

123 Insuper not. ex eodem Scoto in 4. d. 48. q. 1. §. *Ad quæstionem*, quòd ista potestas iudiciaria dupliciter sumi potest, vel principaliter, & primariò, vel subauthenticè, commissionaliter, & secundariò; primo modo includit principaliter dictare, & principaliter velle efficaciter, hoc est à nullo alio superiori dependare in dictando, & volẽdo efficaciter, seù in imperando ipsum volitum, sic quòd ad ipsum imperium sequatur effectus; nullus enim dicitur principaliter agere aliquid, si in agendo est causa subordinata alicui alteri principali. Secundo modo includit dictare dependenter ab intellectu superiori, & velle efficaciter dependenter à voluntate superiori, quatenùs ad rectè velle volũtatis inferioris sequatur semper effectus volitus, non à se causatus, sed à voluntatate diuina semper assistente isti volitioni efficaci. Quod etiam dupliciter contingere potest, vel cum summa excellentia, & singulari, & fit quando volitum ab inferiori voluntate infallibiliter exercetur ab eadem persona secundùm voluntatem superiorem; Vel contingit sine ista summa, & singulari excellentia, quando scilicet volitum causatur ab alia persona. His præacceptis.

124 Dicendum cum Scoto cit. quòd Christus secũdùm humanitatem habet iudiciariam potestatem, non principalem, sed subauthenticam, & commissariam cum summa tamen, & singulari excellentia nõ concessa alteri personæ creatæ. Hæc conclusio tota est de fide, & miror, quomodò aliqui Recentiores audeant, Scotum reprehendere in hoc, vel ipsũ trahere ad alienum sensum, cum sufficientissimè ibi se declaret. Prima igitur pars, quòd Christus vt homo habeat potestatem iudiciariam, prob. ex Matth. 25. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua*, &c. Ioan. 5. *Neq; enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio*, vbi D. Aug. tract. 19. in Ioan & 1. de Trin. c. 13. & alij Patres explicant de Christo vt homine, quatenùs Pater immediatè nullum iudicium exercet, sed omne cõmisit Christo homini; vnde subdit, *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*; & Actor. 10. inquit Petrus de Christo, *Ipse est qui cõstitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum*, & cap. 17. ait Paulus, *Statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro; in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis*; quæ loca nonnisi de Christo vt homine intelligi possunt.

125 Secunda pars, quòd talis potestas in Christo vt homine non sit principalis, sed subauthentica, cõmissaria, & delegata, prob. à Scoto, quia intellectus animæ Christi subordinatus est diuinæ veritati in dictando, & maximè de illis, de quibus non potest esse certa dictatio, nisi ex regulis dependentibus à decretis diuinæ voluntatis contingenter circa illa se habentis, vt sunt omnia, quæ spectant ad beatitudinem, & miseriam iudicandorũ; Voluntas etiam animæ Christi subordinatur voluntati diuinæ, tàm in rectitudine volitionis, quàm in efficacia imperij, quia velle voluntatis animæ Christi, Petrum fore beatum, non est ex se efficax, sed redditur efficax à diuina voluntate, quia Deus est obiectum voluntarium, si vult, videtur, si non vult, non videtur.

126 Tertia pars, quòd hæc subauthentica potestas conuenit in summa excellentia soli Christo, probatur à Scoto, quoniam licèt posset Deus hanc potestatem puræ creaturæ communicare, quatenùs eius intellectus rectè dictaret de retributione, & voluntas rectè vellet, & ad rectum velle eius semper sequatur euentus ipsius voluntatis causatus à voluntate diuina superiori assistente, tamen non potest Deus concedere puræ creaturæ, quòd omne eius velle impleatur ab eadem persona, quia tunc foret omnipotens, quod implicat; at Christo vt homini propter vnionem hypostaticam taliter est concessa ista potestas, vt omne velle volũtatis creatæ Christi reddatur efficax ab eadem persona Christi secundùm voluntatem diuinam, & consequenter cum singulari excellentia conuenit hæc potestas Christo non communicabilis puræ creaturæ.

127 Dices, iudicare differt à promulgare sententiam iam datam ab aliquo superiori, sed cuilibet creaturæ Deus profert sententiam, Christus verò solùm vt homo promulgat sententiam à Deo latam, ergo non iudicat, sed tantùm se habet vt præco; minor patet, quia Deus taxauit præmium, vel pœnam creaturis rationalibus, & secundùm istam determinationẽ Christus promulgat sententiam. Resp. si argumentum vrgeret, concluderet, non dari alium iudicem, nisi supremum legislatorem, cui cõpetit taxare præmium, & pœnam, iudicare ergo differt à ferre legẽ, & promulgare legem, primum spectat ad legislatorem, secundum ad præconem, at iudicare est imperare secundùm legem, imperare dicit actum voluntatis efficacem, ly secundùm legem innuit actum intellectus cognoscentis merita causæ; quapropter concedo, Deum taxare præmium, & pœnam, ex hoc autem non sequitur, esse iudicem, sed legislatorem, est autem iudex, quando legem applicat ad opus, quam potestatem delegauit Christo vt homini.

128 Secundò quæri potest de hac iudiciaria potestate, qualnam personas respiciat. Breuiter respondetur, omnes creaturas rationales, siue spirituales, vt sunt Angeli, siue corporales, vt homines tàm adulti, quàm paruuli, detineri sub hac iudiciaria potestate. De Angelis probatur ex 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari*; & 1. Corinth 6. *Nescitis, quoniã Angelos iudicabimus*; & ratio est, quoniam ex dictis num 59. & seq. Christus est caput Angelorum, meruitq; illis primam gratiam iustificantem, & gloriam, ergo subsunt iudicio Christi. De hominibus adultis habetur 2. Corinth. 15. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, pro vt gessit, siue bonum, siue malum.* De paruulis decedentibus ante vsum rationis, quibus per baptismum, aut per circũcisionem, vel per aliud Sacramentum fuit peccatum originale deletum, est etiam ab omnibus concessum, quoniam gratiam, & gloriam receperunt ex meritis Christi. Dubitatur tamen de paruulis cum peccato originali morientibus. Sed cõmunior opinio est quòque affirmatiua; ratio est, quia verè isti paruuli excluduntur à gloria propter originale peccatum, ergo saltum quò ad hoc includuntur sub iudicis sententia. Sed quicquid sit de istis, sufficit pro modo, quòd iudiciaria Christi potestas etiam ad istos se extendat, & si nõ

iudi-

iudicabuntur in die iudicij, non erit ex insufficientia potestatis Christi, sed ex illorum incapacitate.

129 Dices, Ioan. 3. ait Christus, *Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei*, ergo non omnes adulti iudicabuntur. Resp. hic esse sermonem de fide viua ex operibus bonis, sed de fide mortua propter peccata, vel de incredulis, & est sensus, quòd qui credit fide viua, non iudicatur iudicio condemnatiuo, qui nó credit, siuè ex incredulitate, siue fide mortua, est iudicatus, idest iam ex se habet ordinationem, & reatum ad pœnam æternam; non tamen negatur, subesse iudicio Christi.

130 Tertiò dubitari potest de tempore, in quo fuit concessa Christo hæc iudiciaria potestas, & quando illa vsus est Christus. De primo dicendum, hanc potestatem secúdùm se, & in actu primo spectatam fuisse Christo communicatam in instanti conceptionis, sicut cætera dona supernaturalia, quamuis statim non debuisset exire in actum secundum. De secundo, dicendum, Christum in hac vita mortali non fuisse vsum hac potestate, sed statim post mortem; primum patet ex Ioan. 3. *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*; & cap. 8. *Ego non iudico quenquam*; & cap. 12. *Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum, non enim veni, vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum*, quibus in locis patet, Christum loqui de tempore mortalis vitæ, ait enim, *non iudico*, non dicit, *non iudicabo*. In hoc sensu etiam explicari potest, quod Matt. 20. dixit filijs Zebedæi, *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*; quamuis accomodatius explicetur de potestate iudiciaria suprema, & principali. Secundum etiam patet, quoniam liberatio Sanctorum Patrũ à lymbo, spoliatio inferni, constrictio potestatis dæmonis, & alia huiusmodi videntur actus huius iudiciariæ potestatis, vnde post resurrectionem dixit Christus, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*.

131 Tandem dubitari solet, quibusnam actibus exerceatur à Christo hæc iudiciaria potestas. Et quidem certum est, dum homines sunt in hoc mundo, aliqua accipere in præmium bonorum operum, & in pœnam malorum, quæ est actio quædam iudicialis, & consequenter quia *Pater omne iudicium dedit Filio*, ex Ioan. 5. dicendum erit, hoc iudicium à Christo vt homine exerceri; ita colligitur ex Michæ. 4. *Iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes*; & Psal. 97. *Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate*.

132 Deinde certum quoq; est, statim post mortẽ cuiuslibet fieri à Christo iudiciũ particulare, ad Heb. 9. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*; ratio est, quia iusti post mortem accipiunt coronam vitę, peccatores pœnas inferni, & qui purgãdi sunt, mittuntur in purgatorio, ergo qualibet anima statim post mortem accipit sentẽtiam de suis operibus. Fit autem hoc iudicium, non quidem descendendo Christum corporaliter ad animas, quia indecens foret, esserq; in continuo motu, nec adducendo animas ante Christi tribunal, quia hoc saltim nec de damnatis, nec de purgandis dici potest, nihil enim coinquinatum intrabit regnum cælorum; sed potiùs fit per locutionem quãdam intellectualem; & in hoc sensu explicari debent Patres, dum asserunt, quamlibet animam statim post mortem ducĩ ant. tribunal Christi, vel è contra Christum ad nos venire, intelligi enim debent de ista intellectuali promulgatione sententiæ Christi iudicis.

133 Vltimo exercebitur præcipuè hæc iudicialis, potestas à Christo vt homine in fine mundi, & in iudiciu vniuersali, quando veniet cum potestate magna, & maiestate, & statuet oues à dextris, hædos autem à sinistris, proferetque illam finalem, & defini iuam sententiam, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum à constitutione mundi; Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*; & hæc breuiter sufficiant.

Disputatio Decima quinta.

De Adoratione Christo debita.

IN præcedentibus satis est declarata pro viribus dignitas Christi Domini, & excellentia, quam habuit ex vnione hypostatica, quantùm etiam pro nobis est operatus; remanet, vt videamus, quo pacto debeat à nobis Christus coli, & adorari, & vt sciamus nostrũ debitum, nostramq; obligationem erga Christum; necessarium tamen erit, vt aliqua de adoratione in communi præmittamus, & occasione adorationis Christo debitæ, subiungemus alia, quæ spectant ad cultum, & adorationem aliorum Sanctorum, reliquiarum, & imaginum.

Quæstio Prima.

Quid sit adoratio, & quotuplex.

1 OMnes fatentur, adorationem esse quãdam speciem honoris, *Honorat enim*, ait D. Aug. lib. contra serm. Arrian. c. 23. *omnis, qui adorat, non autem adorat omnis, qui honorat*; quapropter sicut honor est signum, & iudicium existimationis de excellentia personæ, quæ honoratur, ita adoratio debet includere in se hanc rationem vt genericam, quæ quidem cõtrahitur pręcipuè ad speciẽ adorationis per hoc, quòd honor est signum æxistimationis de excellentia cuiuscunq; personæ, siue æqualis honoranti iuxtà illud ad Rom. 12. *Honore inuicem prænenientes*, siuè inferioris, sic Ester. 6. Rex Assuerus dicitur honorasse Mardochæum, & Eccli. 3. de Deo dicitur, *Deus honorauit patrem in filijs*; quando tamen honor est erga superiorem, tunc est adoratio; vt igitur distinctè pateat adorationis quidditas, quantum satis est in pręsenti, primò explicabimus excellentiam istam superioris adorati, qualis esse debeat, deinde actum ipsum adorationis, & quæ concurrere solent.

2 De excellentia superioris adorati est sciendum, quòd ipsa se habet vt ratio formalis, superior verò, seù persona adorata est terminus adorationis, & ab aliquibus dicitur obiectũ remotum, seù obiectum *Cui*. Dubitatur autem, nùm ista excellẽtia debeat esse spiritualis, qualis est sanctitas, an verò sufficiat etiam tẽporalis excellentia, vt aliqua persona sit adorabilis. Vulpes disp. 37. art. 3. docet, solas personas excellentes in sanctitate, & bonitate spirituali esse adorandas vera adoratione, quales sunt Deus, Sancti, & Ministri Ecclesiastici, nullo autem modo personas seculares,

res, etiam regia dignitate præditas, posse adorari vera adoratione, sed falsa. Verùm hæc lis est de nomine, quamuis enim si loquamur de adoratione, vt est quædam religionis species, solùm respiciat excellentiam spirituale, quoniam religionis virtus est circa res sacras; nō tamen videtur omnino deneganda adoratio sæcularibus Principibus ratione excellentiæ temporalis, quam habent, nam honor ab inferioribus exhibitus est verus honor, non falsus, estq; honestus, & differt ab honore alteri æquali, vel inferiori præstito, ergo erit adoratio; sicq; appellatur sæpè in Sacra Scriptura Gen. 23. Abraham adorauit Filios Heth, & Ephron; 1. Reg. 24. Dauid adorasse dicitur Saul. & c. 25. Abigail adorauit Dauidem; & 2. Reg. 9 Miphib. se heūdem Dauidem dicitur adorasse, 3. Reg. 1. Nathan Proph. ta adorauit Dauidem; & plures hoc habetur in Sacra Scriptura, ergo poterit hic honor appellari adoratio. Tum quia sicut excellentia, & dignitas temporalis est vera dignitas, non falsa, ita poterit constituere speciem adorationis veram, non falsam, licet alterius rationis ab adoratione debita excellentiæ spirituali; de qua in præsenti est sermo; hinc Scotus 3. d. 9. q. vn. D. concedit, Regē in se, & propter se esse adorandum, quod exemplum desumpsit ex D. Aug. serm. 58. de Verbis Domini.

3 Dubium inde potest adhùc de ista spirituali excellentia, & bonitate inquiri, an sufficiat, vt persona adorata in se habeat talem bonitatem, & excellentiam, an verò requiratur adhuc, quòd ista bonitas sit sui ipsius communicatiua sua perfunge adoranti. Vulpes cit. art. vlt. & disp. 38. art. 1. sustinet secundū, ait enim, quod bonitas personæ adoratæ debet esse causa bonitatis adorantis, vel in genere moris, vt est bonitas Sanctorum, à qua nostra sanctitas meritoriè pendet, vel etiā in genere physico, vt est bonitas diuina, quæ est causa omnis nostræ bonitatis, itaut si per impossibile essent duo Dij, & ab vno eorum aliquis homo nullo pacto dependeret neq; in esse naturali, neq; in esse bonitatis, & sanctitatis supernaturalis, ille Deus non esset à tali homine adorandus, imò neq; diligendus.

4 Scotus in hoc dubio est problematicus in 3. d. 9. q. vn. art. 1. & 3. vt notant Lichet. & Faber, & cuiq; legenti patebit; & hoc loquendo de adoratione, non de dilectione, de qua ad vltimū concedit deberi Deo, quamuis per impossibile nō dependeremus in esse ab ipso. Hinc Vulpes quò ad dilectionem non est Scoticè locutus. Et quidem quòd Deus sit adorādus, quatenus nobis communicat suam bonitatem, estq; primaria, & principalis causa nostræ sanctitatis, non est dubium, expressè enim habetur in Sacra Scriptura Psal. 94. *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, Quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius;* hęc igitur excellentia vt sui ipsius cōmunicatiua nobis est sufficiens ratio adorationis; hinc Arist. 1. Rhetor. c. 5. vt. *Honorantur maximè, atq; meritò, qui bene ficia contulerunt, deinde, qui conferre queunt.*

5 Non est autem denegandā adoratio excellentiæ alicuius superioris, vt in se spectatur absolutè, etiam si non esset sui ipsius communicatiua nobis, si scilicet quispiam Sanctus pro nobis minimè oraret, aut si per impossibile daretur alter Deus, à quo neq; in esse naturali, neq; supernaturali haberemus dependentiam; quod probatur, quia maior perfectio est excellētia in se considerata, quam ratio illa communicabilitatis, hæc enim pendet ab illa, vt à radice, ergo si ista est sufficiens ratio adorationis, multò magis illa. Tum quia si supponitis illis casibus aliquis adoraret Sanctū illum, aut illum alium Deum, certè actus iste non esset malus, imò honestus, vt patet, ergo transiret super obiectum conueniens, tale non esset, nisi excellentia illius personæ in se, & absolutè considerata, ergo &c. Tum quia Angelus inferior potest superiorē, & digniorem adorare, à quo tamē propria sanctitas, neq; physicè neq; moraliter pendet; idem dicendum de omnibus Angelis adorantibus Beatam Virginem. Tùm quia si adoratio respiceret solam personam benefactricem, potiùs spectaret ad virtutem gratitudinis, quàm religionis, ergo adoratio primariò respicit excellentiam personæ adoratæ in se consideratā. Tùm quia dignitas regia in se est extimabilis, & honore, & adoratione digna, quamuis nullum conferret beneficium, ergo &c. Hac doctrina elicitur ex Scoto in 3. d. 27. q. vn. art 2. vbi inquirit obiectum charitatis erga Deum, & quæ de charitate ibi docet, possunt adorationi applicari.

6 An autem ad variationē huius excellentiæ etiam formalem, vt sunt attributa diuina, varientur species adorationes, non est præsentis negotij distinctè examinare, videtur autem affirmatiuè respondendum cum P. Fabro, quia eadem bonitas diuina in se considerata est obiectum charitatis, vt autem est bona nobis, est obiectum spei; & in nostris principijs actus specie diuersi possunt habere idem obiectum, quia nō requiritur tanta distinctio in principijs, vt sunt obiecta, quanta in principiatis, quales sunt actus, vt fusè ostendi in lib. de Anima disp. 2. q. 4. Idcirco alia est adoratio Dei v.g. vt omnipotentis, alia vt omniscientis, alia vt iusti, &c. De hac re vide Lugum disp. 34. sect. 1. à num. 9.

7 Maior difficultas est in explicatione actus ipsius adorationis; apte tamen declarari poterit exemplo actus eleemosinæ, in quo concurrunt intellectus, voluntas, & potentia exterior, primò enim intellectus meus concipit miseriā indigentis pauperis esse maiorem mea indigentia, deinde iudicat, honestum esse, subleuare pauperem illum à tali miseria elargiendo eleemosinam, dictatq; voluntati, hoc esse faciendum; voluntas deinde vult talem honestatem elargitionis eleemosinæ, seù subleuationis pauperis à miseria, qui actus quandoq; non est connexus cum actu externo, quia scilicet est simplex affectus, non est efficax, vel saltim non est immediatè imperatiuus exterioris actus, & consequenter requiritur alter actus imperatiuus potentiæ exterioris, ad cuius positionem sequatur elargitio eleemosinæ exterior, quæ debet immediatè elargiri pauperi, nō alteri personæ; quandoq; verò ille primus actus volitionis honestatis eleemosinæ est efficax, nec solùm intentio, sed est quoq; virtualis electio, idcirco non erit necessarius alius actus voluntatis, sed ad illum immediatè sequitur actus exterior. Actus eleemosinæ non consistit formaliter in actu intellectus, hic enim se habet vt regula; neque in simplici affectu voluntatis, qui enim habet simplicem affectum voluntatis, nō dicitur conficere eleemosinā; neq; in solo actu exteriori, hic enim actus non esset humanus, & moralis, nam libertas exigitur vt fundamentū totius generis moris, vel radicalis, vel participata, potentiæ autem exteriores, solùm vt à voluntate imperantur, dicuntur participare libertatem; actus igitur eleemosinę cōsistit in actu externo largitionis pecuniæ vt imperato à voluntate, seu vt præueponit

nit volitionem in voluntate, qui actus ambo integrant vnum actum moraliter loquendo, licèt sint duæ bonitates numero distinctæ in illis ex Scoto quol. 18. idem quòq; euenit in quolibet actu virtutis, quæ consumatur, & completur actu exteriori.

8 Pariformiter erit asserendum de honore; honor enim est signum, & indicium existimationis, & appretiationis, quam intùs, & in anima habemus de excellentia, dignitate, & bonitate alicuius personæ, & consequenter non consistit propriè in actu interno, sed externo, qui est signum interni actus; idcirco præexigitur in intellectu apprehensio dignitatis personæ honorandæ, ad quam sequitur in voluntate affectus quidam appretiationis illius bonitatis, vel in se, vel vt alteri comparatæ; deinde intellectus iudicat, honestum esse, hunc appretiationis effectum exteriùs patefacere aliquo signo, seù actu externo, ex quo voluntas vult talem manifestationem, & tandem ex hac volitione exit in actum externum, in quo formaliter consistit honor modo explicato.

9 Quoniam autem adoratio est species quædam honoris, supra quem addit, quòd sit de excellentia alicuius excedentis bonitatem personæ adorantis; idcirco adoratio dicit in intellectu cognitionem excellentiæ personæ adorandæ supra propriam excellentiam personæ adorantis, ad quem actum uoluntas elicit affectum circa personam illam vt excedentem in dignitate propriam bonitatem, quo affectu summittit se illi; deinde intellectus iudicat, honestum esse, manifestare aliquo externo signo talem animi summissionem, cui consentit voluntas, & ex hac volitione imperat aliquem externum actum, in quo formaliter consistit adoratio, talis erit vel genuflexio, vel sacrificium, & similia; Non nego tamen, quin ipsa animi summissio possit quòq; dici adoratio, vt etiam innuit Scotus 3. d. 9. q. vn. art. 2. sed latè, quoniam vsus inoleuit, adorationem sumi pro signo commissionis. Addit Bernal disp. 68. sect. 1. num. 21. & rectè, quòd tale signum debet afficere personam, vel rem adoratam tanquam subiectum, in quo recipiatur, vel physicè, vt cum reliquias deosculamur, vel moraliter, vt cum genuflectimus ante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, talis genuflexio moraliter videtur subiectari, & recipi in ipso Sacramento; qua ratione, si quis verba exprimeret propriam animi summissionem erga excellentiam personę alicuius, non ob id diceretur adorare, quia talis locutio solùm obiectiuè afficeret personam illam, non subiectiuè, diceretur tamen illam honorare, & laudare.

10 Ex his potest primò colligi definitio adorationis, quòd sit *Signum summissionis animi erga excellentiam alicuius supra propriam elicitum à summitente se, & receptum physicè, vel moraliter in persona excellente*, quæ omnia ex dictis patent; eliciturq; hæc doctrinà ex ipso Scoto 3. d. 9. q. vn. art. 1. Secundò colligitur, adorationem in communi pertinere ad virtutem iustitiæ, quia est ad alterum. Et tandem colligitur discrimen inter hæc nomina, *honorare*, *adorare*, *laudare*, *glorificare*, *colere*, *reueriri*, *venerari*; Nam *honorare*, & *adorare*, vt diximus, differunt vt magis, & minùs commune. *Laudare* est species quædam honoris, omnis enim, qui laudat, honorat, non tamen adorat, neq; è contra; & propriè consistit in manifestatione verbis facta de excellentia alicuius. *Glorificare* est etiam quędam honoris species, & connotat gloriam exortam ex laude in audientibus, vnde gloria definitur ab Aug. lib. 83. qq. quæst. 31. *est clara cum laude notitia*. *Colere*, *venerari*, & *reuereri* potiùs videtur conuenire cum adorare, quàm cum adorare, Deus enim dicitur honorare Sanctos, non tamen colere, reuereri, aut venerari.

11 Verùm pro exacta cognitione adorationis duæ difficultates remanent expediendæ. Prima est, an adoratio necessariò præexigat in voluntate animi sūmissionem, an verò possit sine illa reperiri. Secunda, qualis debeat esse actus iste, qui signum est summissionis.

12 De primo non est dubium, quando quis irrisoriè, & in contemptum exercet signum aliquod adorationis, non esse veram adorationem, sed difficultas procedit, cum aliquis ob metum, vel alium finem exteriùs adorat, interiùs tamen habet animum alienum, quia vel non existimat, dignitatem excellentem reperiri in persona adorata, vel non habet voluntatem summittendi se, an illa adoratio sit vera. Negant Suarez, Vasq.

13 Affirmant Lugus disp. 33. sect. 2. & Bernal cit. & rectè quidem, nam sicut propositio falsa, licèt careat conformitate ad rem significatam, adhùc tamen verè participat quidditatem propositionis in communi, quoniam ex se est signum cōceptus interni, quamuis non adsit talis conceptus; pariformiter genuflexio exterior fictè facta erit vera adoratio, quia est signum summissionis internæ, & vt talis procedit à voluntate, licèt non adsit talis summissio; quarè est vera adoratio, quia verè participat quidditatem adorationis, non tamen est adoratio vera propter carentiam conformitatis ad significatum.

14 Dices, prommittens sine animo adimplendi, non promittit, nec tenetur ad executionem, ergo idem de adoratione. Resp. Lugus neg. paritatem, quia prommissio formaliter, sicut & votum, non consistit in actu exteriori, sed in interiori, vnde prommissio exterior non est propriè prommissio, sed manifestatio prommissionis, aut voti, at genuflexio est verè adoratio, & summissio interna non est adoratio, sed significatum per adorationem, adoratio verò est signum.

15 Circa aliam difficultatem sunt variæ sententiæ, nam quidam dicunt, adorationem necessariò compleri per actum externum, scilicet elicitum à potentijs exterioribus, nullo modo per actum internum à potentijs spiritualibus elicitum, ita Vasq. disp. 93. c. 4. Alij admittunt solum actum locutionis internæ, ita Lugus cit. Alij actus fidei, spei, & charitatis, citatur pro hoc dicendi modo Suarez, licet ampliorem sententiam sit amplexus. Bernal disp. 68. sect. 3. & 4. omnem actum virtutis tàm intellectus, quàm voluntatis concedit, posse esse signum summissionis, etiam summissionem ipsam, & affectum adorandi, imò & negationes actuum, solùm excipit actus quosdam, vt *nolo hic. & nunc adorare*, &c.

16 Hic vltimus dicendi modus est conformior doctrinæ, quam tradit Scotus in 3. d. 9. q. vn. art. 1. Probatur itaq; primò, quòd adoratio potest exerceri per actum internum, seu per actum intellectus, & voluntatis, quoniam Angeli dicuntur adorare, Heb. 1. *Adorent eum omnes Angeli eius*, Philipp. 2. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium terrestrium, & infernorum*; quibus verbis scilicet flexione genu, tribuitur Angelis vera adoratio interna, sicut ex hoc, quòd lingua ipsis tribuitur in Sacra Scriptura, deducūt Theologi, Angelos vti vera locutione interna. Tùm quia expressè docetur à Dam. 4. de fide c. 13. *Nam quia ex visibili simul, & in-*

visibili, hoc est ex ea natura, quæ intelligentia percipitur, & ex eis, quæ in sensum cadit, constamus, duplici quoque adorationis genere illum rerum omnium parentem, & architectum afficimus; & infra explicans ait, *Quemadmodum videlicet & mentem, & corporis labiis psallimus*. Tum quia si locutio externa potest esse vera adoratio, quoniam est manifestatiua animi summissi, ergo quoniam interna locutio potest esse eiusdem summissionis manifestatiua, erit vera adoratio. Tùm quia potest vnus Angelus alterū honorare per locutionem spiritualem, ergo si ille alius erit superior, poterit illum adorare, patet consequentia ex differentia, quam addit adoratio supra honorem. Et tàdem quia sequeretur, hominem, qui nullum corporis membrum posset mouere, nec exterius operari, non posse elicere adorationis actum; quod est falsum.

17 Deinde non sola locutione mentali potest fieri adoratio, sed quolibet actu virtutis, quoniam sicut locutio externa non ex se, sed ad placitum, siuè ex priuata, siue ex publica institutione potest significare summissionem animi, ita quilibet actus virtutis, siue positiuus, siue negatiuus, poterit assumi ad placitum siuè ex propria, & priuata, siue ex publica institutione, & statuto inter creaturas spirituales inter se, vel cum Deo ad significandam animi summissionem, & consequenter erit vera adoratio; nulla enim apparet discrepantia.

18 Displicet tamen, quod addit, vnam summissionem animi posse assumi in signum alterius summissionis eiusdem animi numero distinctæ, & per consequens, posse esse veram adorationem. Hoc namque est falsum, quoniam oportet admittere in eadem voluntate naturaliter simul duos actus numero distinctos circa idem obiectum, quod à nemine conceditur. Vel si dicatur, primam summissionem, quæ est signatum, non esse præsentem, sed præteritam; iam conceditur quoque secundam summissionem, quę est signum, non esse adorationem veram, sed falsam, quia non esset conformis significato per ipsam; indicaret enim primam summissionem vt præsentem, quæ tamen, non adest, ergo voluntas illa fictè adoraret, quod est non esse internè summissam, & tamen haberet summissionem secundam, per quam denominaretur summissa, ergo diceretur simul summissa, & non summissa, quod implicat.

19 Circa alteram quæstionis partem, quotuplex sit adoratio; potest primò diuidi adoratio ex parte actus, quòd vna sit externa, altera interna, sicut tàm actus externus, quàm internus potest esse signum animi summissi, vt diximus.

20 Secundò potest diuidi ex parte obiecti adorati, cuius ratio formalis est excellentia, quæ sicut duplex est, scilicet temporalis, & spiritualis, ita duplex quòque assignari potest adoratio, vna ciuilis, humana, seù politica, quà adoratur persona aliqua propter dignitatem humanam, & temporalem; altera religiosa, quæ tribuitur alicui personæ propter sanctitatem, & dignitatem spiritualem.

21 Tertiò hæc religiosa adoratio adhùc diuiditur (estque famosa, & principalis diuisio) in Latriam, Hyperduliam, & Duliam. Etenim vel excellentia spiritualis, & sanctitas personæ adoratæ est summa, & increata, & tunc adorans summè, & omnimodè illi sūmittitur; & hæc dicitur Latria, quæ solum Deum respicit, sicut Deus solus habet talem excellentiam; Vel illa excellentia est creata, & finita; & hæc constituit speciem adorationis innominatam, potest tamen appellari Dulia, & subdiuiditur, nam vel ista excellentia peculiari, & singulari modo est in aliqua creatura rationali, & hæc adoratio dicitur Hyperdulia, si verò non reperitur peculiari modo, dicitur Dulia, & nomen generis sibi vendicat. Quæ nomina quādoque cōfunduntur, proueniunt tamen à *Latreuo*, & *Duleuo*, græcè, quorum primum significat seruire cum maximo tremore, idcirco tribuitur adorationi Dei, secūdum significat seruire, & hac ratione tribuitur adorationi creaturæ, quæ si erit specialiter excellens, dicitur adorari Hyperdulia, quod significat superseruire.

22 Quartò diuidi etiam solet in absolutam, & respectiuam, prima est, qua aliquis adoratur propter se, idest propter suam intrinsecam excellentiam, & bonitatem, cuius sola rationalis creatura est capax. Secunda est respectiua, qua aliquid adoratur propter aliud, idest propter aliquam personam excellentem, ad quam res illa habet aliquam habitudinem, quia adorationis est capax quælibet res, quæ habitudinem dicit ad personam intellectualem; Et sicut adoratio absoluta diuiditur in Latriam, Hyperduliam, & Duliam, ita adoratio respectiua diuiditur in has species, itaut res, quæ dicit habitudinem ad personam adorabilem Latria, est adorabilis adoratione respectiua Latriæ, quæ dicit habitudinem ad personam adorabilem Hyperdulia, vel Dulia, erit eadem relatiua adoratione adorabilis.

23 Ex his diuisionibus primę tres sunt vniuoci analogi in sua vniuocata, & analogata, quod quidem ostēdere in nostris principiis de vniuocatione, & analogia traditis in Log. disp. 2. q. 5. art. 3. non erit difficile, vt considerantibus patebit; neque hic sunt repetenda, quæ ibi fusè declarauimus, facilè enim applicari possunt his diuisionibus adorationis. Subdiuisio tamen adorationis creaturæ in Duliam, & Hyperduliam, non videtur esse generis in species, quia differunt vt magis, & minus perfectum ratione maioris, & minoris gratiæ. Hyperdulia tamen quæ conuenit humanitati Christi ratione vnionis potest dici differre specie, sicut dignitas vnionis est specie diuersa à dignitate gratiæ. Vltima diuisio est æquiuoci analogi in sua æquiuocata analogata; nam ei, quod est simpliciter tale, & ei, quod est secundùm quid tale, nihil est commune vniuocum in quid ex Scoto 1. d. 29. q. vn. at persona intellectualis est simpliciter excellens, idest vera, & propria excellentia, res verò, quæ adorabilis est adoratione respectiua, est secundùm quid excellens propter respectum ad personam, qui vt in plurimùm est respectus rationis, ergo sicut excellentia in communi non est vniuoca, neque adoratio in communi erit vniuoca. Hæc sufficiant de adoratione, & speciebus ipsius; vide infra num. 90. & seq.

Quæstio Secunda.

Quo pacto Christus sit à nobis adorandus.

24 NVlli dubium est, Christum vt Deum esse adorandum adoratione Latriæ; neque dubitatur, quin vt homo possit dici eadē adoratione adorandus, secundum

secundùm idiomatum communicationem, in hoc enim sensu sicut homo dicitur infinitus, æternus, omnipotens, poterit etiam dici adorabilis adoratione Latriæ, quod est prædicatum, & proprietas Dei. Dubium est, nūm Christus vt homo possit reuera terminare hanc adorationem, an verò solùm secundùm naturam diuinam sit adorabilis hac adoratione.

25 Sed adhùc talis quæstio potest multiplicem habere sensum, nam vt notat Scotus 3. d. 9. q. vn. art. 3. cum dicitur, An Christus solùm secundùm naturam diuinam est adorandus adoratione Latriæ, ly solùm potest sumi vel cathegorematicè, vel syncathegorematicè; primo modo est dictio significatiua, nec dicit exclusionem aliquam, sed tantummodò specificat naturam diuinam secundùm se sumptam, & est sensus, vtrum Christo secundùm naturam diuinam solitariam conueniat Latria, idest an natura diuina secundùm se possit esse ratio formalis huius adorationis in Christo; & in hoc sensu nulla est dubitatio, vt dixi. Secundo modo est dictio exclusiua, & aliquid excludit ab ista adoratione, scilicet naturam humanā, quod potest dupliciter contingere, vel enim excludit humanam naturam à termino adorationis, itaut Christus ipsam includendo non possit adorari Latria, vel excludit ipsam à ratione formali adorationis, itaut natura humana non sit ratio formalis, cur Christus adoretur Latria, sed solùm diuina natura; in vtroq; sensu controuertitur. Deinde videbimus, an humanitas præcisè considerata possit adorari, & qua adoratione; estq; sermo præcipuè de adoratione absoluta.

26 Quò ad primam partem est vna opinio negans, adorationem Latriæ, qua adoratur Christus ratione diuinitatis, posse vllo pacto terminari ad humanitatem tanquam rem coadoratam; citantur Alensis 3. p. q. 30. memb. 2. Gabr. in 3. d. 9. q. 1. art. 2. & lect. 50. in Canon. Missæ, sed falsò, solùm enim indicant secundam nostram conclusionem, clariùs tamen loquitur Rubionus 3. d. 9. q. 2. item citatur Corduba lib. 1. q. 1. dub. 3. Quò ad secundam partem potest esse vna opinio, quòd humanitas Christi sit etiam Christo ratio formalis adorationis Latriæ; ita docere tenētur, qui sustinent, humanitatem in se consideratam propter sui excellentiam esse adorabilem Latria, quam excellentiā dicunt consistere, vel in vnione hypostatica, & cæteris alijs supernaturalibus donis in summo gradu illi humanitati concessis, vt Vasq. disp. 96. qui alios citat, vel in sola vnione hypostatica, vt Vulpes disp. 38. art. 3. & 4. vbi addit, corpus Christi in Sacramēto propter actualem vnionem ad Verbum, & sanguinem propter potentialē vnionem (sustinet enim, sanguinem non esse immediatè Verbo vnitum, vt vidimus disp. 3. q. 5.) latria adorari à nobis debere, itaut vnio hypostatica, non quidem sub ratione generica relationis, sed sub specifica, & indiuiduali talis relationis ad Verbum terminatæ sit ratio formalis adorationis Latriæ.

27 Dico primò, humanitas Christi non debet excludi à termino adorationis Latriæ, qua Christū Dominum adoramus, sed vna, & eadem Latria est adorandum Verbum Deus homo; est ferè omnium Catholicorum, quam alij explicant dicendo, Christum vt hominem specificatiuè esse adorandum Latria, sed explicatio Scotica distinctiùs, & subtiliùs veritatem declarat. Et expressè habetur in Concil. Alexandr. & Ephes. I. in epist. 10. Cyrilli, *Vnus, idemq; Christus Iesus, vnigenitusq; Dei filius animo concipitur, qui vna adoratione cum propria carne honoratur*; & ibid. Can. 8. *Si quis non vna adoratione Emanuelem honorat, vnamq; illi glorificationem attribuit, quatenùs Verbum factum est caro, anathema sit*; & 5. Syn. Collat. 8. can. 9. *Si quis non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, talis anathema sit*; & Concil. Trid. sess. 13. c. 5. determinat, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum esse Latria adorandum, quæ debetur Deo, redditq; rationem, *Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius, quem Magi procidentes adorauerunt, quem deniq; in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur*. In primis duobus authoritatibus habemus determinationem contra Nestorium negatiuam, nō debere scilicet Christum vt Deum alia adoratione adorari, qua adoratur vt homo; quia Christus Deus homo non sunt duæ, sed vna persona; & simul habemus, Christum Deum hominem vna adoratione Latriæ adorandum cum propria carne, seu humanitate. In tertia verò non solùm idem confirmatur, sed etiam adducuntur authoritates Scripturæ, quibus idem probatur, ac etiam colligitur ratio à minori ad maius, si enim Eucharistiæ Sacramentum, quia vnum moraliter cum Christo constituit, adhùc est Latria adorandum, itaut species illæ non debeant à termino talis adorationis excludi, quantò magis idē erit de humanitate dicendum, quę cum Verbo vnum per se constituit?

28 Probat etiam Scotus cit. authoritatē Dam. 3. de fide c. 8. *Christus Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, & Spiritu Sancto vna adoratione cum incontaminabili carne eius non inadorabilem carnem eius diceres; adorantur enim in vna Verbi hypostasi, quæ eius hypostasis facta &c.* alias authoritates vide apud Doctores. Exemplificat quoq; Scotus hanc veritatem exemplis, quibus passim vtuntur Patres; sicut enim quando timemus, & refugimus lignum ignitum, vtrumq; refugimus, scilicet tàm lignum, quàm ignem, & vterq; terminat fugam, & timorem, quāmuis ignis sit ratio formalis fugæ, & timoris, ita cum adoramus Christum Deum hominem, totum vnitum est terminus adorationis, licèt humanitas non sit ratio formalis. Et sicut Regem indutum purpura adoramus, non tàmen propter purpuram; similiter honoramus hominem sapientem secundùm omnes partes, idest secundùm corpus, & animam, secundùm caput, brachia, pedes, &c. non tamen propter omnes partes, idem pari passu dicēdum de Christo Deo homine. Ratio huius est, quia non est necesse, vt omne id, quod est terminus adorationis, sit etiam ratio formalis eiusdem, sed sufficit, vt sit cum ratione formali vnitum aliquo pacto, vt patet in exemplis adductis; & in speciebus Eucharistiæ.

29 Contra arguitur primò authoritatibus, nam Concil. Alex. & Ephes. cit. habent, *Caueamus etiam hoc modo loqui de Christo, Propter eum, qui induit, indutum veneror; & Propter inuisibilem visibilem adoro*; & Can. 8. *Si quis hominem assumptū vnà cum ipso Dei Verbo adorandum, vnà cum illo glorificandum, vnà cum illo, tanquam alterum in altero existentem, Deum appellandum esse, dicere ausus fuerit, anathema sit*; ergo humanitas nequit esse terminus adorationis Latriæ, qua Verbum adoratur. Tùm 2. ex Epiph. in Anchorato, vbi expendens exemplum adductum de Rege, & purpura, ait, *Rex purpura indutus ab omnibus adoratur*.

Numquid ergo purpura adoratur, aut Rex? manifestum est, quòd Rex; ergo similiter licèt Verbum humanatum adoretur, non tamen humanitas, sed solum Verbum. Idem colligitur ex Dam. orat. 1. de Imagin. qui humanitatem assumptam appellans materiam, inquit, *Non materiam, sed materiæ authorem adoro*, & subdit, *Materiam, per quam mihi salus parta est, colere non desinam, non tamen vt Deum; Absit;* ergo &c.

30 Resp. ad 1. Concil. loqui contra Nestorium ponentem duas personas adorandas in Christo, quem sensum indicant propositiones illæ, nam quando duo seorsim nominantur, si postea vnum alteri vnitur per particulam *cum*, tunc datur intelligi, illa duo integra simul vniri, sic faciebat Nestorius, primò loquebatur de Verbo Dei, deinde de homine Christo, tanquam de aliquo personaliter à Verbo distincto, & postea vtrumq; coniungebat in adoratione per illam particulam *cum*, & consequenter significabat, personam Verbi adorari simul cum persona Christi; qui sensus est hæreticus. At quando nos dicimus, Verbum cum carne adorari, vel cum humanitate, non multiplicantur personæ ex his propositionibus, idcirco à Concilijs, & Theologis admittuntur. Ad Epiph. & Dam. respondeo, ostendere sequentem conclusionem, scilicet humanitatem non esse rationem formalem adorationis Latriæ, non tamen negare, esse terminum adorationis.

31 Secundò, quando Christus amatur super omnia, vel rogatur, talis amor, vel rogatio non terminatur ad humanitatem, quamuis Verbo vnitam, ergo quando adoratur Latria, talis adoratio non terminatur ad humanitatem vnitam; paritas patet, antec. prob. amor super omnia respicit bonitatem infinitam, & oratio summam potestatem, sed humanitas Verbo vnita nó habet bonitatem infinitam, aut summam potestatem, ergo &c.

32 Communiter negatur paritas, eoquia amor, cum sit actus interior vitalis, facilè præscindit, ideoque solùm terminatur ad id, in quo summa bonitas reperitur, similiter oratio ad id, in quo est summa potestas; at adoratio, cum sit actus exterior, non ita præscindit, sed terminatur ad omne id, quod est summæ excellentiæ vnitum; vnde adoratur purpura simul cum Rege, non tamen amatur, aut rogatur vt Rex; & vestis Christi adoratur Latria, nó tamen charitate amatur, qua diligimus Deum.

33 Hanc responsionem innuit Doctor citatus §. *Sed dubium videtur*, cui tamen non acquiescit, nec sine ratione, nam præterquamquod adoratio quoq; potest actu interno consumari ex dictis num. 16. adhùc tamen quando est actus externus, tunc comitatur actus internus volitionis, sine quo externus nec esset humanus, nec meritorius, & ab ipso actus externus dicitur obiectum respicere, inclinatio enim capitis, vt est quidam motus localis, non dicitur respicere personam adoratam, nisi quia actus internus imperans illam respicit, ergo sicut actus externus per actum internum respicere denominatur obiectum, & actus internus potest ab obiecto præscindere vnam rationem ab alia, consequenter etiam externus per internum dici poterit præscindere. Tùm quia summissio potest præscindere, & terminari ab vna ratione obiecti, non ab alia, ergo quia adorationis essentia consistit in esse signum talis summissionis, nonnisi eiusdem summissionis obiectum respiciet. Accedit, quòd falsum est, dilectionem necessariò terminari solùm ad rationem formalem, & nullo pacto ad aliud coniunctum, qui enim amat Petrum propter sapientiam, nec solam sapientiam amat, quæ est ratio formalis obiectiua, nec solam animam, aut solum caput, sed totum Petrum secundùm animam, & omnes corporis partes; ergo nullum discrimen est inter actum amoris, & adorationis, vterq; enim potest præscindere, & vterq; potest confusè terminari ad totum obiectum, quamuis non secundùm omnem rationem. Neq; disparitas assignata de purpura Regis vrget, quoniam purpura non est per se vnita Regi, sicut humanitas Verbo, neq; purpura est capax adorationis absolutæ, sicut humanitas.

34 Quapropter aliam subiungit responsionem negando antecedens, totus enim Christus potest diligi summè, & amor potest confusè terminari ad totum Christum Deum hominem, & quamuis humanitas non sit ratio formalis terminandi, potest tamen esse terminus, seù aliquid termini amoris summi. Dices, amor summus nonnisi ad bonum infinitum petit terminari, humanitas nó est huiusmodi, ergo &c. Resp. distinguendo maiorem, tanquam ad rationem formalem terminandi, concedo, tanquam ad terminum, adhùc distinguo, primarium, & principalem, concedo, secundarium, & vt conterminum, nego, sic se habet humanitas in Christo tàm respectu amoris, quàm respectu adorationis, non enim amatur summè, vel adoratur Latria primariò, sed secundariò, & concomitanter, vnde dici debet coamari, & coadorari cum Verbo. Et hoc voluit innuere Doctor, cum ibidem §. *De tertio* explicans dictum Damasc. *Vna adoratione adoramus*, scilicet Verbum, *cum incontaminabili carne eius*, subdit ly *cum* accipi associatiuè, non copulatiuè, id: st adoramus Verbum cum carne, scilicet Verbum habens carnem vnitam, hoc est sumi associatiuè, non tamen est sensus, adoramus Verbum, & adoramus carnem, quasi sit propositio copulatiua, nam sic daretur intelligi, carnem, seù humanitatem esse quoq; ex se obiectum Latriæ, sicut Verbum; quod est falsum.

35 Contra, ergo humanitas non per se adoraretur, sed per accidens, & ad alterius adorationem, quod est falsum, quia non faceret vnum per se cum Verbo. Resp. in rigore veram esse sequelam, si ly per accidens solùm significet non per se primò; neq; improbatio vrget, quoniam corpus per accidens mouetur ad motum totius, & tamen constituit vnum per se; attamen quia posset hac locutione suspicari, humanitatem per accidens esse Verbo vnitam, idcirco rectiùs, & cautiùs erit dicere, humanitatem coadorari, vel adorari secundariò, & associatiuè, quàm adorari per accidens; eò vel maximè, quòd etiam hac locutione innui posset, humanitatem adorari Latria respectiua, non absoluta, quod quidem licèt sit verum, vt infra, non tamen in sensu præsentis difficultatis, nam quærimus, an adoratio Latriæ absoluta terminata ad Verbum intelligatur simul ad humanitatem terminari.

36 Dices etiam, si Verbum diuinum paulo antè incarnationem fuisset actu ab Angelo adoratum, quæ adoratio perseuerasset post incarnationem, certè sicut adoratio ante incarnationem ad solum Verbum terminabatur, etiam post incarnationem ad solum Verbum fuisset terminata, non ad humanitatem, aliter non fuisset eadem adoratio continuata, sed diuersa propter variationem obiecti; & tamen humanitas esset per se vnita termino adorationis, ergo neq; modò propter hanc vnionem dicetur adorari adoratione

Latriæ

Latriæ cum Verbo. Resp. eandem adorationem post incarnationem terminari ad Verbum humanatum, non enim variatur ob actum formale adorationis, sed materiale, concomitans, & secundarium, cuius variatio non infert variationem actus.

37 Tertiò arguitur, sacrificium, quod est vna species latriæ, oblatū Verbo, & toti Trinitati, nullo pacto potest ad humanitatem terminari, ergo neq. adoratio; antec. prob. quia tale Sacrificiū est Missa, cuius principalis Minister est Christus Dominus vt homo, & hostia est ipsemet Christus, at Minister, & hostia debent realiter distingui ab eo, cui offertur sacrificiū, nemo enim seipsum potest sibi ipsi in sacrificium offerre, vnde Christus neq; in vltima cœna, neq; in cruce obtulit seipsum sibi ipsi vt homini. Accedit authoritas D. Aug. 10. de Ciuit. c. 20. vbi inquit de Christo, *Cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quàm sumere, nè vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ.*

38 Resp. si sacrificium largè sumatur, quo pacto significat quodlibet signum religionis, & cultus, & quemlibet ritum sacrum, vt accensio luminum, incensatio, &c. sic vtiq; offerri potest Christo homini; quo sensu intelligitur Athan. lib. 1. de Incarnat. Verbi, dum ait de Christi corpore, *Et quia increati corpus factum est, ideo eius corpus dicitur, cuius factum est. Ac proinde illi sacra offertis, adhibetisq; vestram adorationem.* Si verò sacrificium sumitur in rigore, quo sensu de facto significat Missam, sic concedo antec. propter rationem assignatam, sed nego conseq. quia arguitur ab inferiori ad superius negatiuè. De possibili autem negatur antec. quia poterat à Deo aliud sacrificium institui, vt in veteri lege, quod quidem poterat Christo Deo homini offerri, licèt non vt homini. Nec authoritas D. Aug. vrget, quoniam loquitur de facto. Tùm quia non asserit, non deberi sacrificium Christo, sed Christum ipsum noluisse sibi vt homini ab hominibus offerri sacrificium; ex quo elicitur, de possibili non implicare. Rationes, quas conficit Rubionus, solùm probant, humanitatem non esse rationem adorandi, non tamen illam excludunt à termino adorationis. Solùm vrget, quòd posset Deus assumere naturam peccatricem, ergo hæc includeretur in termino adorationis. Sed negatur sequela propter obiicem ex dictis disp. 12. num. 90.

39 Dico 2. humanitas Christi cōsiderata cum omnibus donis supernaturalibus, etiam cum vnione hypostatica secundùm gradum specificum, & indiuidualem nequit esse Christo ratio formalis adorandi adoratione Latriæ; & hoc est, quod alij dicunt, Christum vt hominem reduplicatiuè non esse latria adorādum. Hæc conclusio est communis præter allegatos nu. 26. & videtur colligi ex Patribus Epiph. & Dam. adductis num. 29. Expressè quoq; docetur à Scoto in 3. d. 9. q. vn. E. & ad argum. princip. Arguit enim Doctor in principio quæst. ostendendo, Christum nō esse secūdùm humanitatem Latria adorandum; quoniā Latria est cultus debitus ratione summi dominij, Christus secundùm naturam humanam non est summus Dominus, ergo &c. Tùm quia Christus secundùm naturam humanam adorauit, quia orauit, ergo secundùm istam habuit superiorem, & ita propositū. Tùm quia quātumcumq; ista natura humana sit vnita Verbo, ipsa est creatura, nec excedit limites creaturæ, ergo nec cultus debitus Christo secundùm istā naturam debet excedere cultum debitum cuicunque creaturæ, huiusmodi est Latria. Quæ rationes procedūt de humanitate cum omnibus donis, & de vnione secundùm gradum specificum, & indiuidualem, vt patet. Quibus respondens Doctor ait, excludere naturam humanam à ratione adorandi Latria, Quod etiam clariùs ostendit in fine dicens, quòd natura humana, & vnio ipsius ad Verbum non sunt summè diligendę, eoquia sunt creaturę, *non enim videtur, quòd aliquis* (inquit Doctor) *debeat velle peccare mortaliter, nè illa vnio non esset, cum pro esse nullius creati saluando sit peccandum mortaliter.*

40 Ex quibus non solùm deducitur opinio Doctoris, sed etiam ratio fundamentalis conclusionis, nam humanitas cum donis, & vnione est quid creatum, temporaneum, & longè Deo inferius, ergo vt sic nequit esse ratio formalis adorationis Latriæ; antec. patet, conseq. prob. quia Latria debetur summo enti perfectissimo, increato, & infinito.

41 Resp. Vulpes neg. antec. quoniam humanitas vt vnita subsistit per subsistentiam Verbi, quæ est adorabilis Latria, sine qua subsistentia vnio nequit esse, nec intelligi, idcirco humanitas vnita est adorabilis Latria; quod ex Vasquez desumpsit. Contra, humanitas vt vnita in suo conceptu formali quidditatiuo nō includit subsistentiam Verbi, sed tantùm in suo conceptu quietatiuo, patet, quoniam extrema relationis, quamuis ingrediantur conceptum ipsius, non tamen sunt de essentia relationis, sed extrinsecè se habent, & in obliquo tanquam additamenta; tùm quia non est idem corpus vnitum animæ, & corpus animatum, primum enim intrinsecè dicit corpus, & vnionem, animam verò extrinsecè, & in obliquo, at secundum dicit intrinsecè corpus, & animam, à quibus constituitur; igitur si humanitas vnita Verbo intrinsecè, & quidditatiuè non includit subsistentiam Verbi, vt sic erit quid creatum, ergo nequit esse ratio adorationis Latriæ, quoniam vt vnita concernit diuinam subsistētiam, sine qua vnio nec esse, nec concipi potest, ergo quia creatura vt dependens in suo conceptu includit creatorem, talis conceptus poterit esse ratio adorationis Latriæ. Dices, peculiare esse huius vnionis, quoniam facit, humanitatem verè subsistere diuina subsistentia. Contra, ęquè extrinseca est vnioni subsistētia Verbi, ac Creator dependentiæ creaturæ, quia tàm subsistentia, quàm Creator sunt extrema, & termini harum relationum, ergo si subsistentia potest eleuare relationem vnionis ad rationem adorationis Latriæ, etiam Creator idem efficiet circa respectum dependentiæ. Idem dici potest de B. Virgine vt matre Dei, quòd scilicet sit adorabilis Latria absoluta, non solùm respectiua.

42 Quod deinde addit Vulpes de sanguine, iam impugnatum est supra disp. 3. q. 6. Accedit; quòd quamuis cōcederemus, corpus Christi propter vnionem esse adorandum Latria, non deberemus tamen idem affirmare de sanguine, supposita opinione Vulpes, quòd sanguis non sit immediatè vnitus Verbo, sed potentialiter; causa enim in actu infert effectum in actu, & causa in potentia effectum in potentia, vnio hypostatica per ipsum est ratio adorationis Latriæ, ergo quia non est actualis in sanguine, sed in potentia, quæ tamen nunquam reducetur ad actum, quia nunquam sanguinis Christi conuerteretur in carnem, nō infert adorationem actualem Latriæ, sed in potentia, & aptitudinalē; aliter quia qualibet natura creata est poten-

potentialiter vnibilis Verbo, & in potentia magis proxima, quàm sit modò sanguis, quælibet foret hac adoratione adorabilis, quod est falsum. Quod magis patebit ex sequenti dubio, quod habet magnam affinitatem cum præsenti.

43 Solet adhuc quæri, num humanitas Christi possit ab intellectu nostro præscindi, abstrahique à personalitate Verbi, & vt sic abstracta adorari, & quâ adoratione.

Vasq. disp. 96. totis viribus conatur ostendere, impossibile esse, humanitatem Christi cōsiderari vt præcisam à personalitate Verbi, supposita cognitione, & fide incarnationis in intellectu; & si abstraheretur, nō esse licitum, illam sic adorare. Lugus disp. 33. sect. 3. & Ragusa disp. 42. concedunt possibilitatem physicā, negant tamen possibilitatem moralem, idest negant, actum hunc adorationis fore licitum, & honestum; sed vitiosum. Valentia q. 25. punc. 1. concedit, adorationem hanc fore licitam ex natura rei, non tamen ex consuetudine Ecclesiæ. Kellisonus art. 2. dub. 4. ait, fore licitam priuatim, non publicè. Suarez disp. 53. sect. 2. & 3. absolutè asserit esse possibilem, & licitam, estque communior apud Doctores tùm Veteres, tùm Recentiores. Quam adorationem ipse Suarez appellat Latriam minùs perfectam illa, quâ Deus colitur, alij Hyperduliam.

44 Hæc opinio sustinetur à Doctore in 3. d. 9. §. *Quantùm ad istum*, quę probatur, & explicatur simul; humanitas enim Christi est entitas realiter distincta à gratia, gloria, & vnione hypostatica, & multò magis à Verbo diuino, isthæc omnia quoque realiter inter se distinguuntur, quamuis de facto vnita reperiantur in vnitate suppositi Christi, ergo si intellectus ex se potest abstrahere, & præscindere, quæ sunt realiter eadem; & solùm formaliter distincta, imò & quæ virtualiter distinguuntur considerando vnum, altero non intellecto, licet illa non separet, nec inter se diuidat, quantò magis poterit, humanitatem Christi considerare quò ad suam entitatem nō intellectis donis supernaturalibus, vel humanitatem cum gratia, & gloria summa præscindendo ab vnione hypostatica; vel tandem humanitatem cum vnione hypostatica præscindendo à subsistentia Verbi, nō quidem in ratione termini; vt sic enim necessariò intelligi debet, quia vnio est relatio ad Verbi subsistentiam terminata; sine quâ nequit intelligi, sed præscindendo ab illa subsistentia tanquam ab obiecto primò, & in recto cognoscibili, quo pacto intelligitur, quando concipitur Christus secundùm totum suum esse; nulla in his apparet implicantia.

45 Supposita igitur hac consideratione in intellectu, licèt si humanitas illa consideretur secundùm physicam; & naturalem entitatem, nō sit adorabilis adoratione religiosa, attamen si consideratur, vt habet gratiam, & gloriam summam, vel vnionem hypostaticam, quoniam vt sic habet excellentiam supernaturalem, poterit volontas se illi humanitati summittere, & velle aliquo exteriori signo hanc summissionem demonstrare, quod est adorare, ergo non est physicè impossibile, elicere adorationis actum erga humanitatem vt à persona Verbi pręcisam. Quòd autem hęc adoratio sit moraliter possibilis, seu vt rectiùs loquar, sit licita, & honesta, non autē vitiosa, claret, ex hoc præcipuè, quia nulla ratio malitiæ apparet, neque est aliqua lege prohibita, vt videbitur soluendo obiectiones.

46 Qualis autem sit ista adoratio; certum est, nō esse perfectam Latriam, qua Deus reueretur, nam humanitas cum illa summa gratia, & gloria, & cum vnione non dicit eandem, vel æqualem excellentiam, quam dicit Deus; vt vidimus conclus. præced. sed longè minorem, ergo non erit æquali adoratione adorabilis cum Deo, sed minori, quæ tamen excedat adorationem cuiuscunque creaturę, sicut humanitas Christi omnē aliam creaturam superat in dignitate. Quapropter poterit appellari summa Hyperdulia, vt facit Doctor, vel Latria minùs perfecta; hoc enim est discrimen de nomine, dūmodo pro ista imperfecta Latria intelligatur adoratio absoluta.

47 In oppositum arguit Vasq. primò, quòd non sit possibilis talis præcisio, & adoratio humanitatis non considerando Verbum; nam qui fidem habet incarnationis, cogitando humanitatem Christi, statim illam intelligit vt Verbo vnitam. Tùm quia considerando humanitatem vt sanctam, & vt Verbo vnitam, in hoc conceptu includitur ipsa Deitas, quę est forma sanctificans illam humanitatem, & ipsum Verbum, ergo necessariò adorabitur tunc humanitas adoratione Latriæ; antec. patet, consēq. prob. quia tunc Deitas; & Verbum se haberent vt rationes adorandi, & humanitas vt res adorata, ergo illa adoratio erit Latria; quoniam diuina perfectio, cum sit summa, & infinita, est ratio formalis adorationis Latria. Tùm 3. diuinitas necessariò se habebit vt res adorata, quoniam tunc ratio formalis adorationis non est simul res adorata, quando in se non est capax adorationis, vt patet de iustitia, sapientia, &c. in homine propter illa dilecto; at Deitas est in se capax adorationis, ergo si est ratio formalis, cur adoretur humanitas Christi, erit quoque res adorata eiusdem actus; & per consequens talis actus erit Latria; non enim Deitas potest aliam terminare adorationem.

48 Resp. ad 1. solùm ostēdere, regulariter ita euenire, absolutè tamen potest fieri illa præcisio. Tum quia etiam si non præscinderetur, nec sequitur intentum, nam humanitas Christi, inquit Scotus, adorabat Deitatem, & personam Verbi, quæ adoratio nullo pacto terminabatur ad seipsam, quia nullus se summittit sibi ipsi, & tamen humanitas se cognoscebat Verbo, & Deitati vnitam. Ad 2. Deitas, & Verbum includuntur in illo conceptu, non quidem in recto, sed obliquo ex dictis nu. 41. ideo nego conseq. ad probat. respondeo; perfectionem infinitam, si intrinsecè, & perfectissimo modo conuenit rei adoratæ, esse rationem formalem Latriæ, at si extrinsecè, & non perfectissimo modo conuenit, nō esse rationem formalem Latriæ, sed minoris adorationis; humanitati Deitas non conuenit perfectissimo modo, quia non vt forma intrinseca, sed extrinseca, & per vnionem, perfectius enim est sine comparatione esse Deum per essentiam, qualis est persona diuina, quàm per participationem, & vnionem hypostaticam, quomodò cōuenit humanitati Christi. Ad 3. assumptum est verum, quando ratio formalis non solùm est capax in se adorationis, sed intrinsecè, ac per se etiam conuenit rei adoratæ, at quando extrinsecè tantùm conuenit; non est necesse, quòd sit simul res adorata. Tùm quia Deitas est, ratio formalis remota, proxima verò est vnio, & summa gratia; ac gloria.

49 Secundò instatur, quòd non sit talis adoratio licita, & honesta, quoniam est contra authoritatem multorum Concil. præcipuè Alexandr. Ephes. Constantinop.

stantinop. docentium, Christum, & Emanuelem vnica tantùm adoratione debere adorari, & non duabus tanquam alterum, & alterum; est etiam contra plurimos Patres asserentes, eandem esse sedem Dei, & Agni ad dexteram Patris, aliaq; consimilia docent, quorum verba fusè ipse Vasq. recitat. Tùm 2. adoratio recta, & prudens debet fieri secundùm gradum dignitatis supremum repertum in persona adorata, non enim quis prudenter honoraret Regem solùm vt Ducem, vel Comitem, & non vt Regem, quamuis Rex sit simul Dux, & Comes, ergo quia humanitas Christi est etiam adorabilis Latria, quamuis posset hyperdulia adorari, non rectè adorabitur. Tùm 3. quia posset quis rectè adorare Christum in concreto adoratione hyperduliæ, si scilicet solùm respiceret ad humanitatis dignitatem, quod est falsum, quia Christus in concreto est adorabilis sola Latria. Tùm 4. ergo si quis consideraret humanitatem Christi secundùm esse naturale tantùm, posset absq; peccato illam iniurijs afficere, & contumelijs, quod etiā est falsum. Tùm 5. vsus Ecclesiæ est, vt adoretur Christus semper Latria, ergo ex hoc capite non erit licita adoratio humanitatis præcisè. Tùm 6. ergo etiam possemus rogare humanitatem Christi, vt aliquid faciat pro nobis; quæ oratio esset quædam adoratio, quod tamen est falsum, quoniam ille oratur, qui potest aliquid facere, humanitas Christi præcisa à Verbo nihil potest efficere, quia actiones sunt suppositorum, ergo &c. Tandem nequit assignari virtus, ad quam spectet talis adoratio.

50 Resp. Concilia, & Patres impugnare Nestoriū duas personas ponentem in Christo duplici, & distincta adoratione adorabiles, vnde non locuntur de humanitate Christi in abstracto, sed de homine in concreto, & negant, Christum Deum esse alia adoratione adorabilem à Christo homine, tanquam alterum, & alterum, et ex nostra opinione non sequitur dualitas suppositorum. Ad 2. retorqueo contra ipsum, nā concedit Vasq. & admittit Lugus, posse nos vno actu adorare Christum propter excellentiam diuinam, & propter excellentiam creatam humanitatis, qui actus esset simul Latria, & hyperdulia perfecta, prout ad diuersas excellentias terminatur, nec est illicitus iste actus, quoniam licèt sit hyperdulia, non tamen habet imperfectionem hyperduliæ, quæ consistit in negatione perfectioris cultus, quoniam est simul Latria, ergo si nō eodem actu, sed diuersis actibus simul adoraremus Christum propter illas excellentias, licita & honesta esset quælibet ex his adorationibus, quoniam non adesset negatio perfectioris cultus, quod sufficit ad nostram conclusionem. Imò necessariò illi actus debent esse distincti, tùm ex distinctione obiectorum formalium specifica, tùm quia aliter idem actus numero esset in duabus speciebus tàm in esse naturæ, quàm in esse moris, ergo si actus hyperduliæ esset solus, adhùc esset honestus; probo conseq. quia honestatem habet, non ab actu Latriæ, sed à proprio obiecto.

51 Dices, si actus hyperduliæ esset solus, non esset licitus, quoniam per actum adorationis nos profitemur distantiam inter nos, & personam adoratam, & inæqualitatem, collocamusq; personam adoratam in propria sede dignitatis; quapropter si humanitatem Christi adoramus hyperdulia sola, iam profitemur, inter nos, & illam non esse distantiam supremam, sed aliquam æqualitatem, constitueremusq; illam in tali sede dignitatis, qua digna sit sola hyperdulia, quod quidem est illicitum, & indecens; ista autem indecentia tollitur, quando adest simul actus Latriæ.

52 Contra, actus ex se honestus non vitiatur ex carentia alterius actus aliàs indebiti, quia neq; illa carētia est ex se mala, cum non adsit præceptum elicitionis actus, ergo si actus hyperduliæ est ex se licitus, & actus Latriæ nō est præceptus, ex hoc quòd actus hyperduliæ solus elicitur, non euadet illicitus, & inhonestus. Falsum igitur est, adorationem minorem esse alicui illicitam, nisi quando adest animus denegandi maiorem adorationem ex perfectiori excellentia debitam. Quapropter cum adoramus humanitatē Christi hyperdulia, profitemur vtiq; intèr nos, & illam esse tantam distantiam, & collocamus illam in tali sede dignitatis, non tamen ex hoc denegamus maiorem distantiam, aut maiorem excellētiam, hoc enim esset, si nollemus exhibere maiorem cultum, ex qua nolitione prouenit omnis indecētia in minori adoratione. Et quoniam in humanis nostræ volitiones nunnisi ex signis externis innotescunt, eo ipso quòd aliquis honorat Regem vt Comitem, posset suspicari, habere nolitionem vlterioris honoris, qua ratione rationabiliter offenderetur Rex; Deus autem intuetur cor, idcircò contuens rectitudinem voluntatis internæ, non offenderetur, si sola hyperdulia adoraretur Christi humanitas, quia non adesset animus denegandi Latriam. Præterquamquod Latria non est debita humanitati Christi, nisi concomitanter, primario verò debetur hyperdulia, ergo nulla inhonestas, si tribueretur Christi humanitati, quod est per se debitum, & suspenderetur, quod concomitanter debetur. Ex his patet ad 2. argumentum.

53 Ad 3. quamuis aliqui concedant sequelam cum illa restrictione, vt facit Rubionus; rectiùs tamē posset negari, quia tunc res adorata est quid infinitum, & daretur occasio errādi. Ad 4. sicut non est licitum obiurgare cæteros homines, ita neq; foret licitum cōtumelijs afficere Christi humanitatem nudè consideratam, imò committeretur sacrilegium, & blasphemia, quoniam licèt ille talis non intenderet offendere diuinam personam, sed nudam humanitatem, adhùc contraheretur malitia Sacrilegij ex circumstātia personæ, non enim ad contrahendam malitiam requiritur, quòd per se intendatur, sed sufficit sola terminatio actus in obiectum, vel circumstantiam illicitam, vt nunc suppono ex Tract. de Actibus humanis. Ad 5. Ecclesia non vtitur hoc adorandi modo, non quia sit illicitus, sed quia rudes possent errare, quod quidem non prouenit ex defectu istius modi, sed potiùs ex defectu hominum. Ad 6. concedimus sequelam, quamuis negetur à Suarez, ad impugnationem sæpiùs diximus, quo sensu actiones sint suppositorum, præcipuè disp. 2. num. 25. Tùm quia negari nequit, quin humanitas aliquo modo cōcurrat ad actiones, & quod ad istum influxum partialem possit negari. Ad vltimum iam diximus spectare ad virtutem Hyperduliæ, non autem Latriæ, aut religionis, supposito, quòd religio solùm Deum respiciat.

54 Dices, quando quis osculabatur pedes Christi, talis adoratio terminabatur immediatè ad humanitatem Christi, & tamen intendebat ille conficere adorationem Latriæ, ergo humanitas Christi est adorabilis Latria. Tùm quia si hæc adoratio esset hyperdulia, ergo saltim concomitanter terminaretur ad diuinitatem, sicut Latria debita diuinitati concomitanter

terminatur

terminatur ad humanitatem, hoc autem est falsum, quoniam diuinitas non nisi Latria est adorabilis. Tùm 6. si humanitati Christi propter sanctitatem, & bonitatem debetur summa hyperdulia, ergo quia etiam secundùm humanitatem nos redimit, estq; caput Ecclesiæ, debetur ipsi maior adoratio, talis non est, nisi Latria, ergo &c.

55 Resp. ad 2. illã osculationem fieri in pede Christi, sed non ad pedem Christi, sed ad totum Christũ vt adorationis obiectum, ideoque totus Christus immediatè terminabat adorationem, non humanitas, sicut osculando Summi Pontificis pedes, non adorantur immediatè pedes, sed Summus Pontifex, quamuis osculum fiat in pedibus. Ad 2. posset concedi sequela cum Suarez, & negari falsitas, probatio procedit de adoratione per se, & primaria. Vel negatur paritas cum Auersa, eoquia humanitas vnione fuit maximè sublimata, ideoq; poterit dici coadorari cum Verbo; diuinitas non fuit sublimata, ideoq; non dicetur coadorari cum humanitate. Ad 3. negat Doctor conseq. solùm sequitur, quòd eadem adoratio hyperduliæ, cum sit summa, debetur humanitati Christi multis titulis, sicut Latria debetur Deo multis titulis.

Quæstio Tertia.

De Adoratione Sanctorum.

56 HÆc quæstio obiter hic pertractatur tùm propter affinitatem cum præcededenti, tùm quia confert etiam ad notitiam totius adorationis Christi, & breuiter absoluetur, quantùm ad præsens satis est:

57 Dicendum est, Angelos, & Sanctos esse adorãdos adoratione absoluta ad religionem pertinente; quæ dicitur Dulia; ita Doctor sæpè cit. in 3. d. 9. estq; contra multos Hæreticos, præsertim Caluinum, & Lutherum. Prima pars, quòd sint adorandi, est de fide in multis Concilijs determinata, & nouissimè in Concil. Trid. sess.25. probatur authoritate Scripturę, nam Gen. 18. & 19. Abraham, & Loth adorauerunt Angelos, idem refertur de Balaam num. 22. & Iosue 5. de ipsomet Iosue, & Iud.13. de Manue, eiusq; vxore. Similiter 3. Reg. 18. Abdias adorauit Eliam, eoquòd iustus, & sanctus esset, & 4. Reg. 2. filij Prophetarum adorauerũt Elisęum propter spiritum Elię, quem Elisæus recepit. Accedit communis Ecclesiæ consensus, & ratio, quoniam in Angelis, & Sanctis reperitur maior, & perfectior excellentia, quàm in cæteris hominibus; ergo possumus illis nosmetipsos summittere, talemq; summissionem signis externis manifestare; si enim dignitas, & excellentia aliqua tẽporalis potest esse causa adorationis, vt diximus num. 2. quantò magis dignitas sanctitatis & bonitatis? hinc ad Rom 2. *Gloria, & honor omni operanti bonum.*

58 Secunda pars, quòd sit absoluta adoratio, prob. quia Sancti, cum sint naturæ intellectualis, habent in se aliquam sanctitatem, & excellentiam intrinsecè, & formaliter in ipsis inhærentem, non merè extrinsecè, & per relationem aliquam, ergo absolutè sunt adorãdi; quamuis quoniam est quę iam sanctitas participata, & creata, dicat etiam habitudinem ad Deum, & consequenter sit aliquo modo adoratio respectiua in ordine ad Deum; vnde se habet vt finis sub fine: Non negatur tamen, quin sint etiam adorandi adoratione purè respectiua, quatenùs sunt templa Dei, & imagines magis ad viuum explicantes diuinam bonitatem? quamuis propter errorem vitandum non debeamus vti ista adoratione; quæ tamen maximè conuenit humanitati Christi.

59 Tertia pars, quòd talis adoratio sit cultus pertinens ad religionem, hoc est, non simplex cultus ciuilis, patet, quia honor ciuilis fundatur in dignitate humana, dignitas autem Sanctorum altioris ordinis est, & per participationem est dignitas diuina, sicut etiam Sancti per participationem dicuntur Dij, ergo ad religionem spectabit.

60 Tandem quòd non sit Latria, sed Dulia (loquimur hic de Dulia, prout significas adorationem purę creaturæ) probatur ex dictis, quia dignitas Sanctorũ non est summa, increata, & infinita, sed participata, & finita, Latria verò est cultus bonitatis, & excellentiæ infinitæ, ergo sunt diuersæ virtutes. Tùm quia ex dictis in Log. disp.12. q. 3. art. 1. & 2. vnitas habitus variatur ad variationem specificam actuum, ita vt non possit dari vnus simplex habitus erga actus specie diuersos, actus autem specificantur ex diuersis obiectis formalibus, ergo quia bonitas diuina, & creata plusquam specie differunt, cultus circa vtramq; erunt specie differentes, ergo diuersos causabunt habitus, & virtutes; quamuis in vna ratione generica religionis conueniant, sumendo religionem latè, non rigorosè pro cultu diuino, seù genericè, non specificè. Ex quo principio facile vitantur difficultates Recẽtiorum circa hoc punctum.

61 Contra primam partem arguunt Hæretici authoritatibus Scripturæ, Patrum, & exemplis. Deut. 6. Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies* 1. ad Timoth. 2. *Soli Deo honor, & gloria.* Hieron. epist. 53. ad Riparium, *Nos autem non Angelos, non Arcangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quòd nominatur & in præsenti sæculo, & in futuro, colimus, & adoramus, nè seruiamus creaturæ potiùs, quàm creatori.* Concilium Laodicenum anathematizat, qui derelicta Ecclesia idolatriam exercet coram Angelis. Exẽpla præcipua sunt de Mardochęo Ester 13. qui laudatur, eoquòd noluit Aman adorare, & redditur ratio, nè scilicet honor Deo debitus transferretur creaturis. Actor. 10. Petrus noluit à Cornelio adorari, *Surge*, inquit, *& ego ipse homo sum*; Apoc. 19. & 22. Angelus repulit adorationem à Ioanne exibitam, *Vide, nè feceris, conseruus tuus sum, Deum adora.* Actor. 4. idem legitur de Paulo, & Barnaba à Lycaonibus adoratis.

62 Resp. authoritates Scripturæ, & Patrum intelligi de adoratione antonomasticé accepta, scilicet pro principali specie, quæ est Latria. Concilium illud specialiter loquitur de malis Angelis. Mardochæus prudenter à genuflexione se abstinuit, quia hic honor apud Iudæos soli Deo debebatur, quod colligitur ex verbis ipsius, *Tu nosti, quia non pro superbia, & contumelia, aut gloriæ cupiditate hoc fecerim, sed timui, ne honorem Dei mei ad hominem transferrem, & vt neminem adorarem excepto Deo meo*, vnde facilè potuisset scandalum Iudęis rudioribus afferre. Petrus adorationem prohibuit, vel modestiæ causa iuxta expositionẽ Chrisost. vel propter imperitiam Cornelij putantis in Petro aliquid diuinum, vt facit Hieron. Angelus noluit adorari à Ioanne ex vrbanitate, & reuerentia erga humanam naturam à Verbo assumptam, vt explicant Ansel. & Beda, & vt dignitatem apostolicam manifestaret; aliter si sensus Hæreticorum esset verus, tunc

Ioannes

Ioannes erraffet. Paulus, & Barnabas prohibuerunt, quoniam ab illis tanquam Dij adorabantur.

63 Secundò arguitur contra alias partes; nam quãdo aliquid adoratur propter aliud, illa adoratio est eiusdem rationis cum adoratione, qua illud aliud adoratur, vt patet in adoratione crucis, & imaginis Christi, quæ adorantur adoratione Latriæ, sicut Christus, patet etiam in amore Dei, & proximi ex eodem habitu charitatis, sed Sãcti adorantur propter Deum, quia scilicet sunt chari, & dilecti Deo, ergo adorantur adoratione Dei, scilicet Latria; Tùm 2. ex Daniel. c. 2. Nabucdonosor iussit offerri hostias, & incensum Danieli, qui est actus Latriæ, nec Daniel recusauit, ergo Sancti adorantur Latria. Tùm 3. ex opposito, honor, qui deberetur Sanctis, est eiusdem rationis cũ eo, quo in hac vita honorantur, quia eadem est ratio formalis hic, & ibi, sed in hac vita non honorantur honore religionis, sed ciuili, ergo &c. min. prob. ex Adriano in epist. ad Constantinum, & Irenen, vbi honor Sanctorum afferitur eiusdem rationis cum eo, quo nos mutuò salutatione honoramus, talis autem est ciuilis.

64 Resp. ad 1. assumptum posse admitti (de hoc tamen infra) quando aliquid adoratur adoratione merè respectiua, vt in exemplo adducto de cruce, ratio est, quia ratio formalis motiua huius adorationis est bonitas illius, ad quod terminatur respectus, & habitudo, vnde voluntas non sistit in re adorata, sed transit ad illud, ad quod est habitudo, at quando aliquid adoratur adoratione non purè respectiua, sed absoluta, vtpotè propter intrinsecam bonitatem, licèt dependentem ab alio, falsum est assumptum, eoquia ratio formalis adorationis est bonitas rei adoratæ, bonitas verò termini, ad quem est habitudo, non se habet vt ratio formalis motiua, sed potiùs vt obiectum; vnde potest esse prima adoratio fine alias v.g. possum honorare Petrum, quia charum Principi, & nolle honorare Principem, in hoc casu dignitas Principis non me moueret ad honorem, sed amicitia Petri cum Principe mouet ad honorem exhibendum Petro; Vel si aliquando etiam dignitas Principis moueret, tunc esset ratio remota, actus autem specificatur à fine proximo, & immediato, vide num. 85. Exemplum de charitate non currit, quoniam vt notat Scotus in 3. d. 28. ideo ex charitate diligo Deum, & proximum, quia vna est ratio motiua, scilicet Deus, quatenus diligẽdo Deum volo ipsum condiligi à quacunque persona, cuius amicitia est Deo grata, & consequenter diligo proximum, quatenùs volo illi amorem Dei, qui est bonum simpliciter iustitiæ, at si amarem proximũ propter suam bonitatem, certè iste actus esset specie distinctus ab amore Dei. Ad 2. ibi hostiæ sumuntur largè pro omni munere, & honore, non pro vero sacrificio; ita exponunt Interpretes. Ad 3. negatur minor, quia honor Sanctis exhibitus in hac vita non est ciuilis, sed religiosus, vnde perfectior cultus post hanc vitam debetur Sanctis, quia sunt in statu perfectiori, & in Sanctitate consumata. Ad Adrianum respondeo, comparationem non esse in omnibus, sed in negatione cultus Latriæ, quæ tàm in honore Sanctis exhibito, quàm in honore ciuili reperitur.

De adoratione Beatæ Virginis debita dicemus in sequenti disputatione.

Quæstio Quarta.

De vsu, & adoratione imaginum, & reliquiarum Christi, & Sanctorum.

65 DVo proponuntur examinanda in præsenti quæstione, scilicet vsus imaginum, ac reliquiarum, & adoratio earundem.

Quamplurimi Hæretici tùm antiqui, tùm recentiores vniuersaliter damnarunt vsum imaginum, & reliquiarum, quæ sunt corpora Sanctorum, aut corporum partes, vestes, & similia, quibus specialiter Sancti sunt vsi. Ex Catholicis verò Durand. in 3. d. 9. q. 2. ad 4. Abulens. super c. 4. Deut. q. 5. & alij negant, expedire imagines substantiarum spiritualium, vt Dei, Sanctissimæ Trinitatis, & Angelorum, & potiùs ab Ecclesia permitti, quàm approbari.

66 Dicendum est, vsum sacrarum imaginum, non solùm hominum, sed Dei, & Angelorum licitum esse, & honestum; idem quoq; de reliquijs Sanctorum afferendum. Prima pars de imaginibus ostẽditur primò vniuersaliter, deinde specialiter de imaginibus rerum spiritualium. Et quidem adest traditio Ecclesiæ & ipse Christus reliquit imaginem suæ faciei Veronicæ linteo impressam, & sui corporis in sacra Syndone; & teste Damasceno lib. 4. de fide c. 17. & alijs, ipse quoq; Christus misit Abagaro Regi Edessæ suã imaginem. Habentur etiam multæ imagines B. Virginis à S. Luca efformatæ. Sãctus Syluester imagines Apostolorum, quas apud se conseruabat, ostendit Constantino. Estq; hic vsus in multis Concilijs approbatus præsertim in Trid. sess. 25. Accedit ratio, quoniam vsus imaginum non est ex se malus, sicut blasphemia, aliter ars pictoria esset omnino damnabilis; neq; fuit aliqua lege prohibitus; neq; habet annexam aliquam malam circumstantiam, hæc enim maximè esset periculum inducendi homines in idololatriam; hoc tamen periculum non prouenit ex ipso vsu, sed potius ex hominum malitia, aliter stellæ, sol, luna, & aliæ creaturæ, quæ à Gentilibus fuerunt adoratæ, essent de se malæ: tùm quia non adest istud periculum, quia à Doctoribus, & Prælatis iam instruuntur Fideles, imagines Sanctorũ nõ poni in templis tanquam Deos sed vt imagines Sanctorum, qui non sunt Dij per essentiam, sed amici Dei. Tùm quia magna vtilitas ex imaginibus prouenit Fidelibus, prouocantur enim ad imitationem, & amorem, vnde Gregor. epist. 9. *Quod legentibus est scriptura, hoc idiotis præstat pictura*; & certè si imagines Principum, aliorumq; insignium hominum magno honore, & æstimatione possunt conseruari, cur non imagines Sanctorum, qui tot præclara facinora pro Christi amore perpetrarunt?

67 Deinde probatur de imaginibus spiritualium ex VII. Syn. act. 2. & 5. vbi approbatur vsus depingendi Angelos in specie corporea, & Spiritum Sãctum in specie columbæ; & habetur in Sacra Scriptura, nam Exo. 25. præcepit Deus, imaginẽ Cherubim super arcã poni; & 3. Reg. 6. alias imagines Cherubim posuit Salomon in tẽplo. Ratio est, quia si Deus, & Angeli aliquando sub forma visibili, & corporali apparuerunt,

non erit illicitum, illos sub tali figura depingere; non quidem ad repræsentandum, prout in se sunt, per propriam, ac formalem similitudinem, sed solùm secundùm aliquam metaphoram, aut proportioné, vel sub aliqua specie, in qua apparuerunt; ex quo sequitur, nõ esse has imagines ad libitum depingendas, sed iuxta modum in Ecclesia receptum. Hac quòq; ratione licitum est, depingere Christum sub specie Agni.

68 Secunda pars de reliquijs patet ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, etiam à primordijs, imò ex antiquo testamento, nam Gen. 50. & Exo. 13. ossa Iacob, & Ioseph cum magno honore fuerunt conseruata; 4. Reg. 13. Ossa Elisæi mortuum suscitarunt; Actor. 19. sudaria Pauli ad infirmos ferebantur, & quamplurima miracula conficiebat Deus ad præsentiam illorum, & in dies plurima experimur miracula ex reliquijs, vnde talis vsus est approbatus in multis Concilijs, & tandem in Trid. sess. 25. & rationabiliter quidem, quoniam est signũ amoris, honoris, gratitudinis erga Sanctos; & conducit ad imitationem Sanctorum.

69 Sed contra instari solet authoritatibus Scripturæ, nã Exo. 20. Deut 4. & alibi prohibetur vsus imaginũ; idem habetur in Concil. Constantinop. V. & Elliberitano, & in 6. Syn. can. 100. Epiphanius quòq; in epist. ad Ioan. Hierosol. refert, se scidisse quandã picturã in velo depictam, & in quadam Ecclesia collocatam; vipotè contra diuinũ præceptũ & hereticos esse colẽtes, & circũferentes imaginẽ B. Mariæ. Et tãdem VII. Synodus can. 82. prohibet imaginẽ Christi sub specie agni.

70 Resp. Sacram Scripturam prohibere imagines, non absolute, nam multæ imagines fuerunt à Deo præceptæ, sed idola, & Deos manibus constructos, idolum enim differt ab imagine, quòd illud est simulacrum rei non subsistentis, ista verò rei subsistentis; quapropter præceptum illud quò ad idola fuit morale, quò ad imagines fuit cæremoniale, vnde aliquando fuit dispensatum, & in lege noua cum omnibus alijs cessauit; fuit autem tale præceptum necessarium illi populo maximè prono idololatriæ. Concilium Constantinop. non fuit verum Concilium, sed conciliabolum in VII. Synodo totaliter reprobatum. Cõcilium Eliberitanum prohibet solùm, nè imagines depingantur in parietibus templorum, tùm quia facilè decrustari, & deformari poterant, tùm ob alias causas tunc temporis valde vrgentes; quę quidem progressu temporis cessarunt. Similiter in illo can. 100. solùm prohibetur abusus, ne depingantur superstitiosè, luxuriosè, &c. quod etiam facit Trid. Ad Epiph. ait Suarez, authoritates illas fuisse ab hæreticis appositas. Vasq. inquit, non fuisse veram imaginem B. Virginis, sed alterius, quæ tamen vt imago B. Virginis colebatur; vterq; pro se adducit alios Authores. Vel tandem loquitur cõtra Collydirianos adorantes B. Virginem Latria, & vt Deam. Quod additur ex VII. Synodo, vel dicendum, vt ad Concilium Eliberitanum, scilicet tunc temporis propter aliqua motiua vrgẽtia debuisse prohiberi imaginẽ Agni. Vel vt ait Suarez, non prohibere talem picturam, sed suadere, Christum potiùs sub propria, quàm sub Agni figura depingi debere.

71 Circa adorationẽ multa occurrunt examinanda, & primò nùm illis vera cõpetat adoratio, deinde quonam modo debeant in vniuersali adorari; tandẽ ad particularia descendendo, qua specie adorationis imagines Christi, & Sanctorum, ac reliquiæ sint adorandæ.

72 Dico primò; imagines, & reliquiæ Christi, & Sanctorum sunt adorandæ. Est contra plurimos Hæreticos veteres; & Recentiores; non solùm qui vsum prorsus vt illicitũ reprobarũt sed etiam qui illum admiserunt, nam solùm concedunt imagines vt signa rememoratiua, negant tamen esse adorandas, ita pręsertim Lutherani. Estq; definita in Concil. Romano sub Greg. III. in VII. Synodo, & tandem in Trid. sess. 25. est etiam plurimis miraculis cõprobata, quæ Deus per Sanctorum imagines, ac reliquias vt per instrumenta moralia dignatur in dies efficere, nam Deus nullo pacto superstitiosum aliquod conprobat signis. Et tandem adest ratio, quoniam honor imagini delatus redundat in prototypum, & exemplar, sicut etiã vituperium, vt patet etiam in imaginibus Regum, ac Principum, ergo multò magis imagines, & reliquiæ Sanctorum, quæ propter habitudinem ad ipsos Sanctos dicuntur Sanctæ, & Sacræ, erunt honore, & adoratione dignæ; hinc Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam Sanctum est*, vbi per scabellum ad litterã intelligitur arca fœderis, & propitiatorium.

73 Dico 2. imagines, & reliquiæ adorari debent nõ solo actu externo, sed etiam interno immediatè ad ipsas terminato, sed non propter ipsas, sed propter exẽplar, quod saltim in obliquo necessariò apprehendi, & adorari debet; & consequenter adorãtur adoratione respectiua, non absoluta. Hæc conclusio est contra quosdam Catholicos apud Suarez contendentes, imagines impropriè adorari, propriè tamen exemplar terminare adorationem, sed præsertim contra Vasq; asserentem, imagines solo actu externo venerari, internum autem actum ad solum exemplar terminari. Probatur primò, quòd vtroq; actu adoretur imago; adoratio propriè conuenit imagini; sed adoratio propria constat ex vtroq; actu, ergo vterq; actus terminari debet ad imaginẽ. Tùm quia (& est probatio maioris præcedentis rationis) nõ solũ exhibemus imagini genuflexionẽ, sed volumus quoq; talẽ genuflexionem præstare eidem imagini, ergo habemus volũtatẽ honorandi imaginẽ ipsam, ergo actus internus voluntatis, qui est affectus quidam sũmissionis, terminatur immediatè ad ipsam imaginẽ; antec. prob. quia si non adesset illa volitio, certè actus externus genuflexionis non fieret imagini, sed alij, & solùm fieret corã imagine, & consequenter imago neq; externũ actum terminaret, ad hoc enim non sufficit materialis terminatio, aliter cum osculamur terram in signum summissionis Deo, terra diceretur adorari, quatenus terminaret actionem illam osculãdi, quod est falsum; prima conseq. prob. quia damus immediatè imagini signa, quę exhibentur Superioribus in honorẽ, ergo habemus volũtatem honorandi immediatè imaginem; secũda conseq. prob. quia ex dictis q. 1. voluntas honorandi aliquid vt superius est quædã sũmissio animi, & existimatio excellentiæ illius rei honoratæ vt melioris; ergo imago adoratur vtroq; actu ad ipsam immediatè terminato.

74 Quòd autem talis adoratio, & honor non fiat imagini propter ipsam, sed propter exẽplar, est clarũ, quia imago, vt in sua natura consideratur, nullã habet dignitatem supernaturalẽ, nisi quatenùs repræsentat exẽplar, ergo non propter se, sed propter exẽplar adoratur. Tùm quia adoratio est actus iustitiæ, quæ pręsupponit ius in aliquo respectu adorationis, sed nullũ ius reperitur in irrationalibus respectu adorationis à nobis exhibendæ, nec in nobis debitũ adorandi irrationalia, sed solùm in natura intellectuali reperitur tale ius, ergo adoratio facta imagini non est propter aliquam excellentiam ipsius, sed propter exemplar.

75 Ex quo etiam patet alia pars conclusionis, quòd scilicet exemplar saltim in obliquo adorari debeat, nam quamuis possit imago simul cum exemplari cõsiderari vt vnum quoddã aggregatũ, quo pacto posset illud aggregatum terminare adorationẽ, & in recto frequentiùs imago, & exemplar vt duo distincta obiecta adoratur, exemplar propter propriam excellentiã, imago propter excellentiam exemplaris, ergo si excellentia imaginis est totaliter respectus, & habitudo ad exẽplar, nequit cõcipi sine exẽplari, & cõsequenter neq; adorari, quin adoretur ipsum exẽplar in obliquo, imago enim D. Francisci colitur tãquã aliquid ipsius.

76 Patet etiam ex his adorationem imaginis esse merè respectiuam, vtpotè propter excellentiam alterius, ad quam habitudinem dicit. Patet etiam, perfectiorem esse adorationẽ exemplaris, quàm imaginis, & maiorem sũmissionem nos habere erga exemplar, quàm erga imaginem, iuxta illam regulam posterioristicam, *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.*

77 Totum hoc potest exemplo confirmari, nam amo medicinam propter sanitatem, actus amoris non solùm terminatur ad sanitatem, sed etiam ad medicinam, aliter si ad solam sanitatem terminaretur, sola sanitas esset volita, nullo pacto medicina; non tamen terminatur amor, nisi propter aliquã bonitatem, quæ in proposito est intrinsecè in sola sanitate, extrinsecè in medicina, vt dicit habitudinẽ ad sanitatẽ, qua ratione sanitas est perfectiùs volita, quàm medicina; hęc omnia pari passu applicari possunt adorationibus imaginis, & exemplaris. Idem quoq; de reliquijs dicendũ.

78 Contra 1. conclus. arguitur authoritate Concilij Francofordiensis, quod licèt vsum imaginum approbauit, adorationem tamen prohibuit, & quod ad hoc VII. Synodum, quæ est II. Nicæna, damnauit, vt constat ex Historicis. Tùm 2. hæc adoratio species quædam est idololatriæ, nam etiam Gentiles colebant idola, vt simulacra illorum hominum, vel Spirituum, quos honore dignos existimabant; vel saltim maximum adest periculum apud rudes, & ignaros, qui imagines ita adorant, ac si audirent, intelligerent, & quandam diuinitatem haberent, vnde illis propinquiùs accedere cupiunt, vt audiantur, & magis vni, quàm alteri accedunt, quod quidem non efficerent, si solùm adorarent propter exemplaria, eadem enim est in omnibus habitudo, ergo sentiunt, vnam imaginem maiorem in se habere potestatem, & excellentiam altera. Tùm 3. sequeretur, posse nos rogare imaginẽ, sicut & adorare, quod est falsum, quia oratio nequit nisi naturæ intellectuali dirigi; sequela probatur, quia oratio est species quædam cultus, & adorationis.

79 Resp. de sensu, & authoritate illius Concilij magna est inter Doctores controuersia, quoniam acta illius, quæ apud Catholicos extant, solùm loquuntur de filiatione Christi; quòd autem determinarit etiam de adoratione imaginum, & VII. Synodum damnarit, habetur ex quibusdam Historicis, quorum primus fuit Hincmarus, & in exemplari ab Hæreticis recentioribus ædito; quapropter hæc dissensio prouenisse censenda est ex malitia Hęreticorum omnia peruertentium; non enim est verisimile, Concilium Frãcofordiense damnasse VII. Synodum, cum sub eodẽ Pontifice hæc duo concilia fuerint celebrata, & ab eodem approbata; & consequenter falsum erit, Concilium Francofordiense damnasse adorationem imaginum; & si aliquid de imaginibus determinauit, fuit contra Pseudoconciliũ Constantinopolitanũ ab Iconomachis celebratum contra imaginum adorationẽ, & ex errore hoc conciliabolũ ab Historicis fuisse VII. Synodum appellatam, vide Suarez disp. 54. sect. 3. & Vasq. disp. 107. Ad 2. Magnum est discrimen inter nostram adorationem imaginum, & adorationẽ idolorum à Gentilibus exhibitam; nam primò Gentes putabant, illa simulacra sub propria forma verè repręsentare Deos illos, neq; vnicum Deum latebantur, sed plures, vnde Latriam vni Deo debitam, multis exhibebant; repręsentata quòq; exemplaria nullam habebant rationem adorationis, quia erant vel creaturæ irrationales, vel Dæmones, hinc repræsentabant, vel quòd non erat, vel quale non erat; & tandem credebant multoties, ipsas statuas esse Deos. Nos autem solum Deum colimus supremo cultu; nostræ imagines repræsentant personas adoratione dignas; distinguimus inter imagines, & exemplaria; vnde non est timẽdum periculum idololatriæ in Ecclesia Dei, omnes enim sciunt, adorationem illam ad imagines non terminari vltimatè. Propinquiùs tamen cupiunt fideles accedere, quia sic perfectiùs exemplaria apprehendunt, & sic magis excitantur ad deuotionem. Et tandem magis ad vnam, quàm ad aliam imaginem afficiuntur, quoniam in vna quædam adsunt circumstantiæ maiorem excitantes deuotionem, quæ non reperiuntur in alia, scilicet antiquitas, sanctitas efficientis artificis, vel quia Deus ad præsentiã illius maiora confert beneficia, & miracula. Ad 3. neg. seq. nam non omnis adoratio est oratio, nisi res adorata sit proximè capax locutionis; talis est natura intellectualis, quæ etiam est quandoq; incapax proximè locutionis, vt cũ adoramus Pontificem dormientem; imago autem est simpliciter locutionis incapax, ideoq; est etiã incapax orationis; hinc oratio imagini directa, aut cruci, totaliter terminatur ad exẽplar, nullo modo ad imaginẽ.

80 Secundò arguitur contra adorationem reliquiarum; nam Luc. 11. Christus reprehendit Pharisæos dicens; *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum, Patres autem vestri occiderunt illos; profectò testificamini, quòd consentitis operibus Patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra*, ergo reprehendit, quia ædificabant monumenta Sanctorum. Tùm 2. Concilium Eliberitanum can. 34. prohibet, ad sepulchra Martirum cereos accendi, ne Spiritus Sanctorum inquietentur; & Cõcil. Brachar. III. cap. 5. reprehendit Episcopos reliquias è collo suspẽdentes. Tùm 3. D. Hier. post epist. 53. cõtra Vigilantium redarguentẽ cereorum accensiones, ait, *Cereos clara luce non accendimus, sicut frustra calumniaris, sed vt noctis tenebras hoc solatio temperemus: Quod si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem secularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, de quibus verè possumus dicere, confiteor, zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, hoc pro honore martirum faciunt, quid inde perdis?* ergo hic cultus sepulchris Martirũ exhibitus secundùm Hieron. potiùs est ignorantia excusabilis, quàm vsus laudabilis. Tùm 4. amans aliquem odio habet patibulũ, in quo dilectus fuit suspensus, ergo saltim crux, Lancea, &c. nõ sunt adorãda. Tùm 5. si peculiaris habitudo ad Deũ, vel Sãctos sufficit ad adorationem, imò simplex cõtactus, sequeretur, omnes res esse adorabiles, quia in ipsis reperitur Deus. Creatura rationalis esset quoq; adorabilis, quia est imago Dei. Asina, quæ detulit Christum, labia Iudæ, & sacrilegæ manus percutientium Christum essent adorabiles, quæ omnia videntur falsa.

81 Resp. ad 1. ex Hugone, & multis Patribus; Christum Pharisæos ibi reprehendere tanquam hypocritas, quoniam pietatis studio forinsecùs ædificabant monumenta Prophetarum vetustate collapsa; intrinsecùs autem eundem habebant animum, ac patres eorum occidendi Prophetas, scilicet Christum, & Apostolos, & in hoc cõsentiebant operibus Patrum ipsorum; ex quo potiùs sequitur oppositum, nam opus externum factum propter hypocrisim est in se bonũ. Ad 2. prohibebãtur accensiones cereorum tunc temporis, quoniam fiebant ex quadam superstitione Gentilium asserentium, accẽsione luminum animas mortuorum euocari ad hanc lucem: quæ superstitio modò cessauit, & consequenter etiam cessauit præceptum. Per idem ad 3. Ad 4. non amamus, vel adoramus crucem, vt illa vsi sunt Iudæi, & vt dolorem Christo attulit, sed quia fuit à Christo sanctificata, & ipsi, nobisq; gloriam, & exaltationem intulit, hinc non est paritas de amici patibulo. Ad 5. admittunt Vasq. disp. 110. & Lugus disp. 37. sect. 5. omnes creaturas adorari posse, quatenùs sunt effectus, & opera Dei adoratione respectiua, sicut solemus etiam adorare opus alicuius Sancti, idem quòque asserunt de homine, vt est Dei imago. Sed rectiùs oppositum est asserendum, quoniam quod adoratur adoratione respectiua, debet habere peculiarem habitudinem ad Deum, vel Sanctum, vnde nõ adoramus quemlibet lapidem Ciuitatis Ierusalem, aut locum, quamuis sciremus fuisse à Christo contactum, sed solùm illum locum, in quo Christus peculiares habuit actiones, ergo idem de habitudine cuiuslibet creaturæ ad Deum, est enim nimis ampla; similiter de hominis imagine idem dicendum; & hoc loquendo de propria adoratione, nam si de impropria est sermo, posset concedi consequentia, sicut Ierusalem solet tota appellari Terra sancta, Imò non semper contactus peculiaris infert adorationem, ex alio enim capite potest esse indecentia; quæ præponderet honestatem contactus; hinc asina illa non est adorabilis, quia inseruiebat etiam ad communes; vsus humanos; neq; labia Iudæ, & manus percutientium debemus adorare, quia sunt membra iniquissimorum hominum; ille enim contactus requiritur ad adorationem, quo res tacta moraliter euadit peculiari modo ipsius Sancti, vt sunt vestes, instrumenta tormentorum, &c.

82 Contra 2. conclus. arguitur multis authoritatibus Conciliorum, & Patrum asserentium, imagines nõ posse adorari sine exemplari, imò cultum ad imaginem terminatum non esse veram, & propriam adorationem, quas affert Vasq. duas tantùm adducam, prima est Concil. Mogunt. c. 41. vbi in expositione primi præcepti dicitur, *Non adorari imaginem, sed ad hoc poni, vt exemplaris recordemur*, Secunda est D. Aug. 3. de Doctr. Christ. c. 9. *Qui verò aut operatur, aut veneratur vtile signum diuinitùs institutum, cuius vim significationemq; intelligit, non hoc veneratur, quod videt, & tangit, sed illud potiùs, quò talia cuncta referenda sunt.* Tùm 2. res adorata debet habere ius, vt adorans se summittat rei adoratæ, soluatq; debitum, quod habet propter iura in illa repertum, & illi cedat, reputetq; se inferiorem, quod si non efficit, committit iniuriam in rem adorandam; sed imago, etiam vt imago reduplicatiuè, non habet tale ius, quia est vt sic res inanimata, nec homo prudenter se potest illi summittere, nec in se est vllo modo capax iniuriæ, ergo non est adorabilis immediatè interna adoratione. Tùm 3. si imago posset adorari immediatè, ergò sicut possum honorare amicum Regis vt sic, & odio habere Regẽ, vt diximus num. 64. sic posset adorari imago contempto exemplari; quod à nemine conceditur.

83 Resp. ad 1. nunquam Concilia, & Patres absolutè determinasse, imagines nõ adorari immediatè actu interno, nam VII. Synodus act. 4. reddens rationẽ, cur imago adorari debeat, inquit, *Imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem, in ea quoq; adorat descriptum argumentum*; vbi per ly *quoq;* datur intelligi, adorationem imaginis esse distinctam ab adoratione exemplaris. Solum igitur asseruisse, imagines non posse adorari sine exemplari saltem in obliquo adorato, vel non adorari adoratione absoluta, sed merè respectiua, quæ si comparatur adorationi absolutæ exemplaris, comparatiuè potest dici, non esse adorationem, sicut volitione medij solet dici finis volitus, quia medium est volitum propter finem, simpliciter tamen medium quoq; est volitum, in hoc sensu igitur intelliguntur Patres, cum asserunt, imagines non adorari, sed exemplaria. Ad 2. in adoratione sũmissionem internam, & debitum soluendi talem summissionem esse inter se distincta, nam Paulus; v.g. potest habere ius, vt ametur à Petro propter suam bonitatem, & etiam vt sua bona amentur propter ipsum; quapropter habet ius, vt amor Petri, terminetur ad ipsum, & ad sua bona, & in Petro adest debitum soluendi amorem Paulo, & suis bonis, amor debet respicere Paulum, & bona ipsius tanquam obiecta; debitum verò solum Paulum respicit, in quo solùm est ius. Sic in proposito, si adoratio est absoluta, vtraq; summissio animi, & debitum respiciunt idem obiectum, quia summittit se adorans personæ adoratæ propter suam excellentiam, qua ratione habet persona adorata ius in illam summissionem, at quando adoratio est respectiua, summissio habet distinctum obiectum à debito, debitum enim respicit exemplar, quod propter sui excellentiam habet ius, vt sibi, & suis rebus homines se summittant, at summissio respectiua respicit res proprias exemplaris, vt sunt imagines, & reliquiæ. Ad formam igitur argumenti respondeo, distinguendo maiorem, si res est adorabilis adoratione absoluta, concedo, si respectiua, adhùc distinguo, est debitum in adorante, vt se summittat rei adoratæ propter ius in illa, nego, propter ius in exemplari, concedo; ad min. dico, posse hominem se summittere imagini quamuis inanimatæ, nõ propter sui excellentiam, sed propter excellentiam exemplaris; summissio enim potest prudenter terminari ad aliquod inferius, & vilius, dummodo fiat propter excellentiam superiorem in alio repertam, ad quem illud vilius dicit habitudinem. Ex quo etiam sequitur, in contemptu imaginis fieri iniuriam ipsi exemplari, quod adoratione imaginis honoratur, imagini verò non fit rigorosè iniuria, quia non habet propriam excellentiam; vnde iniuria opponitur rigorosè adorationi absolutæ; minùs strictè loquẽdo etiam imagini fit iniuria quædam respectiua, vt ita dicam. Ad 3. nego paritatem, quia amicus Regis habet in se aliquam bonitatem distinctam à bonitate Regis, qua ratione honoratur honore absoluto, at imago nullam habet intrinsecam excellẽtiam, & adoratur adoratione respectiua, vnde non potest amari, dum odio habetur exemplar, sicut nequit medium amari, despecto fine.

84 Secundò quod adorentur adoratione absoluta, prob. quoniam imago vt condistincta ab exemplari

habet

habet quandam excellentiam, ergo vt sic est adorabilis; antec. prob. hoc quod est esse imaginem Christi dicit quandam perfectionem in imagine, & dignitatē distinctam à dignitate Christi, est enim alterius rationis, neq; reperiretur in illa statua, si non esset Christi imago; conseq. prob. Sancti licèt habeant excellentiā participatam, & dependentem ab excellentia diuina, sine qua non quit concipi, dicuntur tamen adorari adoratione absoluta, ergo idem de imagine. Tùm 2. adoratio imaginis non est Latria, hæc enim soli Deo debetur, nec Dulia, quæ solis exhibetur dominis, ergo est quędam adoratio distincta, & absoluta, nam si esset respectiua, reduceretur ad illas species.

85 Resp. ad 1. adorationem absolutam respicere dignitatem intrinsecā rei adoratę, cui propter se debetur adoratio, & sic habet vt bonitas finis mediati, quæ propter se est amabilis, licèt etiam ametur vltimate propter finem primarium; adoratio verò respectiua non respicit dignitatem, quæ sit propter se adorabilis, sed merè propter aliud, vnde non est vera dignitas intrinseca, sed extrinseca; sicut bonitas mediorum, quæ est quid distinctum à bonitate finis secundùm probabilem sententiā, & consequenter medium simpliciter nullo pacto terminare potest intentionem, sed meram electionem. Modò Sancti, cum sint personę naturę intellectualis dignitate præditę, habent ius, vt propter se honorentur, & talis dignitas est ipsis intrinseca, quapropter possunt adorari adoratione absoluta; at imago, cum sit res inanimata, quamuis ratio imaginis dicat aliquam dignitatem, hęc tamen dignitas non infert ius in imagine ad adorationem, quia nō datur ius in rebus inanimatis, sed totum ius est in exēplari, ideoque nonnisi respectiuam adorationem terminare possunt; quare negatur paritas. Secundum argumentum petit solutionem alterius dubij.

86 Tandem circa hāc materiam quęri solet, qualis sit adoratio exhibita imaginibus, & reliquijs Christi, & Sanctorum, & ad quam speciem spectet.

Pro resolutione recolēda est distinctio adorationis absolutæ, & respectiuæ tradita num. 23. quapropter quia tota ratio adorationis in imaginibus, & reliquijs est excellentia exemplaris, ad quam imago, & reliquiæ dicunt habitudinem, sequitur, quòd si exemplar adoratur adoratione Latriæ absoluta, imago, & reliquiæ illius erunt adoranda Latria respectiua; si exemplar adoratur Hyperdulia, vel Dulia absoluta, imago, & reliquiæ è contra Hyperdulia, & Dulia respectiua sunt adoranda.

87 Ex quo infertur, omnem Christi imaginem, & ipsius reliquias scilicet præputij carnē, guttas aliquas sanguinis pretiosi, crucem, lanceam, clauos, vestes, & similia, adorari debere adoratione Latriæ contra Vulpem disp. 38. art. vlt. hoc solùm de cruce concedētem; & probatur, quoniam ista omnia dicunt habitudinem aliquā ad Christum, quamuis in vno sint plures habitudines, quàm in alio, crux enim adoratur Latria respectiua tùm ratione contactus, tùm quia fuit præcipuum nostræ redemptionis instrumentum; tùm quia Christū crucifixum repręsentat. Hinc crux in qua Christus pependit, non solùm tota adoratur, sed etiam quælibet pars ipsius, quia licèt pars non habeat habitudinem repræsentandi Christum crucifixū, habet tamen alias habitudines, videlicet fuisse instrumētum nostræ redemptionis, & membra Christi Domini tetigisse. Nec refert, quòd iste mathematicus contactus in solis superficiebus crucis, & Christi corporis fuerit factus, non autem in profunditate, neque cum persona Verbi. Non refert, quoniam moraliter censetur ille contactus factus secundùm totum, neq; exigitur contactus cum Verbo, sed sufficit contactus cum Christo homine, qui est Latria adorandus. Aliæ verò cruces solùm habent habitudinem repræsentandi crucem Christi, & ipsum Christum crucifixum, ideoq; secundum totum sunt adorandæ, non secundùm partes. Quod quidem dici debet etiam de cruce mali Latronis, & cuiuslibet alterius similis, dummodo quis rectè sciat distinguere rationes respectiuas adorationis; quamuis propter scandalum nō deberemus adorare illam crucem; vide disp. seq. num. 140. & seq.

88 Alia quoq; differentia est inter crucem, & alia instrumenta, nam quælibet crux adoratur à nobis, non tamē quęlibet Lancea, aut clauus; ratio est, quia crux à nobis non adhibetur ad alia opera efficienda, vnde solùm habet repræsentare; at clauus, lancea, & c. alijs operibus inseruiunt, ideoq; non statim repræsentant lanceam, & clauos Christi, idcircò non adorantur, nisi taliter depingantur, vt dent intelligere, lanceam, & clauos Christi repræsentare.

89 Imagines quoq;, & reliquiæ Sanctorum erunt adorandę Dulia, vel Hyperdulia propter eandem rationem. Quod dictum est de imagine, & reliquijs Christi, & Sanctorum, dicendum est etiam de nominibus sacris, quæ Christum, vel Sanctos habent repræsentare, & ratione huius habitudinis repræsentandi adorantur adoratione exemplarium, sed respectiua; quod præcipue patet de Sanctissimo nomine Iesu, ad cuius prolationem omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, sicut fit ipsi Christo.

90 Quæres, an v.g. Latria adoratio respectiua sit eiusdem speciei cum absoluta, quod etiam quæri potest de Dulia respectiua, & absoluta. Nam quòd sint diuersæ speciei, patet ex dictis num. 23. vbi adorationis diuisionem in absolutam, & respectiuam diximus esse æquiuoci analogum sua æquiuocata analogata, at quę sunt eiusdem rationis, non dicuntur æquiuocata. Ex opposito quòd sint eiusdem speciei, suaderi potest, quoniam obiectum formale harum adorationum est eiusdem rationis, quoniam est excellentia exemplaris, ergo actus sunt eiusdem rationis, specificantur enim ab obiecto formali. Tùm quia sæpiùs comparauimus has adorationes intentioni, & electioni, qui actus non solùm sunt eiusdem speciei, sed quandoq; sunt vnum numero actus, ex dictis disp. 7. de Voluntario num. 130. ergo idem dicendum de Latria absoluta, & respectiua; vnde aliquandò vnico actu imago, & exemplar adorantur per modum vnius obiecti.

91 Resp. hos adorationis actus posse dupliciter cōsiderari, vel in esse naturæ, vel in esse moris, primo modo sunt eiusdem speciei propter vnitatem obiecti motiui in esse naturæ; at secundo modo sunt diuersæ speciei, alia enim est honestas in adoratione exemplaris, & alia in adoratione imaginis, sicut homicidij electio propter adulterium est eiusdem speciei cum intentione adulterij in esse naturæ, at in esse moris sunt diuersæ speciei.

92 Contra, licèt ad contrahendam malitiam sufficiat terminatio actus ad obiectum malum, quamuis non per se intendatur, qua ratione in malitia non semper est idem obiectum specificatiuum formale in esse naturæ, & in esse moris, vt patet in exemplo adducto; attamen ad contrahendam bonitatem moralem requiritur,

requiritur, quòd obiecti honestas per se intendatur, eleemosina enim solum volita propter pœnitētiam, & non propter propriam bonitatem, est tantùm in specie pœnitentiæ, non misericordiæ; quapropter intentio, & electio bona sunt eiusdem speciei tam in esse naturæ, quàm in esse moris, quia idem est obiectum formale quò ad vtrumq; esse, ergo si adoratio absoluta, & respectiua sunt eiusdem speciei in esse naturæ propter vnitatem obiecti formalis, erunt etiam in esse moris in eadem specie virtutis, quia vna est honestas propter se intenta.

93 Resp. argumentum rectè concludere in intentione, & electione honesta, non tamen concludit in adoratione absoluta, & respectiua, quæ non sunt intentio, & electio, non enim imago est medium ad cōsequendum exemplar, & consequenter adoratio imaginis non est electio, nec adoratio exemplaris erit intentio; alia igitur est honestas adorationis absolutæ, quæ immediatè respicit excellētiam intrinsecam exēplaris, & alia est honestas adorationis respectiuæ, quæ immediatè respicit denominationem illam extrinsecam excellentiæ in imagine prouenientem ab excellentia intrinseca exemplaris, quæ denominatio, licèt in esse naturæ nō sit aliquid reale, in esse moris tamen æstimatur aliquid, sed depēdens ab excellentia exemplaris, sine qua nec esse, nec intelligi potest; Solùm igitur inferri potest, adorationem respectiuam esse in quadam specie, quæ sit essentialiter subordinata speciei adorationis absolutæ. Quod adhùc confirmari potest, quoniam in veteri lege adorare Deum, vel Angelos erat actus honestus, adorare imagines Angelorum, aut Dei erat actus malus, ergo in esse moris adoratio exemplaris non est eiusdem speciei cum adoratione imaginis, & per consequens alia est bonitas vtriusq;.

Quomodò autem B. Virgo sit adorabilis adoratione respectiua, dicemus disp. seq. Et hæc satis de ista materia; quoniam propriè spectat ad Tract. de Religione. Vide Eminentissimum Lugum disp. 33. & seq. inter alios Doctores subtiliter de hac re disputantem.

Disputatio Decima Sexta.

De Beata Virgine.

DVas generationes esse in Christo, æternam vnam secundùm diuinitatem, temporalem alteram secundùm humanitatem, quæ Incarnatio quoq; appellari solet, & quam hucusque explicuimus, nullus Catholicorum ambigit. Generatio autem in ratione productionis passiuæ est respectus quidam inter productum, & producens; cùm igitur exactè in præcedentibus fuerit discussum de producto termino, qui est Christus Dominus, tàm secundùm se, quàm secundùm proprietates humanitatem assumptam insequentes; operæpretium erit de producēte sermonem facere; producens fuit Deus Benedictus (licèt appropriatè Spiritus Sanctus) & Beatissima Virgo Maria; agere de Deo spectat ad primum Sentēt. quapropter hanc disputationem de B. Virgine tanquam coronidē totius operis subnectimus.

Quæstio Prima.

De perfectione sanctitatis B. Virginis.

AD sanctitatem B. Virginis spectant carentia peccati actualis, & originalis, item dona omnia supernaturalia, quibus fuit anima ipsius illustrata à Domino, & cumulus meritorum, quæ toto vitæ tempore perpetrauit; de his agendum in sequentibus articulis.

Articulus Primus.

An B. Virgo habuerit, vel potuerit habere actuale peccatum.

1 PRima difficultatis pars quærit de facto, an B. Virgo habuerit aliquod actuale peccatum, siuè mortale, siuè veniale. Affirmant quidam Hæretici, præsertim Caluinus apud Canis. lib. 1. de Deiparæ c. 10. tàm de mortali, quàm de veniali, referuntur etiam aliqui Patres asserentes, B. Virginem quandoq; saltim venialiter peccasse; vt infra videbimus; quod ex Scolasticis docuit Greg. in 2. d. 30. q. 2. art. 1. deducitq; ex hoc, quòd peccatum originale tribuit B. Virgini, ex quo sequitur, aliquoties venialiter peccasse iuxta regulam D. Aug. 5. contra Iulian. c. 9. docentis, peccatum originale causam esse alicuius venialis.

2 Dicendum est tamen, B. Virginem nullum commisse actuale peccatum; ita communiter Doctores. Et quidem quòd nullum mortale commiserit, patet ex hoc, quòd Ecclesia festum Natiuitatis B. Virginis celebrat, signum euidens, B. Virginem nunquā amisisse gratiam habitualem propter mortale peccatum. Et vniuersaliter de omni peccato fuit definitum in Concil. Claramontano præsidente Vrbano II. Pontifice, referente Vega lib. 14 super Concil. Trid. c. 18. Et idem Trid. sess. 6. can. 23. anathematizat dicentes, aliquem *posse in tota vita pecata omnia, etiam venialia, vitare; nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*, quibus verbis confirmat Ecclesiæ sensum circa puritatem B. Virginis ab omni labe actuali. Adest quòque specialis reuelatio facta S. Birgittæ lib. 3. c. 3. Expresse habetur ab Aug. lib. de Nat. & Gratia contra Pelagianos c. 36. *Cum de peccatis agitur, de Sancta Virgine Maria propter honorem Domini nullam prorsus habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere, ac parere meruit eum, quem constat, nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta &c.* D. Ber. serm. 2. de Assumpt. *Absit, vt propriè quidquam inquinamenti hæc aliquando habuisse dicatur.* Accedunt rationes, quibus etiam vtitur D. Thom. 3. p. q. 27. art. 4. quoniam si aliquod admisisset peccatum, non fuisset idonea mater Christi. Primò quia honor parentum redundat in prolem, Prou. 17. *Gloria filiorum patres eorum*, & per oppositū ignominia matris redūdasset in filium. Secundò quia habuit specialem affinitatem ad Christum, *quæ autem conuentio Christi ad Belial?* 2. Corinth. 6. Tertiò quia Sap. 1. *In maleuolam animā non introibit spiritus Sapientiæ*; at Christus, qui est Dei sapientia, habitauit in B. Virgine, ergo &c.

Instant

3 Instant Hæretici, & primò, quòd B. Virgo cōmiserit infidelitatis peccatum, nam Luc. 1. dubitauit de misterio Incarnationis reuelato ab Angelo illis verbis, *Quomodò fiet istud?* vt ait Chrisost. hom. 49. in Gen. sicut Zaccarias dubitauit de conceptu Ioannis Baptistæ, nec statim reuelationi diuinæ per Angelum factæ assensit, propter quam hæsitationem mutus in pœnam euasit. Idem infidelitatis peccatum habuisse in morte Christi, deducunt ex illis verbis Simeonis, *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*, quæ de gladio infidelitatis explicant Origen. hom. 17. in Luc. Hilar. in Psal. 18. & Basil. in epist. ad Optimum, & alij Patres quoq; docent, B. Virginem incredulam fuisse, & dubitasse de filij resurrectione; ita Chrisost. enarrat. in Psal. 13. Euthim. in 2. Luc. Secundò tribuunt B. Virgini peccatum negligentiæ, eoquòd filium, cum esset annorum duodecim, amisit, quod comparant peccato Euæ, quæ totum humanum genus perdidit. Tertiò impingunt peccatum ambitionis, & vanægloriæ, primò Ioan. 2. cum tacitè petijt conuersionem aquæ in vinum, illis verbis, *Vinum nō habent*; & quando Matth. 12. B. Virgo quærebat loqui Christo prædicanti; quæ omnia B. Virginem fecisse ex quodam affectu humano inanis gloriæ, docet præsertim Chrisost. in ijs locis, qua ratione fuit à Christo reprehensa; in primo loco illis verbis, *Quid mihi, & tibi est mulier?* & in secundo loco, *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Quartò totum hoc cōfirmant ex 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Iac. 3. *In multis offendimus omnes*; qua ratione Christus nos docuit orare *Dimitte nobis debita nostra* in oratione dominicali, quam sæpissime B. Virginem recitasse, est indubitatum. Tandem B. Virgo habuit fomitem peccati, ergo aliquod peccatum saltim veniale commisit.

4 Resp. ad 1. longè diuersam fuisse dubitationem Zaccariæ à dubitatione B. Virginis, Zaccarias enim dubitauit de re ipsa, hinc dixit, *Vnde hoc sciam?* ideoque fuit rectè correptus; at B. Virgo non dubitauit de re, sed de modo, vt patet ex verbis ipsius, *Quomodò fiet istud*, nùm scilicet Deus vellet dispensare in voto virginitatis, an vti vellet supernaturali potestate, & hoc vt ipsa B. Virgo sciret, quo pacto se deberet præparare; idcirco B. Virgo laudatur ab Elisabeth de fide, quam habuit, *Beata, quæ credidisti*; & in hoc sensu explicari debent Chrisostomus, & alij Patres, dum asserunt, B. Virginem anxiam fuisse. Deinde falsissimum est, dictum Simeonis intelligi de gladio infidelitatis, sed potiùs de gladio doloris, & compassionis mortis Christi; & ad Patres adductos in obiectione dicendum, vel falsò adduci, vel locutos fuisse de dubitatione, prout significat excedentem quandam admirationem, & stuporem, dum considerabat B. Virgo, Deum se humiliasse vsque ad mortem crucis, factum pro nobis maledictum. Ad 2. nō potuit B. Virgo negligens, & imprudens in illo casu dici, quia attentà potestate Christi, & scientia eiusdem prudenter poterat iudicare, esse in comitatu, vt facer textus innuit. Ad 3. falsum est, B. Virginem ex humano, & ambitioso affectu miraculum illud petijsse, vel Christo prædicanti accessisse, & verbis Christi Domini Patres varias adhibent responsiones, conueniunt tamen in hoc, quòd non fuit vera correptio, aliter non dixisset B. Virgo Ministris, vt implerent iussum Christi; Chrisostomus verò, inquit D. Tho. excedenter est locutus; vel dicēdum, quòd apparenter, & apud Hebræos in deteriorem partem omnia iudicantes B. Virginem in his casibus indicasse humanum quēdam affectum, non quòd re vera ita contingeret. Ad 4. dicimus, in illis propositionibus non contineri B. Virginem, excipitur enim iuxtà interpretationem Concilij Trid. Quapropter verba illa orationis dominicalis protulit B. Virgo nomine totius Ecclesiæ, non autem nomine proprio. Ad vltimū, assumptum est falsum, vt infra videbimus.

5 Secunda difficultatis pars quærit de possibili, & actum primum, an scilicet habuerit B. Virgo potentiam peccandi, quamuis actu non peccauerit; nec est sermo de potentia remota, hanc enim fuisse in B. Virgine, sicut in Christo, & in cæteris Beatis modo reperitur, non est dubium, quoniam hæc potentia remota peccandi dicit ipsammet voluntatem creatam. Sed loquimur de potentia proxima, quæ dicit potentiam expeditam ad vtramq; contradictionis partem, scilicet ad peccandūm, & non peccandum.

6 Negant Alensis 3. p. q. 9. memb. 3. D. Bonau. 3. d. 3. p. 1. art. 2. q. 3 D. Tho. ibidem q. 1. art. 2. Palud. q. 3. art. 4. Mars. q. 4 & alij, saltim post secundam sanctificationem, scilicet post Christi conceptionem, nam in prima sanctificatione, aiunt, habuisse confirmationem in gratia, in secunda verò donum impeccabilitatis.

7 Communis opinio affirmat, B. Virginem nunquam in hac vita habuisse impeccabilitatis donum; ita colligitur ex Scoto in 3. d. 18. q. vn. dum conditiones actus meritorij assignauit, quarū prima est, quod sit liber libertate proxima, & solùm de Christo dicitur; hanc conditionem fuisse dispensatam vt disp. 12. q. 2. art. 1. latè demonstrauimus, ergo quoniam B. Virgo toto vitæ suæ tempore fuit in statu merendi, & viatrix, semper quoq; fuit libera libertate proxima in omnibus actibus. Tum quia impeccabilitatis donum non consistit in aliqua qualitate supernaturali indita voluntati, quoniam voluntas nunquam potest ab intrinseco necessitari ad agendum per aliquod superueniens, etiam si fuerit ipsa beatifica visio, semper enim manet intrinsecè libera, vt cum Scoto in 4. d. 49. q. 6. ostendimus in lib. de Anima disp. 7. num. 144. & seq. sed consistit in negatione diuini concursus, itaut non habeat voluntas creata diuinum concursum paratum ad peccandum, quæ negatio regulariter confertur à Deo solùm propter beatificam visionem, non quamcumq; sed permanentem; vnde quamuis D. Paulus habuerit in hac vita talem visionem horariam, non idcirco fuit deinde impeccabilis, sed B. Virgo non habuit claram Dei visionem toto vitæ suæ tempore, ergo &c.

8 Ex his deducitur, quòd quamuis B. Virgo habuerit plenitudinem gratiæ, quæ nulli puræ creaturæ fuerit concessa, quamuis habuerit maternitatis dignitatem, quamuis habuerit fomitis carentiam, continuam, & perfectissimam contemplationem, & dilectionem diuinæ bonitatis, & omnes virtutes in gradu hæroico, non idcirco ex his inferri, fuisse impeccabilem, quia cum his omnibus stat potentia proxima ad peccandum; solum sequi, nunquam actualiter peccasse, quòd est donum confirmationis in gratia; quod quidem in maiori perfectione fuit B. Virgini concessum, quàm alijs Sanctis; in his namq; auxilia diuina, & efficacia non excludebant omne prorsus veniale peccatum, at confirmatio B. Virgini concessa tam

mortale,

mortale, quàm veniale, siuè deliberatum, siuè surreptitium ablegauit ab ipsa. Hanc etiam perfectissimam confirmationem innuere voluerunt Sancti Patres, dum sanctitatem, & immunitatem B. Virginis ab omni peccato exagerant propter dignitatem maternitatis; non enim ex hac dignitate debemus deducere impeccabilitatem, quia neq; infertur necessariò ex ipsa hypostatica vnione ex dictis disp. 12. q. 3. art. 2. Quapropter dum Christus elegit B. Virginem in matrem, non quidem in statu comprehensionis, sed viæ, vt proprijs meritis potuisset summum gaudium gloriæ acquirere concessum puræ creaturæ, consequens fuit, vt non impeccabilem, & in termino ipsam elegerit, sed viatricem, & solùm in gratia confirmatam.

Articulus Secundus.

An B. Virgo fuerit immunis à peccato originali, & à debito etiam illud contrahendi.

9 IN hac celebri controuersia primò refellenda est opinio, quam significauit Henr. quol. 15. q. 13. asserens, B. Virginem in primo conceptionis instanti habuisse gratiam simul cum originali peccato; hæc enim sententia omnino est falsa, quoniam de facto gratia, saltim ex diuina ordinatione, est incompossibilis cum peccato originali, vnde tollitur hoc peccatum propter gratiæ infusionem, ergo si in primo instanti conceptionis gratia fuit in B. Virgine infusa, nulla ratione astrui debet, peccatum originale non fuisse expulsum. Præterquamquòd hæc positio nihil iuuat, rationes enim, quæ ostendunt immunitatem B. Virginis à peccato originali, æquè concludunt, quamuis in eodē instanti admittatur gratia in anima. Et idem dicendum, si Aduersarij aliquam aliam supernaturalem formam exigerent ad sanctificationem animę, & præseruationem à peccato.

10 Quæstio igitur est, nùm B. Virgo in instanti conceptionis contraxerit originale peccatum, an verò per infusionē gratię fuerit ab illo pręseruata. Deinde si non contraxit tale peccatum, an saltim habuerit debitum illud contrahendi, itaut fuerit inclusa in pacto inito cum Adamo, quo peccante, diceretur in ipso B. Virgo cum omnibus posteris peccasse, & amisisse ius ad hęreditatem; an verò fuerit quòq; à tali lege exempta, nec in voluntate Adami comprehensa, & consequenter nullo pacto subiecta legi, & debito contrahendi originale peccatum.

11 Circa primam partem fuit affirmatiua opinio apud Antiquos ferè communis, & modò solos Thomistas habet patronos. Negatiua autem opinio est valde plausibilis præsertim apud Recentiores, & ab omnibus est recepta, quorum præcipuus, & principalis Dux fuit Subtilissimus Præceptor in 3. d. 3. q. 1. horumq; nomina longa serie inter alios refert Auersa q. 25. sect. 14. Circa aliam difficultatis partem, an scilicet habuerit debitum contrahendi originale peccatum, negant Cather. in opusc. de orig. peccato c. vlt. & opusc. de Immacul. Concept. p. 1. c. 1. Salazar, Granado, Leaysa, Lezana in suis operibus de hac re editis, Mendezius in Mariali lib. 2. c. 34. §. 2. Hurt. hic disp. 13. §. 96. & seq. Lugus disp. 7. sect. 3. Bernal disp. 10. sect. 3. & alij quamplures. Affirmant Scotistæ vetustiores, insuper P. Faber, Suarez 3. p. tom. 2. disp. 3. sect. 2. & Auersa sect. 16.

12 Dico primò, B. Virgo caruit originali peccato. Hæc conclusio hisce temporibus tàm euidens, & clara est apud omnes, vt nulla confirmatione indigeat, integros enim libros de hac veritate eruditissimos ædiderunt Doctores, vnde illam probare idem est, ac facellam radijs solaribus adijcere; nè tamen sicco pede illam transigere videamur, breuiter hanc veritatē aperiemus. Et quidem non obscurè insinuatur in Sacra Scriptura, multæq; adsunt figuræ, vt videre est apud Doctores, præsertim apud Orcianum in suà Analysi de Concept. B. Virginis, vbi etiam quamplurimas Patrum authoritates, reuelationes, & miracula refert; & passim habentur in Officio immaculatæ Conceptionis, & apud Salazar. Accedit communis Ecclesię consensus approbantis, & celebrantis hoc festum; multasque Confraternitates, Collegia, imò & religiosum quemdam Ordinem sub titulo Immaculatæ Cōceptionis Sancta Sedes Apostolica instituit, multaq; priuilegia, & indulgentias concessit.

13 Ostendi quòq; potest ratione; nā potuit Deus, B. Virginem præseruare ab originali peccato, decuit, illam pręseruare, ergo voluit præseruare. Prima pars antecedentis probatur, potuit Deus creare primos parentes in gratia absq; peccato, ergo potuit, B. Virginem creare in gratia, & consequenter absq; peccato; tùm quia nulla apparet implicantia, vt videbimus in solutione obiectionum. Secunda pars probatur rationibus adductis num. 2. quæ multò magis conuincunt de peccato originali, quam de veniali, & tamen à D. Thoma adducuntur ad ostendendā puritatem B. Virginis à peccato veniali, quod quidem est cum gratia compossibile, originale autem est prorsus incompossibile. Huc spectat illud D. Anselmi, *Decuit, Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi*. Consequentia patet, quoniam Deus propter dignitatem maternitatis multa priuilegia concessit B. Virgini, quorum carentia nullam, aut minimam indecentiam in ipsa inferebat, talia sunt carentia fomitis, partus sine dolore, virginitas fœcunda, munditia à sordibus puerperij, incorruptio corporis post mortem, assumptio cum anima, & corpore ad dexteram Filij, regia dignitas cælestium, terrestrium, & infernorū, & alia innumerabilia, ergo propter istam dignitatem multò magis inferendum est, concessisse Deum immunitatem ab originali peccato, quod quidem maximam turpitudinem, & indecentiam intulisset in B. Virgine.

14 Potest autem hæc ingens indecentia, & turpitudo ex hoc pręsertim demonstrari; quòd si Deus hāc optionem B. Virgini dedisset, vellet nè potiùs immunitatem ab originali culpa, sed absq; dignitate maternitatis Dei, alijsq; similibus donis, an verò dignitatem maternitatis, cæteraq; priuilegia, sed quòd communi legi contrahendi originale peccatum subiaceret. Certè quoniam secundum regulam Moralium, *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona*, B. Virgo, quia prudentissima fuit, potiùs omni iuri maternitatis, cęterarumq; sublimatum cessisset, dummodò neq; per solū instans extitisset sub peccato originali, iam enim fuisset tunc filia iræ, serua Diaboli, Deiq; innimica. Si igitur B. Virgo pluris æstimaret immunitatem istam ab originali labe, quàm quodlibet aliud donum, non est censendum, fuisse à Deo denegatam.

Pro

15 Pro resolutione alterius partis difficultatis de debito, sciendum est, quòd debitum, in præsenti nihil aliud significat, nisi necessitatem, & exigentiam alicuius formæ in aliquo subiecto, quod quidem, si est erga formam physicam naturalem, dicitur debitum naturale, quo sensu frigus dicitur forma debita aquæ, & calor est forma naturaliter debita igni, quia aqua iuxta suum connaturalem statum illam exigit, sicut ignis exigit calorem ex se; si verò est erga formam moralem, vel supernaturalem, dicitur debitum morale, vel supernaturale; inter quæ hæc adest differentia, quòd debitum morale, aut supernaturale præcipuè attenditur penes legem superioris, actus enim ideo est moraliter bonus, vel malus, quia conformis, vel difformis legi superioris; debitum verò naturale præscindit à tali lege; in proposito est sermo de debito morali, & supernaturali, nam quòd homo sit gratia, & iustitia originali informatus, non est necessitas, & exigentia proueniens ex intrinsecis principijs humanitatis, sed ex diuina ordinatione.

16 Duplex autem debitum debemus in homine distinguere, primum est debitum iustitiæ originalis, quatenùs Deus concessit Adamo originalem iustitiam tanquam capiti totius humani generis, qua concessione ipsum obligauit, & omnes posteros in ipso ad conseruationem illius iustitiæ per obseruantiam præceptorum; quòd debitum, seù exigentia etiam fuisset in statu innocentiæ, quoniam Adamo non peccante, quilibet homo habuisset exigentiam, & necessitatem iustitiæ, quam iustitiam etiam habuisset in instanti conceptionis, & nunquam illa caruisset, secundùm communem sententiam. Alterum est debitum, seù exigentia peccati originalis, quod quidem non solùm præsupponit legem diuinam obligantem Adamum, & posteros per obseruantiam præceptorum ad conseruationem iustitiæ, sed etiam præsupponit peccatum Adami, ratione cuius quilibet contraxit debitum, & necessitatem contrahendi originale peccatum, seù priuationem, & carentiam originalis iustitiæ; ex quibus patet, quam distet hoc debitum ab illo. Posset hæc doctrina exemplo declarari, nam aqua, dum habet frigus, habet exigentiam naturalem frigoris, non tamen exigentiam carentiæ frigoris; at si esset sub calore, vt sic, & in sensu cõposito haberet exigentiam, & necessitatem carentiæ frigoris simul cum prima exigentia, non enim sunt istæ necessitates inter se incompossibiles, quia non sunt de eodem, secundùm idem, & respectu eiusdem, prima enim respicit aquam in se acceptam, secunda respicit aquam, vt stat sub calore. Idem dicendum de isto duplici bebito. Totum hoc etiam non obscurè insinuatur à Scoto in 3.d. 3. q. 1. 9. *Si autem*, vbi habet, *Quilibet filius Adæ naturaliter est debitor iustitiæ originalis*, ecce primum debitum, *& ex demerito Adæ caret ea, & ideo omnis talis habet, vnde contrahat peccatum originale*, ecce secundum, non enim primum sufficit ad peccatum originale, sed prærequiritur lapsus Adami.

17 Hoc autem debitum cõtrahendi peccatum originale solet à Doctoribus distingui, nam alterum est actiuum in Adamo, quod ab alijs dicitur remotum, quatenùs Adam peccando omnes posteros obligauit, & obstrinxit ad cõtrahendum originale peccatum; alterum est passiuum, quod etiam proximum vocari solet, fundaturq; in posteris Adami, quo obstricti, ligatiq; sunt propter Adæ peccatum ad contrahendum peccatum originis; ratio est, quia omnis actio requirit passum vt terminum, in quo fũdatur passio ad agens, istæ enim relationes mutuò se inferunt, ergo si Adam per peccatum necessitauit, & obligauit posteros ad contractionem originalis culpæ, quæ potest dici actio quædam moralis, posteri dicentur necessitati, & obligati ad talem contractionem; & consequenter habebunt debitum passiuum contrahendi. Hinc non est audiendus Ægidius de Præsentatione lib. 4. de pura Virginis Concept. q. 4. art. 5. negans tale debitum in posteris Adami, quoniam, inquit, debitum non est compossibile cum re, ad quam est debitum, si enim quis debet soluere centum, nequit hoc debitum esse simul cum solutione centum, quia hæc solutio extinguit debitum, idem patet de pœnæ debito, quod satisfactione aboletur; pariformiter quoniam quilibet homo contrahit actu peccatum originale, vel si non contrahit, vt fuit B. Virgo, habet gratiam, sequitur, hoc debitum nullo pacto reperiri posse in ipsis posteris, iam enim per peccatum, vel per gratiam soluunt, quod debent; ideoque totum debitum, ait, fuisse in Adamo. Non est, inquam, audiendus, quoniam verum est, & de fide omnes posteros Adæ esse necessitatos, & obstrictos ad contrahendum originale peccatum, ergo de fide est, omnes posteros Adæ habere tale debitum, quod ex se nihil aliud dicit, quàm illam necessitatem. Nec assumptum est vniuersaliter verũ, vt patet in exemplo aquæ adducto; solùm igitur verificatur, quando debitum respicit formam sibi oppositam, & contrariam, vt sunt debitum solutionis, & solutio, debitum pœnæ, & satisfactio; quando verò forma non est opposita, imò potiùs quasi connaturalis, vel ex se, vel ex lege diuina ipsi subiecto, assumptum est omnino falsum, vt diximus.

18 Tandem pro exacta cognitione huius debiti videndum est, quando insit, & quandiu duret in homine. Quidam enim negant, esse cum gratia compossibile, & consequenter secundùm istam opinionem si aliquis esset creatus in gratia, nunquam haberet debitum. Quam opinionem esse falsam ostendimus nu. præced., & ex mox dicendis magis eius falsitas patebit. Suar. 3. p. tom. 2. disp. 3. sect. 4. & 5. videtur docere, debitũ illud nonnisi in primo instanti conceptionis esse compossibile cũ gratia, non autem in tempore sequenti; quapropter creatus in gratia haberet in eodẽ instanti gratiam, & simul debitũ cõtrahendi peccatũ, in tempore verò sequenti debitũ aboleri; quoniam, inquit, causæ productiuæ peccati originalis solùm in instanti conceptionis possunt illud causare, postea tamen sunt impeditæ, hinc debitum est in solo primo instanti, non autem in tempore sequenti totius vitæ.

19 Meliùs tamen cum Vasq. 3. p. disp. 116. c. 5. asserendum, debitum istud toto vitæ tempore permanere, probatur; Adam nõ solùm obligauit posteros proprio peccato ad habendam carentiam iustitiæ originalis pro primo instanti, sed etiam pro reliquo vitæ tempore, ergo posteri ex seipsis nõ solùm sunt necessitati, & obligati ad carentiam iustitiæ originalis pro primo instãti, sed etiam pro tota vita, debitum autem nõ est, nisi ista necessitas. Tùm quia ideo in primo instanti secundùm Suarez est debitum peccati, quamuis adest gratia, quoniam adsunt causæ ex seipsis productiuæ originalis culpæ, scilicet lex diuina, Adæ transgressio, & naturalis propagatio ex Adamo, quamuis quò ad actum secundum sint impeditæ propter gratiæ præsentiam, ergo quia istæ causæ perseuerant toto vitæ tempore, causabunt, seù cõseruabunt per totum tempus

pus idem debitum, impedimentum enim gratiæ non minùs est post primum conceptionis instans, quàm in eodem instanti, ergo vel in eodem instanti etiam extingueret debitum, vel numquam extinguet. Exemplum est de corpore glorioso, quod intrinsecè semper erit mortale, quamuis habeat dotem impassibilitatis, & si hanc haberet ab instanti conceptionis, non posset in sensu composito mori, sed ex se haberet debitum, & necessitatem moriendi toto vitæ tempore; quamuis hoc exemplum aliqualiter differat, vt dicam num. 21.

20 Dices, Scotus cit. post verba adducta num. 16. subdit, *Sed si alicui primo instanti creationis animæ detur gratia, ille licèt careat iustitia originali, nunquam tamen est debitor eius, quia merito alterius præuenientis peccatum datur sibi gratia, quæ æquiualet illi iustitiæ quantùm ad acceptationem diuinam, imò excedit*: ergo per Scotum gratia extinguit debitum. Tùm 2. si debitum permaneret, ergo si ab infanti in gratia creato auferretur gratia, tunc contraheret originale peccatum, imò adultus peccans mortaliter acquireret denuò peccatum originale: prob. conseq. quia verè adest debitum cum carentia iustitiæ, & gratiæ. Tùm 3. gratia extinguit debitum, seù necessitatem carentiæ omnis doni supernaturalis contractam per peccatum actuale mortale, itaut pœnitens acquirens gratiam non est ampliùs debitor carendi omni gratia, sicut erat in peccato, & hoc quia gratia extinguit peccatum ipsum, ergo quia gratia primò infusa extinguit peccatum originale, debet quoque omne debitum abolere.

21 Resp. ad 1. Scotum ibi loqui de debito, non præcisè accepto, sed vt habet annexam carentiam actualem, quo pacto est peccatum originale, & in hoc sensu vtique est cum gratia incompossibile, quia vt sic dicit ipsum peccatum originale, gratia enim, inquit Doctor, æquiualet, imò excedit originalem iustitiam. Ad 2. quamuis Vasq. concedat conseq. in infanti; rectiùs negatur, quia forma, quæ ex sui natura petit comproduci cum subiecto, & absque vera mutatione, quamuis possit diù conseruari in subiecto, non tamen poterit produci post subiecti productionem; & consequenter exigentia productionis illius formæ erit in subiecto in primo instanti productionis subiecti; postea verò erit exigentia continuationis eiusdem formæ. In proposito peccatum originale ex sui natura petit produci in primo conceptionis instāti, ideo enim dicitur originale, quasi originans cum ipsa originatione hominis, & transacto illo instanti non est ampliùs producibile, licèt si fuit productum, posset conseruari: hinc est, quòd si ab infanti auferretur gratia, non insurgeret peccatum originale, quoniam talis carentia esset ex mero diuino beneplacito; nec debitum illud causaret peccatum, quia non est tunc debitum contrahendi, hoc enim fuit solùm in primo instanti, sed debitum conseruandi, nequit autem conseruari, quod non est productum; idcirco non est potens causare peccatum originale; quod magis patet in homine adulto peccante mortaliter; & in hoc differt exemplum adductum de corpore glorioso, cui si deesset impassibilitas, statim posset mori, quia mors non petit, imò repugnat conuenire in primo instanti conceptionis, esset enim simul viuens, & non viuens, sed potest conuenire post tale instans. Dices, infans ille, si moreretur, non deberet priuari gloria, quia nullum haberet peccatum, nec originale, nec actuale, nec posset consequi beatitudinem, quia non esset in gratia, quid ergo faceret de illo Deus? Resp. casum propositum non procedere de potentia ordinaria, sed absoluta, secundùm quam Deus potest quemlibet beare, & beatitudine priuare independenter à gratia, vel peccato; quapropter posset vtrumque facere, quia est supremus Dominus. Ad 3. nego paritatem; ratio est, quia debitum carendi omni gratia proueniens ex peccato actuali mortali causatur, & fundatur in ipso peccato, ideoque ipso moraliter permanente, & non remisso, permanet debitum, at ipso destructo per infusionem gratiæ, destruitur quoque debitum fundatum; at debitum peccati originalis non fundatur in ipso peccato originali, imò antecedit veluti causa suum effectum, vt dixi num. 16. hinc destructo originali peccato, non est necesse, debitum extingui. His præacceptis, & adnotatis pro clariori notitia,

22 Dico 2. valde probabile, ac pium esse, B. Virginem asserere immunem à debito contrahendi originale peccatum. Hæc conclusio apertè non habetur à Scoto, insinuatur tamen in 3. d. 3. q. 1. num. in 6. *Contra primam rationem* arguendo ex tertia via, habet hæc verba, *Persona reconciliata non summè obligatur mediatori, nisi ab ipso summum bonum habeat, quod potest per mediatorem haberi, sed innocentia illa, scilicet præseruatio à culpa contracta, vel contrahenda potest haberi per mediatorem, ergo nulla persona summè tenebitur Christo vt mediatori, si nullam præseruauit à peccato originali*; & infra, *Videtur etiam, quod cum Christus multis animabus meruerit gratiam, & gloriam, & pro his sint debitores Christo vt mediatori, quare nulla anima erit ei debitrix pro innocentia, & quare etiam omnes Angeli beati sint innocentes, & nulla humana anima erit innocens in patria, nisi sola anima Christi?* & lit. D. ait, *sicut alii indiguerunt Christo, vt per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum, ita illa magis indiguit mediatore præueniente peccatum, nè esset ab ipsa aliquando contrahendum, & nè ipsa contraheret*; expendenda sunt in prima, & tertia authoritate verba illa, *præseruatio à culpa contracta, vel contrahenda*, seù *præseruatio, nè peccatum esset ab ipsa*, scilicet B. Virgine, *aliquando contrahendum, & nè ipsa contraheret*; hæc enim duo differunt inter se, præseruatio enim nè contrahatur peccatum, est præseruatio ab ipso peccato, sed præseruatio, nè sit peccatum contrahendum, est præseruatio à debito, si enim B. Virgo habuisset debitum, iàm peccatum fuisset ab ipsa contrahendum, quamuis actu non fuerit contractum, ergo non fuisset præseruata, nè esset peccatum ab ipsa aliquando contrahendum, cuius oppositum docet Doctor. Insuper in secunda authoritate astruit, innocentiam Beatæ Virginis esse similem propter Christi merita innocentiæ Angelorum, sed Angeli neque peccatum, neque debitum peccati vnquam habuerunt, ergo idem secundùm Scotum est de Virgine asserendum.

23 Verum est, quòd Doctor ibidem aliquando videtur ad partem affirmatiuam declinare, Nec est mirum, quoniam non fit transitus de extremo ad extremum nisi transeundo per medium, in hac re sunt duæ extremæ opiniones, prima reddens B. Virginem obnoxiam peccato, & debito, secūda reddens immunem ab vtroque, media constituens B. Virginem immunem à peccato, sed obnoxiam debito; temporibus Scoti vigebat prima extrema opinio, idcirco satis duxit

Scotus,

Scotus, si immunitatem à peccato defenderet, quod etiam obseruarunt Vetustiores Scotistæ, cæteriq; Doctores antiqui. Cum igitur hisce temporibus media sententia sit apud omnes plausibilis, opportunum iam erit, ad alteram extremam peruenire, quę magis cedit in laudem, & gloriam Beatissimæ Virginis; hinc est, quòd multi Scotistæ illam sunt amplexi; ita Cornelius Musus Episcopus Bitontinus in cap. 5. Epist. ad Rom. Luysius Carabasalius apud Salazar de Cócept. cap. 41. nu. 5. in Declamatione pro Concept. cap. 23. qui duo cum maxima laude Tridentinæ Synodo interfuerunt, & præcipue primus, nam ipsi compilatio decretorum à tota Synodo fuit commissa; insuper Cartigena in Hom. Cathol. Herrera in 2. sent. disp. 24. quæst. 9. & nuper P. Vulpes 2. p. tom. 3. disp. 141. art. 2. & alij quamplures.

24 Probari potest ratione præcedētis conclus. namq; potuit Deus præseruare B. Virginem à debito contrahendi originale peccatum, decuit, illam præseruare, ergo voluit. Prima pars antec. probatur tùm ex libertate Dei ad extra; tùm etiam ostendendo signa, in quibus Deus ab æterno determinauit futura, quorum diuersos ordines, & modos fusè refert Salazar citatus tàm in principijs Scoti sustinentis incarnationem determinatam ante præuisionem peccati, quàm in principijs D. Thomæ ponētis incarnationem post lapsum Adami. Sed Scoticis principijs inhærendo dicimus; In primo Signo post completam communicationem diuinæ essentiæ ad intra, determinauit Deus ad extra se communicare, elegitq; Christum hominem tanquam caput omnium electorum. In secūdo signo elegit B. Virginem in matrem Christi, & ad summam gloriam infrà Christum, quod quidem probari potest omnibus illis rationibus, quibus disp. 7. q. 2 ostendimus Christum prędestinatum ante præuisionem peccati, facilè enim accomodari possunt B. Virgini, pręcipuè authoritates istæ, *Dominus possedit me in initio viarum suarum, Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*, quæ ab Ecclesia, & Patribus B. Virgini adaptantur; elegitq; alios electos ad gloriam. In tertio constituit Adamum tanquam caput omnium posterorum in esse naturę, vt omnes posteri esse naturale ab ipso deriuatum recipiant, in quo fuit etiam comprehensa B. Virgo. In quarto ex meritis Christi pręuisis fuit Adam constitutus caput morale, omnium posterorum seu in esse supernaturali per concessionem gratiæ, & iustitiæ originalis; itaut illo peccante, omnes peccarent, & amitterent ius ad gratiam, iustitiam originalem, & gloriam, illo non peccante, omnes acquirerent ius, & exigentiam ad gratiam, & originalem iustitiam, in qua lege non fuit B. Virgo comprehensa propter dignitatem maternitatis, ad quam fuerat priùs electa, non enim regina omnium creaturarum debuit subijci alterius voluntati, vt infra, sed omnes supernaturales habitus fuerunt concessi propter Christi merita. In quinto præuidit lapsum Adæ. In sexto prouidit de remedio, quod fuit mors Christi, decreuitq; Christum passibilem futurum. Ex quibus patet, B. Virginem solùm agnoscere Adamum tanquam caput in esse naturæ, non tamen in esse moris, vel in esse supernaturali, & consequenter nullum habere debitum contrahendi originale peccatum.

25 Alij tamen admittunt, B. Virginem inclusam quóq; in lege lata Adæ, & per consequens amisisse in Adamo ius ad iustitiam originalem, & gratiam, quam posteri erant accepturi, si Adam non peccasset, negant tamē debitum contrahendi peccatum originale, quia hoc peccatum dicit omnimodam carentiam iustitiæ, & gratiæ, at B. Virgo, quamuis per peccatum Adæ amiserit ius ad iustitiam communicandam posteris, Adamo non peccante, non tamen ex hoc caruit omni iustitia, & gratia, quomodò omnes alij caruerunt, quia iam præintelligebatur habere aliam gratiam, & iustitiam ipsi destinatam independenter ab Adamo in secundo signo, in quo electa fuit mater Christi; quæ gratia erat copiosior, & intensior, quàm gratia concessa Adamo, eiusq; posteris. Qui etiam dicendi modus est probabilis, vt magis patebit ex solutione obiectionum.

26 Secunda pars antec. ostenditur, quoniam istud debitum ex sua ratione formali dicit magnam turpitudinem, & deformitatem, ergo decuit, B. Virginem ab illo præseruare; antec. prob. quia istud debitum est *obligatio ad contrahendum originale peccatum ob culpā ab Adamo commissam*, in qua definitione nihil non indecorum, nihil non turpe inuenitur; dicitur enim *obligatio*, quæ ex se opponitur libertati, seruitutemq; inducit secundùm omnes Iurisperitos, seruitus autem dicit maximam imperfectionem, quia diminuit ius, libertatem, & nobilitatem, quapropter si hæc obligatio fuisset in B. Virgine, iam fuisset subiecta Adamo, quem vt suum caput, & Principem agnosceret, nec nobilitate omnes Angelos antecelleret, angelica enim natura nec minimam obligationem ad peccatum passa est, sed semper libera mansit ab omni seruitute peccati. Dicitur deinde *ad contrahendum originale peccatum*, quibus verbis explicatur terminus huius relationis importatæ ab obligatione; at omnis relatio à proprio termino habet specificari, hoc est, perfectionem, vel imperfectionem à termino metitur, vt qualis sit terminus, talis quoq; sit relatio, qualis autem conditionis sit originale peccatum, qualemq; turpitudinem in se includat, nemo inscius erit, ergo debitum istud, & obligatio, quæ in peccatum tendit, & ad peccatum cogit, maximam dicet turpitudinem, & inhonestatem. Denique additur, *ob culpam ab Adamo commissam*, quibus verbis significatur causa talis obligationis, quæ cum sit in se mala, & turpis, nonnisi effectum malum potest causare, & turpem iuxta regulam Summulistarum. Tùm quia iam poneretur B. Virgo subiecta Adæ peccato, subiectio autem eò turpior, quò vilior est Dominus, nihil autem vilius potest esse peccato, ergo nihil turpius ista seruitute, & subiectione. Cum igitur debitum istud omni ex parte turpitudinem, deformitatem, & inhonestatem redoleat, decens fuit, illud à B Virgine, Dei Matre, hominum, Angelorumq; Regina remouere. Hoc voluit innuere D. Anselmus citatus num. 13.

27 Consequentia verò prob. quoniam si Deus remouit à B Virgine peccati fomitem, eoquia indecens, indecorumque erat in Dei Matre reperiri aliquid alliciens ex se, & propendens ad peccatum, qualis est fomes, multò magis asserendum erit, voluisse Deum, immunem reddere B. Virginem à debito isto, quod non solùm allicit ex se, sed cogit, & necessitat ad peccatum. Tùm quia istud debitum maiorem diceret turpitudinem in B. Virgine, quàm in cæteris filijs Adæ, nam macula, & inhonestas seruitutis, & obligationis eò grauior est, quò dignior est persona, seruitus enim est magis indecora in Rege, quàm in plebeio, sed B. Virgo maximè excedit

in dignitate cæteros homines & creaturas omnes, ergo maximè indecens fuisset hæc seruitus in B. Virgine, obligatio, & debitum, quàm in cæteris hominibus, ergo si Deus B. Virginem præseruauit ab alijs imperfectionibus minoribus, multò magis ab ista obligatione. Sic concludere videtur D. Aug. in exposit. Symboli, & orat. Dominicæ in Milleloquio, vbi ait, *Conueniens erat, vt lege peccati nostri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei Mater non teneretur obnoxia.*

Soluuntur Obiectiones.

28 Contra primam conclus. arguitur primò authoritatibus Sacræ Scripturæ, ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt*, & 1. ad Corint. 15. *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* & 2. ad Corint. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est ergo omnes mortui sunt.* & quàm plures similes locutiones habentur in Sacra Scriptura, in Concilijs, & Patribus, omnes scilicet ex Adam naturali generatione propagatos contraxisse originale peccatum absq; vllà exceptione, ergo non licet, B. Virginem ab ista lege eximere, aliter possemus etiam alios Sanctos excipere per libito.

29 Resp. faciliter non esse nouum in Sacra Scriptura aliquas vniuersales propositiones explicare, non quidem in rigoroso sensu, sed cum aliqua exceptione respectu alicuius personæ. Etenim similes locutiones vniuersales habentur de peccato actuali, Iac. 3. *In multis offendimus omnes*, 2. Paral. 6. *Non est homo, qui non peccet* & tamen in omnium sententia ab istis propositionibus excipitur B. Virgo, idem igitur dicendum, de locutionibus vniuersalibus originalis culpæ, intelligi scilicet cum exceptione B. Virginis ex priuilegio speciali propter dignitatem maternitatis. Quæ quidem exceptio nõ est voluntaria, neq; temeraria; quoniam sumitur primò ex determinatione Sixti IV. sub excommunicationis pœna interdicentis quemcumq; alterutram opinionem asserentem, nõ esse tutam in fide, aut contrariam esse Sacræ Scripturæ, ita in Extrau. *Graue nimis* de Reliquijs, & vener. Sanct. & clarius Concil. Trid. sess. 5. decernens, omnes Adæ filios in peccato esse conceptos iuxta D. Pauli propositionem citatam, sub iit, *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricẽ*; & rectè quidem, quoniam hæc exceptio fundamẽtum habet tùm in Patribus, tùm in cõmuni Ecclesiæ consensu, tùm in Sacra ipsa Scriptura, vt videre est apud Doctores. Sed præcipuè in eodem cap. epistolæ ad Rom. vbi D. Paulus post illam locutionem vniuersalem facit comparationem inter Adæ peccatum, & gratiam Christi dicens, *Sed non sicut delictum, ita & donum, si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit*, quibus verbis non obscurè insinuare videtur Apostolus, gratiam Christi pluribus profuisse, quàm Adæ peccatum nocuerit, quod quidẽ nequit intelligi, quin admittatur aliqua creatura ab originali culpa immunis, aliter peccatum Adæ, & gratia Christi fuissent inter se æquales, vt nulli personæ gratia Christi profuerit, quin priùs à peccato Adæ fuerit damnificata; talis autem creatura iuxtà interpretationem Concilij Trid. fuit B. Virgo; non igitur quilibet potest ad libitum excipere ab illa vniuersali lege quamcumq; personam.

30 Secundò arguitur Patrum authoritatibus præter adductas, in quibus generaliter asserunt omnes filios Adæ in peccatis conceptos. Et quidem aliqui Patres, non solùm ita vniuersaliter sunt locuti, sed ne quispiam suspicaretur, ab his propositionibus excipi B. Virginem, se ipsos declararunt, dum solum Christum excepere, reliquos autem comprehendi docuere; ex his adducam tantùm D. Hilarium à D. Augustino citatum in lib. contra Iulianum, *Omnis caro (excepta illa, quæ sine peccato venit in similitudinem carnis peccati) sub peccati origine, & sub peccati lege nata est.* Alij verò carnem B. Virginis appellarunt carnem peccati; ita præcipuè D. Fulgentius de Incarnat. & Gratia Christi cap. 7. *Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana sollemnitate concepta, caro fuit vtiq; peccati, quæ Filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati.* Alij enunciarunt B. Virginem mundatam, purgatam, & expiatam tempore Incarnationis à Spiritu Sancto, quæ locutiones aliquam maculam præsupponunt in B. Virgine, saltem originalem; ita præsertim S. Ildephonsus in lib. de Virginit. & Partu. *Quando Spiritus Sanctus in eam aduenit, totam defæcauit à sordibus Virginem, & decoxit, vt esset sanctior, quam astra cæli.* Alij tandem expresse docuerunt, B. Virginem contraxisse originale peccatum, quamuis erga Virginem Sancti summam maximopere fuerint deuoti, ita Bernardus, Rupertus, Bonauẽtura, Thomas, Alensis, Albertus, inter quos enumerari potest D. Aug. in Psal. 34. conc. 2. vbi ait, *Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ.*

31 Resp. ad authoritates primo loco adductas, cũ Patres solum Christũ excipiunt à communi lege peccati, hoc fecerunt, vt innuerent singularitatem Sanctitatis, & innocentiæ Christi præ cæteris Sanctis; nã, Christus est primogenitus electorum, habetq; ius ad hæreditatem ex vi vnionis hypostaticæ, vt filius proprius Dei, à primo instanti fuit impeccabilis propter vnionem beatificam; & tandẽ ex vi conceptionis alienus fuit à contractione peccati, quatenùs non fuit ex coniunctione, & semine virili procreatus, quæ coniunctio se habet vt fundamentum partiale, & remotum, cur homines contrahant originale peccatum, completurq; ex comprehensione in lege, & pacto diuino inito cum Adamo. Cæteri verò Sancti, etiam B. Virgo, fuerunt electi post Christum, & propter Christum, habent ius ad hæreditatem ex gratia, & adoptione diuina, nec ab instanti conceptionis sunt impeccabiles; & tandem quia ex coniunctione viri, & mulieris ortum ducunt, habent, vnde contrahant originale peccatum, quæ coniunctio in B. Virgine fuit solum remotum fundamentum, & debitum, imo improprium, quia non dicit obligationem aliquam, sed simplicem capacitatem, quia non fuit in pacto Adæ comprehensa, in cæteris verò Sanctis propter inclusionem in pacto habet rationem fundamenti proximi. Ex quibus patet, cur Christus dicatur solus Sanctus, solus innocens, singularis enim fuit in sanctitate, & iustitia. Quando deinde ex hac singulari Christi sanctitate deducunt generales propositiones, exponendæ sunt nõ rigorose, itaut nullã aliam exceptionẽ ex gratia, & alterius generis admittant, vt diximus num. 29. Vel dicendũ cum alijs, B. Virginem comprehendi in exceptione Christi, quoniã ex Aug. serm. de Assumpt,

Caro

Caro Christi caro est Mariæ, & Arist. 1. magnor. moral. c. 34. *filius est membrum parentis*, & *idem cum ipso*, idē quoq; habetur apud Iuristas l. fin. C. *de impuberum*, & *aliis substit.* & §. *Et verò Instit. de inutilib. stipulat.* Notanda etiam hic est regula Scoti 2. d. 33. C. quòd Patres extinguendo hæreses pullulantes excessiuè loquuntur, vt ad alterum extremum declinent; quapropter quia tunc vigebat hæresis Iouiniani, & aliorum negantium peccatum originis, ideo tam vniuersaliter sunt locuti.

32 Ad authoritates, quę in secundo loco adducuntur, resp., caro aliqua multipliciter dici potęst caro peccati, primo, quia verè contraxit peccatum originale, secundò, quia si non contraxit peccatum, habuit tamen debitum, & fundamentum proximum, quod constat ex conceptione virilis seminis, & pacti inclusione, tertiò, quia saltem habuit debitum, & fundamentum remotum, quod est conceptio illa ex viro, & muliere; quartò tandem similitudinariè, seù ratione vniuersali, & specifica, quatenùs similis est carni humanę, cui ex ratione vniuersali conuenit concipi in peccato. Caro B. Virginis dicitur caro peccati solùm tertio modo, nō primo, vel secundò; caro verò Christi dicitur caro peccati quarto modo. Hinc patet disparitas inter Christum, & B. Virginem, non enim ex nostra positione sequitur, B. Virginem omnino fuisse Christo æqualem, vt perperam aliqui nobis obijciunt.

33 Quæ tertio loco afferuntur, minùs vrgent. Tùm quia etiam multi Patres, B. Virginem semper fuisse, docent, sanctam, puram, immaculatam, incontaminatam, innocentem, nunquam in tenebris, sed semper in luce, nunquam maledictam, sed semper benedictam, & gratia plenam, & alia huiusmodi protulerunt, vt videre est præcipuè apud Salazar cit. cap. 42. Tùm quia multi ex his Patribus, B. Virginē purgatam fuisse asserunt, non solum ab originali peccato, sed etiam ab actuali, à fomite, & libidinosa cōmotione, nec solùm in conceptione, sed specialiter tempore Incarnationis Spiritus Sācti obumbratione; quapropter ex his nō solùm excluderetur contractio originalis peccati, sed etiam actualis, cæterarumque imperfectionum ex peccato prouenientium; quod nefas est dicere. Idcirco non sunt intelligendi Patres de purgatione, & mundatione rigorosa, & subleuatiua à sorde præexistente, sed de præseruatiua, & præsertim tempore incarnationis à sordibus omnibus, quæ vel naturam, vel peccatum insecuntur, vt sunt ardor libidinis in conceptione, coinquinatio ex virili semine, puerperia, & similia. Quæ explicatio eò magis viget, quoniam matres in baptismo per infusionem gratiæ purgantur, & tamen in conceptione filiorum deinde sunt adhùc obnoxiæ istis sordibus, ergo purgatio B. Virginis non fuit subleuatiua, hæc enim non reddebat ipsam immunem à sordibus, sed præseruatiua.

34 Quod tandem affertur de Sanctis, & Doctoribus B. Virginis maximopere amatoribus eruditè satis demonstrat Salazar cit. omnes illos Sanctos, & Doctores non firmiter affirmatiuę parti adhæsisse, quia & negatiuam quoq; aliquando asseruerūt; quæ quidem hæsitatio magnam adimit fidem, & authoritatem in hac materia; imò ex diuina prouidentia hoc accidit, vt dubitatio horum Sanctorum acueret aliorum Sanctorum, piorumq; Doctorum ingenia, & deuotionē in B. Virginem, & ita firmiùs hæc veritas stabiliretur; sicut dubitatio Apostoli Thomæ de Christi resurrectione fuit nostra confirmatio. Diuus autē Augustinus explicari debet de conditione carnis, quam habuit propter naturalem propagationem, vt diximus num. 32. loquiturq; de morte corporali, non spirituali.

35 Tertiò arguitur rationibus; quoniam B. Virgo fuit concepta naturali propagatione, & cum libidine carnis, ergo fuit concepta in peccato originali; conseq. prob. Patres assignando rationem, cur Christus ex Virgine sit conceptus, docent, id fuisse, nè originale peccatum contraheret; ita præsertim Aug. in epist. 99. ad Euodium, *Sumpsit ex Virgine veram quidem carnis substantiam, non tamen peccati carnem, quia non ex carnali concupiscentia, siue seminatam, siue conceptam*; & lib. 5. contra Iulianum cap. 15. *Hinc apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propagationem mali*, ergo &c. Tùm 2. B. Virgo sustinuit pœnas originalis peccati, præcipuè mortem, ergo habuit tal. peccatū. Tùm 3. si B. Virgo fuisset mortua ante Christum, certè non fuisset ingressa paradisum, ergo contraxit originalem culpam; prob. conseq. nam cęlestis ianua nōnisi propter peccatum fuit clausa. Tùm 4. B. Virgo baptismum suscepit, gratia autem baptismalis delet originale peccatum, vel quod inest, vel quod infuit. Tandem B. Virgo fuit à Christo redempta per mortem, & passionem ipsius, ergo fuit sub iugo peccati; conseq. prob. *Nullus redimitur, nisi is, qui sub peccato seruit*, ex Zosimo Papa apud Aug. epist. 157. antec. prob. quoniā ex D. Paulo 2. ad Corint. 5. *Christus pro omnibus mortuus est*.

36 Resp. ad 1. naturalem propagationem non esse necessariam causam contractionis originalis culpæ, itaut si Christus fuisset hoc modo generatus, non potuisset ab instanti conceptionis beatitudinem habere, sed necessariò in peccato concipi debuisset, hoc enim est falsum; solùm igitur naturalis propagatio est fundamentum remotum peccati, quod quidem Patres pro absurdo æstimarunt, admittere in Christo; ideoque vt omni ex parte Christus segregatus à peccatis diceretur, docuerunt Patres, fuisse necessarium, concipi ex Virgine, & modo supernaturali; & hoc voluit asserere D. Aug. Ad 2. resp. mortem, aliasq; ærumnas consequi naturaliter humanam naturam, quia intrinsecè est corruptibilis, attamen in statu innocentiæ fuissent impeditæ per esum ligni vitæ, quod impedimentum Deus denegauit propter peccatum; mors itaq; dupliciter considerari potest, vel vt passio naturaliter, & ex lege naturæ consequens humanitatem, vel vt fuit Adamo, & posteris inflicta tanquam pœna propter peccatum ex lege Adamo lata vt capiti morali omnium hominum; B. Virgini conuenit mors ex communi lege naturæ, & primo modo, non autem vt pœna, & ex lege peccati; non fuit autem opus tribuere impedimentū mortis, vt conformaretur Christo, qui mortalem, & passibilem assumpsit carnem; tùm quia ait Doctor, istæ ærumnæ fuerunt vtiles B. Virgini, quia meritoriæ. Ad 3. si B. Virgo præmortua fuisset Christo, vtiq; non introiisset cælorum regnum, non quidem propter peccatum, vel debitum eiusdem, sed propter reuerentiam, & honorem Christi Domini, propter cuius merita à peccato fuit præseruata. Dices, ergo neque Angeli, qui ex meritis Christi fuerunt præseruati debuerunt paradisum ingredi ante Christū. Resp. negando paritatem, quoniam

nium Angeli præfuerũt Christo, at B. Virgo fuit simul cum Christo, idcirco debuisset exp. ctare ingressum Christi, propter reuerentiam. Ad 4. resp. effectus baptismi esse decorare hominẽ charactere fidei, ad eiusdẽ fidei, aliorumq; sacramentorum misteria ingressum præbere, gratiam baptismalem conferre, quæ fit ex se culpæ originalis expiatrix, si verò adest talis culpa, actu illam abolere; in B. Virgine baptismus habuit omnes effectus, præter vltimum; & quidem argumẽtum vrgere posset etiam in baptismo adulti iam priùs contriti, in quo nullum adest peccatum originale. Eadem difficultas fieri potest de Sacramento veteris legis instituto ad delendum originale peccatum, quod, certum est, fuisse à B. Virgine susceptum. Ad vltimũ commodiùs respondebimus infra num. 40. & seq.

37 Contra 2. conclus. arguitur primò authoritatibus adductis contra primam conclus. præcipuè ex D. Paulo acceptis, nam Apostolus æquè loquitur de redemptis à Christo, & de mortuis in Adamo, ergo sicut nemo excipitur à redemptione Christi, ita nemo excipi debet à morte, seu peccato in Adamo, ergo B. Virgo saltim in Adamo peccauit, quod est, contraxisse debitum peccati, non enim apparet aptior explicatio illarum authoritatum. Tùm 2. si B. Virgo non habuit debitum peccandi, ergo si in instanti conceptionis non habuisset gratiam, iam non contraxisset originale peccatum, quia priuatio gratiæ tunc est peccatum, quando gratia est debita, hoc autẽ est falsum, alioquin Virgo non indiguisset gratia Dei, vt euitaret peccatum. Tùm 3. si B. Virgo non amisit ius ad habendam gratiam, quod in Adamo habebat, quia in Adamo non peccauit, sequeretur, B. Virginem independenter à Christi meritis iustificatã fuisse, quod est hæreticum, nam omnis nostra iustificatio est ex meritis Christi; sequela prob. quia ius, quod habuit Adam transferendi gratiam in posteros, si non peccasset, fuit independens à meritis Christi.

38 Resp. authoritates D. Pauli adduci à Concil. Trid. in decreto de peccato originali, ex quibus infert Concilium, peccatum originale omnibus inesse, & consequenter illas intelligi, explicatq; non de debito, & de peccato originali in potentia, seu contrahendo, sed de peccato originali, prout actu contrahitur, à quibus tamen deinde excipit B. Virginem, ergo voluntariè authoritates illæ explicantur de debito; eò præsertim quòd Apostolus loquitur de morte, nõ quidem in Adamo, sed in posteris. Vel si explicentur de debito, quoniam Concilium declarat, sub illis propositionibus vniuersalibus non comprehendi B. Virginem, iam ipsam quoq; excipit à debito peccati; non igitur vrgent illæ authoritates nostram sententiam. Ad 2. concedo primam conseq. & nego falsitatem cũ probatione, nam exceptio ista B. Virginis à pacto inito cum Adamo, & collatio gratiæ eidem Virgini fuit ex liberalitate diuina, & ex Christi meritis. Ad 3. procedit ex falso fundamento, quòd scilicet B. Virgo habuerit ius ad gratiam in Adamo, ac si duæ leges fuerint à Deo Adamo impositæ, altera de transfusione gratiæ in posteros, altera de amissione gratiæ propter peccatum, & transfusione originalis culpæ, & sic B. Virgo fuerit in prima lege inclusa, non in secunda; quod tamen est falsum, quoniam lex, quæ præcipit aliquid, prohibet quoq; contrarium. Ius igitur, quod habuit B. Virgo ad habendam gratiam, non acquisiuit in Adamo, sed antecedenter in secundo signo ex meritis Christi præuisis. Tùm quia ex disp. 13. q. 4. gratia Adamo concessa fuit à meritis Christi dependens.

39 Secundò arguitur, B. Virgo fuit redempta à Christo, Lucæ 1. *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, idest, *in Christo salutari meo*, vt exponunt Patres, præcipuè D. Bernardinus tom. 4. serm. 8. de septem flammis amoris Dei, vbi ait, *B. Virgo exultauit in Deo salutari suo; quasi dicat, singularis Saluator meus* & serm. de Assumpt. appellauit B. Virginem primogenitam Redemptoris; sed si B. Virgo caruit etiam debito peccati, nullo modo potest dici redempta à Christo, ergo &c. min. prob. authoritate Zosimi adducta num. 35. Tùm quia in hoc differt emere à redimere, nam emere id dicimur, quod est alienum, redimere verò, quod erat nostrum, sed alteri venditum, ergo vt B. Virgo diceretur à Christo redempta, debebat saltim propter debitum esse vendita peccato. Tùm 2. non dicitur aliquis redemptus, eò quia poterat vendi, sed non venditur, sed quia iam erat sub potestate alterius, vel debebat ex obligatione tradi sub alterius potestate. Tùm 3. tunc persona redimitur, quando soluitur pretium pro ea, sitq; compensatio, sed non fit solutio, aut compensatio, nisi persona sit, aut debeat esse sub alterius potestate, ergo &c.

40 Resp. ex Scoto hic, duplex esse redemptionis genus, alterum subleuatiuum, præsupponens miseriam, alterum præseruatiuum custodiens ab incursione miseriæ; quæ distinctio expresse habetur à D. Dionisio de diuinis Nomin. c. 8. D. Aug. in Psal. 85. D. Bern. ser. 22. in Cant. vbi hac ratione vocat Christum redemptorem Angelorum, quatenùs illos à casu potestate defendit; quod etiam docet Sophronius in epist. de Assumpt. vbi ait, *Angelorum quamuis celsior natura sit, (facta comparatione cum B. Virgine) nõ tamen gratia maior, quia ipsi gratuita gratia, nè corruerent, saluati sunt; vnde Dauid, verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quod spiritu oris eius omnis eorum virtus subsistit, constat, B. Virginem ampliora promeruisse virtutum priuilegia, & gratiam percepisse ab ipsis Angelis collaudatam, vnde & si mirabilis est eorum virtus, ac firmitas perpetuitatis, mirabilior tamen in Maria.* Quibus verbis non solùm ostenditur, Angelos dici saluatos gratia præseruatiua, verùm etiam B. Virginem perfectiorem habuisse gratiam, perfectioraq; priuilegia; & consequenter quia gratia præseruatiua est perfectior, quàm subleuatiua, sequitur, hanc præseruatiuam gratiam fuisse B. Virgini communicatam.

41 Ad argum. igitur distinguo min. nõ diceretur redempta redemptione subleuatiua, concedo, præseruatiua, nego, probationes procedunt de prima redẽptione, non de secunda. Neq; ad præseruationem requiritur debitum, & obligatio, sed sufficit potentia quædam, vt patet in præseruatione ab actuali peccato, ad quod homo non habet debitum, sed potentiã; idẽ dici debet de præseruatione ab originali, ad quod sufficit illa potentia, seu debitum remotum, quatenùs B. Virgo, sicut agnouit Adamum vt caput in genere naturæ, ex hoc poterat agnoscere vt caput in genere moris, si fuisset in pacto inclusa.

42 Secundò arguitur, & est impugnatio præcedẽtis solutionis; B. Virgo fuit præseruata ex meritis passionis, & mortis Christi, & sanguis Christi fuit etiã pro B. Virgine fusus, nam dictum Pauli *Christus pro nobis mortuus est*, verificatur etiam de B. Virgine; & expresse habetur in oratione, quæ à nostra Religione

recitatur

recitatur in festo Immaculatæ Conceptionis, *Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus, vt qui ex morte eiusdē Filij sui præuisa eam ab omni labe præseruasti, &c.* sed mors, & passio Christi nonnisi post præuisionem peccati Adæ fuit decretata, ergo B. Virgo non fuit præseruata ab inclusione in pacto inito cum Adamo, sed in illo inclusa, & consequenter habuit debitum,

43 Resp. assumptum potest habere duplicem sensum; primus est, quòd Christus vt prẹseruaret B. Virginem, sit pro ipsa passus, & mortuus, & hic sensus est falsus, quoniam præseruatio à peccato, & debito cōtrahendi, seù exclusio à pacto fuit ex meritis Christi à passione indepēdētibus, nec fuit necessaria Christi mors ad præseruandam, & iustificandam B. Virginem. Secundus sensus est, quòd Christus etiam propria morte, & sanguine proprio meruerit B. Virgini istam prẹseruationem, & hic sensus est verus; nam vt diximus disp. 7. nu. 113. & seq. loquendo de toto ordine incarnationis, quamuis omnes actus Christi diuisim accepti fuerint ex se meritorij, attamē per omnes simul adẹquatè meruit, & omnes fuerunt ad actū passionis ordinati, tanquam ad perfectissimum, & omnibus actibus simul sumptis per modū vnius adæquati meriti Christus ius acquisiuit ad prẹmium; vnde per propriam mortem sibi meruit corporis gloriā, nominis exaltationem, Angelis etiam per mortem propriam meruit gratiam, non tamen pro se ipso, & pro Angelis est mortuus, quia mors non fuit necessaria ad merendum sibi, & Angelis, cum per actus à morte, & passibilitate carnis independentes sufficientissimè meruerit; idem de B. Virgine dicendum; & in hoc sensu explicandæ sunt authoritates adductẹ.

44 Dices, ergo eiusdem effectus plures causẹ totales, quoniam merita à passione prẹscindentis fuerunt causa præseruationis B. Virginis in secundo signo, & merita passionis fuerunt etiam eiusdem præseruationis causa, quod implicat in Scoti sententia. Resp. ex dictis ibid. non fuisse causas totales æquè concurrentes, sed subordinatas, nam merita à morte independentia fuerunt postea ad passionem ordinata; & eadē difficultas est de nominis Christi exaltatione. Posset quoq; responderi cū opinione adducta num. 25. quòd sicut ex Adæ peccato B. Virgo amisit aliquos gradus gratiẹ, è contra per passionem Christi acquisiuit illos gradus, & consequenter non sunt causæ totales eiusdē effectus, sed intensioris. Cẹterùm quomodò possit B. Virgo dici immunis à debito in sententia Thomistarum asserentium, incarnationem post prẹuisum peccatum fuisse decretatam à Deo, varij sunt modi dicendi, quos refert Salazar citatus; verum est, quòd difficiliùs saluatur hæc immunitas in sententia Thomistarum, quàm in nostra sententia.

Articulus Tertius.

De alijs donis, & gratijs supernaturalibus B. Virginis.

45 AD alias perfectiones, & dona B. Virginis progredimur explicanda, & primò num caruerit fomite, fomes enim peccati maximam affinitatem habet cum peccato originali, sicut effectus cum sua causa. Pro cuius resolutione recolendum est ex disp. 12. num. 188. fomitem dupliciter sumi, vel in actu secundo, & est actualis motio appetitus sensitiui præueniens rationem circa obiecta delectabilia, & rationi contraria; vel sumitur in actu primo, quomodò dicit ipsum appetitum sensitiuum, vt proximè inclinatum, & expeditum ad prædictam motionem. Hic fomes dicitur ligari ex remotione occasionum per specialem Dei prouidentiam; dicitur etiam extingui, nō solùm per subtractionem concursus ad actus illicitos, sed etiam per infusionem quorūdam habituum, tàm in potentijs inferioribus, quibus delectabiliter obediunt superiori rationi, & voluntati, quàm in ipsa voluntate, quæ delectabiliùs tendit in proprium obiectum, quàm in obiecta potentiæ sensitiuæ, in quibus habitibus consistit donum originalis iustitiẹ, vt nunc suppono, & explicat Doctor in 2. d. 29.

46 Sunt, qui asserunt, B. Virginem habuisse saltim fomitem in actu primo, ligatum quidem in prima sāctificatione animẹ, sed extinctum in secunda, scilicet in incarnatione. Alij variè quoq; distinguunt.

47 Faciliter tamen dirimitur dubitatio, negando omnem fomitem in actu secundo, & in actu primo à B. Virgine, vtpotè à primo instanti conceptionis extinctum per donum originalis iustitiæ. Ita communiter Doctores, qui B. Virginem eximunt ab originali labe cum Scoto in 3. d. 3. q. 1. Et quidem de fomite in actu secundo expressè habetur à D. Cypriano serm. de Christi Natiu. vbi de B. Virgine sic ait, *Legem mentis lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietē spiritus affligebat.* Suadet quoq; ratio, quoniam puritas, & immaculata B. Virginis innocentia, & sanctitas exigebat, vt omne inordinatum, & turpe alienum esset à mente, & corpore Dei genitricis.

48 De fomite in actu primo, quòd fuerit prorsùs extinctus, ostenditur, quoniam in statu innocentiæ fuisset talis fomes extinctus in hominibus, ergo quoniam B. Virgo fuit innocens concepta, & à peccato originali, eiusq; debito immunis, non est, cur fomitem in ipsa aliquo pacto debeamus admittere, sed hūc prorsùs extinctum fuisse debemus asserere; eò vel maximè quòd in maiorē laudem, & gloriam B. Virginis cedit, nec vllam in se implicantiam infert.

49 Dicas; B. Virgo à multis Patribus dicitur in Incarnatione purgata, & mundata, ergo saltim tunc fuit extinctus fomes. Tùm quia fomes in actu secundo facit ad maiorem sanctitatem propter victoriam voluntatis non assentientis, vt dicebat D. Paulus, *Virtus in infirmitate perficitur*; ergo fuit in B. Virgine. Tandem B. Virgo fuit in perfectione inæqualis Christo, ergo non debuit habere extinctionem fomitis, quæ in Christo fuit, aut saltim non ante ipsum Christum.

50 Resp. dicitur B. Virgo purgata, non quia præcedebat sordes in ipsa, sed propter gratiæ augmentum, per quod magis custodiebatur ab omni sorde, quæ potuisset contingere. Ad 2. verum est assumptū, sed perfectior sanctitas, & innocentia est illa, quẹ his imperfectionibus caret; vnde Christus non assumpsit hanc imperfectionem. Ad 3. sufficit ad inẹqualitatē, quòd B. Virgo tale donum acceperit ex meritis Christi.

51 Ex his deducendum, B. Virginem habuisse donum iustitiæ originalis, non quidem quò ad omnes effectus, quos in statu innocentiæ tribuisset, scilicet immortalitatem, impassibilitatem quandam, & similia,

lia, sed quò ad præcipuos, qualis est subiectio potentiarum sensitiuarum rationi cum delectatione, & totius animæ ipsi Deo.

52 Secundò in eodem conceptionis instanti non solùm habuit sanctificantem gratiam, & actualem, sed etiam omnes alias virtutes, tùm theologicas, & per se infusas, tùm morales, & per accidens infusas; & quoniam erat viatrix, nec simul in statu comprehensoris, vt fuit Christus, idcirco fidem, & spem habuit, vt alij viatores; insuper gratias gratis datas, & dona Spiritus Sancti; nec debemus denegare scientiam infusam per species angelicis perfectiores circa res creatas, neque cognitionem omnium misteriorum Dei, saltim quò ad substantiam, quamuis ignorauerit quo ad aliquas circumstātias; imò & independentiam intellectus à phantasmatibus, nam si modus intelligendi cum dependentia secundùm Scotum in lib. de Anima q. 18. fuit in pœnam peccati hominibus inflictus, vt dixi disp. 11. num. 82. sequitur euidenter, B. Virginem omni peccato expertem non habuisse intellectum alligatum sensibus. Deducitur quoq; ex his, ab instanti conceptionis habuisse rationis vsum, non transeunter, sed permanenter, quod quidem magis ostēditur ex hoc, quòd talis vsus fuit Ioanni Baptistæ in sanctificatione concessus, dum adhùc in vtero matris detinebatur, vt euidenter colligitur ex Luc. 1. *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*, ergo multò magis de B. Virgine hoc confiteri debemus. Vnicum autem fundamentum horum omnium est dignitas maternitatis Dei, quæ sicut extollit B. Virginem supra omnem creaturam, ita quoq; exigit ipsam ornatam omni virtute, & pulchritudine supernaturali tàm mētis, quàm corporis.

53 Tertiò ex hoc, quòd habuerit rationis vsum, dubitatur, nùm B. Virgo fuerit sanctificata per propriam dispositionem, scilicet per actus fidei, vel spei elicitos ab ipsa anima per auxilium gratiæ actualis, quomodò iustificantur adulti. Affirmant Suarez 3. p. tom. 2. disp. 3. sect. vlt. & Auersa q. 27. sect. 13. Fundamentum est, quia perfectius est habere gratiam ex merito præuio de congruo, quàm sine tali merito.

54 Oppositum est verius, nam quamuis B. Virgo habuerit vsum rationis in conceptionis instanti; attamen non priùs intelligitur operans, quàm intelligatur completè perfecta in actu primo, habitus autem spectant ad actum primum, dispositio præuia ad gratiam spectat ad actum secundum, ergo gratia præcessit cum omnibus habitibus supernaturalibus, sicut diximus de Christo disp. 13. q. 2. aliter B. Virgo in eo instanti naturæ, in quo poterat cōuenire gratia, quod est secundum instans (in primo enim intelligitur natura, & substantia ipsius animæ) adhùc non intelligeretur in gratia. Tùm quia actus ille non fuisset perfectus, quia non processisset ex habitu gratiæ, & charitatis. Fuit igitur sanctificata ex Dei libertate, sed propter Christi merita præuisa; ita colligitur ex Scoto 3. d. 3. q. 1. E. vbi duo instantia naturæ assignat, primum, in quo fuit anima B. Virginis quò ad naturalē substantiam, alterum, in quo fuit eadem anima informata gratia, alijsq; supernaturalibus donis. Fundamentum non vrget; tùm quia meritum illud de congruo non est verum meritum, vnde non inducit obligationem ex iustitia, ideoq; licet dicat aliquam perfectionem, in se tamen habet admixtam imperfectionem, quatenùs non præsupponit actum primum perfectum, & gratum Deo, quæ imperfectio præponderat.

55 Quartò Gratia ista, cæteriq; supernaturales habitus in ipso conceptionis instanti fuerunt ita intensi, & perfecti, vt superarint gratiam, & habitus supernaturales aliorum Beatorum, non solùm quos in principio propriæ sanctificationis habuerunt, sed etiā quos in termino sunt adepti. Ratio sumitur ex ipsa maternitatis dignitate, qua B. Virgo fuit propinquior Christo, quàm quilibet alius Beatus; nec obscurè colligitur ex Isa. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*, & Psal. 86. *Fundamenta eius in montibus Sanctis*, idest fundamenta sanctitatis Virginis, quæ fuerunt prima gratia sanctificans, alijq; habitus supernaturales, excedunt altitudinem sanctitatis montium Sanctorum; reddit rationem, *Diligit Dominus portas Syon*, idest introitū Virginis in mundū, quæ fuit ipsius conceptio, *Super omnia tabernacula Iacob*, scilicet plusquàm alios Sanctos; vbi aduertendum, quòd non dicit *super omnes portas tabernaculorum Iacob*, sed *super omnia tabernacula Iacob*, quia non fit comparatio inter conceptionem Virginis, & conceptiones aliorum Sanctorum, sed inter Virginis conceptionem, & Sanctos ipsos in gratia cōsumata, itaut gratia prima B. Virginis excesserit apicem cuiusuis alterius gratiæ consumatæ.

56 Hæc omnia autem in progressu temporis multipliciter augebantur; nam quod attinet ad intellectum, in dies acquirebat nouam scientiam, tùm ex lectione Scripturarum, tùm experientia, & maximè reuelatione; quamuis enim nullam ignorantiam prauæ dispositionis debeamus admittere in B. Virgine, non tamen est necesse, omnem prorsus ignorantiam simplicis negationis denegare, quoniā negatio huius ignorantiæ non est de ratione status sanctitatis.

57 Gratia quoq;, seù charitas, alijq; habitus progressu temporis augebantur, & vsq; ad mortem intēsiores facti sunt, nam gratia, & charitas ex meritis augentur: Et licèt Scotus in 4. d. 4. q. 6. ad 2. videatur asserere, B. Virginem in Incarnatione accepisse plenitudinem gratiæ, vt postea nullum fuerit augmentū; attamen hoc non determinatè, sed sub dubio docet; & rectè quidem, non enim est verisimile, tot labores, & dolores pro Christo susceptos nō fuisse meritorios apud Deum, quia B. Virgo post Incarnationē adhùc erat in statu viæ, omnesq; conditiones habebat ad merendum requisitas. Nec est necesse asserere, Deum concessisse B. Virgini in Incarnatione omnem gratiā debitam meritis futuris per modum anticipatæ solutionis. Gratis enim affirmatur; tùm quia regulariter præmium non antecedit meritum; tùm quia idem esset causa, & effectus respectu eiusdem, nam gratia illa concurrebat ad elicitionem actuum, & consequenter erat illorum causa, qui tamen erant causæ illius gratiæ.

58 Solùm facit dubium, quod dicitur in Euangelio, *Aue gratia plena, Spiritus Sanctus superueniet in te*, vt scilicet superimpleret ipsam; quod quidem clarè indicat Dam. orat. 1. de dormit. Deiparæ. Sed resp. pro plenitudine gratiæ intelligi gratiā illam, quæ pro temporis opportunitate conueniens erat. Verum est, quòd quia radix totius gratiæ B. Virginis fuit dignitas matris, quam in Incarnatione actu obtinuit; potest dici, quòd tunc actu omnem gratiam accepit, nō formaliter, sed radicaliter; & in hoc sensu possunt explicari authoritates Scripturæ, & Patrum.

Inten-

59 Intendebatur autem ista gratia primò per sacramenta veteris legis, vt erat illud in remedium peccati originalis institutum, quamuis non habuerit in B. Virgine effectum illũ delendi peccatum originale, & cõferendi primam gratiam. Item per Sacramenta nouę Legis, vt sunt Baptismus, & Eucharistia. Confirmationem verò quò ad signum sensibile non accepit, sed tantùm effectum simul cum Apostolis in die Pentecostes, quoniam Sacramentum istud reiterari nequit; neq; suscepit Ordinem, propter sexus incapacitatem; neq; Pœnitentiam, quia expers erat omnis materiæ, tùm necessariæ, tùm sufficientis. An verò Extremam Vnctionem susceperit, est dubium; attamen si sustinetur, illum solum esse huius Sacramenti capacem, qui aliquando peccauit, tenenda est pars negatiua; sed si sufficit, quòd habeat vsum rationis, & aliquo modo possit peccare, affirmatiua pars asseri posset; sed prior opinio est verior.

60 Secundò intendebatur ista gratia per opera meritoria, quæ fuerunt continuò exercita, nulla enim otiositas erat in B. Virgine, quoniam potentias inferiores habebat perfectissime subditas superioribus, nec aliquod opus indeliberatum, aut indifferens elicuit, quia semper habebat mentem sursum erectam, & omnia ex motiuo charitatis exercebat, imò tempore dormitionis actu merebatur, tùm propter independentiam intellectus à phantasmatibus, tùm quia propter perfectum sui corporis temperamentum, & moderatissimam viuendi rationem parùm somni indigebat; hùc spectat illud Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, & expressè habetur à D. Ambr. cit. disp. 13. num. 7.

61 Ex quibus aliqui Doctores piè deducunt, gratiam B. Virginis fuisse ferè immensam, & incomprehensibilem, quia inquiunt, actus meritorii merentur gratiam ad æqualitatem, vt si sunt intensi vt quatuor, merentur quatuor gradus gratiæ; in B. Virgine gratia non fuit otiosa, sed egit semper secundùm omnem actiuitatem suam, & consequenter habuit semper actus proportionatos, vt si gratia erat intensa vt decem, actus erat vt decẽ intensus; ex quibus principijs ostenditur intentum; nam supponamus, primam gratiam B. Virginis fuisse vt decem, primus actus elicitus fuit vt decem, & meruit decem gradus gratiæ, ita vt gratia euasit vt viginti; secundus actus ex hac gratia elicitus fuit vt viginti, & gratia euasit vt quatraginta, & hoc modo semper procedendo, in fine augmenti tanta fuit intensio perfectionis gratiæ, vt vix possit humano intellectu apprehendi, cum illi actus fuerint innumerabiles, quos sexaginta annorum spatio exercuit, itaut per vltimum actum tantam gratiam meruerit, quantam omnibus alijs simul sumptis meruerat. Sed quidquid sit de hoc computo; certum est, gratiam Beatæ Virginis excedere omnem gratiam aliorum Sanctorum, non solùm diuisim, sed etiam collectim sumptam (quamuis gratia Christi fuerit maior) quod colligitur tùm ex dignitate Matris, tùm ex amore Dei erga B. Virginem, tùm ex dictis Patrum, sed præcipuè ex illo Prouer. 31. *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tù verò supergressa es vniuersas.*

62 Præter hæc dona fuit etiam B. Virgini concessum donum claræ visionis Dei, dum adhùc in hac vita mortali extabat, non vna, sed pluribus vicibus, sed præcipuè tempore conceptionis, & natiuitatis Christi, vt est communis Doctorum, & Patrum sententia; si enim hoc donum fuit alicui Sancto concessum, vt de D. Paulo communiter fertur, multò magis id erit de B. Virgine affirmandum.

63 Tandem quia gloria correspondet gratiæ, & charitati, sicut gratia B. Virginis omnes alias in vnum collectas excellit, idem de gloria, & beatitudine dicendum, tàm quò ad intensionem, quàm quò ad extensionem, quia B. Virgo videt omnia, quæ ab alijs Sanctis videntur, quæ enim ad statum beatitudinis cuiuslibet Sancti pertinent, spectant quoq; ad statum beatitudinis Virginis Mariæ, quia omnes subditi, serui, ac spirituales filij sumus B. Virginis, ipsa enim singulari modo ad nostram salutem est cooperata Christo. Idem quoq; de gloria accidentali tàm animæ, quàm corporis dicendum; solùm dubitari solet de aureola Martirij; attamen propter excellẽtissimam fortitudinem, & charitatem habuit peculiarem ornatum, & decorem, siue hoc dicatur aureola Martirij, siue aliquid aliud eminentiùs, parùm refert, rectè enim B. Virgo propter dolores, quos in passione Filij sustinuit, appellatur Martirum Regina, omniumq; Sanctorum tàm Angelorum, quàm hominum. Hæc tetigisse sufficiat; vide Suarez 3. p. tom. 2. disp. 18. 19. & 20.

Quæstio Secunda.

An B. Virgo permanserit semper in virginitate, verumque matrimonium cum Iosepho contraxerit.

64 INter innumerabiles B. Virginis dotes vna est præcipua, & singularis, in qua, vt inquit D. Bern. serm. 4. Assumpt. *nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis honore*; idcirco virginitas, & maternitas B. Mariæ exactiùs explicari debent, & seorsim à cæteris; & primò de virginitate.

65 Ebionitæ, Carpocrates, Cherintus, & alij antiqui in Hæretici negarunt, B. Mariam virginem fuisse concipiendo Christum (nam quòd virgo permanserit vsq; ad Christi conceptionem, habetur Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam virginem*) quoniam illum concepisse docuerunt ex Iosepho per copulam carnalem. Iouinianus autem, Gualterus, & ex recentioribus Hæreticis Erasmus, & alij, quamuis concesserint, B. Mariam concepisse Christum in virginitate, affirmarunt quòq; illam amisisse in Natiuitate. Tandem Heluidius, Antidicomarianitæ, & nonnulli ex recentioribus asseruerunt, B. Mariam post Christi natiuitatem fuisse cognitam à Iosepho, & consequenter virginitatem amisisse.

66 Veritas tamen catholica est, Beatam Mariam semper virginitatem obtinuisse ante Christi partum, seù in conceptione, in partu, & post partum; ita definitum fuit in Concilio Ephesino Chalcedon. quinta, & sexta Synodis, & in alijs passim supponitur. Prima pars, quòd in statu virginali conceperit Christum (supponitur enim hic ex sequen. quæstione Christum verè ex B. Maria conceptum) prob. ex sacra Scriptura asserente, B. Mariam non ex virilis seminis commixtione, sed Spiritus Sancti

Nn virtute

virtute concepisse, Isa. 7. *Ecce virgo concipiet*, Matt. 1, *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto*, & infra, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, ibidem huius rei assignatur ratio, scilicet voluntas, & omnipotentia diuina, *Quia nõ erit impossibile apud Deum omne verbum*; & in Symbolo fidei, *Qui conceptus est de Spiritu Sancto*.

67 Secunda pars, quòd in Natiuitate Christi B. Maria permanserit virgo absq; læsione virginalis clausuræ, habetur in Symbolo fidei, *Natus ex Maria Virgine*; Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, iuxta communem Patrum interpretationem; & passim habetur in officijs Ecclesiasticis. Accedit ratio, quia duo corpora simul esse in eodem loco non repugnat de potentia Dei absoluta, vt ostensum est in Phys, disp. 11. q. 7.

68 Tertia tandem pars, licèt expressè nõ habeatur ex Sacra Scriptura, satis tamẽ deducitur ex illo Ezech, 44 *Porta hæc clausa erit, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa Principi*; quem locum de B. Mariæ virginitate post partum exponunt omnes fere Patres, innuiturq; in eadem authoritate congruentia huius virginitatis, quia scilicet intactus, & immaculatus custodiri debebat vterus ille, qui fuit officina Spiritus Sancti, & habitaculum diuini Verbi; hinc ab Ecclesia in diuinis officijs sæpesæpiùs celebratur hæc Mariana virginitas post partum.

69 Sed contra primam partem instant Hæretici, quoniam Luc. 2. Ioseph dicitur Christi pater, sicut B. Virgo dicitur mater, *Et erat pater eius, & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo*, & infra, *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*; Tum quia si Iosephus non fuisset verus Christi pater, frustra Euangelistæ originem Christi per genealogiam Iosephi explicassent. Tùm 3 Ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, sed mulier significat fœminam cognitam à viro, ergo &c.

70 Faciliter tamen obiectiones istæ diluuntur; & Ad 1 ex ipso euangelico textu respondetur, nam Luc. 3. habetur, *Vt putabatur filius Ioseph*, quare seipsum Euangelista declarat, intellexisse de paternitate secundùm communem existimationem; quod tamen nunquam fuit de B. Maria assertum; tùm quia Iosephus fuit pater per electionem factam à Christo, & quoniam Christus erat filius vxoris suæ. Secundum argumentũ petit longiorem discussionem euangelicæ historiæ de Genealogia Christi, de qua consule Expositores, pro nunc affero probabiliorem dicendi modum apud Recentiores valde acceptum, & innuitur à Scoto in 4. d. 30. q. 2. ad 2. Nam inquiunt, vtrunq; Euangelistam descripsisse Christi Genealogiam, naturalẽ ex parte materna, seù B. Virginis, & putatiuam ex parte Iosephi patris legalis ipsius Christi (non enim poterat describi Genealogia paterna naturalis, quia Christus caruit patre naturali) hinc adnotant, quod cum Lucas ait cap. 3. *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, &c.* relatiuum illud *qui* non refertur ad Iosephum, sed ad Christum, ac si per parenthesim apposita fuerint illa verba, *Vt putabatur filius Ioseph*, Heli autem, aiunt, esse Ioachim patrem B. Mariæ, & auum ipsius Christi, sic dictum, vel quia duplex nomen habebat, vel quoniam pro eodem habebatur Eliachim, & Ioachim, Eliachim autem per abbreuiationem dicitur Heli; hinc rationabiliter à Matthæo fuit Genealogia Iosephi descripta, quia pater legalis Christi, Lucas verò descripsit Genealogiam naturalem. Ad 3. falsum est, mulierem semper significare fœminam cognitam à viro, nam quãdoq; dicitur etiam de virgine, sic Martha mulier vocatur Luc. 10. & tamen fuit virgo.

71 Contra secundam partem est authoritas Exod. 13. & Num. 8. relata à Luc. c. 2. *Omne masculinum adaperiens vuluam Sanctũ Domino vocabitur*, quæ authoritas à multis Patribus singulari modo explicatur de Christo, vipotè qui in natiuitate aperuit vuluam, vbi alij infantes præsupponunt illam iam apertam in conceptione; ergo si claustra virginalia Christus aperuit, B. Maria non fuit virgo in natiuitate Christi. Resp. quod apertio vuluæ duo dicit, primum est transitus, & egressio infantilis corporis è vulua, secundum est abscissio, & dilatatio partium vuluæ, alij infantes adaperiunt vuluam quò ad vtrumq;, Christus verò quò ad primum solum, & in hoc sensu explicari debent Patres, imò & seipsos declarant, hinc Euthym. Luc. 2. *Solus Christus non dum apertam supernaturaliter aperuit, & clausam naturaliter conseruauit*.

72 Contra tertiam partem instatur, nam Matt. 1 *Antequam cõuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto*, & infra, *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*, quibus verbis datur intelligi, B. Mariam post Christi natiuitatem à Iosepho fuisse cognitam, aliosq; filios peperisse, Christum verò fuisse primogenitum. Imò legimus cap. 13. Christum habuisse fratres, & sorores, *Nonne hic est filius fabri, nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius nonne omnes sunt apud nos?*

73 Hæc quoq; difficultas spectat ad historiam euangelicam, & quidem illis verbis, inquiunt Patres, voluisse Euangelistam ostendere, quid factum non fuerit ante Natiuitatem, in quo tempore præcipue suspicari poterat talis coniunctio; non autem indicasse copulam aliquam post natiuitatem; similiter Christus dicitur primogenitus, non per relationem ad posteriores, sed per negationem ad priorem. Illi verò, qui fratres, & sorores Christi vocantur, non fuerunt fratres germani, & filij B. Mariæ, sed alio consanguinitatis gradu coniuncti Christo, si enim Iacobus, & Iudas, qui inter Apostolos erant comprehensi, erant filij B. Mariæ, cur Christus in cruce illam Ioanni commendauit? præcipue quia Iacobi sanctitas erat apud omnes manifesta, quoniam illi soli licebat ingredi Sancta Sanctorum; fuerunt igitur isti filij alterius Mariæ vxoris Alphæi, & Cleophæ, siue isti fuerint duo viri, siue vnus duobus nominibus appellatus, quæ Maria fuit soror B. Virginis filia S. Annæ, aut saltim consobrina, filia sororis, vel fratris Annæ, vel Ioachim; idem de sororibus dicendum, & numerantur duæ Hester, & Thamar. Eandem quoq; consanguinitatẽ reperiri docent alij inter Christum, & filios Zebedæi Iacobum maiorem, & Ioannem, siue Salome mater, & vxor Zebædei fuerit soror, vel germana, vel consobrina B. Virginis.

74 Secundò principaliter instatur, quia in veteri lege status continentiæ erat prohibitus, aut saltim minùs bonum, quàm coniugium, ergo B. Maria non debuit seruare virginitatem; assumptum probatur, quia infœcunditas pro opprobrio, & maledictione habebatur.

tur. Resp. nunquam virginitatem fuisse prohibitam, nam etiam in veteri lege Elisæus, Ieremias, Daniel, Ioannes Baptista, & alij virgines fuerunt; neq; reperitur preceptum aliquod prohibens continentiam, vel præcipiens coniugium, hoc enim foret illud Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini*, quod quidem non obligat, nisi in casu communis necessitatis; & Sap. 3. commendatur virginitas, *Felix est sterilis, & incoinquinata*; quapropter negatur assumptum, & ad probat. resp. sterilitatem pro maledictione haberi nõ absolutè, sed supposito coniugij statu, sicut fœcunditas pro beneficio, & benedictione reputatur.

75 Tertiò instatur, quoniam B. virgo verum contraxit matrimonium cum Iosepho, ergo saltim non seruauit virginitatem in mente; antec. patet ex Euangelio, in quo B. Maria vxor, & coniux Iosephi dicitur, estq; communis Theologorum sensus; conseq. prob. quoniam contrahens matrimonium in aliquid aliud consentit, quàm in cohabitationem, nam sic frater, & soror possent consentire, tale autem non videtur aliud esse, quàm carnalis copula, si non in executione, saltim in animo, & intentione, ergo si B. Maria habuit talem animum, iam non seruauit semper virginitatem in mente.

76 Pro solutione huius difficultatis primò supponendum est cum Scoto 4. d. 30. q. 2. quem potior Theologorum pars sequitur, B. Virginem semper habuisse firmum propositum, & absolutum votum seruandi virginitatem, contra D. Tho 3. p. q. 28. art. 4. & alios asserentes, non habuisse B. Virginem ante desponsationem firmum propositum colendæ virginitatis, sed simplex desiderium, aut votum conditionatum, si scilicet Deo placuisset; post desponsationem autem ex speciali concessione diuina vouisse virginitatem. Contra, ait Doctor, in omni voto, quantumcunq; absoluto, debet includi hæc conditio, si Deo placet, nullus enim offert aliquid Deo, velit, vel nolit Deus, nam ista oblatio non esset ordinata, ergo quamuis B. Virgo vouisset cum ista conditione, adhuc tale votum fuit absolutum, non conditionatum. Et quidem quòd tale votum fecerit, colligitur, inquit Doctor, ex interrogatione facta Gabrieli, *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quæ interrogatio vana fuisset, nisi priùs firmum propositum, & votum virginitatis fecisset; & quoniam B. Virgo semper operata est perfectius, & melius, certè tale votum ab initio confecit, non enim est ratio aliqua vrgens, cur debuit differre vsq; ad incarnationis tempus.

77 Deinde supponendum cum eodem Scoto cit. inter B. Virginem, & Iosephum fuisse verum matrimonium per mutuum consensum, & verba de præsenti. contra Gratianum in cap. *Quod autem*, & cap. *Statutum*, & cap. *Institutum*, 27. q. 2. & Michaelem Medinam lib. de Sacror. homin. contin. c. 61. & alios asserentes, matrimonium istud solùm per verba de futuro fuisse contractum, & consequenter fuisse sponsalia, nõ verum matrimonium; fundantur, tùm in quorundam Patrum authoritatibus negantium, B. Mariam fuisse veram vxorem, & coniugem, sed solùm sponsam; tùm in ratione adducta num. 75. Quæ opinio vtiq; est falsa, tùm quia B. Virgo coniux, & vxor in sacra Scriptura vocatur, Tùm quia copula carnalis, aut animus huius copulæ non est de ratione matrimonij, & consequenter nullum est fundamentum opinionis oppositæ. Tùm quia si interfuit matrimonium per verba de futuro, ergo post transactum aliquod tempus debuit interuenire matrimonium per verba de præsenti, tùm ob honorem B. Virginis, tùm propter eiusdem fidelitatem prommissi. Et tandem quia non minùs videtur repugnare cum voto virginitatis matrimonium per verba de futuro, quàm per verba de præsenti, vtrumq; enim videtur includere consensum ad copulam carnalem; ergo æqualis est in vtroq; difficultas, iuxta illud in cap. *Vouentibus*, 29. q. 1. *Vouentibus virginitatem, non solùm nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.*

78 Quòd autem verum matrimonium sit cum voto virginitatis compossibile, explicat Doctor cit. supponendo, quòd in matrimonio primò est consensus cohabitandi simul in eadem domo, & in mutuis obsequijs, & hoc non sufficit ad verum matrimonium; Secundo est mutua traditio dominij, & potestatis corporum inter coniuges per consensum, & hoc facit matrimonium verum, sed ratum; tertiò est vsus talis dominij, qui consistit in copula carnali, & hic vsus facit matrimonium consumatum; quæ omnia possunt ad inuicem separari, potest enim inter duos dari simultanea cohabitatio absq; dominio, & vsu, potest etiam dari dominium absq; vsu, vt in vouentibus castitatem statim post consensum matrimonij, & in vxore fornicaria, quæ licèt retineat dominium corporis mariti, tamen propter peccatum amittit vsum; & tandè potest dari vsus sine dominio, vt est euidens; vsus non est de essentia matrimonij, vt omnes concedunt, sed sufficit mutua traditio dominij, & potestatis in corpus alterius coniugis; quod ostenditur, quia sic cõtrahentes non possunt altero viuente ad alias nuptias conuolare; & si vnus ipsorum cum alia persona peccaret, cõmitteret peccatum adulterij, non simplicis fornicationis, & tàdem si deinde carnaliter inter se coniungerẽtur, non peccarent peccato fornicationis, sed tantùm contra votum, & prommissionem factam.

79 Hæc autem mutua traditio dominij in corpora ad inuicẽ potest dupliciter euenire, vel cum dubietate futuri vsus talis dominij, vel cum certitudine negationis talis vsus; primo modo consensus ille videtur incõpossibilis cum voto virginitatis, nam contrahens, dum concedit alteri coniugi dominium sui corporis, dubitatq; an coniux petet vsum illius dominij, vel habet animum consentiendi, & sic est contra votũ virginitatis iam factum, vel habet animũ dissentiẽdi, & hoc est contra traditionem dominij, quod alteri coniugi cõcessit, vnde & peccaret; at secundo modo potest stare cum voto virginitatis, quoniam vsus est, qui virginitati opponitur, non autem dominium.

80 Ex his infert Doctor, B. Virginem verum contraxisse matrimonium cum Iosepho, ratum, & non consumatum, quoniam fuit certa, quòd Ioseph nunquam petijsset vsum talis dominij; si enim, ait Scotus, Ioseph fuit ab Angelo instructus de virginitate, & Sanctitate B. Virginis, dum apparens in somnis dixit, *Noli timere, accipere Mariam coniugem tuam*, &c. multò magis, imò indubitanter asserendum, fuisse B. Virginem ab Angelo edoctam de virginitate, & integritate Iosephi, dicente, *Noli timere Maria, accipere Iosephum virũ iustum, in coniugem, ecce enim Spiritus Sanctus dabit eum tibi custodem, & testem virginitatis*, &c.

81 Ex quibus patet ad rationem dubitandi; & in hoc sensu quoq; possunt explicari Patres negantes verum matrimonium inter B. Virginem, & Iosephum, quòd scilicet loquantur de matrimonio consumato, non de matrimonio rato.

Quæstio Tertia.

De dignitate Maternitatis Dei.

82 HAc in re primò affirmandum contra Nestorium, & alios hæreticos, B. Virginem fuisse veram Christi matrem, & consequenter quia Christus est verus Deus, rectè dici matrem Dei; ita fuit determinatum in Concil. Ephes. & habetur expressè Ioan. 2. *Erat mater Iesu ibi*, Luc. 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* hinc in Symbolo fidei de Filio Dei dicitur, quòd conceptus, & natus sit ex Maria Virgine; & ratio huius patebit ex dicẽdis, quia scilicet B. Virgo verè cooperata est ad formationem corporis Christi, sicut aliæ Matres.

83 Sunt tamen hic obiectiones aliquę leuioris momenti, quas soluere oportet, antequam ad potiores difficultates accedamus. Arguitur igitur primò ex hoc, quòd Christus in Euangelio non matrem, sed mulierem vocat B. Virginem, Ioan. 2. *Quid mihi, & tibi est mulier*, & cap. 19. *Mulier ecce filius tuus*; Matt. 12. cuidam dicenti, *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te*, respondit Christus, *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Tùm 2. Dam. lib. 3. de fide c. 12. ait, *Genitricem Christi nequaquam dicimus B. Virginem*. Tùm 3. B. Virgo nõ habuit concursum ad vnionem hypostaticam efficiendam, qua hic homo dicitur filius Dei, & Deus; ergo non dicitur propriè mater Dei, nec generasse Deum. Tùm 4. in qualibet generatione generatur aliquod suppositum, hic nullum suppositum fuit generatũ, ergo &c. Tùm 5. maternitas, & virginitas opponuntur. Tãdem actiuum, & passiuum sunt relatiua mutua; sed mater ad patrem se habet vt passiuum ad actiuum ex Arist. 1. de gen. anim. c. 19. ergo mater, & pater sunt relatiua mutua, sed nullus fuit pater Christi hominis, ergo &c.

84 Resp. communiter, Christum appellare B. Virginem mulierem per excellentiam, & anthonomasiam, vt ostenderet, esse illam mulierem, de qua dictum est Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierẽ*, quomodò etiam ipse Christus dicitur filius hominis, idest filius Virginis Mariæ. Vel dicendum cum Cantino disp. 7. c. 3. morem esse quarundam Nationum, vt præcipuè sunt Insubres, matrem vocare mulierem, qui mos fortè erat apud Iudæos. Quando autem dixit, *Quæ est mater mea*, nõ negauit, B. Virginem esse Matrem, sed instruxit auditores, non esse derelinquendam verbi Dei prędicationem propter parentes. Ad 2. resp. Scotus 3. d. 4. nolle Damascenum vti hoc vocabulo, nè in verbis conueniret cum Nestorio concedente, B. Virginem esse matrem Christi, nõ tamen Dei, intelligendo per Christum purum hominẽ, hinc subdit, B. Virginem dici debere matrẽ Dei, nõ Christi. Ad 3. satis esse, vt in eodem instanti, in quo actio matris fuit ad humanitatẽ terminata, fuerit facta hæc vnio, sicut Iudæi dicuntur Dei interfectores, quia solùm humanitatem destruxerunt, ad quod vnionis destructio consequebatur. Ad 4. hic suppositum diuinum fuit vt *Quod* generatum, non simpliciter, sed vt subsistens in natura humana, quomodò est vnum per se substantiale. Nec si inferas, ergo terminus primus generationis est natura, nõ Christus. Non valet, quia natura non se habet vt terminus totalis, & adæquatus, sed potiùs vt formalis ex disp. 2. q. 1. & 4. Ad 5. assumptum esse verum de maternitate cum virili concursu, qualis non fuit in B. Virgine. Ad vlt. vera est maior de actiuo, & passiuo in communi, non in particulari, modò mater dicit respectum ad aliquod actiuum, nõ necessariò creatum, & in præsenti fuit increatum, scilicet Spiritus Sanctus appropriatè.

85 Cæterùm, quia mater respicit filium, ad quem fundat relationem realem, propter actionem, & concursum, quem præbet in productione filij, filius quoq; dicit relationem ad matrem, vt ab illâ, à qua in suo ordine accipit esse, pro clariori notitia maternitatis B. Virginis erga Christum, videndum est primò de actione, quam B. Virgo exercuit in conceptione corporis Christi; secundò de relatione illa maternitatis in Virgine, & filiationis in Christo; & tandem num B. Virgo meruerit hanc supremam dignitatem maternitatis, & quomodò.

Articulus Primus.

De concursu B. Virginis in conceptione Christi.

86 ADuertendum ex Scoto 3. d. 2. q. 3. & d. 4. q. vn. vt fusè declaraui in lib. de Gen. disp. 8. q. 2. in generatione hominis hæc omnia interuenire ex parte mulieris. Primò est motus localis, quo materia corporis generandi defertur ad proportionatum locum generationis; hæc autem materia non est tantùm sanguis menstruus, sed etiam verum semen, quoniam ex dictis ibidem mater actiue etiam cõcurrit ad generationem. Secundò est figuratio corporis generandi, qua illa materia in diuersas partes distribuitur, & in diuersas figuras delineatur, in qua aliquis motus localis etiam interuenit. Tertiò est condensatio, & alteratio illius materiæ, vt in ipsa possit forma corporeitatis introduci; cui etiam est annexus motus quidam localis, quo partes illæ condensatæ minorem occupant locum. Quartò est ipsa organizatio corporis, quæ in inductione formæ corporeitatis consistit. Quintò est animatio, quæ consequitur perfectam organizationẽ corporis, taut in eodem instanti, in quo perficitur organizatio, fit etiam animatio; & in nobis ista organizatio nõ fit ante animationem secundùm omnes partes, sed solùm secũdùm principales, vt sunt cerebrum, cor, iecur, & similia; & fit spatio circiter quadraginta dierum. Tandem est augmentatio corporis ad debitam quantitatem, quam comitatur motus localis, sicut in qualibet alia auctione.

87 In præsenti non est sermo de isto vltimo, quia augmentatio corporis Christi in hoc fuit similis nostræ augmentationi. De animatione etiam est certum, quòd in eodem instanti, in quo fuit terminata organizatio, fuit etiam facta animatio, & vnio hypostatica. Difficultas igitur est primò de materia subministrata à B. Virgine, an fuerit sanguis menstruus simul cum semine, an simplex sanguis. Deinde an ille motus localis, insuper figuratio, & condensatio, & corporis organizatio fuerint facta in tempore, vt in nobis, an verò in instanti; præsertim quia organizatio corporis Christi non fuit solùm secundùm partes principales, sed etiam secundùm omnes partes, quia sic Christum decebat, & communiter asseritur à Patribus. Et tandem quo pacto in his B. Virgo se gesserit.

Primò

88 Primò igitur statuendum est, B. Virginem subministrasse materiam pro cõceptione corporis Christi, nam Christus verum corpus humanum sumpsit, habuitq; progenitores Patriarchas, Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*; Psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; Ad Rom. 7. *Qui factus est ei ax semina David secundùm carnem*; Ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*, vbi notandum, quòd non ait *factum in muliere*, sed *ex muliere*, vt denotaret subministrationem materiæ; estq; veritas hæc de fide.

89 An verò hæc materia fuerit sanguis menstruus, vel etiam semen, pendet ex illa quæstione philosophica, an mater actiuè concurrat ad generationem decidendo semen, an solùm passiuè ministrando solùm sanguinem. Thomistæ cum Aristotele hanc secundã partem tuentur. Scotus verò cum Medicis primam defendit in 3. d. 4. q. vn. estq; communior, quam inter cæteros sustinet Ioannes Baptista Poza in suo Elucidario Deiparæ damnato lib. 2. tract. 5. cap. 4. & seq. vbi etiam docet, B. Virginem respectu Christi *Patrimatrem*, vel *Matripatrem* dici debere, quoniam, ait, suppleuit viri concursum.

90 Hæc tamen difficultas fusè dilucidata est in lib. de Gen. disp. 8. q. 2. art. 2. vbi cum Scoto ostendi, matrem verè actiuè per seminis decisionem concurrere ad generationem; & nè dicamus, B. Virginem habuisse imperfectiorem concursum in conceptione Christi, quàm aliæ matres, asserendum, ipsam subministrasse totum id, quod ab alijs præbetur (cautè tamen est in hac materia loquendum, nè pias aures offendamus) Tùm quia non sunt multiplicanda miracula sine necessitate, ergo si corpus naturaliter generatur ex sanguine, & semine mulieris, idem de Christi corpore dicendum. Hinc Dam. exponens illud Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*, 3. de fide c. 48. ait, *Virtutem tribuens susceptiuam, simul autem, & generatiuam*, quę generatiua virtus dicit actiuitatẽ, aliter à susceptiua non differret; & B. da lib. 4. in Lucam c. 49. inquit, *Qua enim consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse conceptus, cum ex vnius, eiusdemq; fontis origine secundùm Physicos vterq; liquor emanet?*

91 Non tamen ex hoc sequitur, B. Virginem dici debere Matripatrem, aut Patrimatrem, quoniam vt ostendi in lib. de Gen. disp. 8. num. 25. & seq. pater, & mater in generatione se habent vt causæ essentialiter subordinatæ ex Scoto 1. d. 3. q. 7. L. & quol. 15. H. quæ ita se habent, vt concursus vnius nequeat per cõcursum alterius suppleri, eo quia potentiæ generatiuę sunt alterius rationis, & virtutis; quapropter B. Virgo licèt subministrauerit totum, quod aliæ matres, non tamen suo concursu suppleuit actiuitatem virilis seminis, quod exigeretur, vt dici posset pater, & mater Christi. Tum quia Patres omnem concursum virilis seminis negant à Christi conceptione, talemq; concursum, aiunt, fuisse a Spiritu Sancto suppletum, quod non esset verũ, si B. Virgo vtrumq; concursum præbuisset patris, & matris.

92 Dices, Patres passim docent, corpus Christi ex purissimis sanguinibus B. Virginis fuisse generatum, ergo B. Virgo nõ se habuit in hoc, vt alię matres; prob. conseq. quia aliæ matres præbent sanguinẽ menstruũ, & semen, qui est sanguis decoctus, nullus autem istorum est sanguis purissimus. Tùm quia decisio seminis non videtur stare cum purissima B. Virginis castitate.

Resp. Sanctos Patres asserere, quod est certius in formatione corporis, nam concursus actiuus matris est dubium philosophicum. Vel sub nomine puri sanguinis comprehendunt semen, quod est sanguis purus, & decoctus, vt in lib. de Gen. disp. 8. q. 2. art. 1. docui, & hoc, vt cautiùs loquerentur. Sanguis menstruus in principio est purissimus, quia ad generationem destinatus, est tamen impurus, cum expellitur, quia tunc in corruptionem tendit. Ad confirmat. dico, decisionem seminis tunc pugnare cum castitate, & puritate, quando fit cum delectatione, & concupiscentia, hoc nõ fuit in B. Virgine, sed solus localis motus necessarius ad locum generationi proportionatum.

93 Deinde videndum, qualiter motus illi, & alterationes, quæ in conceptione interueniunt, fuerunt factæ in conceptione corporis Christi. Certum enim est, corpus Christi non fuisse paulatim, & longo tempore generatum, vt euenit in alijs generationibus, sed breuissimo saltem interuallo temporis, ita vt non fuerunt illæ mediæ alterationes, sed materia, statim ac fuit ad locũ proportionatum adducta, in corpus Christi perfectè organizatum cum omnibus partibus fuit transmutata. Dubium tamen est, an hæc localis adductio, & substantialis transmutatio fuit facta in tempore breuissimo, an verò in instanti.

94 D. Tho. 3. p. q. 33. art. 1. concedit, adductionem materię ad vterum fuisse factam in tempore, organizationem verò docet fuisse in instanti. Fundatur, quia putat, motum localem etiam de potentia Dei absoluta non posse, nisi in tempore exerceri. Attamen si hæc ratio valeret, concluderet etiam de organizatione, cui annexus est etiam quidam motus localis. Præterquamquod assumptum est falsum, quòd scilicet non possit fieri motus localis in instanti includens solùm realitatem termini motus, vt ostendi in Phys. disp. 15. q. 6. art. 5.

95 Scotus in 3. d. 2. q. 3. asserit, probabiliter sustineri posse, omnes istos motus fuisse in tempore breuissimo factos; quod ex Recentioribus docent etiam Tannerus tom. 2. disp. 2. q. 2. dub. 1. Bonac. disp. 1. q. 4. punc. 4. dum aiunt, fuisse factos in instanti physico, & morali, non mathematico. Contra hunc dicendi modum arguit Suarez 3. p. tom. 2. disput. 11. sect. 2. sed certè ostendit solùm, non fuisse factos in tempore, vt in nobis, & paulatim. Neque Doctor hanc opinionem enixè tuetur, sed solùm probabilem censet.

96 Dat postea Scotus alium modum, concedendo, quod toto tempore sanguines fuerint in proprijs locis corporis B. Virginis, & numquam in tempore moti ad matricem, nec sic figurati, & addensati, sed in vltimo instanti consensus B. Virginis fuit in vtero corpus illud figuratum, & organizatum, sicut fuisset in termino trium motuum, si præcessissent. Neq; hoc implicat, quia successio in motu prouenit ex resistentia mobilis, vel medij ad motorem, omnia tamen respectu Dei sunt in omnimoda subiectione, ideo nulla potest esse resistentia, neq; necessariò debet per media transire vt disp. cit. Phys. dictum est.

97 Aduertendum est tamen, quòd iuxtà hanc positionem non posset verè poni primus localis motus, scilicet adductio sanguinum ad locum cõuenientem, quia subiectum istius Vbi deberet esse sanguis, quod est impossibile, nam in eodem instanti, sequeretur, quòd sanguis esset, quia reciperet Vbi, & non esset,

quia

quis in eodem instanti in illa materia fuit forma corporis; hinc solùm materia, quæ erat sub forma sanguinis fuit ibi adducta. Fuerût autem alij locales motus comitantes, nam corpus, statim ac est productum, acquirit proprium Vbi; quamuis verè nô sint motus reales, quoniam subiectum non præfuit tempore sub priuatione. Quapropter expeditiùs dici posset, sanguines vel in instanti, vel in tempore breuissimo fuisse adductos in matrice, & postea in alio instanti terminante consensum B. Virginis fuisse organizatum corpus, & consequenter animatum, & Verbo vnitum; quia hoc modo non multiplicantur tot miracula.

98 Dices, Ioan. 2. habetur, *Quadraginta, & sex annis ædificatum est templum hoc*, quod exponens Aug. 4. de Trin. c. 5. inquit, *Hic numerus perfectioni Dominici corporis apertè congruit*; & lib. 83. qq. q. 56. *Non absurdè quadraginta sex annis dicitur fabricatū esse templum, quod corpus eius figurabat, vt quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot dies fuerint in Dominici corporis figuratione*, ergo &c. Accedit, quòd si in primo instâti fuit perfectè organizatum, ergo vel corpus Christi debebat esse maius omnibus alijs, quoniam in primo instanti fuit sub illa quantitate, sub qua sunt alia corpora post multos dies; vel quòd virtus augmentatiua quieuit agere per illud tempus.

99 Resp. Augustinum non loqui de prima formatione corporis, sed de totali, & perfecta vsq; ad tempus natiuitatis, nam inquit, quòd quadraginta sex senarijs dierum fuit corpus Christi completum in ventro, qui dierum numerus conficit nouem menses. Ad confirmat. si admitteretur prima sequela, nullum est absurdum, quoniam non est notabilis excessus, nam etiam quidam decem mensibus detinentur in vtero matris, nec sunt excessiuæ molis, & quantitatis.

100 Cum igitur formatio corporis Christi ex dictis fuerit miraculosa, quia instantanea; sequitur, à tota Trinitate fuisse effectam, quia opera ad extra sunt indiuisa; appropriatur tamen, & tribuitur Spiritui Sâcto, *Spiritus Sanctus superueniet in te*, *Conceptus est de Spiritu Sancto* (vbi ly *de* dicit habitudinem causæ effectiuæ, non materialis) ratio huius appropriationis est, quoniam incarnatio processit ex amore intenso, quo Deus nos dilexit, & fuit opus merè gratuitum, amor autem, & gratia Spiritui Sancto appropriantur, vt diximus disp. 6. q. 1. Sed quæri solet, an B. Virgo simul cum Spiritu Sâcto effectiuè concurrerit ad istam corporis formationem, sicut cæteræ matres; diximus enim in lib. de Genet. disp. 8. num. 30. matrem propria virtute immediatè attingere formationem corporis, & non solùm virtute seminis. Et quidem pars affirmatiua debet esse communis, aliter B. Virgo non fuisset perfecta mater Christi, sicut cæteræ; sed modus explicari debet.

101 Pro cuius resolutione supponenda sunt, quæ fusè determinaui in Phys. disp. 7. q. 6. art. 5. de potentia obedientiali actiua; vbi impugnaui opinionem illâ constituentem istam potentiam in virtute quadam supernaturali de nouo traditam à Deo; quod in præsenti applicari potest, ostendiq; B. Virginem non concurrisse per nouam virtutem supernaturalem de nouo acceptam à Deo, nam inquit Scotus d. 4. q. *Aliter dicitur*, vel ista virtus est accidens per accidens conueniens B. Virgini, & hoc est falsum; tùm quia accidês supernaturale non potest recipi in subiecto corporeo, vt est potentia generatiua; neq; potest esse ratio formalis producendi substantiam; tùm quia B. Virgo nô per se egisset ad formationem corporis, vt aliæ matres, sed per aliquid realiter distinctum per accidens sibi conueniens. Vel est aliqua perfectio intrinseca virtuti generatiuæ, qua redditur intensior; & est etiâ falsum, quia formæ eiusdem speciei eodem modo se habent quò ad agere in instanti, & in tempore, licèt vna sit remissior, alia intensior, aliter grauitas posset ita intendi, vt in instanti posset mouere, quod est falsum, ergo si naturaliter virtus vegetatiua agit in tempore, nun potest ita intendi, vt agat in instanti.

102 Ex dictis etiam ibidem excluditur opinio Suarez dicentis, B. Virginem solùm instrumêtaliter egisse supposita Dei eleuatione, quia, inquit, potentia obedientialis solùm instrumentalis dici debet; quod tamen est falsum; etenim instrumentum non attingit effectum principalis agentis, & dato, quòd attingat, non tamen per virtutem, quam habeat in esse quieto, sed tantùm in actuali motione receptam, at potentia obedientialis est in creaturis in esse permanenti, & per ipsam attingitur effectus principalis agêtis; tùm quia iam admittit, concursum B. Virginis fuisse imperfectiorem concursu alterius matris, dum astruit, illum fuisse instrumentalem, vbi concursus alterius est principalis.

103 Quapropter cum potêtia obedientialis sit potentia creaturæ, quatenùs subordinatur concursui speciali Dei respectu effectus improportionati secûdùm modum producendi, vel si est improportionatus secundùm substantiam, habet tamen aliquam analogiam, & remotam proportionem cum illa potentia; Insuper cum formatio istius corporis solùm secûdùm modum producêdi excesserit potentiam actiuam generatiuam B. Virginis, non verò secundum substantiam.

104 Dicendum est, B. Virginem actiuè concurrisse ad corporis formationem; quod probatur à Scoto litt. B. & seq. si Maria Virgo non potuit agere, vel fuit, quia non habuit potentiam actiuam respectu termini producti; vel si habuit, non potuit tamen tali modo instantaneo agere; vel tandem quia præuenta fuit à superiori virtute totum, & totaliter causante. Non primum, quia erat fæcunda, vt aliæ matres. Nô secundum, quia agens approximatum passo, & non impeditum statim agit, & in instanti, patet, quia si in tempore agit, esset propter aliquod impedimentum resistens, sed poterat à Deo ita applicari materia illa potentiæ actiuæ B. Virginis, vt omnino tollerentur omnia impedimenta, propter quæ in nobis fit in têpore, ergo &c. prob. min. quia ista impedimenta essent illa media, per quæ debet agens creatum priùs procedere, antequàm perueniat ad terminum, vt sunt dispositiones, & formæ substantiales mediantes, scilicet embrionis, & similium, quæ formæ recedunt aduenîete forma corporis; item resistentia contrariæ qualitatis in alteratione, quæ omnia à Deo possunt auferri, quia agens superius non subest in agendo ordini, quem voluntariè præfixit, ergo potentia B. Virginis actiua, vt hoc modo eleuata potuit instantaneè coagere Spiritui Sancto. Neque tertium, quia Spiritus Sanctus est agens liberum, ergo potest secum admittere causam secundam ad agendum, vt euenit in alijs causalitatibus.

105 Dices, Dam. 3. de fide c. 49. ait, quòd Spiritus Sanctus superueniens in Virginem dedit ei susceptiuâ simul, & generatiuam virtutem, ergo recepit vim à Deo. Tum quia Ansel. de Concep. virgin. cap. 11. dicit,

dicit, hanc generationem fuisse miraculosam, ergo B. Virgo nullam habuit actionem, quia quæ miraculosè fiunt, non pendent à virtute creata.

106 Resp. Dam. loqui de potentia susceptiua, & generatiua proxima, quomodò dicit ordinem ad specialem concursum Dei, nam ex propria natura solùm habebat potentiã remotam, & inchoatam, vt in Phys. disp. cit. diximus. Ad confirmat. resp. fuisse miraculosam quò ad modum, quo pacto potest aliquod miraculum pendere à potentia obedientiali creata, & potest dici naturalis quò ad substantiam, quia effectus verè pendebat à causa creata, licèt requirebat specialem Dei concursum, vt tali modo produceret.

Hoc idem dicẽdum de partu, scilicet B. Virginem fuisse cooperatam, quamuis remanserit clausa, & incorrupta, quia Spiritus Sanctus fecit, ac si nullũ adesset impedimentum ad illum motum localem.

Articulus Secundus.

An inter B. Virginem, & Christum sint relationes reales maternitatis, & filiationis.

107 Recolenda hic sunt, quę diximus in Log. disp. 8. q. 10. art. 2. exponendo secundum modũ relatiuorum, quòd quamuis paternitas, & filiatio sint post transactam generationem denominationes reales, quòd hic generauit, ille genitus est, eoquia filius in conseruari non pendet essentialiter à patre; attamẽ in instanti generationis, quia tunc verè filius essentialiter à patrę dependet, inter ipsos dãtur relationes reales patris, & filij. Quapropter præsens difficultas locum habet tàm in sententia asserentium, paternitatẽ, seù maternitatem, & filiationem esse relationes permanentes, quamdiu permanent extrema, tàm in nostra sententia docente esse relationes solùm in instanti generationis existentes, nam licèt postea non adsint, sunt tamen denominationes ex illis relationibus derelictæ. Quæstio igitur est, an B. Virgo dicatur mater Christi propria relatione maternitatis, & Christus propria relatione filiationis.

108 Et quidem quod spectat ad B. Virginem, omnes concedunt habuisse in se relationem maternitatis, per quã dicta fuit deinde vera Christi mater, & hoc, quia verè produxit Christum. Solùm difficultas est de Christo; nam Henr. quol. 4. q. 3. Alensis 3. p. q. 10. memb. 3. & D. Bon. 3. d. 8. art. 2. q. 2. docent, Christum dici filium Virginis, non quidem noua relatione reali, sed æterna, qua ab æterno refertur ad Patrem. D. Thomas cum suis 3. p. q. 35. art. 5. admittit nouã filiationem in Christo ad matrem, sed negat, hanc esse relationem realem, sed tantùm ait esse rationis.

109 Dico tamen, Christum dici filium B. Virginis, non quidem filiatione ęterna, sed temporali, quę quidem non est relatio rationis, sed realis. ita Scotus in 3. d. 8. q. vn. estq; communior apud Theologos. Prima pars, quòd Christus nequeat filiatione æterna dici filius B. Virginis, posset primò probari rationibus illis, quibus in Log. disp. 8. q. 6. art. 2. ostendi, vnam relationem non posse terminari ad plures terminos adæquatos; imò rationes illæ hic magis concludunt; nam ibi erat sermo de terminis solo numero distinctis, at si specie essent differentes, certum est, relationes multiplicari, modò Pater æternus, & B. Virgo plusquam specie differunt, similiter rationes terminandi in ambobus, ergo implicat, eandem relationem terminari ad Patrem æternum, & B. Virginem.

110 Sed adhùc prob. ratione speciali à Scoto; si Christus diceretur filius B. Virginis sola filiatione æterna, sequeretur, istam propositionem, *Christus in quantùm homo est filius B. Virginis*, in sensu reduplicatiuo non esse veram, consequens est falsum, ergo &c. sequela prob. quod competit Christo ratione personalitatis æternæ, non competit ipsi in quantùm est homo reduplicatiuè ex disp. 5. num. 9. sed esse filium Virginis per Aduersarios competit Christo ratione personalitatis æternæ, ergo &c. falsitas prob. tunc ly *in quantùm* se tenet reduplicatiuè, quando designatur causa inhærentię prædicati cum subiecto, sed ratio, & causa, cur Christus sit filius B. Virginis, nõ est natura diuina, vel personalitas, sed natura humana, quatenùs producta à Virgine, ergo ista propositio est vera reduplicatiuè. Tùm quia si Pater æternus assumpsisset naturam humanam ex B. Virgine, diceretur filius B. Virginis noua relatione, ergo Christus modò dicetur filius Virginis noua relatione; antec. prob. tunc B. Virgo vere diceretur mater illius suppositi, quia haberet rationem fundandi talem relationẽ, omniaq; exerceret, quæ in conception. Christi exercuit, ergo suppositum illud diceretur filius B. Virginis, nam mater, & filius sunt relatiua, & mutuo se inferunt, non posset autem dici filius paternitate, vt patet, ergo noua filiatione; prima conseq. prob. quoniam non est maior ratio de Patre, quàm de Filio. Si enim dicatur, disparitatem esse, quoniam duæ formę eiusdem rationis nequeunt in eodem reperiri (quod est vnum ex fundamentis Aduersariorum) præterquam quòd assumptum est in se falsum; adhùc nõ est ad propositum, quia si in Filio admitteretur noua filiatio, hæc non esset eiusdem rationis cum filiatione æterna, vt patet. Si dicatur, hoc esse, quoniam noua, & realis filiatio nequit in supposito diuino fundari (quod est alterum fundamentum) idem militat de Patre æterno, qui tamen diceretur filius, vt probatũ est.

111 Secunda pars est contra Thomistas, & prob. à Scoto ratione à priori, filiatio realis est origo naturalis viuentis à viuente in similitudinem naturæ intellectualis principio vitę coniuncto, sed in Christo filiatio ad B. Virginem est huiusmodi, ergo est filiatio realis; maior patet ex definitione filiationis ab omnibus acceptata; min. prob. Christus secundùm naturã humanam duxit naturaliter originem à B. Virgine in similitudinem naturæ intellectualis principio vitæ coniuncto, ergo in Christo est huiusmodi filiatio realis.

112 Respondent Thomistæ, quod per ly viuentis à viuente datur intelligi suppositum productum, & producens, eoquia filiatio, & paternitas sunt relationes natæ solùm conuenire suppositis, quare si suppositum non est capax relationis nouæ realis, non insurgit filiatio, quamuis adsint cætera; in proposito suppositum Christi non est capax talis relationis nouæ.

113 Contra, productio passiua non determinat sibi necessariò inesse supposito, sed sufficit fundamentum multiplicatum ad multiplicationem passiuæ productionis, quamuis vnicum sit suppositum, vnde & ipsi Thomistæ admittunt in Christo duas originationes, & productiones passiuas propter naturam humanam de nouo productam, & habetur expresse à Dam.

3. de

3. de fide c. 7. *Duas generationes Christi veneramur*, sed filiatio nihil aliud est formaliter, quàm productio, & generatio passiua, ergo si in Christo sunt duę productiones passiuæ reales, erũt duæ filiationes reales, min. prob. quia in Verbo nõ est alia relatio filiationis à generatione, & productione passiua, nec in Patre est alia relatio paternitatis à productione, & generatione actiua, neq; potest explicari, in quo consistat ista differentia, vnde & in definitione filiationis ponitur ipsa relatio originis passiua. Tùm quia non minùs filiatio determinat sibi suppositum, quàm operatio, nam etiã agere dicitur esse suppositorum ex procem. metaph. sed hoc non obstante conuenit Christo ratione humanitatis aliqua operatio creata realis, ergo etiam aliqua filiatio noua realis. Negant paritatem, quoniam filiatio est magis propria suppositi, quàm operatio; cuius assumpti, & disparitatis aliam rationem non assignãt, nisi quòd solùm suppositum denominatur filius, non natura, aut pars aliqua, at operatio potest saltim denominare partem, vnde dicitur oculus videre, intellectus intelligere. Sed hæc disparitas nulla est, quoniã neq; humanitas, neq; pars aliqua humanitatis denominatur generare, aut generari, sed totũ suppositum, & tamen generatio tùm actiua, tùm passiua nõ dicuntur ex hoc inesse soli supposito, itaut suppositum, sit subiectum denominationis, & inhæsionis simul, sed solius denominationis; idem de filiatione dicendum; præsertim, quia à generatione passiua non distinguitur; vide Scotum, & P. Fabrum in præsenti.

114 Contra prędicta arguitur; filiatio subiectatur in supposito, suppositum Christi nequit recipere aliquid reale de nouo, ergo &c. maior prob. id est subiectum, quod denominatur, & est terminus adæquatus generationis, sed natura non denominatur filia, neq; est terminus adæquatus generationis, sed ipsum suppositum, vt includit naturam, & personalitatem, ergo &c. Tùm 2. filiatio est proprietas personalis in diuinis, ergo etiam in humanis, ergo soli supposito inest filiatio. Tùm 3. ratio, cur Christus non est filius adoptiuus, est, quia suppositum diuinum non est capax relationis realis, ergo filiatio est relatio postulans fundari in supposito. Tùm 4. D. Ansel. reddens rationem, cur Filius sit incarnatus, ait, nè fieret confusio in proprietatibus, ergo quia modo non fit illa confusio, Christus non dicitur filius alia filiatione ab æterna.

115 Resp. distinguendo maiorem, subiectatur vt in subiecto inhæsionis, nego, vt in subiecto denominationis, concedo, idem dicitur ad probat. non enim est necesse, quòd idem sit subiectum inhæsionis, & denominationis, vt patet in alijs relationibus, sicut quod verè, & propriè producitur, non est suppositũ diuinum, sed natura humana, denominatur tamen totum constitutum fieri, & produci ratione naturæ, quæ verè fundat immediatè relationem; cum dicitur, humanitas non dicitur filia; verum est, quia denominationes fiunt in concreto; tùm quia se habet vt *Quo*, non vt *Quod*, nec etiam dicitur similis, aut generare, sed est fundamentum similitudinis. Ad 2. negatur paritas, quia filiatio diuina est per se subsistens, & cõstitutiua suppositi, & incommunicabilis, ideoque est personalis proprietas, at creata est accidens, communicabilis, recipiturq; immediatè in natura, licèt vltimatè denominet suppositum. Ad 3. negatur assumptum, quoniam ex dictis disp. 8. quęst. 1. art. 2. ratio, cur non est filius adoptiuus, est, quia non habet extraneitatem ad hæreditatem. Ad 4. fuisset vtiq; confusio, quia eadem persona nũc pater, nunc filius fuisset appellata, ex quo potiùs sequitur oppositum, scilicet, quòd detur temporalis filiatio; aliter nunquam diceretur filius, sed semper pater, & sic nulla confusio.

116 Secundò, si Christus duas haberet filiationes, ergo esset duo filij, quod est falsum, imo in quolibet essent duæ filiationes, vna ad patrem, altera ad matrem, quod à nemine conceditur. Tùm 2. sequeretur; quòd si modò Verbum dimitteret illã naturam, illa natura diceretur filia Virginis, & tamen variaretur suppositum; sequela patet, quoniam adesset idem fundamentum relationis, scilicet eadem natura producta; & idem terminus; falsitas probatur, quia non esset idem suppositum, quod priùs, ergo nec idem filius genitus. Imò sequeretur, quòd si vnio hypostatica fuisset facta post conceptionem, adhùc B. Virgo facta vnione posset dici mater Dei, quia permanet fundamentum cum relatione, quod tamẽ est falsum, quoniam ratio, cur Patres, & Concilia contra Nestorium asserunt B. Virginem matrem Dei, est, quia actio productiua Virginis non fuit terminata ad purũ hominem, sed ad hominem Deum. Tùm 3. sufficit terminatio realis relationis maternitatis, adhoc vt Christus dicatur realiter filius, sicut Deus dicitur realiter creator per terminationem relationis creaturæ, ergo non sunt multiplicanda tot entia sine necessitate. Tandem nunc Christus non est filius B. Virginis tali filiatione, nam illa filiatio, si adfuit, fuit morte destructa, & post resurrectionem fuit alia acceptio illius esse, quàm per generationem, ergo & aliud esse acceptum, & tamen adhùc Christus dicitur filius Virginis, ergo nonnisi per filiationem æternam, ergo idẽ dicendum ante mortem.

117 Resp. has esse difficultates communes in omni sententia; nam ad 1. negatur prima sequela, quia vt dictum est disp. 3. q. 2. ad multiplicationem concretorum nõ sufficit multiplicatio formarum, sed exigitur quoq; multiplicatio suppositorum. Secunda sequela est vtiq; vera, quia relationes multiplicantur ad multiplicationem terminorum ex dictis in Log. disp. cit. Ad 2. eadem difficultas fieri posset, si vnio hypostatica fieret ab aliquo supposito creato (quod est possibile in sententia Aduersariorum) & deinde natura illa dimitteretur, vel ab alio assumeretur, in hoc enim casu daretur relatio filiationis, quia suppositum illud esset capax; & sic omnes tenentur huic argumento respondere.

118 Respondetur ergo, quòd in nostra sententia sustinente, suppositum creatum non dicere quid positiuum, & relationem maternitatis, aut filiationis nõ esse permanentem, sed solùm in ipso instanti productionis, deinde verò esse simplicem denominationem realem ex præterita actione, aut passione derelictam, argumentum nullam vim habet; nam in primis concedo, si Verbum dimitteret humanitatem, illum hominem dici adhùc filium Virginis, quoniam humanitas illa in se subsisteret, fundaretq; denominationẽ illam filiationis; nec essent duo filij, quoniam licèt variarentur supposita, tamen multiplicatio suppositorũ non sufficit ad multiplicationem concretorum, sed requiritur quoq; multiplicatio formarum. Similiter si natura illa assumeretur deinde à Patre, adhùc vnicus esset filius Virginis, non duo, propter eandem rationem; nõ tamen in illo casu Pater dici posset filius Virginis,

gnis, sed solùm hic homo, pro vt Pater ratione suppositi in communi constituit hunc hominem; ratio est, quoniam fundamentum totius prędicationis proprietatum naturæ de supposito diuino est vnio hypostatica, ergo quę precedunt hanc vnionem, nequeunt prædicari de supposito; hinc si modò humanitas dimitteretur à Verbo, & à Patre assumeretur, non posset dici Pater nos redemisse, quia talis redemptio non præsupponit hanc vnionem cum supposito Patris, diceretur tamen hic homo nos redemisse, quoniam ratio suppositi in communi, & vnio hypostatica, vt intelligitur terminata ad suppositum in cõmuni, includitur in vnione cum Verbo, & in vnione cum Patre. Idem de filiatione dicendum, quòd cum filiatio sit denominatio derelicta ex passiua generatione, & realiter esse filium nihil dicat de præsenti, nisi vocaliter, sed tantù in aliquid de præterito, inquit Doctor litt. D. sicut *Sortes est futurus*, licèt vocaliter videatur propositio de præsenti, tamen realiter est propositio de futuro, & æquiualet isti, *Sortes curret*, sic *Sortes est genitus*, æquiualet isti, *Sortes fuit genitus*, & *Sortes est filius* idem est, ac *fuit filius*. Cum inquam filium esse dicat ordinem ad generationem passiuam præteritam, quæ ab vnione cum supposito Patris præscindit, quia præfuit, nunquam poterit de Patre dici filium esse B. Virginis. Si tamen filiatio esset relatio permanens, difficulter saluaretur, Patrem non dici filium B. Virginis, nam actu informaret humanitatem, & vltimate terminaretur ad suppositũ Patris, sicut quodlibet aliud accidẽs, quod ratione informationis actualis diceretur de supposito Patris, quamuis præfuisset in humanitate vnioni hypostaticæ cum supposito Patris.

119 Ad 3. si valeret, inquit Doctor, tolleret omnem realem relationem de medio; nec valet paritas, quia Deus nullo modo potest recipere aliquid reale de nouo, at Christus ratione naturæ humanæ, quæ est immediatum fundamentum relationis, potest recipere nouam relationem. Ad 4. est communis difficultas de omnibus filijs post resurrectionem, quę quidem in nostra sententia parùm vrget, quoniam quantumcunque accipiatur de nouo illud esse per resurrectionem, nunquam auferitur illa denominatio, quòd filius primum esse acceperit à parentibus, ideoq; semper denominabitur filius, etiam post resurrectionem.

Arguunt etiam Thomistæ, quòd plures numero formæ nequeunt in eodem subiecto reperiri. Sed est res phylosophica. Præterquamquòd filiatio æterna, & temporalis plusquàm prędicamento differunt; alias rationes vide in Log. disp. 8. cit.

Articulus Tertius.

An, & qualiter B. Virgo meruerit maternitatem Dei.

120 SVpponenda est hic distinctio meriti tradita disp.6.q. 2. in meritum de congruo, & de condigno. Insuper, quòd non detur meritum de digno, quasi medium distinctum ab illis, & consequenter nulla est opinio D. Bon. 3. d. 4. art. 2. q. 2. Riccardi art. 3. q. 1. & Marsi. q. 5. art. 3. dub. 1. docentium, B. Virginem neq; de condigno, neq; de congruo meruisse maternitatem Christi, sed de digno. Duplex igitur est sensus difficultatis propositæ, primus, an de facto meruerit, vel potuerit mereri B. Virgo hanc dignitatem. Secundus, an supposito quòd meruerit, tale meritum fuerit, vel potuerit esse de condigno, an verò solùm de congruo. Nec est sermo de electione, sed de executione, & acquisitione.

121 Prima opinio est Lorcæ disp. 22. Nazarij controuer. 3. concl. 4., & adhæret Centinus disp. 7. c. 4. negans, B. Virginem vllo pacto meruisse hanc dignitatem. Communior Theologorum pars affirmat, sed differunt postea, nam aliqui negant, B. Virginem de condigno meruisse, vel potuisse mereri hanc dignitatem, sed solùm de congruo, ita Vasq; disp. 23. c. 2., & assentit Lugus disp. 8. in calce. Alij de facto negant, de congruo meruisse, affirmant de possibili, ita Suarez disp. 10. sect. 7. & 8. Bonac. disp. 2. q. 12. punc. 5. §. 1. Auersa q. 6. sect. 12. Hurt. disp. 28. sect. 2. & seq. estq; communior. Tandem alij ex opposito concesserunt, B. Virginem de facto meruisse de condigno hanc dignitatem, ita ex Antiquis Gabr. 3. d. 4. q. 1. Almain. ibid. Maior q. 6. Abulens. parad. xo 1. c. 34. & 38. ex Recentioribus sequuntur noster Vulpes disp. 3. art. vlt. Bernal. disp. 17 sect. 4.

122 Dico primò, possibile fuit, B. Virginem de condigno mereri dignitatem maternitatis. Hæc conclusio expræssè nõ habetur à Scoto, conformis tamen est doctrinę, quam tradit de merito, nam si præcipua ratio meriti ex dictis disp. 6. q. 2. consistit in acceptatione diuina, potuit Deus, aliquod opus B. Virginis acceptare, tanquam de condigno meritorium maternitate Dei. Tùm quia quamuis dicamus, ad rationem meriti non sufficere acceptationem, sed præexigi in opere valorem æquiualentem, vt sustinent Thomistæ, adhùc conclusio est verissima, quoniam si opus ex gratia elicitum est valoris ęquiualẽtis ad gloriam, & gratiæ augmentum, poterit quoq; æquiualere maternitati Dei, quæ minor est ipsa gloria, vnde dicebat D. Aug. lib. 6. de Sancta Virgin. *Maius est, concipere Deum mente, quàm ventre*; ergo saltim poterat Deus acceptare vnum opus, si non pro gloria, & maternitate simul, saltim pro sola maternitate.

123 Dico 2. B. Virginem vsq; ad legationem Gabrielis tempore annunciationis factam solùm de congruo meruisse maternitatem Dei, at post illam legationem probabile, piumq; esse, hanc dignitatem meruisse de condigno. Prima para, quòd meruerit hanc dignitatem, prob. primò authoritate Elisabeth Luc. 1. *Beata, quæ credidisti quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino*, & ipsius Virginis in Cantico, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, Ecclesia canit, *Quia quem meruisti portare*; Item prob. authoritate Patrum, nam Ambros. epist. 82. ait, *Quid loquar, quanta sit virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi, vt esset etiã corporale Dei templum?* & lib. 2. de Virginibus, *Quid in singulis morer? quæ digna fuit, ex qua Dei filius nasceretur*; & aliæ authoritates infra adducentur.

124 Resp. Centinus, meritum quandoq; sumi pro necessitate, sic accipitur in illa authoritate, *O fælix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem*; quandoq; pro dignitate, vt cum dicitur, *Beata Virgo, cuius viscera meruerunt portare Dominum Christum*, hoc est *digna fuerunt*, dignitas verò significat quamcumq; dispositionem supernaturalem, etiam gratis datam, sic etiam sumitur in illa oratione, *Qui gloriosæ Virginis matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti*; quandoq; sumitur pro actu

actu meritorio; in prædictis authoritatibus meritum accipitur in secundo sensu, non in tertio, quoniam B. Virgo, vt esset digna Dei mater, innumerabilibus fuit illustrata priuilegijs à Deo.

125 Verùm hæc expositio potest vtique applicari quibusdam authoritatibus, quoniam multæ dispositiones, quas habuit B. Virgo, fuerunt gratis datæ, & præsertim priuilegia, vt immunitas à peccato originali, & debito, extinctio fomitis, confirmatio in gratia, & similia, attamen negari nequit, quin aliquæ authoritates loquantur de merito in tertia significatione, scilicet de actibus meritorijs, nam quando meritum, seù mereri adiungitur actibus virtutum, non significat solam dignitatem, sed etiam rationem meriti, quæ consistit in hoc, quòd illis aliquid debeatur, vel de congruo, vel de condigno: sic locuntur authoritates Euangelij, & Ambros. cit. rursùs Aug. lib. de nat. & grat. c. 36. *Concipere meruit, & parere &c.* & serm. 8. de Sanctis, *O fælix obedientia! ò insignis gratia! Quæ dum fidem humiliter dedit, cæli in se opificem corporauit; hinc promeruit illam gloriam, quam ipse postmodum auxit, ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Tùm quia Abraham meruit actu meritorio, scilicet oblatione proprij Filij in sacrificium, vt progenitor fieret Christi, vnde Gen. 22. dixit Deus, *Quia fecisti rem hanc; benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*: alijq; Patres meruerunt hanc circumstantiam incarnationis proprijs actibus ex dictis disp. 6. q. 4. ergo non debet hoc denegari B. Virgini, cuius sanctitas incomparabiliter omnem aliam excedit. Tùm quia augmentum quasi immensum gratiæ promeruit B. Virgo suis actibus, sed talis gratiæ excessus fuit vna ex dispositionibus maternitatis, ergo dispositiones maternitatis meruit B. Virgo, ergo etiam ipsam maternitatem.

126 Secunda pars, quod tale meritum fuerit de congruo vsq; ad tempus annunciationis, prob. quoniam ad meritum de condigno requiritur pactum, & prommissio onerosa, quæ non sit subsequens actum meritorium, sed antecedens ex dictis disp. 6. nu. 85. sed inter Deum, & B. Virginem vsq; ad illud tempus non interuenit tale pactum; neq; fuit illi promulgatum, ergo &c. min. prob. quia si B. Virgini innotuisset hoc pactum, non dixisset Angelo, *Quomodò fiet istud?* neque fuisset conturbata ex tali legatione, quasi ignara omnis diuini decreti erga suam personã; requiritur autem notitia huius prommissionis, adhoc vt opus sit de condigno meritorium, quoniam merens debet per se intendere honestatem actus, & bonitatem finis, ergo debet præcognoscere illam bonitatem, & quòd actus sit præceptus.

127 Tandem quòd probabile sit, post illam legationem B. Virginem de condigno meruisse maternitatem, prob. quoniam si humilitatem illam profundissimam, fidemq; & obedientiam consideremus, quas habuit præbẽdo assensum incarnationi dominicæ, fuerunt tanti valoris, vt D. Bernardinus Senensis serm. 51. dixerit, *Virgo per humilitatis illius actum, quo Angelo respondit, Ecce ancilla Domini, &c. plùs meruit, quàm cæteri Sancti, & Angeli simul meruerint actibus suis*: ergo non defuit valor ex parte operis B. Virginis; solum exigebatur pactum, & prommissio obligatoria, quæ quidem interuenit, dum Deus exegit ante incarnationem B. Virginis consensum explicitum, fuit enim quoddam pactum, & prommissio onerosa, nec obscurè insinuatur ab Elisabeth verbis citatis. Tùm quia meritum B. Virginis maximè excessit quodcunq; aliud meritum Sanctorum Patrum, ergo præmium correspondens fuit maximè debitum merito Virgineo, quàm merito Sanctorum Patrum, sed maternitas, aut generatio Christi ex tali progenie fuit præmium vtriusq; meriti, & merito Sanctorum Patrum fuit debitum de congruo, ergo merito Virgineo fuit debitum de condigno. Et tandem probatur, quia hæc positio cadit in maiorem honorem, & gloriam B. Virginis, & nullum sequitur inconueniens, probabilitatem quoque habet ex Sacra Scriptura, & Patribus, ergo est admittenda.

128 Contra primam partem secundæ conclusionis arguitur primò authoritate Patrum, asserentium, B. Virginem non ex proprijs meritis, sed ex mera Dei gratia tantam dignitatem obtinuisse, ita Hieron. lib. 1. contra Pelagianos exponens dictum Virginis in Cantico, *Beatam sese dicit, non proprio merito, sed inhabitantis in se clementia*; & Bern. serm. de Natiu. Virg. *Quærant alij meritum, nos inuenire gratiam studeamus, Maria non non prætendit meritum.* Tum 2. quoniam sequeretur, B. Virginem meruisse incarnationis substantiam, quia esse matrem est concurrere ad generatione filij, actiones autem, & ipsi effectus indiuiduantur ex circumstantijs.

129 Sed respondetur faciliter, Patres arguere contrà Pelagium docentem, ad meritum nõ requiri gratiam diuinam, quapropter negant in B. Virgine meritum pelagianum ex solis viribus naturalibus prouenienss absq; gratia, ideoq; excessiuè locuntur, ac si nullum fuisset in B. Virgine meritum. Ad 2. fuse est responsum in disp. 6. q. 3. art. 2.

130 Contra tertiam partem secundæ conclus. & simul contra primam conclus. arguitur. Si B. Virgo meruit, vel potuisset mereri de condigno maternitatem, certè per actus ex gratia elicitos, sed hoc est falsum, ergo &c. min. prob. quia actus meritorius, vt sit talis, debet ex sui natura esse proportionatus, & ordinatus ad mercedem, sed nullus actus ex gratia elicitus ex sui natura est ordinatus ad maternitatem Dei, aliter quælibet Sancta potuisset de condigno mereri hanc dignitatem, quia quælibet elicit similes actus ex gratia, ergo &c. Tùm 2. quilibet actus B. Virginis fuit adæquatè remuneratus per augmentum gratiæ, & gloriæ, quod quidem est maius bonum, quàm maternitas: vel igitur actus consensus B. Virginis fuit remuneratus sola dignitate maternitatis, vel simul cum augmento gratiæ, & gloriæ: si primum, ergo non fuisset remuneratus ad æqualitatem, quia recepisset minorem mercedem: quod derogaret merito Virgineo, & magnificentiæ diuinæ: si secundum, vel augmentum illud fuit eiusdem intensionis, & gradus correspondentis illi actui ex sui natura considerato, & quo fuisset remuneratus, etiam si maternitas non fuisset in præmium concessa, ergo maternitas non fuisset concessa in mercedem, sed potiùs ex mera gratia, excessisset enim præmium proportionatum illius actus. Vel tale augmentum fuit minus, & remissius, & loco illius gradus fuit in mercedem substituta maternitatis dignitas, ergo actus ille non fuit ad æqualitatem remuneratus; prob. conseq. quia gradus ille gratiæ, & gloriæ, cui fuisset substituta maternitas, est maius præmium ipsa maternitate.

131 Resp. neg. min. ad probat. falsa est maior, quoniam etiam in humanis meritum, cui aliqua merces ex se correspondere solet, potest ex voluntate cõ-

trahen-

trahentium compensari mercede alterius rationis, labor enim in vinea factus regulariter dignus est pecunia, potest tamen, & solet compensari vino, frumento, panno, &c. idem de actu ex gratia elicito dicendum; cum inferiur, quemlibet actum cuiuslibet Sanctæ potuisse quòq; hanc dignitatem promereri, concedo sequelam, si pactum, & acceptatio diuina intercessisset. Ad 2. respondeo, in nostra sententia nihil vrgere, quia ponimus rationem meriti præcipue in diuina acceptatione, ideoq; compensatio fieri potuit omnibus illis tribus modis assignatis in argumento, & quęlibet fuisset compensatio de condigno. Imò nec in sententia Aduersariorum de acceptatione meriti, & valore, vrget, nam merces merito correspondens non consistit in indiuisibili mathematico, sed latitudinem quandam habet, vnde regulariter in humanis datur triplex pretium cuiuslibet rei, scilicet infimum, medium, & supremum, seù rigorosum, quodlibet tamen, etiam infimum, stat cum condignitate recompensationis. Ita in proposito, si Deus præmiasset actum consensus B. Virginis primo modo, fuisset remuneratus infima mercede, si secundo modo, mercede rigorosa; si tertio modo, mercede media. Tùm quia Deus, pręmiando bona iustorum opera, remunerat semper vltra condignum, & tamē iusti dicuntur de condigno mereri gloriam, quamuis excessiuè remunerati. Tùm quia excessus valoris meriti erga præmium non tollit condignitatem recompensationis, nam merita Christi in sententia Aduersariorum habuerūt ius ad maius præmium, quàm fuerit illud, quod à Deo fuit concessum, non tamen ex hoc sequitur vel vilificatio meritorum Christi, vel non condigna remuneratio; idem de merito B. Virginis dicendum, quòd si sola maternitate fuisset remuneratum, quamuis meritum excederet in valore, condignè tamen fuisset remuneratum, absq; vlla vilitate Virginei meriti.

132 Secundò arguitur, quoniam maternitatis dignitas est tàm sublimis, vt Patres asserant, habere in se diuinum quoddam, & infinitum, & esse maiorem quacunq; alia dignitate, quæ potuisset à Deo concedi puræ creaturæ, ergo propter sui excellentiam summam nequit cadere sub meritum de condigno. Tum quia arguit Centinus, maternitas ista fuit radix, fundamentum, & principium omnis Virginei meriti, ergo nequit cadere sub meritum; conseq. prob. quia principium meriti non cadit sub meritum, aliter idem esset causa, & causatum, vt arguebamus de Incarnatione disp. 6. q. 3. art. 1. & 2.

133 Resp. etiam visio beatifica includit aliquod diuinum, & infinitum obiectiuè; quapropter assumptum est verum, præterquàm de dignitate gratiæ, & glorię. Tùm quia etiam si concederemus antecedens, negatur conseq. quia ex diuina ordinatione maius bonum potest ordinari tanquam merces ad minus bonum, vt sæpè dictum est in materia de merito. Ad 2. antecedens est verum in genere causæ finalis, non efficientis, idcirco negatur conseq. cuius probatio valet de principio in genere causæ efficientis, qualis est incarnatio, vt dixi disp. 6. num. 61. & seq. Prçterquamquòd licèt dona, & priuilegia B. Virgini concessa fuerint in gratiam maternitatis, non tamen idem de gloria dicendum, quoniam gloria est vltimus finis creaturæ, qui fuit primò volitus à Deo, iuxta illud Scoticum, ordinatè volens priùs vult finem, quàm media ad finem. Sicut igitur Deus prædestinauit Christum ad vnionem hypostaticam, & ad summam gloriam, itaut fuerunt duo quasi simul volita à Deo, & non vnum propter aliud, idem de gloria, & maternitate B. Virginis dicendum.

134 Vnum remanet hic aduertendum pro complemento huius difficultatis; quod Hurt. disp. 28. à §. 69. docet, cum dignitate maternitatis Dei esse annexam impotentiam vel physicam, vel moralem peccandi, quæ quidem impotentia potest quoque à Deo alicui creaturę concedi independenter à maternitate; quo supposito ait, quòd si Deus concederet independenter à maternitate hanc impotentiam peccandi, posset iste talis mereri de condigno hanc dignitatem; at si talis impotentia concederetur vt effectus quidam consequens ipsam maternitatem, & propter ipsam concessus, negat, posse de condigno mereri maternitatem, quod probat; per nullum nostrū meritum potest impetrari de condigno à Deo, vt aliquis à periculo peccandi eripiatur, ergo nequit maternitas Dei, cui est annexa impotentia peccādi cadere sub meritū.

135 Verùm hæc limitatio absq. fundamento asseritur, eò vel maximè quòd ipse loquitur de potentia Dei absoluta, de qua potentia loquendo neq; impeccabilitas est necessariò connexa cum maternitate, sicut neq; cum vnione hypostatica, & si esset connexa vt effectus, adhùc potest cadere sub meritum, quoniam & ipsam vnionem hypostaticam diximus disp. 6. q. 3. art. 1. posse aliquem mereri de potentia Dei absoluta.

Quæstio Quarta.

De adoratione debita B. Virgini.

136 BEatam Virginem esse à nobis adorandam in confessum est apud Catholicos. Triplici autem titulo potest Beata Virgo adorari; primò ratione propriæ Sanctitatis, & excellentiæ intrinsecæ gratiæ, & gloriæ, quam habet; secundò ratione contactus, quatenùs Christum nouem mensibus gestauit in vtero, nutriuit proprio lacte, amplexa est, & osculata; tertiò ratione dignitatis maternitatis; qui titulus differt à secundo, quoniam contactus non dicit aliquam intrinsecam excellentiam, sed meram habitudinem extrinsecam conuenientem etiam inanimatis rebus, facitque rem adorabilem adoratione respectiua, non absoluta; at Maternitas est dignitas, & excellentia intrinseca in genere moris, solis personis rationalibus conueniens, qua ratione persona est adorabilis adoratione absoluta, non respectiua.

137 Collyridiani Hæretici docuerunt, B. Virginem adorandam quocunq; titulo adoratione absoluta Latriæ, eoquòd putarunt ipsam esse Deam quandam, & rem diuinam. P. Vulpes disp. 39. art. vlt. docet, B. Virginem primo titulo esse adorandam adoratione absoluta Hyperduliæ omnino, eiusdem rationis, & æqualis cum adoratione Hyperduliæ, qua humanitas Christi est in se adorabilis; ita num. 8. & 10. ratione autem secundi tituli negat disp. 38. art. vlt. esse adorabilem Latria respectiua, hæc enim, inquit, soli cruci cōuenit, propterea quòd fuit præcipuum instrumentū nostræ redemptionis; quapropter in ipsius sententia B. Virgo sola Hyperdulia est adorabilis.

138 Dicendum breuiter, B. Virginem primo titulo esse adorandam Hyperdulia absoluta, sed minori, quàm sit Hyperdulia conueniens humanitati

Christi; secundo titulo esse adorandam Latria respectiua; & tandem tertio titulo esse adorandam Hyperdulia absoluta alterius rationis à prima, & omni alia, qua Sancti adorantur. Ita colligitur ex doctrina, quam tradit Doctor in 3. d. 9. probantur singula.

139 Primò quòd sit adorabilis Hyperdulia, probatur, quoniam sanctitas B. Virginis, gratia, & gloria sunt excellentiæ, & dignitates creatæ, ergo nequeunt esse rationes obiectiuæ adorationis Latriæ absolutæ, cuius obiectum est sanctitas increata, ergo Duliæ, sed quoniam inter omnes electos sanctitas B. Virginis est singularissima, vt vidimus, hinc dici debet Hyperdulia; attamen non adæquat sanctitatem creatam humanitatis Christi, quamuis enim concedamus cum Vulpes, B. Virginem esse vniuersalem Ecclesiæ aduocatam apud Christum, vitamq; meritoriè nobis influere per intercessionem apud Christum tanquam collum corporis Ecclesiæ; adhùc non sequitur, esse æqualis sanctitatis cum Christi humanitate, hæc enim se habet vt caput, non vt collum, habet vnionem hypostaticam, excedit in gratia, & gloria ipsam Virginem, omnesq; electos, ergo adoratio Hyperduliæ conueniens B. Virgini nequit esse æqualis cum Hyperdulia competente humanitati Christi. Eodem modo si aliquis Sanctus excedit alium in sanctitate, potest dici adorabilis Hyperdulia proportionata illi excessui, sic Ioannes Baptista, & Apostoli dicuntur adorabiles, non tamen absolutè in ordine adorationis puræ creaturæ, quomodò conuenit B. Virgini, sed comparatiuè in ordine ad alios Sanctos; Dulia namq; & Hyperdulia in proposito differunt vt magis, & minùs perfectum, quæ non variant speciem.

140 Secundò quòd B. Virgo secundo titulo, & ratione contactus sit adorabilis Latria respectiua, probatur, quoniam ex dictis disp. præced. q. 1. & 4. contactus est sufficiens ratio adorationis respectiuæ ad exemplar, vt patet in reliquijs, imaginibus, &c. adoramus enim cunam Christi, clauos, vestem, & etiam alia similis generis cæterorum Sanctorum, talisque adoratio respectiua sortitur idem nomen, ac adoratio absoluta exemplaris propter ordinem, quem dicit ad dignitatem exemplaris, vt patet in cæteris, vt diximus ibidem num. 86. & 87. ergo quia B. Virgo habuit physicum contactum cum Christo, hac ratione erit adorabilis adoratione Latriæ respectiuæ; non enim requiritur necessariò, quòd illud adorabile fuerit instrumentum nostræ redemptionis, vt voluntariè assumit Vulpes; aliter si Adam non peccasset, nullo pacto, quæ Christum tangebant, fuissent adorabilia. Præterquamquòd B. Virgo coöperata est ad nostram redemptionem concipiendo, & nutriendo humanitatem Christi; & quamuis redemptio nostra non fuerit consumata Natiuitate Christi, sed morte, non idcirco sequitur, conceptionem, & natiuitatem nullo modo spectasse ad nostram redemptionem; verum enim est dictum illud, *Nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset*, attamen non potuisset Christus nos redimere passione, & morte, nisi priùs natus fuisset, ergo ex hoc capite debemus dicere, B. Virginem coöperatam fuisse nostræ redemptioni. Non debemus autem vti hac adoratione communiter, quoniam personæ rationales sunt capaces adoratione absoluta, & consequenter daretur occasio simplicibus errandi, putare enim possent, adorationem illam non esse respectiuam, sed absolutam; quod periculum non est in rebus inanimatis, quæ sola respectiua adoratione sunt adorabiles.

141 Dices, si contactus Christi esset sufficiens ratio adorationis Latriæ respectiuæ, ergo eodem modo deberemus adorare loculum, in quo iacebat filius viduæ, tactum à Christo, Luc. 7. insuper leprosum, Matt. 8. *Tetigit eum dicens, volo, mundare*, linguam muti, Marc. 7. *Expuens tetigit linguam eius*, & omnes infirmos à Christo per contactum sanatos, Marci 6. *Quotquot tangebant eum, sanabantur ab infirmitatibus suis*; quod est falsum. Resp. hæc dubitatio concluderet quòque neque cunam, neque vestem, aliaque huius generis esse adorabilia vllo pacto, quod est falsissimum; quapropter respondeo ex disp. præced. num. 81. neg. conseq. quia non quilibet contactus sufficit ad adorationem, sed exigitur peculiaris contactus, quo res tacta moraliter euadit ipsius Christi. Vel vt diximus num. 87. si aliquis sciret distinguere has rationes respectiuas, posset admitti consequentia.

142 Tertiò tandem, quòd vt Christi mater B. Virgo sit Hyperdulia absoluta adorabilis, prob. quoniam hæc dignitas est supernaturalis, creata, & inferioris conditionis, quàm esse Deum per essentiam, vel vnione hypostatica, ergo vt sic B. Virgo non erit Latria adorabilis. Quoniam autem hæc dignitas est singularis in B. Virgine, & alterius rationis ab excellentia sanctitatis, tum eiusdem Virginis, tùm etiam aliorum Sanctorum, debet dici Hyperdulia quidem propter singularitatem, sed specie distincta ab Hyperdulia eiusdem Virginis debita propter sanctitatis dignitatem, & Dulia cæterorum Sanctorum, actus enim specificantur à rationibus formalibus obiectiuis.

143 Dices, B. Virgo vt mater Christi dicit habitudinem ad ipsum Christum, vt causa ad effectum, estq; coöperata nostræ redemptioni, vt diximus, ergo vt sic est adorabilis Latria respectiua. Tùm quia idem honor debetur Regi, & matri Regis, ergo si Christus adoratur Latria absoluta, idem de B. Virgine dicendum. Et tandem, B. Virgo ijsdem titulis honoratur ab Ecclesia, & Patribus, quibus honoratur Christus, dicitur enim spes nostra, Mediatrix, Mater gratiæ, Ianua cæli, ergo &c.

144 Resp. aliud est loqui de adoratione respectiua, & aliud de adoratione absoluta, de prima concedimus assumptum, non de secunda, de qua procedit nostra conclusio. Ad 2. quicquid sit de antecedenti in humanis, vbi dignitas matris non videtur specie differre à dignitate filij Regis, negatur paritas, quia dignitas maternitatis B. Virginis valde differt à dignitate Christi. Ad 3. non in eodem sensu illa attributa tribuuntur Christo, & B. Virgini, Christo enim tribuuntur, vt authori principali nostræ salutis, redemptionis, & iustificationis; at B. Virgini conferuntur tanquam aduocatæ, & potissimæ intercedidtrici pro nobis apud Christum; ex quo patet diuersitas adorationis Christi, & B. Virginis. Hæc satis de Incarnatione diuini Verbi, quæ in honorem, & gloriam eius, dem cedant, ac Virginis Deiparæ.

FINIS.


Imprimatur D. Angelus Vic. Generalis.][Imprimatur D. Ignatius Amicus pro Ill. Præside de Denti.

ERRA-

ERRATA POTIORA SIC CORRIGENDA.

Primus numerus significat Paginam, Secundus Columnam, Tertius Lineam.

Pag 25 *col.* 2. *lin* 58. d. q. 1. *pro* d. 1. q 1. *pag.* 40 1. 9. immediatè *pro* mediatè. 49. 1. 50. sextum *pro* textum. 57. 1 61. dominum *pro* dominium. 61. 2. 30 cum *pro* iam. 64. 2. 30. quæ *pro* qui. 81. 2. 59. vt *pro* si. 91. 1. 29. humanitatem *pro* diuinitatem. 93. 1. 17. diuersitas *pro* si diuersitas, *ibid.* 65. causam *pro* causa. 106. 1. 3. finitè *pro* infinitè. 112. 1. 36. esset *pro* non esset 117. 1. 17. sint nolitæ *pro* sint volitæ 119. 1. 47. bonitatem *pro* bonitatem infinitam. 124. 2. 35. tradit *pro* tradi. 115. 2. 59. separari, *pro* operari. 127. 1. 32. citat *pro* citet. 131. 2. 34. potiùs *pro* positus. 138. 2. 6. domino *pro* dominio. 142. 1. 64. sonum *pro* bonum. 153. 2. 60. dicit *pro* dici. 101. 2. 15. adimplerem, *pro* adimplere. 162. 1. 49. esse *pro* non esse. 164. 2. 50. honorum *pro* horum. 168. 1. 61. a Scoto *pro* Scotus. 170. 1. 52. dignitati *pro* dignitatem. 171. 1. 41. intentione *pro* intensione. 184. 1. 40. quia *pro* qua. 185. 2. 41 concurrit, *pro* concernit. 186. 2. 61. insulorum *pro* insulatum. 188. 2. 3. perfectiorum *pro* perfectarum. 189. 2. 40. dolore, *pro* dolere. 192. 2. 32. tribuendo *pro* tribuendi. 197. 2. 25. in 3. *pro* in 2. 199. 1. 55. homo, *adde* sic accepit. *ibid.* 58. quorum *pro* ad quorum. 210. 2. 9. potuit *pro* posuit. 211. 1. 54. dependenter *pro* dependenter. *ibid* 2. 54. voluit *pro* noluit. *ibid.* 64. voluimus, *pro* volumus. 217. 2. 47. ratio *pro* ratio. 221. 1. 63. meritum *pro* præmium. 229. 1. 47. contingit *pro* contigit. 230. 1. 1. & *pro* vt. 232. 1. 34. ... retur *pro* laberetur. 237. 2. 19. explicandam, *pro* explicandas. 245. 1. 47. propter *pro* præter. 246. 2. 12. debent *pro* debet. 250. 2. 66. dominium *pro* dominum. 251. 1. 11. communis *pro* communi. 253. 1. 63. placuerit *pro* placeret. *ibid.* 2. 66. digna, *pro* dignæ. 255. 1. 7. sed *pro* &. 257. 1. 16. effectum *pro* affectum. *ibid.* 37. commissionis *pro* summissionis. *ibid.* 2. 3. adorare *pro* honorare. 258. 1. 51. parce *pro* parte. 259. 2. 12. Magis *pro* Magi. 261. 2. 38. Latriæ, *adde*, Confirm. si humanitas vnita est ratio adorationis Latriæ. *ibid.* 64. sanguinis *pro* sanguis. 262. 1. 22. adoratio *pro* adoratione.







INDEX RERVM NOTABILIVM.

Numerus prior significat Disputationem, posterior dat intelligere marginalem numerum.

A

Appe-

Christi

meruit

Causa

L

M

per

N

O

Ordo

Sacri-

propriè

FINIS.



